43
9 G
6

ANDREÆ CHRYSOSTOMI IN ZAŁVSKIE ZAŁUSKI,

Primò Kijovienſis, poſtea Plocenſis, & nunc Varmienſis

EPISCOPI,

SACRI ROMANI IMPERII PRINCIPIS,

TERRARUM PRVSSIÆ PRÆSIDIS, ET SUPREMI REGNI POLONIÆ CANCELLARII.

EPISTOLARUM HISTORICO-FAMILIARIUM

TOMVS PRIMVS.

A morte LUDOVICÆ REGINÆ, & Abdicatione Regis JOANNIS CASIMIRI. Regum MICHAELIS I. & JOANNIS III. Acta continens.

BRUNSBERGÆ
ANNO SALUTIS 1709. TYPIS MANDATUS.

HONORI DEI,

POSTERITATIS UTILITATI.

POlonorum Gentis, Regnique casus, & eventus ingentibus exemplis, subitaq; ac ferme abruptâ rerum varietate memorandos, nulla ætas præ hac nostra aspexit. Sæculorum historiam fecerint, quæ à memoria nostra, prospera, ambigua, luctuosa, tristia, miseranda ac erubescenda, domi, militiæq; nobis intervenêre. Vnde mihi, cui semper placuit agere curas sæculorum, cogitare aliquando subit, tanto in privatum Polonæ facundiæ flumine, virorumq; ad miraculum præstantium proventum, vitam non tam agere, quàm perdere; cùm diffusis toto Regno efflorescentibus literis raros admodum hactenus scribendo volumini publico stylum video admovisse, quod variè, fortiterq; gesta, & eventa si-

mul clauderet, famamq; ac fidem magnis rebus ad posteros etiam compararet. Neq; enim lapsâ & tam effœtâ natura, ut nihil quovis tempore laudabile pariat.

Si veteres illi, apud quos virtus in pretio fuit, celebrari Majorum suorũ statuas in foro collocatas, & alijs in locis publicis volebant, ad utilitatem hominum respicientes, quanti à nobis facienda esset Historia? quæ non muta, ut statuæ, non vana, ut picturæ, veras præclarorum virorum imagines nobis exprimeret, quibuscum loqui, quos consulere, & imitari, ut vivos, fas esset.

Ego ignaviæ, ac torporis non innoxios facio hos, qui nullos vivunt ad usus, interea vita labitur, & isti miseri nunquam, aut rarò, quid sit verè vivere, nisi, cùm desinunt, vident, & cùm valida animi vis, viresq; ac otium suppetant, silentio ætatem transcurrere potius, suamque, Patriæque laudem relinquere, & immortalitatem, bonam mentem nullo in pretio habere, nec in hoc scribendi genere laborare elegerunt; nihil publico collatum eunt, qui primarius actionum humanarum scopus esse debet. Et huic ipsi omnes, qui id facere possunt, studere, & summâ ope niti deberent, ut vitam silentio non transigant, veluti pecora, quorum vita sine proposito vaga est,

quæ

quæ cæteris omnibus poſthabitis, huic rei ſolùm intenta ſunt, ut ventris ingluviem expleant. Nam nulla ſunt, etiamſi magna hominum peracta opera, quæ non ruant, obſcurentur, & vetuſtatis morbos non reformident, niſi illa literarum monumenta ſuſtentent, illuſtrent, & juveneſcere faciant. Sunt quidem, qui id agere ſemper cogitant, nunquã tamen incipiunt, & ſi id ab illis deſideras, perdis operam, littus aras, fruſtra ſemina projicis. Natura non vincitur; propenſiores quippe nunc ſumus ad lædendam Patriam, quàm bene de ea merendum.

Ac proinde tertius Annus eſt; nam major pars ætatis, certè melior Reipublicæ data eſt; vix aliquid temporis mei mihi ſumpſi: cùm nulla unquam opportunior voluntati reſpondet occaſio, & quod non licuit ante per negotia, quod à fortuna negabatur, ſtatui à me ipſo impetrare, & quam ſemel conſilij viam, ac rationem ſum ingreſſus, in ea libenter pergam, etſi ſcio non eum eſſe me, qui magna præſtare poſſim, ſatis quòd ſumma facultas ſcribendi in optima voluntate ſit, & ſpero, quòd majorem ex ipſa veritate voluptatem capiet poſteritas, quàm ex inani quadam mea oſtentatione, cùm præcipuè non tam laudi meæ ſerviviſſe, quàm publicæ commoditati conſuluiſſe voluerim. Pri-

Primis annis, quibus distentus curis, quibus rerum oneribus pressus fuerim, quàm nunquam vacaverim, sciunt, qui vivunt; inter continuos, qui alij ex alijs nectebantur, labores, omni diligentiâ publico impensi, in continuatis, & in se, sicuti orbe quodam negotijs redeuntibus transiêrunt: nunquã me mea vel consuetudo, vel natura otiari patiebatur.

Vbi curæ, nisi in Curia? Tertius inquam annus est, quo opus scribendi aggressus, fortè non statim ab omnibus conspuendum. Epistolas meas, quas collegi, & redegi in aliquot Tomos, visum est mihi in lucem dare, ingenij mei partum, novum dispositu, compositu veterem quamvis illum per diuturnæ calamitatis tædium, nec pingere, nec polire mihi mens, & otium, ita, ut hoc opus abjecisse veriùs videar, quàm peperisse; metuendo non ex vano, ne plus oneris susceperim, quàm quantum mea imbecillitas sustinere possit. Arripio tamen curam & cogitationem Senatorio Ordine, & Episcopali digniſſimã. Apud Romanos Summi Pontifices Annales digerebant, & tanquam album populo proponebant. Quod usq; ad C. Mutij tempora invaluit. Deductum ad Hebræos, apud quos Sacerdotes & Prophetæ Regum Historias scribebant. Itaq; sicut à puero mihi familiaris labor est, & nunquam

me

me minùs otioſum cenſui, quàm cùm minimè eſſe liceret otioſum; ut juſtè accuſari non poſſim inertiæ.

Primâ in ætate inchoavi, quod perficerem in extrema. Hâc opinione ab ipſâ adoleſcentia imbutus, ac poſt aliquot annos, magis non ignobili ratione confirmatus, impellente genio faciendi diarij, conſcribendorum actorum negotium ſuſcepi. Quando in hac vita, quam natura incertis brevis ævi anguſtijs humano generi præſcripſit, nihil beatiùs eſſe poteſt, quàm, non tam nominis proprij famam, immortalibus invicti animi monumentis, ad non incertam ſpem ſempiternæ laudis extendere, quàm Patriæ labore ſuo prodeſſe. Et hoc conſtans in omni fuit vita propoſitum: utrum autem, quod loquebar, aſſequi licuerit? ad meum judicium non revoco; viderint ij, qui mea legent. Ignotam ſegnitiem vel ipsâ conſuetudine neſcio amare, magis honeſto ingenij exercitio prodeſſe Patriæ ſtudens, quàm ad famam eniti. Sola proinde poſteritatis cogitatio perſuaſit id, ut me ad ſcribendum accingerem. Si vita videtur cuiquam optanda longior, nullam aliam ob cauſam vivere & ego optaverim, quàm ut id efficiam, quod vitâ dignum ſit, quod utilitatem legentibus, quamvis tenuis in me facundiæ rivus eſt, afferat, &

pro-

profectò satis me vixisse arbitrabor; & officium hominum implêsse; si labor meus DEo placuerit, & posteritati conduxerit.

Ad otium damnatus, ne quid pro officio & Ministerio agerem prohibitus, honestum otij mei oblectamentum quæsivi, cùm mihi non suppeteret, in quo fructuosius meum tempus contererem, ne nihil interea agerem, ad colligendum, quod exactè semper notaveram, me converti, eam Historiæ legem observaturus, ne quid falsi dicere audeat, deinde, ne quid veri non audeat, & ne suspicio gratiæ vel odij appareat in scribendo; ita, ut Socratico decreto non subjaceam, occultando veritatem, vel concipiendo mendaciũ. Et idipsum magnum incorruptæ veritatis argumentum est, quòd multi eorum, qui hæc bello, paceq; gesserunt, adhuc vivant, ac idcirco gravi existimationis meæ cum periculo mentientem refellere possent. Inanes verò verborum picturas, comptosq; sententiolarum flores nemo expectet. Relinquo dictationis eloquiũ, cùm mihi non stylum colere, sed virtutes constitutum sit. In memoriam venit illud; nimis anxium esse te circa verba, & compositionem mi Lucili nolo, habes majora, quæ cures.

Deterrebat quidem Ciceronianum illud ab incipiendo, quòd periculum sit mandare quenquam

quam literis cogitationes ſuas, qui eas nec illuſtrare poſſit, nec delectatione aliquâ Auditorem contentum reddere, ſed malui nimiæ cujuſquam diligentiæ, & extremæ (ut ita loquar) confidentiæ meæ damnari, quàm vel negligentiæ, vel ſocordiæ. Interim tamen prædamnari quenquam incognitâ causâ non licet; nec injuſtè peterem, ut, ſi quis erit ille, qui inciderit in hæc, ſi leget, perlegat, & ſententiam differat in extremum. Ab omnibus, ſi fieri poteſt, humanitatis jure poſtulo, ut non priùs damnent, quàm univerſa cognoverint. Legant, qui volunt, qui nolunt abjiciant, calumnientur illi, nunquã Authores, ſemper Interpretes; qui cùm nihil ſciant, tamen ſe ſcire aſſerunt, quæ Juno fabulata eſt cũ Jove, quæ neq; futura neq; facta ſunt, tamen illi ſciunt. Sed ego gnaros veritatis inſtruere cupio, & magis provocor charitate Patriæ ad ſtudiũ, quàm illorũ detractione, & odio deterreor. Non affecto laudes, nec vituperationes expaveſco, modò regat artem conſcius artis: Felices, inquit Fabius, eſſent artes, ſi de illis ſoli Artifices judicarent, non ſpernerent certè; nec putarent parvi. Quodcunq; tamen judicium de me fuerit, non invitus ſubibo, quando in hac hiſtoria non optimorum ſpero laudem, neque peſſimorum timeo vituperium neq; qui mihi detraxerit,

id gloriæ aſſequetur, ut omnes ei conſentiant, & fortaſſe futura id ætas approbabit, ſi quod noſtra rejecerit.

Ante omnia verò totum hoc opus ad gloriam Magni Dei, à quo uno, ſi quid aut ingenij, aut doctrinæ in me eſt, cùm acceperim, ad ejuſdem unius honorem, omnes ingenij, doctrinæque fructus referre inprimis æqvum eſt: Non nobis Domine, non nobis.

Deinde cenſuræ ſupremi mei capitis Pontificis Maximi ex integro ſubjicio. Poteſt enim eſſe, ut me non advertente aliquid tale irrepat, quod & mihi ipſi, ſi tempus recollectionis fuiſſet, certè diſplicuiſſet. Si quid ergo inventum fuerit retractatione, & quaſi ablutione dignum; en me nudum offero, & genu flexo precor, ut ſumma, quæ illi abluendi poteſtas eſt, abſtergat iſta, aquâ profluenti è Petra, quæ eſt Chriſtus abluens. Libentius enim vellem, ut chartæ iſtæ ſerviant ad aromata in tabernas portanda, & piper, aut crocum contineant, quàm ſi vel in minimo puncto ſcandalum aliquod adferre debeant. Proinde hac publicâ declaratione purgo conſcientiam meam, quæ oculis Dei pervia eſt, & ita vellem ſcribere, ut rationem reddendam mihi arbitrer, putemq; me momentis omnibus non in aliquo, uti ille dixit, orbis theatro ab hominibus,

bus, ſed deſuper ſpectari ab eo; qui & judex; & teſtis idem futurus eſt, cui rationẽ vitæ repoſcenti, actos meos aliter explicare non licebit.

Fateor, quòd aliorum Scriptorum (ut ita dicam) naves ſunt majores, ac melioribus inſtructæ remigibus, quæ memoriam publicam vetuſtate jã deficientem ab interitu vindicare voluerunt, quorũ curſum deſperò me poſſe æquare, levioribus ventis mea vela tendentibus. Guilhelmus ille numeret piſces, qui per flumen tranſeunt, multũ enim otij habet. Sæculorum verò labor eſt, non deſultorij momenti, tot annis collecta geſta brevi temporis intercapedine in publicũ dare, ut, quod nos ſcimus, poſteros non lateat.

In hac hiſtoria mea non ornatus, non lepos, non quandoq; gravitas, parum concinnè, parum aptè, parum decorè. Simplices ſunt paginæ, acta bona, malaq; referentes, nudæ, & ſolùm animi cujuſvis indices. Interim tamen enitar, ut tum ſparſa colligam, tum occulta prodam, & ut id quantocius fiat, curabo, quantum in me erit; nam premit à tergo ſenectus, & objicit annos inter vana ſtudia conſumptos. Non ſum ille, cujus Cicero notat tarditatẽ, qui cùm magnas quaſdam ſpes oſtenderet, re nihil unquã abſolvit. Nam alacritatẽ meã, & operã nunquam deſiderari permittã, DEo adjuvante ſcribã, quæ acta ſunt, ſcribã, quæ vera ſunt, quod nulli negabunt, qui attentius legent. Cùm

Cùm verò multa ſcienda neſciuntur, aut ſciendi incuriâ, aut diſcendi deſidiâ, aut verecundiâ inquirendi; me, quæcunque ad commodum Patriæ pertinere intelligam, omittere velle, vel poſſe, nolim quis exiſtimet. Si verò ea aliquis contemnet, ego fructum tamen non perdam literarum, quæ ex charitate procedunt, ſed ille de contemptu reſpondebit. De veritate ipſâ, uti ſollicitus fui, ita ſecurus ſum.

Magna quidem incipio, ſed Patriæ amor nomen difficultatis erubeſceret. Cæleſti tamen opus eſt munere, ut mihi facultas, ac tempus ad propoſita perſequenda tribuatur, ut vindicare ab obſcuro queam oblivionis ſitu, quos æternitas ipſa injurioſæ temporum vetuſtati ſubtrahere nequit, fama rerum cœlo, terraq; immortales fecit; humana major magnitudo, non hominum tantùm, ſed minorum quoque heroum vulgo exemit, ſeparavitq;. Iſtos poſteritati commendatos eo, nulla artis ludibria, & eloquentiæ dehoneſtamenta adhibendo, ſed verba rebus geſtis congruenter attemperando, quæ non curo, ut delectent, ſed proſint. Cogar tamen in paucis antecedaneam illuſtrium virorum ſeriem contemplari, in hoc paſſu magnorum decora nominum incuſans, quòd anguſtis nequeant circumſcribi ſpatijs,

rivu-

rivulos ſcilicet credo eſſe, quorum exordia indigitari poſſunt, ſed fluminum profunditas ſua abſorbet plerumq; initia, vetuſtatis titulo ſæpe ingens rerum cooperitur multitudo, & quidquid æternitati agnatum eſt, certis nequaquam delineatur terminis; faciliùs eſt quippe cogitare, quàm deſcribere. Nullius verò gloriæ, dum verum refero, ſubtraho.

Volui autem DEo hæc dedicare, & ad poſteritatem dirigere, utinã ad honorem DEi, utilitatem poſteritatis aliquid dignum elaborare poſſim, quamvis ſciam nihil eſſe ex omni parte abſolutum; non aurum, aut argentum ſine ſcoria, non vinum ſine fæce, non roſa ſine ſpinis. Evagor in aliquibus locis longius, quàm ipſe vellem, materiâ ipsâ trahente, & epiſtolaris ſermo redditur extenſior, quia nihil pro utilitate prætermittitur. Tamen ſi quis cernit me excedere modum epiſtolæ, ſciat frequentiùs non impleviſſe, quod volui, id curæ fuit, ne aliquid prætermiſiſſe viderer. Inveniuntur aliquæ epiſtolæ, quæ ad mille ſpatia verſuum tendunt, ut legenti faſtidium adferat longitudo, ſed quid agendũ erat, res verbis explicari debuit, nihil eſt longum, unde nihil demi poſſit: ne obvoluta in obſcuro veritas lateat, ex ordine lucubrata, poſita, colligata venit. Pluribus explicanda

ſunt

ſunt quædam, ne quid dubium omnino relinquatur ad efficiendas ſuccedentium ſibi temporum veritates. Frequenter ſublimia humiliter, illuſtria inornatè tracto, & ex innumerabilibus, quæ dicenda forent, plurima minùs eſſentialia prætermitto. Audaciùs quædam ſcribo, quæ bene ſcio, in memoriam ſcientium reducens, candidè ad oculos pervenient legentium, ut ſimpliciter geſta ſunt. Nihil ſuperfluum addidi, nihil non neceſſarium poſui. Nam tam ille errat, qui neceſſarijs tam facilè demit, quàm qui indulget ſuperfluis. Quædam tamen ſcripta ſunt breviter, ac nudè, cùm aliter non deceret, ut omni errore ſublato veritas patefacta clareſcat. Plerumq; pictores magnitudinem, quam anguſtijs tabulæ comprehendere nequeunt, in umbris & ſpatijs remotiſſimis reponunt, magnumq; leonem ungue duntaxat non mole fingunt. Nunquam, quod veritas extorſit, mendacio fallente celavi, offenſionum pro utilitate publica non pavidus. Nullus quippe animo ſuavior cibus eſt, quàm dum ſuſcepto illuſtrandæ veritatis officio ad cognitionem rerum, quas intelligere oportet, ac dicere, devenitur, dum non rebus commentitijs, ſed inveſtigandæ veritati ſtudetur, defendendo eam apud eos, qui aberrare ab eadem poſſunt.

Odi

Odi illos qui veritatem mendacio velant, ac propterea minus fortè gloriæ meæ ſcriptio habere poteſt, plus invidiæ, quamvis fidei multum apud eos, qui ſcire vera volunt.

Haud rectè facta ſilere nolui, ne viderer malos imitari velle tacendo. Difficile eſt Satyram non ſcribere, nam quis iniquæ tam patiens urbis? tam ferreus, ut perferat. Interim tamen nulli convicia facere ſoleo, ſi veritatem dico, non audacis in dicendo libertatis, opinioni magis ſtudeo, quàm ijs ſincerè dicendis, quæ acta ſunt; illuc toto deſiderio feror, devotione immoror, inhæreo ſẽſu, perſiſto in veritate. Vero magis quàm prompto illã promens eloquio, exeſſe enim orationis fucatæ auxeſes omnino volo.

Non erubeſco quandoque de commutatione ſententiæ, in hoc laudans quosdã, in eo non laudans, & proinde fateor me non eſſe tantæ authoritatis, & ſcientiæ, ut me errâſſe pudeat. Nemo poteſt eſſe tam prudens, tam circumſpectus, ut non aliquando labatur.

Multa non habui, quæ ab alijs planè docerer, maluique non attingere, quàm finem Hiſtoriæ obliviſci, & quorundam ſenum tantùm memoriæ credere. Culpam hanc, ſi culpa dicenda eſt, ignorationi rerum remittet Poſteritas, & hanc excuſationẽ facilè accipiet. Quàm mul-

multos tramite devio abducit ignorantia? quis enim eſt, qui poteſt omnia ſcire? niſi qui cum hominibus habitationẽ non habet. Cùm præcipuè nec ſi ſolem quidem ipſum geſtemus in manibus, fidem commodabunt aliqui; nollem ullum vivum, ne minimâ quidem animadverſione perſtringere, mortuos autem, etiam cũ ab alijs diſſentirem, nunquam niſi honorificentiſſimè commemoravi, &, ſi quid durius fortè inciderit, non meâ, ſed veritatis culpâ; cùm ſolùm utilitatem Reipublicæ intuendã, ſequendamq; credidi. Non ſoleo blandus eſſe, nec oculis, auribuſq; dare, quod negari poſſit veritati. Certum eſt, quòd ob reſpectum aliquẽ, cùm in curſu inſtitutorum meorum procedere maximè vellẽ, conſiſtere ſum coactus, quãvis ſcripſerim, quantum licuit, & quoquo modo licuit, res verba deſiderârunt, ac pro ſe ipſis in oculis ſolis hujus loquebantur. Eâ fiduciâ ſuggerere non dubitavi, quod ſuggerendum videbatur, non futuri deſiderio, non præſentium tædio laborans. Quare enim verbis parcere debui? cùm abunde guſtemus, quid fellis, aut mellis eſt in rebus noſtris. Gratuita verba ſunt, relinquo alia his, qui continuo vitæ curriculo elaborant circulos, ſed ſemper vitioſos.

Non obſcurâ voluntatis egregiæ in Patriam ſignificatione in omni corde, & in omni ani-

mamea, quantâ voce in Senatu loqui potui, tanto nunc calamo proclamo, & res noſtras (creſcente mihi ex ipſo voto fiduciâ, doloris ex malis Patriæ dulcorando amaritudinẽ, cùm me illius damna & angunt, & tangunt) revelatâ fronte & pectore ſcribo: quæ nec facilè poſteritatis elabentur memoriâ, nec difficilè tenebũtur. Laborhic ab initio nõ adeò erat gravis, paulò poſt & levẽ ſenſi, deinde nec ſenſi, quin imò delectavit.

Utinam verò adſint proſpera, quæ precamur; & quibus non delectari tantùm, ſed & gloriari poſſimus, uti libenter ſperamus fore, quia vehementer cupimus. Utinam poſt hos nimbos lux, & ſol aliquis tranquillitatis appareat, in quo apricari nobis liceat. Scriberem & ego tunc lætiora, quamvis æthera lego; cadit enim mihi ſtylus, & manus, dum hæc recogito maturius, & jam quaſi nugas cenſeo totum hoc, quod molior, meditorq;, ſed tamẽ continuare, quæcunq; demum illa fuerint, eſt animus, ſi DEus vivere dederit, & valere: ut poſteritatis de me judicia ſuſtineam, & aliquâ ſaltem ex parte reſpondeam amicorum exſpectationi.

Omiſsâ igitur inanium ſpe, ex re judicare vellem omnes dere ipſa, & inter candida, & prima deſideria reddere effectum, non curans illa tela volatica; cùm nec lædi poſſim; etiamſi ſentiam. Sumus aut erimus, quos fama eſſe, & æter-

nus ille genius volet, mihi verò illud vendico, quod toto, puroq; animo ad bonum publicum propendeam, & dotes ingenij mei, quas ille omnium Dator dedit, huc confero libenter. Copiam judicij mei Reipublicæ faciendo, ita ut Hieronymi ad Nepotianum monitum ſonat: *Non confundant opera ſermonem tuum, ne cùm in Eccleſia loqueris, tacitus quilibet reſpondeat: cur ergo hæc, quæ dicis, ipſe non facis? qui bona ſuadet, & malè agit, ſeipſum condemnat, alterius inſtructor, ſui judex factus.*

Nullâ de re magis ſolicitus, quàm de gloria Regni, quotidie cauſam apud me dicens, cur mutatione temporum eventu vario in hac Republica, in qua olim virtutibus certabatur, nunc certatur ſceleribus? pauperis populi oppreſſionibus? & cur optimus ſibi videtur, qui peſſimus? ventilando ſe in omnem ventum, & eundo in omnem viam.

Sed prætereo, præterire enim libet communia hæc mala, ſiquidem intuens cuncta, audienſq; cuncta proferet dies, cùm illa meliùs teneant omnes, quàm ſuum nomen, & ut dicitur; tanquam ungves, digitoſque ſuos.

Non uſquequaque irritum eſſe ſolet, quidquid rumore populi jactatum fuerit; ſi quis moleſtos hominum non curabit vitare rumores, ſciet, quòd fama malum eſt, oritur, ſurgitque facillimè, difficile autem hanc perferre, & grave eſt ſedare coortam.

Scri-

Scribendi ordo is erit. Antiquiora, quæ vetuſtas abduxit, tranſeo, & ad externa, aut aliena non diffundor. De Abdicatione Regis JOANNIS CASIMIRI magnis Annaliũ monumentis, magniſq; ingenijs celebrata, ſatiſq; nunquam pro merito celebranda, digna enim res, ut poſteritas ſciat, leviſſimè inſinuo, & pauca tantùm ex multis, quia noſtra tantùm, Patriæq; iſtius, hoc eſt, unii in orbe populo neceſſaria eligo, quæ conſulta exacti ſæculi acta docuêre. Quæ innuere utcunq;, non recenſere neceſſe erat, quamvis cùm ſingula intuerer, nihil eorum ſine flagitio prætermitti poſſe exiſtimavi, ſed cùm multa rurſus, & univerſa contemplarer, plurima mihi neceſſariò omittenda eſſe cognovi, neceſſaria cum periculo ſubtrahuntur, ſupervacanea cum tædio dicuntur; Multa fiunt, quæ à multis neglecta, à me verò diligenter inveſtigata; certa verò fero certis Authoribus, minimè eſt pudor quæsîſſe, quæ neſciêris; Satis eſt, quòd omnia, quæ ſcripſi, vera ſunt; Nam deciſionem lucidam nodoſæ ambiguitatis facere volui, & illos, quos mors odio & gratiæ exemit, condignè in memoriã reduxi; quis ſcapham ſcaphã vocare vetabit? Totâ mente in hanc curã incumbens (debita enim res eſt, ut veritas ubiq; appareat) quis hiſtorijs inſerit, quæ non credit? Quamvis ſcribentibus hiſtoriam nulla major difficultas objici ſolet,

let, quàm cùm recenter vita functorum memoriam ſcriptis inſerere volunt; nam ſi eos laudibus cumulaveris, non deſunt, qui nimiam eorũ apprehenſionem, ſinè qua veritas ipſa ſibi non conſtat, tanquam id à malevolentia aliqua proficiſcatur, in ſiniſtram partem interpretantur. Hiſtoria verò ad narrandũ, non ad probandum ſcribitur, totumq; opus non ad actum rei, pugnamq; præſentem, ſed magis ad memoriã poſteritatis, quàm ingenij famã componitur. Res geſtas ſcribere, non geſtarũ rerũ rationẽ reddere animus eſt. Multa autẽ ſunt, fueruntq; quæ ad noſtrũ op, non referebãtur, ideoq; præterita.

In omnibus nihilominùs, dum occaſio poposcit, mentionem feci, de cauſis, & motivis, & ea facta, quæ, dubiũ erat, quo animo facta fuerint, in meliorem partẽ ſemper interpretabar; hoc enim magnum eſt opus, & homine dignum, ut multa, quantum intelligentiæ meæ puſillitas pervidet, explicâſſem; Nec voluntas verò mihi defuit, nec cura de omnibus benè ſcribere, niſi, dum vidi aliter rem geri, quàm decebat, & quæ præſens ætas laudare non poteſt, & futura liberiùs reprehendet. Intento animo operam dans, ut nunquam à pleriſq; malevolis mihi id vitio detur, quod humanitate, benevolentiâ, charitateq; agere niſus fuerim. Arduum quippe videtur res geſtas ſcribere; Primũ quòd

facta

facta dictis exæquanda ſunt; Deinde, quia pleriq; delicta, quæ reprehenderis, ex malevolentia, & invidia dicta putant.

Scribuntur raptim alia, alia animo cogitante; premitur ſtylus, &, quamvis vellem eſſe acer inſcriptis, & verba ex animo, non à ſummis labris profundere, calamo velociter ſcribente id fieri non ſemper poteſt, & ita ſcripto veteri, nulla res poteſt eſſe eadem feſtinata, ſimul & examinata, nec eſſe quidquam omnium, quod habeat laudem diligentiæ, ſimul gratiam celeritatis; Quod velim mihi ignoſcatur; nam quandoq; iraſcebar occupationibus, quibus impediebar, multaq; in infirmitate corporis, & anxietate cordis ſcribenda erant, cùm adverſâ ſors mea toties mota, quoties ex certorum inimicorum re fuit, convulſâ penitus omnia jura vidi, aut, ne convellerentur, juſtè timui. Mutationes una tulit quandoq; multas dies, & periculoſum erat in tot humanis erroribus, ſolâ innocentiâ vivere; ac proinde dico verè, quòd bis non ſcripſerim, bis eas non legerim, profluebant mihi verba ex liquido quodam canali aperti pectoris; Scripſi quandoq; vel dictavi hæc ipſa ad lychnũ, vel labente manu, vel premente ſomno, libenter illa conſcribens, quæ ſcivi eſſe, ut ſcribantur, utilia. In his verò plurimùm intereſt, dum affirmavi aliquod factum eſſe, vel retu-

retuli,quod audivi. In altero namq; veri periculum ad me recipio, in altero fidem requiri apud Authores volo; ex quibus præſertim antiquiora,dum in exteris fui, multa ſumpſi; non aranearum textus ideo melior, quia ex ſe fila gignunt, non noſter vilior, quia ex alienis libamus ut apes.

DEus,qui Dux erat,& Author hujus Conſilij, diriget certè ſpero conatum meum in bonum finem; Quid enim ſuſcipere libentiùs potui? quàm poſteritati non tacenda ad omnem ejus memoriam conſcribere?

Confusè quædam recenſeo,& uti ſe dederunt ſub manum. Si aliqua,quæ commemorâſſe neceſſe erat, deſunt,non mea culpa eſt; ut magna in ſylva boni Venatoris eſt feras diligenter indagare, & quàm plurimas capere, non tamen culpæ fuit; non omnes cepiſſe.

Inveniuntur aliqua ſine data,&temporis præfixione,quia dum illam in meis ſcriptis non repererim ſatiùs omittere volui,quã errare. Multæ etiam literæ alienæ ſunt,quas pro ſervando hiſtoriæ contextu omninò inſerere debui,præcipuè autẽ Andreæ Olſzovij Epiſcopi Culmenſis, & Pomeraniæ primò Regni Procancellarij, deinde Archi-Epiſcopi Gneſnenſis, Avunculi mei,&Benefactoris deſideratiſſimi,cujus etiam opus de prærogativis Archi-Epiſcoporũ Gneſnen-

nenſium uti memoria poſterorum dignum, in hoc volumen conſùlto inſerui.

Si quid non ad gratiã, aut guſtũ cujuſquã erit, ſuſtineat, ac toleret, non mel ideo non ſuave, quia ægris ſic videtur. Malui frequentiùs veris offendere, quàm placere adulando illis, qui negotia amant potiùs, quàm agunt, & pelagus ingrediuntur, quod non facilè egrediuntur.

De illis, quæ neſcio nihil affirmo, ſilere illa amo, & dico tantùm, quæ conjicio, ut non tantùm res, ſed etiam rumores poſteritas cognoſcat; iraſcatur verò, qui volet, patiar.

Cùm verò hæc apud ſeras Gentes; & Nepotum populos legentur, narrabunturq;, ſive ſuâ tantùm famâ dabunt ſe in omnem memoriam; nam noſtri laboris, & ingenij cura nihil tantæ famæ prodeſſe poterit, id ſaltem lucrabor, quod multi non labentur errore propter ignorantiam hiſtoriæ, dum annuntio, quæ præterierunt, &, aliquando, quæ ventura ſunt, revelo veſtigia malorum. Plerumq; quippe Avorum geſta rarò in Nepotum redundant favorem.

Si tango aliquem, nam ut offendam quenquã, minimè vellem, cùm aliter fieri nequit; id fit molliter. Nonne, qui in alto conſtituti ſunt, qui in excelſo ætatem agunt, eorũ facta cuncti non novêre mortales? Ita maxima fortuna, minima licentia eſt; Hoc habent magni viri commune

cum

cum ſole, quòd rarò ſint ſinè macula; hoc ſingulare, quòd ſpectabiliores ſint eorum notæ, quàm ſolis. Occurrunt multa, quæ digna ſunt, ut omnes in deſcribendis vires exerantur; Nam difficilis eſt ignorantibus veritas, facilis ſcientibus; & tanta homines imaginum cupiditas tenet, ut jam viliora ducantur ea, quæ vera ſunt; ſed tamen tanta eſt authoritas veritatis, ut inquirere in eam ſcelus eſſe dicatur.

Priuſquam aggreſſus ſum hoc opus, audivi, & libavi magnorum virorũ judicia, de hoc genere ſcribendi, naturam ſecutus meã, quæ abhorret ab amore proprij ſenſûs, ac omni ambitione.

Conſului ſuper multis, rerũ peritos, ſciens ita eſſe comparatam hominum naturam, ut aliena potiùs videant, & dijudicent, quàm ſua. Plurima ſunt ex alijs deſcripta, & illa uti aliena mihi nolim arrogare, ne, ſi fortè ſuas repetitum venerit olim grex avium plumas, moveat Cornicula riſum, furtivis nudata coloribus. Cùm hæc à me ſcripta ſint, benè excitatis lectionibus, non modò rationibus firma, verùm etiam authenticis adeò conſona, ut noſtra non tam inventa, quàm furta credantur, quæ recenſere operæ fuit, ita, ut ab alijs indicata ſunt, & commemorari, ut rei veritas meâ nunquam oppoſitâ opinione, ex multis his, quæ legi, vidi, auditáve accepi, non aliter, quàm tradita eſt, geſta palàm videa-

leatur. Multa ſunt, quæ quomodo fieri potu-
erint, equidem neſcio, ab alijs tamen tradita ſcri-
bo. Si ingentia facta dictis minùs æquavero, ſuf-
iciet mihi modicam dicendi vim in magno cõ-
impſiſſe argumento.

Poſt Regis CASIMIRI abdicationem, poſt
ommemorata, ex alijſq; decerpta (nam tum
xtra Patriam fui) facta MICHAELIS, veni
d ea, quæ propiùs ad ætatem meã accedunt.
OANNIS III. benefactoris mei honori non
ngvam ſolùm, ſed & calamum, & ſtylum de-
otum gero, ut in obſcuro atramento geſta ejus
areſcant, ſi poſſunt. Do illi non tantùm lacry-
ias, ſed & calamum mortuo, qui vivo debui
bſequia, & audacter dico, quòd ita vixerit a-
ad omnes, ut ſinè omnium damno mori non
otuerit, & adeo ad omnem ætatem tanti ſen-
s mali penetraverunt, ut non tam illum ami-
ſe, quàm cum illo omnes interîiſſe videamur,
ſque manifeſta, Patriæ gloriam, & natam, &
:tinctã cũ eo fuiſſe. Ejus morte etiam Polona
rtus intercidit; exceſſit ille terris, non cordi-
is, non animis tantorum conditus tumulo;
:vatus gratis pectoribus, qui vixit ſatis ſibi;
is meritis ſuis, ſed parùm deſiderijs noſtris,
:egris Princeps lugendus ſæculis, nullâ ſatis
plorandus ætate. Extinctum flent populi ma-
ipſi deflendi, quamvis non extingvatur fa-

ma, cùm deſiderantur extincti. Habuit ille amicos, & clientes primos, habuit & ſecundos, rarò tamen veros; ego verò ſedulò, & cum fide acta ejus percurrendo, nunquam fero, ut vincar. Ego illum in corde gero, nec tam ornare laudibus cogito, quàm meam obſervantiam, ſi fieri poterit, apud poſteros teſtatam relinquere: Nam memoria juſti debet eſſe cum laudibus; Nomen enim ejus, & fama totum diffuſa per orbem Gentibus etiam exteris admirationi, ac terrori fuit, & non modò eorum hominum, qui nunc ſunt, gloriam, ſed etiam antiquitatis memoriam ſuperavit. Plena illi debentur hiſtoriarum volumina, cujus tam præclara in Patriam geſta ſucciſivo nullatenus convenit annotare calamo.

Sed ſatis eſt in Præfatione, ne dicatur, quòd ſcripta ſtylo effuſiore panegyricum ſapiant magis, quàm ſeverum hiſtoriæ initium. Certum eſt, conſtitutum mihi eſſe JOANNI Magno adſtruere inſtrumentum, quod non tempus edax arrodat avaro dente, injuriæ cœli demoliantur, non livor hoſtilis ſubruat. Is maximè laudat, qui vera de eo narrat.

Hiſtoria hæc nihil oſtentationis, omnino autem fidei, veritatiſq; plena erit, ſuis coloribus, meo penicillo ſingulorum geſta pingentur. Ab oblivionis injuria, & varijs rumoribus vindicatas

tas res posteritati trado, opto, quamvis consequi posse vix spes est, ut tam feliciter, quàm laboriosè; utinam tantum otij suppetat! nam hactenus vix suffecêre tabulæ, vix scribarum manus. Magna enim sunt, quæ inchoavi; majora tamen, quæ mente designo, si tristis ærumnarũ id permittet comitatus: Multùm enim de Regni salute timeo, cùm intestina solvuntur.

Non dubito, quòd factiosa, & tetro livore contaminata ingenia occurrent, quæ vel rectè vel fideliter scripta sævo dente commordebunt, ubi aliquot paulò diversos ab eo, quod audiêrunt (ita plerumque quidam facilitate verborum, imò audaciâ edifferunt alijs, quod ipsi non intelligunt) aut certè rudius, aut licentiosius dictum (ad delicatos id attinet) offenderint. Sed quid faciendum? ita nimis atrox, & planè miserum scriptori, pro summæ utilitatis, & jucundæ obligationis beneficio, ubi gratiam speret, agrestis invidiæ, & diræ malignitatis contumeliam referre! Inferiùs hæc pono, &, quæ omnia secundùm fidem, scientiam, scripsi, ita, ut gesta sunt, literis mandavi, ne aut memoria tantarum rerum interiret, aut, si quis alius historiam scribere vellet, non corrumperet veritatem; nam ita ut res rem sequebatur, bonâ fide collecta sunt. Aliqua in tanta præturbatione temporum nec affirma-

re

re auſus, nec refellere, cùm quandoque aliter exponeretur, quàm veritas haberet; opinio autem fallax à ſcientiæ veritate longè diverſa eſt, & multi fuerunt, ſuntque, qui verbo tecum ſentiunt, nec illud in angulis, quod publicè dicunt.

Ad ulteriora, ſi DEUS, facultas, tempus, & ſanitas permiſerit, libens operam conferam pronam, ut reliqvum vitæ tempus citra dedecus exigere liceat.

Ad extremũ, lunam me, non ſolem profiteor, tenui luce, nec purâ, imò nec propriâ lucere, & multa ab ſuperioris ſæculi Scriptoribus, omnia à DEo habere, & idcirco proteſtor, quòd nihil temere mihi arrogem, nullâ gloriolâ ducar, nullo falſæ opinionis errore, quod video multis contingere, oblecter. Non me quærendi ſtimulat nominis ardor, non me ſcribere juſſit levis ambitio, non deſidero ab hominibus gloriam, neque ab his, qui vivunt, neque ab his, qui vivent, ſed à DEo, cui honor, & laus in æternum, & ut impleam zeli in Patriam voluntatem.

Bone Lector utere, fruere, & meis laboribus fave. Si obliqvus es, corrige pravum morem, præcide lingvam vaniloquam, & labia doloſa claude.

ALE-

I

ALEXANDRO ZALUSKI TUNC SUCCAMERARIO, POST PALATINO RAVENSI, PATRI SUO, ANDREAS CHRYSOSTOMUS ZALUSKI Varſaviâ die 20 Maji.

Mors Reginæ Ludovicæ, Joannes Sobieski Dux Supremus Poloniæ

Andatum Paternum ex obedientia (quod vix per vires licet) exequor, & quæ hic aguntur, vel aliunde audiuntur, omn., quâ par eſt, diligentiâ ſcribo.

Mortua eſt tandem Regina LUDOVICA die 10 Maji, quamvis admoti valetudini Medici ſpem vitæ diuturnioris faciebant, deſperantes ipſi. ALRIANUS Pikarski è Societate IESU Regius Ecclesiastes, gloria, & decus Palatinatûs Noſtri Ravenſis ægram fidentius acceſſit, neceſſitatem diſponendæ ad extrema conſcientiæ de imminente fato obnuntiavit. Non defuit in eo termino ſveta LUDOVICÆ animi firmitudo, quæſivit ex aſtantibus, ſi quid ad vitam maneret ſpei reliqvũ, &, quamvis blandientibus iſtis, ſibi ipſa memoriam mortis inculcat, Confeſſarium accerſi mandat. Ae, cùm omnes rationalis animæ facultates in deliberationem vocâſſet, commonenti Sacerdoti voluntati Divinæ parendum eſſe, reſpondit: ergo moriendum? Et hæc ultima erant verba. *Mors Ludovicæ Reginæ*

Fatalis neceſſitas, poſtquam Poloniæ, Sveciæque diademata è capite, è manibus ſceptra excuſſiſſet duplicia, omnium animos uno impetu invaſit, eonculſitque. Ut majores umbræ majora ſignant corpora, ita maximæ regnantium animæ, ubi exceſſerint, maximas lugendi pro ſe porriguit rationes.

Ultimæ voluntatis codicillos confeciſſe dicitur, eurâ in effectum deducendorum in maritum Regem tranſcriptâ. Peramplas eleemoſynas in pauperes erogare ſolitam Conſtantinopoli, & in Pruſſia multos è Societate aluiſſe, non vana fama eſt. Solus ille parcior in virtutis ejus laude ſit, qui nunquam dexteram ejus agnovit liberalem. Multa in cœnobijs poſuit beneficia ſua. Dicatæ DEO Virgines Gallæ, à viſitatione dictæ, agnoſcunt fundatricem, matrem orphanæ fœmellæ, quæ lanæ faciendæ artificio imbuuntur, prædicant, plures memorant benefactricem; peſtilentiâ affectis ſuecurrebat, erigendo in multis locis Lazareta, ſeu reclinatoria, etiam Presbyteros miſſionis hic fundavit. Sed nolo ego præſertim coram te meliûs ſciente Pater dilectiſſime penetrare altiùs in arcana virtutum, quæ ſuâ obtegens modeſtiâ mortali invidit ſcientiæ. Hoc tantùm teſtor, quòd Regina hæc DEO Judici mentem integram, paratiſſimam Religionis tutelam, Regnó promptiſſimum obſequium, liberale ſacris ordinibus patrocinium, Eccleſijs dotem opulentam *Beneficia ejus*

Encomium ipſius

A.C.1667 lentam, amicis amorem, beneficam opem denique & vitæ subsidia egentibus vivens præstitit, moriens testata est, unde pluribus, potissimũ in aula desiderium sui reliquit, attigit annum 5tum, supra quinquagesimum.

Mors Zebrzydowski

Reginam plerique è Senatu, tanquam anteambulones præsvere, reperiuntur etiam, qui præcessam Mtem honoris causâ comitarentur; inter alios MICHAEL Zebrzydowski nuper minoris Poloniæ Generalis, recens Palatinatu ejusdem Provinciæ post STANISLAUM Potocium Ducem insignitus.

Joannes Sobieski Dux Supremus

POTOCIO Generali diem ultimam obeunte, commisit Rex Supremum exercitûs Regimen Joanni SOBIESKI Regni Marescalco, delatâ campestri clavâ

Demetrius Wisniowiecki Campi Dux

Demetrio Wisnioveeio Palatino Belzensi. Ita fortibus portæ patent dignitatum.

Quamvis ex delato munere optimi Duces imperium protinus capessant, vidi tamen in literis ad Avunculum meum Pro-Cancellarium Regni scriptis, quòd magna primum Ducem subeat imminentium consideratio. Scribit enim dicto Pro-Cancellario, & nuntiat, quæ vires, quique exercitus præsto essent, immenso illi Norientis robori objeciendi, nec tam exiti manu horribilem trium orbis partium potentiam debellari posse credit. Decem millium non amplius exercitûs nostri destinatam certissimæ morti esse victimam. Emittendas restium literas, evocandam Nobilitatem, & universis viribus instituendam defensionem svadet universi. Post lectionem literarum harum audivi ex ore Avunculi

Joannes Sobieski Dux ad bellum se accingit

mei, à tato esse in eum nos incidisse heroem, qui cœlesti aliquo instinctu, contra Turcam, aliamque barbaro um colluviem, experimentum armorum susciperet, siquidem, uti in literis suis fusiùs exprimit, susceptâ belli gerendi provinciâ longè quidem illâ difficillimâ sed gloriæ, æquè ac periculi feraci, communiendo se in tantam potentiam, ad opera Martis, curæ has curas habens, se accingit, ratus, primum ad victoriam gradum esse, si celeritate hostem præveniat. Apud Squarzawam indicto castris loco, equestres cohortes locavit, pedestres legiones oppidatim sparsis evocavit, delectus in supplementum indixit, rem armamentariam recensuit, vectores machinis conduxit, aliaque ex usu præsenti, nihil intermissa rerum cura negotia pro solatijs accipit. Duo tamen intervenientia se distrahere scribit. Primum Campestris Ducis, ob recentem morbum, quo occupatus, à castris absentia. Secundum quod super omnem molestiam acerbissimum illi, parcè admodùm nervum belli ex ærario suppeditari. Nihil tamen video, robustum pectus ejus à proposito dimovere potest, nihil animi infringit firmitudinem commendandi in ævum Ducis, qui se uno exercitum supplet, & ex privato peculio In publicam necessitatem largus, inconcusso robori vigilantiam, & celeritatem adjungit. In eo tractu, quo hosti veniendum est, dum amplissimæ ditiones suæ inveniantur, jussit annonam omnem in loca tutiora deportari, incolas armari, pignora subduci, ipse interim contractis undecunque subsidijs, & in mutuum acceptâ pecuniâ, publicam indigentiam, ubi opus, sublevat. Impiger agendi tam amore Patriæ, quàm innatâ fortitudine. Unde non est dubium, quòd DEus uno nutu illum extollet, qui omnia nutu suo regit. Is enim est hic Dux, cui nemo placere potest, qui DEO displicet; unus ille creditur validius robur, quàm muri, & satellites, quàm propugnacula, & armatæ vires possint fortunæ Patriæ conferre. Apparet in literis ejus, unum se tantùm, tanquã in eam potentiam obicem armatum, cùm nec despondet animum in dubijs,

bijs, nec omittit quidquam, quod fortitudo desideret in adversis. *A.C.1667*

Rex afflictissimus, quamvis à luctu se parumper revocat, triste fatorum divortium, maritalis gloriæ, ac virtutis consortio sustentat, concurrentibus certatim doloribus, collectas in se maximorum Regum virtutes opponit, adversa ex secundis, ex adversis nisi secunda, utique non hic primâ clade didicit, tenens relictam in superstite virtute LUDOVICÆ imaginem.

Iter interim Cracoviam paratur, deportando Reginali busto, cujus funerali pompæ 22da Septembris indicta, præmittitur, qui necessaria funeri comparet, JOANNES CLEMENS Branicki Curiæ Regni Marescalcus, Pro-Cancellarius Regem comitabitur cum quo & ego inter fastigia votorum meorum habens, ut in transitu, cùm non longè residentia tua distet, pedibus paternis advolvar, reliqua in sermonem rejicio, & plura distinctèque magis coram dicam inveni hic præterito mense scriptas ad Electorem Brandeburgicum à Rege literas quas tibi communicandas censui.

COPIA LITERARUM JOANNIS CASIMIRI AD ELECTOREM BRANDEBURGICUM DATARUM VARSAVIÆ Die 20 April.

QUæ Bydgostiæ inter Nos, & Serenitatem Vestram pacta & juramentis confirmata fuerunt, ea Nos omnia (præter Elbingensis, & Drahimensis summæ restitutionem ex causis rationalibus dilatam) promptè, & benevolè adimplevimus, nostrumque Regium affectum non ignotis orbi documentis plusquam abunde contestati sumus. Quod verò in traditione Elbingæ, & Drahimi, vel potiùs summarum non pari statim promptitudine respondeamus, ea nobis taliter imputari non debent, quasi pactorum observationi minùs à nobis tribuatur, sed, cùm à Serenitate Vestra non adimpletas aliquas eorundem pactorum leges quivis facilè dijudicaverit, hoc agebamus primum cum Legato Serenitatis Vestræ in aula nostra residente, postmodum per Ablegatum Nostrum extraordinarium, ut super hisce intervenientibus opportunâ tractatione, & decentibus officijs ultimariè componeremus. Æquo animo ferat Serenitas Vestra, paucis memorari Brunsbergam ultra, & præter pacta Serenitatis Vestræ præsidio detentam, & gravibus contributionibus exhaustam fuisse, continuato aliquot annis bello Polono-Moschovitico, in quo juxta Pactorum tenorem Serenitas Vestra arma & studia, nempe ad expurgandam hoste Poloniam Nobiscum conjungere obligata erat, tali officio Serenitatem V. defuisse, novo postmodum exorto bello Cosatico debitas equitum & peditum suppetias, quæ sumptus nostros relevâssent, & laborantem rem Polonam adjuvissent, non subministrâsse. Exinde minùs causæ habet Serenitas Vestra, quòd frequentius expostulationibus existimationi nostræ oneroſis utatur, quòd aliquos quasi malevolos, & affectibus suis obsequentes à justitia transversos in aula nostra, & gente Polona supponat, quòd non oblatam, sed obtrusam à Nobis bene merito Senatori Præfecturam Drahimensem, nosq; Pactorum vel immemores Ananiæ, & Saphyræ exemplis perstringat. Hisce talibus, alijsque diversis attentatis dignitatem

Elbinga & Drahimi causa.

Brunsberga sub Brandeburgico.

A.C.1667 *tatem & decus nostrum gravari, datâ hac literariâ à Serenitate Vestra occasione, taciti præterire non possumus, conscientiâ nostrâ & judicio orbis freti, nos eximia, & jaculo isti rara amoris & benevolentiæ nostræ testimonia erga Serenitatem Vestram dedisse, ejusque commodo & utilitatibus ad summum promovendis re ipsâ favisse. Porrò quòd per Ablegatum nostrum nuper Serenitati V. nomine nostro propositum est, idem nunc amanter repetimus, & cupimus, ut Serenitas Vestra revocatis in memoriam tot officijs à Serenissimis Regibus Poloniæ Majoribus nostris erga Majores suos, atq; à nobis ipsis nuper erga Serenitatem V. cumulatis, ea à nobis rigidius exigere desistat, quæ difficillimo isto tempore præstare non valemus, vel si postulatis nostris nullum locum relinquere, ac gratificationem suam penitus denegare collibuerit, ut compensatis, quæ superius attigimus dispendijs nostris, in eum insuper modum nobiscum convenire velit, ut parte aliquâ copiarum auxiliarium, quas nobis Serenitas Vestra ex Pactis juratis submittere ad bella tenetur, eadem ac ejus posteri in perpetuum exsolvantur. Nos verò vicissim ab obligatione tradendæ Elbingæ, & Drahimensis Præfecturæ, vel eorū potius loco numerandæ summæ conventæ liberemur. Tali ratione Serenitas Vestra propensi erga nos, Remque publicam Polonam & Pactorum integritati, bonæque correspondentiæ consulentis animi reale documentum faciet nosque porrò arctiùs sibi ac domui suæ Electorali obstrictura est. Interim Serenitati Vestræ longævam valetudinem, & prosperos successus à DEO precamur.*

II.

EIDEM IDEM 24 Septembris Cracoviâ

De funere Ludovicæ Reginæ & actis in eodem.

DEportatum est Varsaviâ Cracoviam Reginale bustum, confluentibus interim frequentissimis Proceribus, imò & nobilitate, cum vix quenquam domestici negotij, aut rei familiaris cura abstraheret, quominus in urbem pergeret, non tam parentandi permotus officio, aut justorum persolvendorum causâ, quàm disseminatâ Regiæ abdicationis famâ excitus quâ subinde incerto Authore contrarius rumor excutit, deponendi diadematis meditamenta mox iterato Regis conjugio permutatum iri, ac successurum luctui Hymenæum, eâ semper rerum mundanarum vicissitudine, ut mœror gaudia occupet.

Rumor de abdicatione Regis

Destinatâ funeri die, prodijt in occursum innumera frequentissimi populi turba deductura Reginales exuvias, nigri super atria Vavelli, dumque urna octijugo curru deportabatur, tota civitas sanè amplissima, feralibus collucebat ignibus. Mœrorem omnes etiam non addicti præferebant, & quisque præsens ad imitamenta publici luctûs se componebat. Ubi verò immensa illa, velut apum examina, vel procedendo morabantur, vel recedendo festinabant, enata subitò de ordine pompæ controversia, nonnihil distinuit altercantes. Primum sibi locum Magistratus urbis, ante Professores universitatis Cracovienſis vendicabat, ex eo, quòd illi idem juris, & Primatûs sit in civitate sua quod in domo pro-

Funus Reginæ Ludovicæ

propria patri-familias, cui, cujuscuſcunque ſtatûs, & dignitatis ſint inquilini, nequaquam anteponi debent. Creditam civibus murorum, & civitatis cuſtodiam, hinc potiores ovibus paſtores cenſeri, imò Senatũ urbis de jure, & uſu tutorem univerſitatis agere, ubi ſub peſtilentiæ, aut hoſtilitatis caſu dilapſis Profeſſoribus, Academia, quæ, & quanta eſt, in tutelam Magiſtratui reſignatur. Opponebant ad hæc Academici jam privilegia Regum Poloniæ, jam receptum morem & uſum, de primo loco univerſitati tribuendo. Quomodo enim bonarum artium matrem, eamque Regum Alumnam, Publicanorum & Mechanicorum Principes præcedere audeant, ſibi ipſis notam & ruborem inuſturi, ubi ſub conſpectum Majeſtatis ſceptris Academiæ, quod eſt inſigne Regum, plebejos faſces anteferri contendunt. Solvit controverſiam Curiæ Mareſchalcus, pro muneris ſui ratione decernens, quominus univerſitati primo loco Magiſtratus civitatenſis decederet, ob morem ex antiquo uſurpatum, & conſvetudines, quæ hic vim legis de jure obtinent. *A.C. 1667*

Controverſia inter Magiſtratum & Profeſſores Cracovienſes

Nec minor altera fuit Gneſnenſis Eccleſiæ Canonicis cum Cracovienſibus, itidem pro loco & ordine procedendi litem moventibus, quatenus Metropolitana Sedes Præſulatui Cracovienſi anteiret. Negabant iſti enixè, imò nec ad miniſterium altaris admittendos cenſebant, ne in propria Eccleſia velut ab officio amoti & munijs Sacerdotij prorſus inhabiles, cum contumelia rejici viderentur. Aſt interventu Præſulum ſopitum diſſidium eſt, ut Gneſnenſes à dexteris, à læva procederent Cracovienſes utrique alternâ operâ miniſtraturi. Sacrum funebre peregit Prazmowius Primas, Trzebicio Cracovienſi Epiſcopo ex morbo gravi decumbente. Defunctam laudavit diſertiſſimo ſermone Stephanus WIDZGA Epiſcopus Varmienſis, & ubi competentibus ex debito encomijs, ut eſt à facundia inſtructiſſimus, vivam extulerat, dictorum coronidem ijs concluſit verbis: Et diſſipatæ ſunt omnes cogitationes ejus. *Controverſia inter Canonicos Gneſnenſes & Cracovienſes*

Id demum ad poſthumam memoriam Reginæ LUDOVICÆ acceſſit eximium, ut à pleriſque vivens odio habita, inſignes facundiâ Encomiaſtas poſt fata ſortiretur, nam & Martinus WINCKLER Heroidis virtutes celebravit. Illata ſepulchro, quod conjunx Rex biennio ante ex oppoſito Iagelloniani Mauſolæi ingenti ſumptu, & operâ conſtruxit. *Ludovicæ Reginæ encomiaſtæ*

Et hæc ſunt, quæ hoc ordinario ſcribere poſſum, plura futuro, ſi occurrerint, ſignificaturus.

Et quia copiam voti Regij Leopoli anno 1656 facti à me deſiderâſti, libens illam deſcriptam ſubmitto; adnectens lteras Regias Romã ſcriptas.

VOTUM ANNO DOMINI 1656. Die 12 APRILIS LEOPOLI IN ECCLESIA CATHEDRALI PER SERENISSIMUM REGEM PRÆSTITUM IN MANIBUS NUNTIJ APOSTOLICI.

Magna DEI-hominis Mater & Virgo Sanctiſſima, ego Joannes Caſimirus tui filij Regis Regum & Domini mei, tuâq; miſeratione Rex ſanctiſſimis tuis advolutus pedibus te in Patronam meam, meorumq; Dominiorum Reginam hodie deligo, atq; me, meumq; Regnum Poloniarum, Ducatus Lithvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Czernichoviæ, exercitus utriuſq; Gentis, populos univerſos, tuæ ſingulari tutelæ atq; patrocinio commendo, tuam opem ac miſericordiam hoc in calamitoſo, ancipitiq; Regni mei ſtatu, contra hoſtes S. R. E. ſupplex implo-

A.C.1667 ro, & quia maximis obligatus beneficijs tuis impellor unà cum gente mea ad novum, idq; fervidum tibi serviendi desiderium, promitto deinceps meo, satrapiarum, populorumq; meorum nomine, Tibi, tuoque Filio Domino JESU Christo me cultum, & ubiq; honorem tuum per ditiones Regni mei omni studio propagaturum. Promitto præterea, ac voveo me tibi, si præpotenti tuâ intercessione, & filij tui magnâ miseratione de hostibus, & præcipuè Svecis victoriam obtinuero, apud Sedem Apostolicam procuraturum, ut tibi tuoq; filio in gratiarum actionem quotannis hic dies solennis & festus, idque in perpetuum habeatur, daturumq; cum Episcopis mei Regni operam, ut id, quod promitto, à populis meis impleatur. Cùm verò magno cum animi mei dolore luculenter videam propter gemitum & oppressionem hominum conditionis plebeiæ in Regna mea immissa à tuo filio, justo judice flagella pestis, bellorum, & aliorum malorum per hoc septennium, promitto insuper, ac voveo me seriò cum universis Ordinibus pace constitutâ rationes omnes initurum, ad avertenda mala, atq; procuraturum, ut à grauaminibus & oppressionibus injustis populus Regni mei eximatur. Fac misericordissima Domina ac Regina; ut sicut eam mentem mihi, meisque Satrapis atq; Ordinibus ad concipienda vota dedisti, ita gratiam apud filium tuum ad eadem complenda impetres. Amen.

COPIA LITERARUM AD CARDINALEM URSINUM

Cracoviæ 20 Julij.

JOANNES CASIMIRUS &c. Magno doloris sensu accepimus promotione nuperâ Cardinalium Regiam nominationem nostram postposítam esse, planeque ad cumulum malorum, quibus à Christiani nominis hostibus Nos, Regnumq; nostrum affligimur, accessisse, ut etiam hoc rerum statu à summo Pontifice indignè haberemur. Auget dolorem nostrum ultra præcipitem & abruptam novo exemplo nominati nostri exclusionem, quòd Curiensium sermonibus jactari audiamus: Regibus Polonis Jus nominandi ad Cardinalatum non antiquitus competere, sed recenter quæsitum neque in uno Pontificatu bis usurpari debere, atque ut nominetur Nuntius Papæ, aut aliquis destinatus à Pontifice, hic & non alius, necessitate quâdã Reges Poloniæ obligari. De antiquitate Juris non est, quòd nimis certemus, cùm enim sensim, & recentiùs excreverit Cardinalitia dignitas, minor fortè olim cura fuit Regibus, æquè Polonis, ac alijs, eorum promotionibus partes suas commodandi; caterum antiquâ Majestate, & magnitudine Imperij (ut merita, resque pro Religione Catholica præclarè gestas verbis non extollamus) pares omnibus Regibus Reges Poloniæ fuerunt, nec veneratio eorum erga Sedem Apostolicam sincera, & religiosè demissa, illis præjudicio, ac noxæ priscis Pontificum temporibus vertebat. Quòd si nouum jus in dubium uocetur, procliue est deducere aliqua jura à Pontificibus Romanis in Regno nostro nouiter quæsita, & indulgenti Regum majorum nostrorum

Queritur de Nominato ad Cardinalatum excluso

pietate

pietate ad ſummum prouecta eſſe, quorum tamen uſui nihil detrahi- A. C. 1667
mus, nec ſanctius hactenus quidquam habuimus, quàm pro aſſeue-
randa authoritate Pontificia, & propugnanda Eccleſia Romana, non
curam duntaxat, & opes, ſed uitam ipſam deuouere. An uerò ſe-
mel tantùm in uno Pontificatu nominare ad Cardinalitiam dignita-
tem debeamus, exemplis aliorum Regum decidendùm permittimus,
cùm neque plus nec juris, & authoritatis, quàm alij Reges, poſtule-
mus. Reſtringi uerò nominationem noſtram ad Nuntios Apoſtolicos,
uel ad perſonas à Pontifice deſignatas, quid dignitatis nobis afferat?
cùm uel ipsâ modernâ promotione Cardinalium in aperto ſit Nun-
tios motu proprio Pontificio promoueri, alios Cardinales nominati-
one Regum ſeorſiuè creari, imò anteactis temporibus reſponſum fu-
it, Nuntios à Regibus Poloniæ nominari non debere, qui ex meritis
ſuis ſolo beneplacito Pontificio prouehantur. Cæterùm ne tolerantiâ,
ut ſolet, nobis derogemus, neue id exemplum contra nos, & Suc-
ceſſores Reges Poloniæ ualeſcat, palàm teſtamur, & teſtatum nomi-
ne noſtro ab Illuſtritate V. cupimus, nos injuriæ ducere ſuam San-
ctitatẽ re nobiſcum non tractatâ, nedum compoſita nominatum
noſtrum excluſiſſe, & quò grauius in conſpectu orbis dignitas no-
ſtra, ac gentis Poloniæ minueretur, locum & modum reperanda
injuriæ ne reliquiſſe. Æquo exinde animo ferat ſua Sanctitas, ſi diſ-
ſimulare grauẽ dolorem noſtrum non poterimus. Senſum uix repa-
rabilis læſionis noſtræ quâcunq; ratione palàm orbi facturi. De re-
liquo Illuſtritati Veſtræ bonam ualetudinem, & felicitatem à DEO
precamur &c. &c.

III.

EIDEM IDEM Imâ Octobris Cracoviâ

Nuntiat pericula ex Ukraina imminentia

ACcepi hodie in mandatis, ut me quantocius itineri ad exteras Nationes accingerem & cum Franciſco de Megnin Imperatoris lingvarum Orientalium interprete Viennam pergam, ibique ſtudijs ulterioribus, præcipuè verò lingvæ Germanicæ me applicem. Pro itinere hoc paternam à te in omni plenitudine ſubmiſſionis precor benedictionem, vota fundens, ut, ſicut ex gratia DEi ſanum te relinquo, ita DEo eodem adjutore, ſanum redux inveniam, utquè expectationem tuam non adimpleam ſolùm, ſed etiam quãtum in me erit, ſuperare queam. Faciam certè, quæ à me deſiderantur, tam diligenter, quàm libenter.

Poſt peracta cum ingenti pompa intra lachrymas multorum Reginæ Ludovicæ juſta, ſeriò Rex circa bonum publicum providendum cum Miniſtris cogitat, agitque. Fœcialem Turcæ Czauſium minas belli obnuntiantem Leopoli detentum ſcis, donec in anteceſſum Rex tam ea, quæ bello gerendo, quàm expediendo Conſtantinopolim Legato, neceſſaria cum Senatu decernat. Cùm nihil ſuperſit amplius, niſi ut commemoratâ Pactorum cum Porta Ottomanica religione, iniquam hoſtilitatem amoliamur, vel, ſi æquitas cauſæ non movebit, demum vim vi repellere contendamus.

Fœcialis Turcicus detentus

Lega-

A.C.1667 Legatus destinatus Constantinopolim à Rege Hieronymus RADZIEJOWSKI nuper Pro-Cancellariatu Regni exutus, pro eo (uti scis) quòd se hostibus Poloniæ Svecis addixerat, novis quippe meritis, quæ jam transacta forent, conciliatâ Republica, Patriæ restitutus reparare satagit. Secretarius ei destinatus FRANCISCUS Wisocki Dapifer Sochacovienſis.

Pericula regni

Tertio jam allapsus ab exercitu Nuntius imminentium periculorũ commonet Regem, submittenda auxilia requirens, quæ si minus suppeditari possunt, saltem, ut suggeratur consilium, quid in tam arduo casu agendum foret. DUX SOBIESCIUS non jam pro se, aut exercitu sollicitus videtur, nam uterque in victimam Patriæ cadere paratus, sed pro conservatione universi, ne tam vehemens ditionibus Regni superfusum periculum, cuncta simul ineluctabili eluvio involvat.

Dorosz dux rebellium in Vkrayna

Ab Ukrayna classicum perstrepit, Petrus DOROSZ Antesignanus refractariæ plebis, vir, (ut bene audisti) in omne nefas projectissimus, inde & reverentiâ tam in legitimum Dominum, qui Rex noster est, quã & aleititium Moschum, repudiatâ, oras illas & populos jugo servitutis Ottomanicæ devovit, rebellia in Patriam arma vertit, imminutas, & distractas nostras vires haud metuens immensâ illâ Orientis potentiâ protegitur. Cogitandum ergo, quomodo contineatur rebellio, quæ hoc habet, si in eam deliberes, crescit.

Scythis irruptionem parantibus

SCYTHÆ dum Samuelem Kobyleck à Rege primum Ablegatum vacuis manibus appulisse, nec promissa donaria expedita adverterent, ad iterandas in Regnum irruptiones accinguntur. Fidâ hæc exploratorum relatione cognovit SOBIESCIUS Regni Marescalcus, & ipse probè intelligens, quantum discriminis ob minus adæquatas vires adire deberet, protinus tam cohortes per edicta, quàm proceres, tribunosque belli in consortium pulcherrimi operis convocare literis haud desistit, ad imitationem illius Romani consulis, qui ad subitum bellum hac formulâ omnes evocabat: Qui Rempublicam salvam esse vult, me sequatur. Pars magna istorum peregrè dilapsa, quæ hic vel per officium Majestati assistebat, vel Reginali funere absentiam excusans, aberat à Rege, coacta, & concitata est, ut ad castra quantocius rediret. Interim SOBIESCIUS, de nulla re magis sollicitus, quàm de salute Patriæ, scribit, quod non expectato, donec in meditullium hostes evolent, motis à Szarzawa castris in confinio ac limite Regni hostibus obijcere se destinaverit, in Ukraynamque tendere velit, ubi à partibus stantes Cosacos vel erigere præsentiâ vel rebelles opprimere posset celeritate. Scythas ex visceribus Regni in longinqua abducturus, cùm etiam Album Fanum, Corsunum, Czerynia tum & pleraque alia loca impositis præsidijs à nostris tenentur, & multi ex potioribus Cosaeis ad mentionem servitutis Turcicæ à popularibus facilè abstrahi posse credit, ubi arma & subsidia in promptu conspexerint. Nec incommodum ei videtur adductum eminus Scytham, & iniquitate viarum lassum ab impetenda Patria avertere, tunc demum vel junctis cum Mosche viribus, facilius depellendum, vel, si isti abnuunt, quoquo modo prævisu verax, provisu velox, saginato lupo, vel injectâ donariorum offa, tempus lucrifaciendo, eam tempestatem avertere conabitur, ita cupiditate sternendi hostis, usque ad sui quoque corporis neglectum effertur, & cùm vellet plurima, etiam quæ non poterit, attentaturus sine dubio.

Sobiesius in Ukrayna occurendũ judicat

Nuntium accepisse se siniendo hasce literas, asserit, quòd octoginta millia Scytharum superato Tyrâ, in intima Poloniæ tripartitis agminibus

nibus, insolare intendant, quorum primum apud Iagelniczam consistit, alterum in Volhyniam movet, tertium cum Soltan Gasga primario Barbarorum Ductore versus Smiatinum deflectit, & se in viscera Regni diffundere minatur; serpens, ubi caput immisit, totus intrat. Unde futuri intelligens Mareschalcus castra Camenecum versus recta movit, quidquid circumiectâ plagâ commeatuum conferri potest, ei fortalitio inferri mandavit, præsidium tam verbis de succursu ferendo, certificavit, quàm re ipsâ numerum auxit, immissâ in urbem Episcopi Cracovienſis legione. Ipse interim pergere intendebat, adversam hosti frontem ostensurus, vel objectu pectorum viam ulteriorem in Regnum præclusurus. Per edicta moniti agrestes, ut se cum pignoribus in tutiora reciperent. Ita nimirum in confinibus hostis arcendus est, nam cùm intravit, & in visera se intulit, modum à captivis non accipit & hæc via est, captâque rerum occasione gerendis bellis efficacissima. Nec extra usum fuit refugos vicis incolas intra castra recipere, augendo in specie exercitui, & comportandæ annonæ opportunos; laudandus DEUS, quod talem Ducem his temporibus habeamus; Herculem monstra probant, Typhin maria, Achyllem prælia, virtutem occasio.

*A.C.*1667

Irruptio Scytharum

Sobiescius prævidet Cameneco

Et hæc sunt, quæ ex ultimis Mareschalci SOBIESCII accepimus literis, & quæ raptim ut itineri proximus scribere, vel describere ex dictis informationibus potui &c. &c.

IV.

EIDEM IDEM 6tâ Octobris Cracoviâ

De actis in Podolia.

ITer meum, quod jam in proximo erat, ad duas septimanas dilatũ, utor proinde commoditate, quæ occurrit, & tibi dilectissime Pater, ut omnia compendiariâ cognitione scias, quæ hac die ex Russia venerunt, communicanda, pro debito, ac officio duco.

Mareschalcus SOBIESCIUS, quo consilia hostium nemo explorat solertiùs, nemo felicius impedit, consilijs in arena capiendis relictis, penetrante ab Cecora in Podoliam hoste, recto flexit, ac ut obvium sisteret, sub Podhayce Potociano oppido castra fixit. Plures è veteranis, quorum hic aliqua adhuc copia est, desperare videntur, exilium virium scilicet consci, decem vel 12 millibus numerus exercitûs computatur, & quòd hanc pusillam manum etiam in partes scindi, & disjungi Dux intendat. Ita plerumque qui dignissima agit, indignissima patitur, quamvis Sobiescius noster is est, quem vituperare nec inimici quidem possint, nisi ut simul laudent, nam ille agit omnia tanquam singula, singularis in omnibus, de quo concepta spes rem loquitur semel præconceptam, ac speratam.

Judicium de Sobiescio

STANISLAUS KONIECPOLSKI Præfectus Dolhynensis Tarnopoliam cum Legione sua amandatus, Brzezani firmo præsidio communitâ SZIELNICIUS Leopolienſi tractui attendere jussus, Andreas MODRZEWSKI cum delectis in Polesiam cohortibus ordinatus. Iis omnes mandatis instructi, quominus intercluſis undecunque passibus, apud fortalitia, vel fluminum trajectus prædabundos Scythas caperent, reliqvus exercitus castris ineluſus, Scytharum robur distenturus. Arguebant nonnulli & in castris, quòd Dux copias dividendo, imminueret, cùm vel maximè augendæ forent. Unitam virtutem fortiorem esse, & in ea parùm consultâ militis partitione, milites occubituros, per partes, qui morte dividendi non essent.

Divisio cohortium

Sed

A.C.1667 Sed excludit tempus ſvetas diſcurſuum ambages, cum libentius Dux, qvalem ſæcula vovent ſæpe, rariùs vident, agere videret ſuos, quàm ſermocinari, cùm vel maxime duo animos eunctorũ obverſari debeant, mori, aut vincere, tertium penitus non detur: Exhortabatur quâlibet horâ non tantùm die, ex victoria habituros præclariſſimum, DEO dante, tranquillitatis Patriæ fructum, aut ex morte obita immortalis gloriæ peculium, nullaque aliâ re meliorem poſſe immortalitatem conſequi, quàm ubi neceſſe eſſet, mori, non ſolùm æquo animo, ſed etiam avido complecti. Verba ejus hìc referuntur ad commilitones dicta: ego adſum vobis Dux milites, ſi quibus mortem contemnere minùs conſultum, per me licet, abeant, probroſo fine in via concidendi. Perſto ego, & mecum unà, qui viri ſunt, in experimentum diſcriminis, nam, dum reprimimus Scythas, faſtidium belli Turcis indicemus. Aderit à propitio cœlo pugnantibus victoria virtute paranda, non numero, nunquam magna patrante DEO, niſi per parva.

Exhortatio Ducis

Poſt dicta Dux SOBIESCIUS ſe poſſe vel ſumma gerere, docuit gerendo, nam cùm vicinos jam eſſe Scythas, quorum ſupra octoginta millia in Podoliam infuſa, majorem Turcarum potentiam, ut fama ſpargit, prægredientem audivit, nec novum illis ſupra ducentorum millium agmen in bella cogere, quod ex Provincijs Tauricæ, Crimeæ Perekopo, Buziakis, Nahaye facilè habent, ex vicina etiam Colchyde, Cyrcaſſijs, Pietihorcijs, tum alijs adcitis Ponto Euxino hominibus, Ductor Primarius eſt Socyrin, Grey, Galga. Vocabulum id denotat ſummam armorum apud illos Præfecturam. Adſunt Noradinus alter, tum ex ſtirpe Gereya, ſex aut ſeptem Suſtani, præter innumeros Murzas, ac ſub varijs vocabulis diverſos agminum Præfectos. Itaque cùm non levem excurſum conquirendis tantùm prædis, venire, perfunctorium conſtaret, quandoquidem grandius aulæ Hani vexillum tricorne explicatum conſpicitur, & eundem Galgam tria millia Ianizarorum, cum 12 campeſtribus machinis, inuſitatâ anteactis bellis ſupellectilem ſubminiſtrante Turcâ ſequatur.

Turcæ Scythis junctì in Podoliã irruunt.

Inſuper conſequitur expeditionis ſocius DOROSZ omnibus, qui fuerunt unquam, malis pejor, viginti quatuor millia Coſacorum Barbaris jungens, & non excutere jugum dominatûs, ſed mutare dominum tanquam priore mitiorem cupere videri poteſt, animo, quàm prudentiâ, majore.

Doroſz Coſacorũ Ductor

Tartaros levior retentorum donariorum prætextus, quàm eandem ob civiles motus omiſſam largitionem, tanquam gens avariſſima repetit, ita ubi ſpei, aut lucri aliquid circumſpiciunt, Tartari non unà contenti manu plures movent.

Coſacos autem impellit capitale in nos odium, quibus vel ipſis perire volupe eſt, modò priùs diſcrimine Polono vindictam exſaturent Iam primum armorum experimentum cum Scythis fuit, apud Narajovum, ubi à locatis cohortibus Roſezicij ac Biaſoglowski expulſores illorum diſjecti ſunt, & inter complures captos inſignior aliquis occubuit, qui rupto fræno continere eqvum non valens, in terram excuſſus collũ fregit.

Experimentum cum Scythis

Ingruere interim apud Podhaycios vis major Exercitui ſcribitur, miranturque Scythæ, utrum miles Polonus ab oppido, an oppidum à milite propugnaretur.

Precamur DEUM, & ubique, crederem, Idem fiet, ut tantam potentiam dexterâ ſuâ omnipotenti conterat, quipe in uno oppido aleam prælij tota Patria expectat, In adverſis proſperiora ſperando, multa enim inſolita præter opinionem eveniunt.

EIDEM

V.

A. C. 1667

EIDEM IDEM die 22 Octobris Cracoviâ

Cæsis Scythis, & Taurica devastatâ pax concluditur.

ETiamsi parata omnia ad iter arripiendum, & prosequendum habuerim, libens tamen vel ideo manui, ut cum bonis novis ex Russia hinc abire queam; mentura lætitiæ de magnitudine Nuntij, & tantùm debet esse animi gaudium, quanta consideratio rei. Copiosa satis est relatio eorum, quæ sunt acta a Duce nostro SOBIESCIO, quæ Vespasianus KOCHOWSKI in compendium redegit, nihil de necessarijs omittendo, nihil de superfluis, & quæ non faciunt ad rem memorando, & ego vix non de verbo ad verbum tibi.

Scis jam bene Pater dilectissime, quòd SOBIESCIUS in uno oppido Podhayce Patriam servaturus, aleam prælij de summa rerum jacti, tam dextere, & circumspectè contendebat, ut in rem suam duceret, prout primi congressûs experimenta provenissent, eò & finem belli inclinaturum, modò se pari animo ingruentibus inimicis objiceret & delibato prælio prout conduceret, vel prosequeretur cœptum, vel tutus à tergo institueret ex beneplacito recessum. Aderant in consortium operis Stanislaus Jabsonowski Palatinus Russiæ, vir, nescio, utilior in castris, an melior in toga? multi ex veteranis cohortium Præfectis, quos omnes veteribus laureis, ac facinoribus inclytos jam Patriæ salus, jam dulcis alacritas ad ardua quæque inflammabat. Ferocia Barbarorum ita erat parata, ut paucam manum nostrorum primo impetu obterandam spe devoraret, nisi tentatum dentibus ferrum haud quaquam arrodi posse duritiei metalli monstraret. Non defraudandos meritâ gloriâ, credo illos, qui strenuam operam, & fortitudinem Patriæ litârunt. Alexander POLANOWSKI, quem scis anterioribus bellis laudatissimæ semper fuisse dexteritatis, promoto gradu ingruenti hosti signa opposuit, quamvis mox multitudine obrutus erat. Vladislaus WILCZKOWSKI dexterum aciei cornu tuebatur, obiacentia pomeria, & in illis locatos cum familijs agrestes obtegebat. Palatinus Russiæ medium aciei tenebat SOBIESCIO faciente omnia ad omne prælij momentum, qui postquam aliquot campestribus machinis admodum commodè locatis tertiâ jam explosione Scythas ex istis telis conturbari advertit, legionem pedestrem submittit, quæ inter cumulos proximos aggesto celpite propugnaculum moliretur, quo & machinarum tutior explosio esset, & commodius Scythæ arcerentur, qui numero quidem prævalebant, sed virtute nostri. In ambiguo lancem victoriæ suspenderat fortuna, cum lixarum turba etiam è pagis conglobati agrestes, quo quisque telo potuit, sed magis incursu & clamoribus jam intra sepimenta illatos Scythas repulerunt, qui campum deseruerunt, & latam planitiem, densis cadaveribus stratam viderunt, quæ illis pertinaciter ex arena subducere mos est. In proximum ergo campum comportata subjecto tugurijs igne sepulturæ loco cremârunt. Et hæc erat prima dies, sub finem cujus nostri, receptui signo dato, in castra recessêrunt. Scytharum aliquot millia, nostrorum quadringenti desiderabantur. *Conflictus cũ Scythis*

Eo armorum præludio increvêre nostris animi, remiserunt de calore Barbari identidem circumcursantes, & veteres notos sibi confratres more suo ad colloquium evocabant, cujus à Duce negata copia. Ultra binas hebdomadas circumclusa castra tenuêre, si quæ agmina in cãpum prodirent, continuis assultibus impetendo; à nostris vicissim recipro-

A.C.1667 ciprocâ vi rejecti de die in diem irremiſsâ luctâ, pertinaciſſimè utrique depugnabant.

Diſſidentes in Ukraina Doroſz & Sirko

Interim per Ukrainam plebs, ne tunc quidem inter ſe conveniens, dum altera pars DOROSZENKONI pro Turca adhæret; altera SIRKONEM contra Scythas bifariam diviſis animis ſequebatur, quorum prior in patriam rebeliis, & jam tunc res novandi cupidus, irruptionis Scytharum in Poloniam ſocius adeſt, alter capitali aliquo à Barbaris diſſidens odio, in perniciem gentis inimicæ ferrum inceſſanter exacuebat. Ei tunc non incommoda occaſio illuxiſſe viſa, quando & gravis æmulus DOROSZ, ac Barbarorum fautor abeſſet, & evolutis in Poloniam Scythis, nullo propè negotio Cryniæa invadi, ac ex gente prædatrice facile manubiæ ſecurè abigi poſſent. Itaque convocatis Sirko popularibus, ijs præſertim qui ad ripas fluminum degentes, pyraticâ gaudent, expeditionem perſvadet in Roxolani nominis hoſtes, ac ubi in Szawranenſibus campis collectam multitudinem ad viginti millia recenſuit, ad ſtrenuè obeundam incurſionem hortatur, ſpolia, manubias, aliaque promittit, gloriam inſuper, quæ ſemper primo loco apud fortes viros reponitur. Addebat (quod in manuſcripto videtur) non uſque ego Lechis faveo (ait) ut ſalvos, & incolumes velim, graves nobis Dominos, & periniquos partæ libertatis oppreſſores, ex duobus tamen malis minus eligo, & eum ſatius hoſtis loco habendum cenſeo, qui vitam cum ſanguine aufert, quàm qui rem cum pulviſculo. Iam verò lares Ukrainæ & penates noſtri continuâ flammâ relucent ignem ſubjicientibus Scythis, iſti pignoribus noſtris replent ergaſtula, iſti cataſtas Roxolanis inſtruunt mancipijs, uxores cum parvis liberis in ſervitutem abducunt, poſtquam gens Barbara virorum jugulos, totâ, qua latè patet Ukraina ferro demeſſuerit. In his dimicare honeſtum, in hos Chriſtianitatis prædones ferrum ſtringere æqvum puto, vel, ſi larium, aut pignorum cura non movet adeo, at ſaltem pro aris, & vindicando DEI veri cultu, quem profani iſti adeo perditum eunt, ut crebriora per deſertam Arabiam diverſori, quàm per latè patentem Roxolaniam faciendis ſacris delubra conſpiciantur, ſequerentur igitur ſe in Tauricam prodromum defenſore vacuam, ac invadendi obnoxiam; Si modò viri ſunt, & opportunitate temporis in juſtam ultionem utuntur. Neque ſegnior in opere Dux, quàm in ſvadendo fuiſſet, niſi ex immodici ſolis ardore graviſſimâ febri correptus, ac in Inſulas Zaporoſianas deportatus ipſe Iwaſzkum veteranum Centurionem loco ſui ablegaret, qui ſuſcipiendam aggrediendæ Tauricæ defenſionem proſequeretur. Nec fefellit opinionem mittentis Iwaſzko, ubi opus, cautus, ubi neceſſe, audax, ac in Tauricam celerrimè ingruens, uti omni deſtitutam propugnatore, direptioni patentem Invenit, ita cædibus, & extremâ vaſtitate facilè conturbavit, talionem acceptarum ab ea gente per Ukrainam injuriarum exſolvendo. Nulli ætati, nulli ſexui parcitum, ferrum viventibus, flamma tugurijs injecta, promiſcuis In mortales cædibus, abigeatu in armenta, hoſtilitate in penates impunè graſſante. Perecopum arcem, ex Sclavonico idiomate locum quaſi transfoſſum (veteribus Dromon Achillis dictum) quòd unâ parte Ponti Euxini fluctibus, alterâ Mæotide palude pulſatur, exili præſidio munitam invadunt, ac incendunt, tantâque conſternatione Cherſoneſum, qua latet patet, Tauricam implent, ut incolatus cædi reſiduus in maritima undique, aut invios ſaltus profugeret, imò Hanus ipſe deſerto Baccheſaraio ſolito reſidentiæ ſuæ loco, cum gregibus pellicum, & exoletis in remotam Colchydem profugeret. Sed ortus ille

Sirko Crymeam vult invadere

Febri correptus Iwaſzkum ſui loco mittit

Hic Tauricã depopulatur

le'è ſtipula ignis, facilè deflagravit, ac umbratilis belli ſcena velut in ſomnio tranſacta perfunctoriè delijt. Non enim fert longa bella plebs ad aratrum nata. Ita Coſaci ſat præſtitiſſe rati, quia terruerant, ac conſummatam arbitrati victoriam, ubi luculentam ex ſpolioruni Europæ receptaculo prædam egiſſent, protinus ad ſua ſe recipiebant. Sanè veriti, ne ſub regreſſum ex Polonia Scytharum, prædâ onuſti in Sultan Gałgam incíderent, vel ne is idem ob vaſtatas Tauricæ oras, irritatus, illatam injuriam in Ukraina ſimili menſurâ rependeret. Quæ ubi apud Podnayce cognita, non minùs Scythæ in reditum intenti, quo invaſis penatibus conſulerent, fremebant, verùm & in Cofacos, quos nunquam ſibi fidos, & præſentis injuriæ conſcios crederent, vehementius inſurgebant, eorum primores (etſi alieno facinore nequaquam illis imputabili) ferociter admodùm & contumelioſe tractantes, unde diſcriminoſæ ſocietati diffidens Doroſſius, identidem per arcanos Nuntios Ducem Polonum conveniebat, tam de ſucceſſu Iwaſzkonis in vaſtanda Taurica referendo, quam pollicitâ fide devinciens, ut tempeſtivè aſylum ſuſpectâ barbarorum amicitiâ perſtrueret. Patuit etiam conturbatos Scythas multum de priſtino fervore in adoriendis caſtris Polonis remittere. Imò in eo rerum ſtatu propoſitionem pacis deſiderare videbatur Scytha, vel belli jam pertæſus, vel ſucceſsûs diffidentiâ, cùm & hic ultra decem millia ſuorum diverſi conflictus jam abſumpſiſſent, & nuper à Sielnicio haud longè BRZEZANY mille quingentorum agmen diſperſum eſſet, compluribus captis. Proinde requirente de pace Gałgâ præmittitur Roſzczyc velitum Ductor, moris ipſe Scythici gnarus, ut confratres ex ea gente ſuos ſalutando intelligeret, quid animi Scytharum Primoribus in terminandum reſumptione amicitiæ bellum, ineſſet? à quibus gratè acceptus deprehenderat, in abitum propenſos Scythas haud obſcurè monſtrare dolorem, ex vaſtata, quaqua verſus Crimæa, dum ipſi impertinenter alienis ditionibus arma inferunt. Nec Gałga, in quo aluit belli amor impatientiam pacis, omiſit, velut civilitati tribuendo per ſubmiſſum familiarem de ſanitate Mareſchalci ſciſcitari, & an placeret veteris amicitiæ reſumptio? ſine ambagibus ingerendo. Propoſitio ea oſcitanter primâ ſpecie accepta, velut à deliberantibus, an paciſci expediret? pro licitantium indole, ut emenda vituperent, etiam hic flagrantiſſimè cupita, cum faſtidio quaſi admittentium. Sed prudentiæ erat cum feſtinantibus cunctari, Scythasque quos hac mutatione Cofacorum non mediocris metus cœperat, attritis ob pabuli inopiam equis, detinere diutiùs, ut longiore morâ ad agendas prædas prorſus inepti redderentur. Ergo cœptum die 16ta Octobris colloquium, quatuor à parte Scytharum Murzis in opus delegatis; eodem numero noſtris venientibus, Stanislao JABŁONOWSKI Palatino Ruſſiæ, Vladislao WILCZKOWSKI Viſnenſi Præfecto; Alexandro POLANOWSKI & Hieronymo KUROPATNICKI Subdapifero Podoliæ. Tandem poſt continuatam per tres hebdomadas, cum numeroſiſſimo hoſte luctam, vel quadrihorario colloquio, in eas veteris amicitiæ leges noſtri cum illis convenerunt. Ita prudente Duce & conſiliarijs credentibus, quòd terga dare volenti hoſti totum iter aureis pontibus conſterni deberet.

A.C.1667

Vaſtatio Taurica Scythas turbat.

Tractatus pacis

Primo loco teſtabatur Sultan Gałga nequaquam ſe hoſtili animo in ditiones Regis Poloniæ veniſſe, ſed potiùs, ut ante coalitam cum gente Polona inſtauraret amicitiam, juxta nupera Pacta cum Islan Gierey, Hano Crimenſi inita; quæ eadem nunc & ſemper manutenenda ſpondet, nomine Adil Gierey Cuiban Soltan moderni Hani, ac jurejuran-

*A.C.*1667 do firmanda promittit. Quidquid interim inter utraſque gentes hoſtilitatis intervenit, perpetuâ oblivione ſepeliendum fore. Quove ſimili armorum colliſioni occurratur in futurum, omnes offenſas, controverſias, ac inter utramque gentem diſſidiorum occaſiones penitus aboiendo, nequaquam alterutris bellum inferre licebit, niſi priùs pro illatis injurijs amicè expoſtuletur. Hoc præcipuè, & ſacroſanctè Sultan Galga Hani nomine ſpondet, omnes amicos Sacræ Regiæ Majeſtatis, Regnique Poloniæ pro amicis ſuis habitum iri, etiam hoſtes eorum pro hoſtibus ſibi futuros. Vicißim honorarium æs, quod à Republica ſub nomine ſtipendiorum pro exhibitis auxilijs Hano Crimenſi largiri ſolet, reddendũ, & enumerandum fore, Illuſtriſſimus Mareſchalcus promittit. Incurſiones Scytharum in ditiones Regni, ſeverè cohibebuntur, imò verò Budziacenſes, Białogrodnenſes, Nohayeios inſolentes, pacis & dominiorũ Reipublicæ turbatores, ſub fræno tenendos Sultanus declarat, ne ditionibus Regni nocere poſſint. Coſacos, ac plebem Ukrainenſem hactenus refractariam, ad interpoſitionem Hani Crimenſis, recipiet in gratiam & favorem Sacra Regia Majeſtas Poloniarum, ijsque pacandis Commiſſionem concedet. In ſignum firmioris, & in ævum duraturæ amicitiæ promittit Sultan Galga ſe apud Hanum effecturum, ut omnes captivi Poloni anteactis bellis intercepti (ſpecificè Machovius) in libertatem aſſerantur. Idem benevolentiæ præſtiturus Rex Sereniſſimus Scythis per Poloniam in detentione exiſtentibus. Inſuper aſſecurat, & fidem ſuam interponit Soltanus, dum finibus Regni Scythæ excedent, nequaquam per excurſiones oris Poloniæ nocituros; imò omnes prædas, & abigeatus inhibendos; qui ſecus faxint, armis coercendos permittit. Quæ tranſacta, & ab utrinque manutenenda, ob majorem fidem jurejurando firmantur. Datum ad Podhayeios in campis die 6ta Octobris anno 1667 Autographum nominibus, & ſigillis ſignatum erat, Syrim Gierey Galga, Ordarum Crimenſium Soltanus; Alib Gierey Muradyn Soltanus; Szafeld Gierey Soltan; Moniac Gierey Soltan &c, &c. Karaſz Aga; Attalyk Szerymbi Murza; Achiz Murza; Saczby Murza; Mechmet Emir Murza.

Conditiones pacis

Coſaci reconciliantur Mediatore Galga

Coſaci dolentes, ſciendo quid acciderit, timentes, quod poſſet accidere, in partem tranſactionis ſerius adſuêre intenti magis præmuniendis caſtris, quibus ſe in ſocios tuerentur, quam diceptandis conditionibus, quibus Polonis conciliarentur. Hinc tribuni illorum à colloquio ſegregati, de induſtria agentes, interpretem non niſi ſubmiſerant ſciſcitatum, ecquid rei inter partes ageretur, ita intenti cogitare, quid facerent, ut obliviſcerentur penitus, quid feciſſent. Patuit tamen Galgam palliata odia altiùs condere, vel quòd nemo alienam iniquitatem portare debeat, vel quòd lædere armatos intutum videretur, ultima ſiquidem neceſſitas in rabiem vertit, atque eos plerumque, qui de vita deſperant, ex timidis longè fortiſſimos facit. Inſuper exiſtimationi ſuæ haud conducibile credidit, ſi in belli ſocios inſurgeret. Ergo velut ſeriò rem illorum acturus per Achiz Murzam expoſtulavit, ut & Coſaci ſimul ad debitum Reipublicæ obſequium medijs pacatis reducerentur. Non abnuêre noſtri (caſus emergentes nova amant conſilia) poſtulatum, qui majora conceſſiſſent, ſcriptæque Rebellibus leges, quibus ſtabile Regno appromitterent obſequium, ac fidem, vel ipſo Galga paciſcendi arbitro, & mediatore. Inſerere viſum ad memoriam fluxæ, & inſtabilis fidei, renovatâ in conſpectu fide (quam utinam non frangant) quo momento dabant, cum eorum animus ac fides, nihil habeat conſtantiæ, ni-

si in hoc, quòd promissam fidem nunquam servare didicerint. Cùm liquidò pateret Petri DOROSSENKO protunc Exercitûs Zaporoviani Colacorum Ductoris, realis submissio, & humilitate congruâ permissum, ut sepositis armis Regem Serenissimum deprecaretur, totamque sibi, & popularibus Cosacis reconciliaret Rempublicam. Igitur desiderio supplicis satisfacturus Mareschalcus SOBIESCIUS, id reconciliandi negotium in se recipit, procuraturus (DEO dante) in comitijs Generalibus Sacræ Regiæ Majestatis gratiam, & erratis Amnestiam, ubi meliori fide præteritam culpam eluerint Cosaci, totaliter renuntiantes quibusvis externorum Principum protectionibus, & ditiones tam Regias, quàm nobilium effectivè restituerint Possessoribus antiquis &c. &c. Etiam prodignoscendis prætensionibus illorum alteram Commissionem apud Rempublicam impetrabilem fore promittit. Querelas in Colonellum Stachurski Præsidio Białocierkiewscenli impositum, cùm eum parte inauditâ condemnare non liceat, seriò supremus Generalis commonefaciet, ut ad diem dictam in judicio compareat; super objectis responsurus. Idem exercitûs Zaporoscenſis ad futura Comitia Varsaviam Internuntios suos ablegabit fide & obsequio erga Rempublicam testandis. Præsidium Bialocierkwie Maroschalcus partiendum, aut minuendum fore declarat, in submini strandis commeatibus, & alimonia pro milite Polono non adeo gravatos se incolæ querantur. Immunitas omnia, & delubris Roxolanis, & DEO sacratis personis, inviolabilis manebit; Tribuno PAWOŁOCENSI res ablatæ sine mora restituentur, etiam omnibus injuriatis justitia per Commissarios administrabitur. Quæ omnia in vim perpetuæ, ac irrevocabilis legis manutenenda partes susciplunt. Actum ut supra die 19na Octobris Anno 1667, Subscripta ea à supremo Mareschalco ejus Pacti fidejussore parte ab altera à Petro DOROSZ Cosacorum Præfecto, alijsque Tribunis, Assawatis, Attamanis, Centurionibus &c. &c.

d. 6. 1667

Promissa Cosacis.

Nec in adornando abitu mora, Scythis accelerantibus iter, abibant enim absque fortitudine ante faciem subsequentis, cunctante Polono, donec per iterata edicta plebs admoneretur, ne imagine pacis delusa magis periclitaretur, imò verò ad munitiora subductis pignoribus sibi consuleret. Sic dirempto bello, & jam in stipulatum deductâ pactione, cùm à Gasga adsunt 4tuor Murzæ, qui castrensi epulo à Mareschalco accepti, solicitè urgent, ut pactis sinceriùs in effectum deducendis per datos obsides ab utrinque caveretur. Id Zboroscenſi, & Zwanecenli fœdere præstitum memorabant, & posterius pluries pro amicitiæ stabilimento usurpatum, etiam nunc enixè Sultanum deposcere. Sed refugiebant nostri probrosam novitatem, ad quid enim in testimonium tranfactorum supremum Numen vocare opus esset? si in exequendi pacti pignus, homines ingenuos dari expoſcerent? Ad hæc si juramentum de toto, & semper obligat partes, cur vadimonium ad præstanda promissa requiretur? quæ eadem dato mortis obsidum casu, aut elapsis istis vix observabilia forent. Sed evicit mordicus flagitantium Barbarorum importunitas, cui facilè nostrorum seu ingenuitas, seu necessitas cessit, ne, dum perperam requisita negamus, vel eo nomine suspicarentur velut promissa non servaturos. De mittendis istis in Tauricam obsidibus, ambiguum fuit, qui mitterentur: flagitante Soltano Wilczkovium, & Polanovium sibi tam crebrioribus conflictibus, quàm nupero tractatu notiores. Sed istis vicariâ legionum Præfecturâ excusatis; Nicolaus ZŁOTNICKI loricatæ cohortis LUBOMIRSCII Pereaslaviensis

Scythorum petunt

A.C. 1667 vienſis Præfecti optio, ac Adamus LYCHOWSKI ex haſtata Ducis cohorte Commilito, longinqui itineris, ac ſubeundi pro Patria vadimonij onus ſuſcepêre, eoque nomine à Mareſchalco requiſiti; haud ſe refugere viam dixerunt, qui vitam uſibus Patriæ impendendam devoviſſent. Etiam Scythæ geminos è ſuis adduxerant, velut reciproco pignoſe pignus permutaturi, & promiſſorum ſervandorum Fide-juſſores exhibituri: alt nihil conducere ea reciprocatio viſa, plus candoris, & generoſitatis monſtrante Polono, qui majorem pactis fidem habet, quam obſidibo.

Datur Zlotnicki & Lychowski

Poloni non acceptant obſides à Scythis

Itaque intra biduum collectis ſarcinis, numeroſa illa Scytharum colluvies Podhayczenſibus campis abſceſſit, & obſtipatâ cervice ſe toto corporis niſu ad aſpectum armorum vertunt: ſic iſti prædas circumſpicientes anheli abibant, tam à ſuis, ne ditionibus Regni nocerent, coerciti, quàm à noſt. is ob circumcluſos undique paſſus in digreſſu ad modeſtiam armis revocati. Ita dextera Domin fecit virtutem, & brachium ejus auxiliatum eſt nobis, & cognoſcent omnes, quòd bonum eſt ſperare in Domino

Diſceſſu hoſtium dum Scythæ in Taurieam, Coſaci, qui quò venerant expeditiores ad pugnam, eò leviores in Ukrainam remeârunt, &, quamvis ultrò abibant, pelli, fugarique videbantur, ſummo terrore liberata Polonia unc vel maximè exantlati periculi magnitudinem introſpexit, ubi reddita ſibi, cùm hoſtem non amplius videret, ſigna tantùm hoſtilitatis, & horrendam atrociſſimi belli imaginem recognoſcebat, ubique proſtabant barbaræ feritatis veſtigia, quaſi non primum ſentiremus damna, niſi poſtquam acceperimus, & inundationem hanc priùs paſſi ſunt multi, quàm prævideront, populoſa mancipia, igne deleta templa, per oppida, etiam murata procerum Palatia, quia flammis deleri non poſſent, ſolo æquata, vicatim cadavera mortalium in cumulos aggeſta, quos ſub primum adventum prævenientes Scythæ, maſtaverant; adhuc dum inſepulta jacebant, ubique vaſtitas, & abominabilis deſolatio, ac vel eo ſolo magis dolenda jactura, dum triſtem patratæ ſolitudinis imaginem, ægrè coalita pax, imò haud diu duratura ex impari compenſaret. Equidem ſingulari numinis favore ſervatam Rempublicam, ipsâque fatente invidiâ humanæ poſt DEUM prudentiæ adminiculo ſublevatam conſtitit; novâ conſervationis methodo tunc reperta, nihil in totum fortunæ permittere, capiti, quæ potior corporis pars, ante omnia conſulendo, agros direptionibus indefenſos relinquere, bene quippe emitur publica felicitas paucorum incommodis; ut in uno oppido Patria ſervaretur, diſpertiri copias, ut ita non imminutæ, ſed auctæ vires pluribus locis hoſtem appeterent, licentiam hoſtium pati, ut ſervarentur agri, aperire Regni penetralia, ut occluderetur introitus; infidere fortalitia, ut fortior ſub umbone miles decertaret; in longinqua abducere hoſtem, ne viſceribus Poloniæ noceret, denique evidenti documento huc res promovere conſilijs, quominus Scytha acceptâ domi plagâ, quàm foris inferebat, inglorio receſſu hoc tantùm lucrifaceret, ut, qui veniens hoſtem ſe Poloniæ jactaverat, revertens amicum vocari contenderet, debitâ jure meritiſſimo ex ſervata Patria belli Duci lauru, qui tempore tam dubio, tali in diſcrimine rerum, ſemet tantis obtulit periculis, conſilia mirabili maturitate proprijs, non alienis cogitationibus exquiſita, elaborata directaque executus, quem magna ſemper præcedebat fama, ſed major Inventus eſt, cujus grata poſteritas memoriam circumferet, nam tota Patria in una civitate ſalvata eſt, in uno Mithridate tot hoſtes ſuſperati. Unde clariſſimis Imperatoribus

ribus æquiparatus, gloriâ verè Pater Patriæ, protector Regni vocandus, eùm inutiliter ageret, qui hanc actionem, communi omnium judicio, & tam prospero eventu approbatam, vellet arguere, & nisi illi maledicant ei, qui maledicunt diei. *A. C. 1667*

Depreeor, quòd longior fuerim, & epistolæ modum provocante materiâ excesserim, quæ non debet siniſtram manum legentis implere.

Memor fui mandati tui, adivi Bibliothecam Academiæ Cracovienſi, legi designatum à te manuscriptum, describi feci relationem victoriæ de Scythis, eamque tibi, ac per te alijs hic adnecto.

DESCRIPTIO VICTORIÆ
De Tartaris anno domini 1512. die S. Vitalis ad oppidum Visniovice partæ.

Magnifico Dno. Christophoro de Szidlovice Castellano Sandomiriensi & Regni Poloniæ vice-Cancellario patrono suo Andreas Critius.

COnstitueram jam pridem mecum vitam & res gestas Divi Principis noſtri Sigiſmundi Regis scribere, cùm præter admirabiles animi & corporis ipsius dotes, tum ob illustratam imperio & exemplo ipsius, Regni totius in spendore, moribus, & fortuna faciem, & statum universum. Sed quia res hæc pacatam mentem vacuumque curis animum requirit, qui mihi tot negotiis & sollicitudinibus expoſito contingere non poteſt, cuncta ipsius acta commentariolis meis notans, ad venturos aliquando quietiores dies suspendebam. Posteaquam tamen victoriam hanc de Scythis nuper partam, conscribi à me voluiſtis, ne tibi ea in re minus obediens viderer, quàm in cæteris omnibus, qui vel minimo nutui tuo parere soleo, ipsam succisivis quibusdam horis, & tumultuario calamo perstrinxi. Quanquanm neſcius non sum futuros quosdam, qui ut alias res, actusque meos, sic & hunc libellum hirceis oculis, criticâque lingvâ notabunt, quia tamen & talibus maximi quique Scriptores immunes esse non potuerunt, ego etiam minimus id æquo feram animo, dummodo soli tibi, cui hæc scripsi placere videar, cujus virtus, gravitas, cultus, & rerũ omnium splendor non in Patria modò, sed in exteris quoque Regnis celeberrimus est, & à quo antehac summa cum laude Regia hæc aula gubernata est, ita & nunc illustratur, satis præmij, satis laudis me consecuturum putabo, vale præsidium meum.

Qui res nationum, & populorum gesta memoriæ prodiderunt, Scythas & generis antiquitate præstantes, & belli studiis semper asperrimos fuisse testantur. Quippe cùm sæpe universam Asiam ditionis suæ fecisent, cùm Darium & Cyrum potentissimos Reges, copiasque Alexandri Macedonis fudissent, Romanorum vidissent, non sensissent arma, alterius tamen nunquam paruerunt imperio. Mortales siquidem immanes, & ab humano victu prorsus alieni, quibus nec urbes, nec sedes certæ aut cultus agrorum est, sed vastæ eamporum solitudines, per quas assiduè vagantes, non æstu, non frigore, non ullis denique incommodis seu tempestatibus domantur. Rectè Aritheas olim ad Philippum scribens: Tu, inquit, Macedonibus, qui bella gerere didicerunt, imperas, at ego Scythis, qui eum fame & siti pugnare possunt. Quid quod, omnis enim voluptas in armis, & opes in rapinis consistunt. Felices illos putant, qui bello occumbunt, infelices, & inglorios, qui domi moriuntur. Imperia autem illorum quæ ipsi Ordas vocant, septem esse traduntur, singula autem adeo ampla, & potentia, ut pleraque (maximè hoc Tauricanũ vicinus, agriculturaque, ob hoc & aliis humanis exercitiis cultius) su- *Scytharum descriptio*

A.C.1667 pra centum millia bellatorum contineant, ad arcendum verò tam instan-
tem, & numerosum hostem his præsertim Regnis, quæ paucis naturæ
præsidiis munita, latè undiq; patent, non muris aut vallis, usq; adeo
opus est, quàm assiduâ quadam militum vi, & exercitiis, siquidem cùm
remissiorem esse custodiam animadvertit, mox vel in Russiam, vel in
Lithvaniam irrumpit, arces, & quæque oppida præterit, villas tantum-
modo incendit & depopulatur, coactisque armentis & incolis, eâdem quâ
progreditur celeritate, rursus erumpit. Nulla cum eo fides, nullum jus-
jurandum firmari potest. Penuria rerum ipsum ad rapinas, & rabies ad
neces & incendia stimulat.

Quo fit, ut inclytus Poloniæ Rex & Magnus Dux Lithvaniæ semper
oculos in statione, semper tum milites in finibus, tum exploratores in
campis habere, & æs immensum effundere cogatur. Fiunt præterea &
generales belli expeditiones, fiunt vectigalia & tributa tam ingentia, quàm
necessaria propter Reip. incolumitatem. Alij vicini qui post terga nostra
securè degunt, non modo nos in tantis non adjuvant ærumnis, sed nō-
nulla etiam discrimina & casus nostros optant, & procurant. Quamobrē
spectata quidem est hæc & verè Christiana Principum nostrorum virtus,
qui hac humanitate non permoventur, sed q; adeo opponunt, ut ea, quæ
Regna ipsorum patiuntur, penitiores Christianorum partes non ampli-
us experiantur; olim enim per pluralitatem Ducum, & Regni scipionem
commodè illis resisti non poterat, quantas penetratâ vi summâ Poloniâ ter-
ris alijs clades intulerunt, facilè vel ex hoc conijci potest, quòd in Hun-
garia, ut de alijs taceam, triennium egerunt, & pro libidine sua debac-
chati ad plagas proprias incolumes redierunt. Enim verò si quis hæc, &
alia paulò altius acta repetere voluerit, si non modo tantam Scytharum
molem, quæ cervicibus nostris semper imminet, sed aliorum quoq; Ca-
tholicæ fidei hostium impetus rectè pensaverit, quantum de re Christiana
Polona Gens mereatur, cuivis fidem, robur & dexteritatem cùm alijs
plurimis, tum hac certè victoriâ, quam scribere sum orsus, intueri licet.

Anno igitur â Nativitate Christi XII. supra mille & quingentos Sigis-
mundus Poloniæ Rex invictus peracta clarissimæ conjugis suæ Barbaræ
fausta & toto orbe celeberrima coronatione cœpit unà cum Pontificibus,
& Proceribus Regni, qui tum aderant, consilium agere, quo pacto Tar-
taris, qui per exploratores prope fines delitescere, & vere ipso cum gra-
mina primum succrevirent, incursionē facturi, eāq; jā parare nunciabantur,
resistendum foret. Et quia visum non erat contra hostem hunc semper
imminentem & fugacem universam excitare Nobilitatem, decernitur, ut
mercenarius miles conducatur, ad quem scribendum Leopoli dies sexta
nonarum Maij deputatur. Solvitur interea conventus, & sacris purgan-
disq; animis (erat enim quadragesimæ tempus) incumbitur.

At hi Scythæ, qui per exploratores denuntiati fuerunt, tres hujus
Taurici Imperatoris nepotes erant, qui cum viginti suorum electorum
millibus ad ferendum Zelimo Imperatoris Turcarum filio suppetias adver-
sus patrem prodierant. Vbi inter illos concordia inita, & ipsis opera re-
nuntiata fuit, fervore juventutis simul ac prædæ cupiditate succensi, se sub
nigra sylva, ut nostri eam vocant, paulò ultra Podoliam continuerant,
atque inde commoditatem huc insiliendi captabant. Absolutis verò Pas-
chatis sacratissimis solemnibus circiter Idus April. furtim & citius solitò
per fines illabuntur, castraque inter Leopolim & Busko metantur, ex qui-
bus mox undiquè more suo semper turmas, veluti lupi quidam rapidi,
diffundunt. Heu quis faciem tunc terræ illius, aut verbis exprimere, aut
lachrymis deplorare possit? cremantur interim villæ, opesque passim di-
ripiun-

, ripiuntur, pecora & armenta abiguntur, templa DEi immortalis pro- A.C.1667
, fanantur, homines divinis ipſis occupati ſexûs utriuſque, vinciuntur, &
, cæduntur, infantes ab uberibus matrum avelluntur, & cum ſenibus ceu
, viarum impedimenta ſternuntnr; Virgines palàm non ætatis, non pudo-
, ris ratione habitâ in conſpectu parentum, fratrum, & propinquorum vi-
, olantur, ſpectantibuſquè maritis uxores corrumpuntur, denique divina
, & humana omnia ſangvine, fletu, & mœrore implentur, quippe major
, huic hoſti, quàm cæteris bella colentibus impietas, major inhumanitas,
, ad hæc mores fædi & abominabiles, facieſque horrendæ, & verè Tarta-
, reæ, quas intueri ſolùm ſatis ſupplicij eſt, ne dum alia ab his nefanda
, pati Dum hæc in Ruſſia geruntur, accurrunt quàm plures Cracoviam,
, qui cladem hanc Regi nunciant, urbẽ omnem ingenti luctu & dolore af-
, ficiunt. At ipſe ſapientiſſimus Rex ne minimùm quidem conſternatus,
, ſed ut ejus conſtantia eſt, ſpem optimam præſeferens vultu, quæcunquè
, opportuna tam ſubito & præſenti malo videbantur, ea omnia exequebatur.
, Primo enim per literas Patricios omnes Ruſſiæ propinquiores exhortatur,
, ut pro ſe quiſquè, eo, quo majore poſſit, comitatu Leoplim contendat.
, Dehinc aulicos ſuos levis armaturæ cum Nicolao de Camienece Palati-
, no & Capitaneo Cracovienſi, ſupremoque Exercituum Regni Imperato-
, re mittit, cujus ductu non multò ante Dacia, quam Valachi occuparunt, (in
, qua pridem tam magni & potentiſſimi principes partim diſpendium ſu-
, orum Exercituum, partim etiam interitum paſſi ſunt) ferro & igne va-
, ſtata eſt, & primores ejus prælio capti, Leopolimque adducti, detrimen-
, ta omnia, quæ Regno priùs intulerant, ad dependendum coacti fuerunt.
, Hic igitur Nicolaus quanquam ætate jam ingraveſcente & æri morbo
, affectus eſſet, pro magnitudine tamen animi ſui, & ſummo in Rempub.
, amore, nihilò moratus primò ædem D. Bernardi adiit, ibique pro Religione
, ſua DEO ſe & Fratribus illis cõmendans propere diſceſſit Interea tamen pri-
, uſquã ipſe Leopolim pervenit, nunciãtur Regi fauſta belli præludia, & capti-
, vi adducuntur. Hi enim nobiliſſimi Juvenes, qui ad ſtatum tempus, & locum
, confluebant, ipſi quos dixi turmatim diſcurrentes Tartaros, & eos ſem-
, per numero ſuperiores, ſternebant. Non defuerunt interim nuntij, qui
, hoſtem prævalidum eſſe, & rem celeriter agere noſtros vero & exiguos nu-
, mero, & quod celeritas hoſtis exigebat, tardiores eſſe referebant. Ita fit
, anxia quædam inter ſpem & metum expectatio, fiunt & crebræ per tem-
, pla ſupplicationes, fiunt ſacrificia DEO & Patronis Regni, in quibus Rex
, ipſe frequens aderat, frequentiſſima verò Sereniſſima conjunx, & incly-
, ta Soror ELISABETH Virgo, utraque omni virtutum genere inſignis, &
, virginea venuſtate conſpicua. Hæ itaque certatim divinis omnibus adhæ-
, rentes DEUM precibus pro tuitione ſui populi fatigabant. Dici non po-
, teſt, quot per ipſam divam Reginam & aris obligationes, & pauperibus
, eleemoſynæ diſtributæ, miſſarumque ſolennia, quoties aliquod felix nun-
, tium adferebatur, toties & ipſa ad Venerabile S. Stanislai ſepulchrum ac-
, cedens, & in genua procumbens, gratias immortali DEO cum lachry-
, mis referebat.

, Adveniente autem Leopolim Cracovienſi Palatino, & pleriſque tum
, Proceribus, tum Patricijs Regni primum omnium ex captivis quæri cœ-
, ptum eſt de ſtatu & conditione rerum hoſtilium, & quamdiu manere
, hîc conſtituiſſent, à quibus hoc relatum erat, copias omnes, quæ prædan-
, di gratiâ ſparſæ fuerant, rurſus in caſtra redijſſe, atque è ſtativis cum
, præda univerſa, jam ad iter motas eſſe, ſentirique ſuos gentem hanc in ſe
, congregari, non credere verò poſſe, adeo repente tantam effici manum,
, quanta cum eis congredi audeat, ſubvereri tamen inſultus quoſpiam le-

ves,

A.C.1667 ,ves, quorum causa cohortem non mediocrem post terga speculari solere, ,certumque id esse, quòd qualiscunque vis eos adoriri voluerit, pugnam ,non detrectaturos. Quo accepto nostri intelligentes, jam minimè moran- ,dum esse, prosequi hostem quam celerius, temporaque & loca pugnæ a- ,pta observare statuunt. Non expectato igitur Spitkone ZAŁUSKI Succa- ,merario Ravensi celebri Bellonæ Duce, & milite, nec Joanne TURO- ,WSKI claro Turcarum sæpius debellatore, compluribusque alijs, qui ven- ,turi nunciabantur, die Sabbathi octavo Kalendas Majas Leopoli discedunt, ,progressique haud longè copias ordinare, & aciem instruere, quo ad in- ,vadendum hostem semper essent parati, cœperunt. Funduntur interim du- ,ctu Joannis de Pileza strenui admodùm juvenis hostium ducenti, capti- ,que duo mox ad exercitum perducuntur, qui de suis per interpretes quæ- ,siti, coadunatos jam esse, recedereque, & quinque milliaribus abesse re- ,tulerunt.

,Venit inter hæc properè nuntius ad Cracoviensem Palatinum missus ,cum literis à Principe Constantino præclaro belli, præsertim Scythici, Im- ,peratore, cujus tot insignia facta, tot victorias & merita in Remp. nemo ,satis laudare, vel enumerare potest. Qui cum pridem apud Moschos du- ,rissimam annis novem passus esset captivitatem, & demum quantus sit, ,cognitus esset, non modò sponte manu missus, sed in summo honore ha- ,bitus, & fortunis adeo donatus fuit, ut cunctis eorum Exercitibus præ- ,esset, quibus forti animo & dexteritate, fortunaque ductis, plurima de Scy- ,this trophæa retulit. Literæ autem Ducis hæc precario continebant. Ut ,si quis mentis esset vel animi congrediendi cum hostibus, illi quam primum ,significaretur, se etiam tum è vestigio agmine pro celeritate facto veni- ,re, hostemque adoriri velle. His à Proceribus lectis nuntius confestim ,alter mitti jubetur, Princepsque ipse rogari, ut quantamcunque posset com- ,parare manum, operam faceret, adventumque acceleraret.

,Hostilis interea Exercitus ad dexteram versus declinans procedebat, ,noster verò recta proficiscens ad lævam ipsius pervenit, atque ita uterq; ,lateribus tendens vix duobus interdum à se milliaribus consistebat. Quar- ,tâ verò die conventum est circa castellum Wisniovice cum Principe ,Constantino in comitatu mille & quingentorum tantùm Litvanorum e- ,quitum, sed admodum strenuorum atque ibi copijs simul consistentibus, ,salutationeq; utrinque factâ consilium mox initur, in quo licet ambo so- ,lertissimi Imperatores cæterique Duces ac primarij viri multitudinem ho- ,stilis Exercitus, suique paucitatem librantes, imparem longè pugnam ,judicabant. Scientes tamen victorias non numero plerumq; sed virtute ,bellantium constare solere, suos verò non modò non subterfugere pas- ,sim omnes pugnam, sed optare etiam insuper, & effiagitare hostem, ,nocte proximâ insequi, ac postridie, quæ fuit S. Vitalis illum aggredi sta- ,tuunt. Factâ igitur mutuâ inter se consultatione speculatores utrinque ,ad perserutanda castra hostium, locumque stationis, ac intervallum viæ ,mittuntur, corpora tunc & equi curari, armaque ac cætera belli instru- ,menta apparari cœpta. Quæ omnia dum congruis animis, quâdamque ,pugnandi cupiditate perficiebantur, exploratores ad castra circa primam ,noctis vigiliam redeunt, stationemque hostilis Exercitûs, simulque loci, ,ac itineris spatium declarant. Datur mox absque strepitu profectionis si- ,gnum, perque noctem integram, quò prius ad hostem perveniri possit, ,quàm è stativis castra moveret, festinatur. Relatum est ab his, qui tunc ,apud Scythas capti fuerant, majorem natu Imperatoris nepotem eam ,ipsam noctem totam cum primarijs plerisque insomnem duxisse, faustũ- ,que successum & incolumem cum præda immensa, reditum, compotatio-

ne

, ne simul & ingluvie celebrâsse, nostri verò licet eundo minimè eunctarentur, quia tamen iter quatuor milliarium spatio, nocte præsertim exigua conficiendum erat, se post ortum usque solem hostibus exhibuerunt, etiam tum ipsos non paratos modò, sed è itatione quoque paulò ad iter profectos, invenerunt. *A.C.1661*

, Erat inter utrumq; exercitum collis quidam patulus & prominens, , sub cujus radice vallis limosa, & lubrica difficilem quodam modo, & tardiorem nostris tranlitum efficeit. Ad hujus itaq; collis verticem cum , perveniissent, hostem sylvæ, longè latèq; inhærentem per duo vix stadia conspicati essent, ordine lubsistunt, oculisque ipsius ampliam imprimis, ac formidabilem objiciunt aciem; omnes enim primarij juvenes , frontem cum cohortibus suis tenebant. Summa autem totius exercitûs nostri circiter quinque millia fuisse, ordinesq; ipsi ad hunc instructi modum stetisse perhibentur. Lithvani cum Ducibus, & Imperatore Constantino Principe dexterum cornu, siniſtrum verò Joannes de , Pilza turmâ nobilium, quam sedulò coegerat tuebatur. Lithvanis proximi fuerunt alij de Pilza tres egregij juvenes Nicolaus præsertim & , Stanislaus Germani Ottones, ambo quidem bello & ingenio, Stanislaus tamen corporis ad hæc & formæ dignitate cæteris præeminens. Contigua his erat aulicorum acies, generosis equis, strenuisq; admodum , viris referta. Huic præerat Albertus Sampolinski animo, factisq; militaribus, supra, quàm credi possit, insignis, atq; ipsi tunc Jacobus , Szezygniewski & Joannes Grzymaltowski uterque militiâ celebris, , vultuq; ipso Martem præseferens, assistebat. Stetit dehinc Martinus , Kamenecki & Stanislaus Luszczewski, steterunt duo ingenui juvenes de , Wisnicza Petrus præcipuè natu grandior, qui non modò in Patria sed , in Germania & Italia cum Maximiliano Imperatore militans laudem sibi non mediocrem vendicavit. Conjunctus his fuerat inter Nobiles alios Andreas Boralynsiti virtute militari, & claris facinoribus non postremus; stabant demum lævo jam cornu vicinæ tam aliæ militum , mercenariorum, quàm etiam Nobilium catervæ, singulæ Præfectis , his Spytkone Zaluski succamerario Ravensi, qui unâ tantum horâ ante conflictum hunc accurrerat, Stanislao & Joanne Amor de Tharnow generosi cordis adolescente, & Stanislao Mielecki distinctæ, & præter hos, quos Duces memoravi, multi alij strenui ac præstantes viri, , omnes alios tum maximè frontis ipsius ordinem implebant, quem peditum insuper copiæ quædam perexiguæ tamen, & cum duabus tantum belli machinis antecedebant, post frontis aciem aliæ deinde cohortes, postremò verò tegmen, quod totius robur sit exercitûs, subsequebantur, cujus quidem Dux erat Gentilis tuus Joannes Adrowąz , Palatinus Russiæ genere simul, ac opibus longè clarissimus, ætatemque suam consilio, gravitate & eloquentiâ superans. Erant & aliæ , circum copiæ, sub alas instructæ; erat & aliqua agrestis turba spoliorum magis, & prædæ, quàm pugnæ causâ, illic admixta. Quibus , omnibus sic consistentibus, Cracovienſis Palatinus etli antehac semper, maximè tamen tunc verum boni Imperatoris, & Patris Patriæ , nomen referebat, quanquam ea tam in postremis, quàm etiam in primis fuit pugnandi cupiditas, ut ad eam rem frænis magis, quàm calcaribus opus fuisse videretur. Hoc idem tamen & Princeps Constantinus & Stanislaus de Chodecz Regni Poloniæ Mareschalcus, & Capitaneus Leopolienſis grandi animo, bellique hujus Scythici peritiâ præditus. Idem & reliqui duo, qui tunc etiam munus imperatorium obibant

A.C.1667 ,bant Stanislaus de LANDCKORONA Capitaneus Camenecensis & Ia-
,nusius Svierczewski militiâ uterque & rebus gestis fortiter clarus, sedu-
,lo exequebantur. At Scythæ visâ insperatâ tam latâ, armisque radiante
,copiarum acie, auditoque etiam tormentorum boatu, quæ in eos ejacu-
,labantur, subitò & territi confundere Ordines, & velut pelagus quoddam
,immensum, cùm à ventis agitatur, miscerì inter se cœperunt. Nihilomi-
,nus tensis arcubus ferri in nostros, ac more suo circumsilire, sagit-
,tisque obruere conabantur. Quadripartito itaque agmine, pars dextrum
,cornu, pars sinistrum, reliqui medium petunt, sed quæ in dextrum fere-
,batur, major vis ejus, major impetus erat, quem Litvani paulò versus pro-
,gressi primi sustinent, sylvæque præ cujus densitate circumdari non po-
,terant, cohærentes se fortiter opponunt, & strenuè rem agunt, multitu-
,dine tamen ingruente, cùm urgeri nimis ac nutare jam cœpissent, Adal-
,bertus ZAŁUSKI Palatini Lancicienſis filius, juvenis verè strenuus, &
,ad Martem natus, qui in hoc conflictu fortiter pugnavit, & obijt glori-
,osè. Is ergo dato verbo cum Alberto SAMBOLINSKI versi ad eos, qui-
,bus præerant, quousque, inquiunt, expectamus congrediendi imperium?
,videtis, quo in periculo hi versantur, tum, nos sequimini, concitatis equis
,mortis & vulnerum immemores medium in agmen se immiserunt, quos
,una & reliquæ frontis turmæ secutæ, innumeros hastis præcipitârunt,
,ubi primus quidem cecidit, sed eædes etiam acerrima hostium fuit. Non
,sustinuêre enim diu Scythæ tam ferventem, atrocemque ipsorum impetum,
,sed protinus terga vertunt, tantoque cursu in fugam ruunt, ut plerique
,tum vestes, à se, tum etiam sellas equis, quominùs eos fatigarent, abji-
,cerent. Nostri verò auctis animis Marteque propitio magis succensi fu-
,gientibus ardentiùs insistebant. Sparsim enim hostes per sylvam inseque-
,bantur, Duces eum alijs copijs multitudini prædæ, quàm coegerant ho-
,stes, incumbebant, cujus faciem memorare quidem sine lachrymis non
,possum. Stabant vincti viri pariter & mulieres infinitæ, tot supplicijs, ver-
,beribus, spectaculisque nefandis affectæ; stabant puellæ spureissima quæ-
,que passæ; stabant tot plaustra puerorum, quid rerum ageretur, nescien-
,tium, quorum tandem supra decem millia fuisse amicus mihi quidam in-
,ter alia singularis judicij, & minimè varius, retulit. Omnis hæc igitur tur-
,ba clamore simul, & fletu vindices suos excipiebat, Deoque non secus, quam
,Patrum olim animæ, cùm ab Inferis eruebantur, gratias agebant.

,Imperatum est autem mox à Principe & Cracovienſi Palatino, ut quis-
,que id, quod suum esset, tum rerum, tum hominum acciperet, & abi-
,ret, qua in re tanta fuit secuta confusio, & pueris Parentes suos igno-
,rantibus, & cõmixtione una pecorum, & armentorum, ut pleriq; i-
,gnota auferre, & inter se dividere milites cogerentur, compertumque
,est in eo prælio, circiter Seytharum millia quinque cecidisse, reliquos
,dispersos, nostrorum etsi aliqui saucij, minus tamen quinquaginta desi-
,derati sunt.

,His omnibus sic actis eodem die reditum est in Wisniowiec, ibique
,quod reliqvum erat, requiei tempus datum. Postridie verò Constantinus
,Proceres & Patricios omnes invitat, ac celebre facit convivium, in quo
,singulos quosque de re strenuè gesta, & præcipuè Cracovienſem Palati-
,num cui de tam insigni parta victoria soli tantummodo acceptum refere-
,bat, collaudans, epulis simul & muneribus, lautè munificeque accepit. E-
,quidem si Poloni ac Litvani pari consensu, junctisque simul viribus suis sem-
,per se opponerent hostibus, melius longè res principatûs procederent. Hoc
,enim modo quascunque aliquando pugnas aggressi fuerunt, eas feliciter,
,ac summa eum gloria egerunt. Tu mi patrone, qui revolvendis annalibus

prisca-

» priſcarumque rerum ſcientiâ præcipuus es, atque ob hoc inter alias vir- *A.C.1667*
» tutes ac dotes tuas conſilio plurimùm pollens non ignoras.

» At hi, qui Cracoviam tam fauſtum nocturno diurnoque curſu fere-
» bant nuntium, quarto ferè die quæ ſolis erat, & in qua Princeps noſter
» invictus & ſangvinem minuere, & Sigiſmundinalia celebrare conſvevit,
» accurrunt in ipſo penè diluculo, primumque ad Magnificum Germanũ
» tuum Nicolaum Caſtellanum Radomienſem non mediocre hujus Curiæ
» decus divertunt, ad quem cùm tardius aliquando à janitore admiſſi eſſent,
» res per alios in regium uſque thalamum delata eſt. Dehinc è veſtigio per
» univerſam divulgata urbem, illam ineffabili lætitiâ ſimul ac conſolatio-
» ne replevit.

» Inter eos autem qui maximè gaudebant, fuit merito quidem inclyta
» Regina noſtra Barbara, quippe cujus Regni initium DEUS propitius tam
» inſigni victoriâ decoravit, me igitur propterea advocato literas tum ad ma-
» trem ſuam, tum etiam ad fratres, manantibus præ gaudio lachrymis, di-
» ctavit, eaſque conſcribi, & per tabellarium ſuum mitti celerrime mandavit.

» Ab ortu ſolis uſque ad meridiem DEUS primum per templa omnia
» campanis & organis & cantu vario laudatus eſt, ſacrumque Divi Stanislai
» ſepulchrum magnâ cereorum vi & ſacrificijs honoratum. Convivia dehinc
» & ſympoſia paſſim in aula præſertim Regia celebrabantur, in qua & mul-
» tifarij ludorum, chorearumque modi ducebantur & varia muſices inſtru-
» menta reſonabant. Veſpere autem commodum facti tot ignes ubique,
» tot ſaces & lucernæ accenſæ fuerunt, ut tota urbs ardere videretur. Fit
» concurſus ad arcem canentium, & debacchantium turbarum, & quidquid
» lætitiæ, voluptatis, & tanto triumpho dignum cenſeri poteſt, id omne
» agitabatur. Habes ſapientiſſime Senator victoriam hanc, quam voluiſti
» pro captu ingenij mei, & vitæ inquietudine deſcriptam ut qui illam lum-
» mo Patriæ amore, ac laudis regiæ ſtudio pingere in æde Divi Franciſci
» feciſti, literis etiam memoriæ traditam haberes, quam etſi procul ab eru-
» ditione, & eloquentia abſit, quia tamen id carmina magis & orationes
» requirunt, hiſtoria verò ut Plinius junior inquit, quoquo modo ſcripta
» delectat, ſpero tibi non diſpliciturum.

VI.

ANDREÆ OLSZOWSKI EPISCOPO CULMENSI ET POMERANIÆ PROCANCELLARIO REGNI, ANDREAS CHRYSOSTOMUS ZALUSKI Nepos Viennâ 23 Novembris.

Viennâ Græcium ſe confert.

VEni tandem ſub auſpicijs, & benedictione tuâ feliciter Viennâ cum Domino de Megnin, qui vir optimus, omnium exiſtimatione, quavis fortuna digniſſimus judicatur. Tot ab eo ex tua recommendatione extiterunt in me humanitatis argumenta, ut plura ex illius ſummâ liberalitate, quam quantum promerebar conſecutus ſim. Unde & obligationi meæ, & ipſius deſiderijs ſatisfaciendo non contentus in affectum, & ſpe ipsâ majorem beneuolentiam tuam penetraſſe, illi etiam cum debita ſubmiſſione fores aperio, quaſi in ea vetus.

Vidi hic omnia, quæcunque videnda ſunt memor illius, vagari, luſtrare, diſcurrere inſtabilis animi; indagare, diſcere, verè peregrinantis. Non imitabor illos uti paternè monuiſti, qui peregrinas ingreſſi terras exoticoa induunt mores, eorumque contrahunt habitum, apud quos & habitârunt; quaſi verò neceſſe foret, ut à nativo ſolo, ita & ab agnata abſcedere virtute.

Vidi multa tam in pulcherrima hac civitate, quàm in theſauro imperatore

A. C. 1667 ratore digno; mirabar multa, quia admiratio ex defectu naſcitur experientiæ. Sed eum certis finibus non adſtricta mandata tua conſiderarem & pro conſequendo peregrinationis meæ fine, bene præparatum haberem pectus, eaque arripienda mihi eſſe crederem, quæ me exerceant, te delectent, curam habendo temporis, conſideravi non eſſe in iſto loco eam commoditatem proficiendi in ijs quæ juſſiſti, cùm libentiùs etiam ultra Oceanum, quo Ulyſſes ſe apud Homerum contulit, ire vellem, quàm hic otiari, vel aliud agere, quàm agendum eſt. Eò mercator proram dirigit, unde major ſpes lucri affulget. Per ipſas difficultates mihi eundum eſſe credo, qui ad finem à te propoſitum tendo. Peto ergo humillimè veniam, quæ nullo pretio emitur faciliùs, quàm ſubmiſſione, ut factum meum probes, tanquam ſalutare & neceſſarium, quòd ſcilicet relictâ Viennâ Græcium, ubi juri civili, & Canonico ſecundùm placitum tuum, lingvæque Germanicæ diſcendæ ſine diſtractione, quæ hic eſt ſemper obvia, applicare me valeam. Speroque auxilium de cœlo mecum fore, in eam enim curam ſedulo incumbam, ut tua ſuperem vota, mea expleam. Sed nolo hæc jactare verbis, cum oſtentare rebus intendam, contentus etiam parietibus, & auditionibus privatis, modò finem, quem deſideras, & ego ſummè cupio attingam. Reſolutioni meæ ignoſces, eymbæque meæ ſecundos ventos ex paterno affectu exoptabis, libenter ſperans ex me, quòd vehementer cupis, & de bona intentione mea non dubitans iraſci non poteris. Intra duos dies cùm hic nihil ſperem, ac nihil putem poſſe boni fieri in ſtudijs meis, iter arripio, utinam intentio mea optima, pari exitu coronetur, eóque nomine benedictionem à te imploro. Interim ſanitatem imprimis, omniaque proſperrima tibi voveo, non enim dubito, quin ea optare tibi idem ſit, ac optare mihi perpetuam felicitatem.

VII.

EIDEM IDEM GRÆCIO 4tâ Decembris.

Spondet ſe votis ejus Græcij reſponſurum.

ATtigi portum, &, ſicuti in primo limine in hac civitate comparens dijudicare poſſum, optimum factu fuiſſe credo, quod feci, & ſpero fauturum te talibus inceptis, cùm id egiſſe me non ine numine reor. Omni verò niſu curabo, ut pro conſolatione imprimis tua, & meo debito in herbeſcenti ſegetum viriditate certa propè ſpes futuræ meſſis appareat: nihil enim providendum erit, ut ſummam mandatorum tuorum rationem habens, nunquam quidquam de me, quòd præſtiturus non ſum, pollicear. Incerta iſta res eſſet, ac prorſus ambigua, ſi eam in animo meo ad exequenda mandata tua non haberem voluntatem, imò cupiditatem, ut me ſerìò totum ad ſtudia applicem, nullâ enim re magis, quàm deſerti officij memoria erucierer. Imitari te ut vis non potero, quia hoc non tantùm ſupra vires, ſed & ſuper captum mediocritatis meæ, imitandum tamen proponam, qui nihil in vita, niſi laudandum aut feciſti, aut dixiſti, aut ſenſiſti, felix ſum, origine eſſe volo, & imitatione. Et id ipſum tantùm mihi addet animi, ut talis eſſe contendam, qualem me eſſe aliquamdo ex affectu prædicaſti, aut certè eſſe voluiſti. Pro maximis verò aſſiduiſque beneficijs tuis ſinceræ voluntatis, aut debitæ gratitudinis apud DEUM ſtudia, orationeſque quantûvis indignas offeram, ut tu, in quo virtus, & fortuna, cùm de culmine contendit, tandem fateri cogitur, magis eſſe faſtigium tuæ virtutis, quàm honoris. Diu vivas, illudq; meritis tuis accedat, ut dignitas dignitati ſubeundæ præeat, ne gratia videatur, ſed rectè factorum præmium. Cæterùm fugiam, ut inſinuas paternè, illos, quibus crimen eſt criminum illecebras effugiſſe, & inter piacula repu-

réputatur DEO penitus adhæſiſſe, probitatisque Sacramentum dediſſe, ſed tales inveſtigabo ſocios, à quibus mutuâ collatione vel diſcere aliquid, vel illos docere poſſim &c. *A.C.1667*

VIII

ALEXANDRO ZALUSKI TUNC SUCCAMERARIO, POSTEA PALATINO RAVENSI Idem eâdem die

Ejuſdem argumenti

CUm Viennam appuli, aliorum opinioni adſtipulari debui, me in hac urbe ita vacare ſtudijs non poſſe, ut veſtræ voluntati ac deſiderijs meis fiat ſatis. Græcium itaque me contuli amoturus omnia ſtudiorum obſtacula. Hic literas tuas paternas non affectu ſolùm ſed & amore plenas inveni, unde gaudium mihi & ſolatium, nihilque tam lætum, quod tuis lætius literis. Quo nomine debere me multùm dicerem, niſi jam tantum deberem, quantum perſolvere vix poſſum. Rariùs abhinc tibi ſcribam, ejuſmodi enim tempora mea erunt, ut nihil habeam, quod à te literarum expectem, aut ipſe ad te ſcribam, modò vel de oblivione debiti, vel de negligentia non accuſer, nam utrumque crimen Indole meâ non eſt dignum. Occupationes meæ cauſa ſilentij erunt, quam nec tu damnabis, cùm etiam non dubitem ab Avunculo meo omnia ea, quæ illi ſcribam, tibi communicanda, vellem interim eſſe, quem tu me facis, quamvis me talem eſſe non fateor, velle tamen eſſe profiteor. Creſcet verò creſcentibus annis in te dilectiſſimum Patrem coævus amor, & debita obligatio filialis. Precor interim ne pro ſchedulæ brevitate affectum meum æſtimes, quem nullus ſui prolixitate poteſt exprimere calamus.

IX

FRANCISCO DE MEGNIN LINGVARUM ORIENTALIUM IMPERATORIO INTERPRETI GRÆCIO Idem eâdem die

Gratijs actis pro pace, mentio fit de abdicatione regni

CUm ad adæquanda tua in me merita facultatem mihi deeſſe ipſe videas, voluntatem tamen adeſſe vellem arbitreris, quamvis ad obligationem meam parum eſſet, quod dicerem; ſpes & fiducia mutui in me effectus à te facta me ſolatur. Ego verò jam te novi, & quia novi, amo, ſinumque pectoris mei non ſemel aperui; argumentum, & ſymbolum tui in me amoris, quo vehementer lætor, in literis tuis lego, & pro eo maximas tibi gratias ago, majores habeo. De valetudine mea ſi quæris, eâ ſum, quâ ſoleo. Iter meum feliciſſimè confeci, faciens ſemper memoriam tui pretioſam, cùm in tuis etiam literis videam tuam mihi animam effuſam, indeque non perfunctoriè glorior, quòd me habeas non modò in memoria, ſed etiam in gratia. Glorior privilegio amoris tui, refectus ſum de abundantia pectoris tui.

Vis, jubesque ut tibi ſcribam, quæ de rebus Patriæ noſtræ ad me perferuntur, cùm tu audire, ego amo dicere, quamvis quia longè abſum, audio ſerò, libens quod habeo certi, facio ut ſcias. Iam de pace non aliqua mentio, quàm affirmatio certa pervenit uſque ad me, utinam poſt hos nimbos lux, & ſol aliquis tranquillitatis appareat, in quo aprieari nobis libere liceat; interim ſcribitur mihi, quod credo, & ad te, qui ſcit plurimum pertulit rumor, quòd bonum publicum à privatis ſimultatibus impediatur, ita in turbas, & diſcordias, peſſimo cuique plurima vis, pax, & quies bonis artibus indigent. Dolendum ſanè, quòd naturâ quâdam accidat, ut ignaviſſimi homines nihil curent, quæ ſit de ipſis futura opinio, etiamſi probatiſſimi vi- *Simultas*

A.C.1667 ri, cuncta faciant, quò in futuris sæculis bene inter homines audient, sed infortunio nostro major numerus priorum, quàm ultimorum, nulla est opera, quæ efficiat rectos incedere caneros.

SOBIESCII nostri fama ita excrescit, ut in summa etiam rerum difficultate eo Duce nihil adversi contingere sibi milites jam timeant. Reliqua novorum quæ recepi, in compendio accipe.

Rex agit gratias pro pace

Jam Rex Varsaviam rediit, allabentibus per viam nuntijs lætus, ob exactos Regno Scythas, diremptamque pactis hostilitatem, demum acceptа de transactis notitiâ solennes DEO exolvit gratias in Basilica Varsaviensi, ipseque licet æger ante aram prostratus victoriarum largitori DEO humiliter supplicavit.

Rumor de abdicatione

Post ea videbatur fessum tot curis animum compositurus, si vel ipsi à contracto habitu resilire liceret, nam assuefacta novitatibus ac perturbida Patria ad abdicandum Regem jam suâ sponte inclinatum, si non impellit, certè parum retentat, & ubi explicari vera non possunt, falsa per metum augurantur, ita quod narrat vulgus passim ambiguum, præsentiũ intoleran, futuri avidum. Missa est enim mihi copia literarum universalium Comitia generalia indicentium, nihil tamen in intructionibus de ea abdicatione apparet, unde & ego cum alijs pro paradoxo id habere debeo, an non exploretur, quanti demum constet populi in Principem studium. Sic dum futuro spectaculo scenam curiosi adornant, publicis interea sermonibus & livori ansam dant, arripientibus plerisque pro discursus materia rem antehac in Polonia inauditam, ac nescio an practicabilem, quomodo Princeps throno abscedere possit. Fortunæ ne hæc vicissitudo, sive suggestorum consiliorum vanitas, nescio quæ ad Syrtes Electionis Rempub. nuper allisam rursus in Charybdim abdicationis impellunt, & triste divortium inter firmiter compacta indueunt, eoque collimant, ut quando duos Reges in solio Polonia renuebat, neque unum haberet.

Rationes ob quas abdicare velit

Rationes propter quas abdicare Rex velit insinuatas mihi ab optimo calamo, quem facilè divinabis expressas habeo. Quod humanæ mortalitatis memor ante extrema de rebus suis exacte disponere velit, non aliter perficere ea arbitrans, nisi reddito civibus Regno, à quibus acceperat securiorem tam sibi comparando ad æternitatem animo, quàm illis amoliendis, quæ imminerent interregnorum periculis viam præstruendo. Ea porrò consilia pridem jam concepta, & maturiore deliberatione diu pensitata, forte publico Ordinum consensui deferentur.

Quidquid sequentibus habebo genuinè tibi scribere non intermittam ut videas meum animum, quem jam nôsti, tibi insitum esse, cùm quæ mihi præstitisti, memini, semperque tenebo &c.

COPIA LITERARUM ANDREÆ OLSZOWSKI PROCANCELLARII REGNI AD WEZIRUM TURCARUM Varsaviæ die 21 Decembris

Quæritur de irruptione Tartarorum

Post titulos. Mandatum mihi est à Sacra Regia Majestate Poloniæ Domino meo Clementissimo tanquam ejus Majestatis, & Regni Poloniæ Statûs Ministro, ut literis meis compellarem Excellentiam vestram informandi causa, sincerè & candidè de præsenti rerum Polonicarum statu. Miserat anno præterito Serenissimus & Potentissimus Rex Poloniæ ad Serenissimum & Potentissimum Turcarum Imperatorem Magnum Legatum Suum Hieronymum Radziejowski, ut non solùm Portæ Ottomanicæ, sed orbi palàm

lâm faceret, conſervari à Nobis antiquam cum Sereniſſima Porta amicitiam & bonam vicinitatem. Cujus confirmationem & incrementum eâdem ſolenni legatione requirebamus. Sed ecce antequam rediret Legatio Noſtra poſt mortem Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Radzicjovij per generoſum Caſimirum Wyſocki continuata, inſperatum accidit, quòd Coſaci ſubditi noſtri in protectionem Portæ Ottomanicæ recepti, ac Domino ſuo proprio Regi Poloniæ rebellare juſſi ſunt, ſimulque Tartari Crimenſes Duce Soltan Galga in Poloniæ aliquas provincias hoſtilem irruptionem facientes, fracto juramento, & violatis pactis ditiones Polonicas ferro & igne vaſtârunt, multa millia captivorum in ſervitutem abduxerunt, quos mandato Portæ Ottomanicæ uti ejuſdem ſubditos hæc talia hoſtiliter patrâſſe, ipſimet Tartari captivi, & Coſaci ſponte fatentur atque id etiam Dedez Aga Legatus apud Nos agens non negavit. Equidem jam pacem iterum cum Tartaris compoſuimus, injuriam tamen & dolorem noſtrum Seren. Portæ Ottomanicæ repræſentamus, quæ ex recentiſſimis, antiquiſſimiſq; pactis Tartaros ſubditos ſuos in officio continere, atque ab incurſionibus in Poloniam faciendis, & à violanda bona vicinitate prohibere obligatur. Ut verò certiores eſſe poſſimus pacis & ſecuritatis noſtræ, authoritatem ſupremam Portæ Ottomanicæ pro ea firmiter manutenenda advocamus. Parati verò erimus, ſtipendiariam ſummam ex antiquo tempore conſvetam Tartaris annuatim numerare, quando limites Regni Poloniæ non infeſtabunt, & nihil hoſtile attentabunt. Quod verò attinet Moſchos, cum his, repentinâ hoſtilitate & incurſione Tartarorũ, ac rebellione Coſacorum adacti inducias temporales fecimus. Si enim modernus Hanus Crimenſis Adel Gierey fidem Nobis & amicitiam juratam ſervâſſet, ſi auxilia contra Moſchos protunc adhuc hoſtes, & contra rebelles Coſacos tuliſſet, ſi exercitus noſtri partem amicitiæ ſecurâ Nuradin Soltan non diſſipâſſet, non tam facile ad concludendos tractatus pacis cum Moſcho deſcendiſſemus, ratio dictabat, cum ab una parte hoſtes nobis Tartari repente exorirentur, ut ab altera videlicet à Moſchis ſecuros nos redderemus. Cæterùm poſſum publico nomine affirmare nihil exinde præjudicij oriturum bonæ vicinitati, & amicitiæ cum porta Ottomanica, quam offendere minimè cogitamus, modò ipſi non offendamur, & circa pactorum antiquiſſimorum integritatem conſervemur, atq; à Tartarorum incurſionibus liberi ſimus. Si enim, quod minimè ſperamus, hoſtilia contra nos apertè agitentur, lex naturalis, ſicut amicitiæ, ita & nobis defenſionem permittit, necq; adeo vires Polonas infirmas eſſe, Svecus, Moſchus, Brandeburgicus, Rakocius, Coſacus, ſimul junctî, & jurati contra nos hoſtes experti ſunt. Quos omnes Polonia poſt varios caſus, & eventus fortiter vicit, & finibus ſuis expulit, & illatis magnis cladibus ad pacẽ adegit, ne minimâ quidẽ portione Regni amiſſâ. Quocirca nomine Ser. & potentiſſimi Regis mei, ejuſque mandato excellentiam V. uti Ser. & Pot. Imperatoriis Turcarum Statûs Miniſtrũ per præſentes certiorem reddo, nos pacem prout cum omnibus vicinis,

1662. Cur pax cũ Moſchis inita.

A.C.1667 ri, cuncta faciant, quò in futuris sæculis bene inter homines audient, sed infortunio nostro major numerus priorum, quàm ultimorum, nulla est opera, quæ efficiat rectos incedere caneros.

SOBIESCII nostri fama ita excreſcit, ut in ſumma etiam rerum difficultate eo Duce nihil adverſi contingere ſibi milites jam timeant. Reliqua novorum quæ recepi, in compendio accipe.

Rex agit gratias pro pace

Jam Rex Varſaviam redijt, allabentibus per viam nuntijs lætus, ob exactos Regno Scythas, diremptamque pactis hoſtilitatem, demum acceptа de tranſactis notitiâ ſolennes DEO exolvit gratias in Baſilica Varſavienſi, ipſeque licet æger ante aram proſtratus victoriarum largitori DEO humiliter ſupplicavit.

Rumor de abdicatione

Poſt ea videbatur feſſum tot curis animum compoſiturus, ſi vel ipſi à contracto habitu reſilire liceret, nam aſſuefacta novitatibus ac perturbida Patria ad abdicandum Regem jam ſuâ ſponte inclinatum, ſi non impellit, certè parum retentat, & ubi explicari vera non poſſunt, falſa per metum augurantur, ita quod narret vulgus paſſim ambiguum, præſentiũ intoleran, futuri avidum. Miſſa eſt enim mihi copia literarum univerſalium Comitia generalia indicentium, nihil tamen in inſtructionibus de ea abdicatione apparet, unde & ego cum alijs pro paradoxo id habere debeo, an non exploretur, quanti demum conſtet populi in Principem ſtudium. Sic dum futuro ſpectaculo ſcenam curioſi adornant, publicis interea ſermonibus & livori anſam dant, arripientibus pleriſque pro diſcurſus materia rem antehac in Polonia inauditam, ac neſcio an practicabilem, quomodo Princeps throno abſcedere poſſit. Fortunæ ne hæc viciſſitudo, five ſuggeſtorum conſiliorum vanitas, neſcio quæ ad Syrtes Electionis Rempub. nuper alliſam rurſus in Charybdim abdicationis impellunt, & triſte divortium inter firmiter compacta inducunt, eoque collimant, ut quando duos Reges in ſolio Polonia renuebat, neque unum haberet.

Rationes ob quas abdicare velit

Rationes propter quas abdicare Rex velit inſinuatas mihi ab optimo calamo, quem facilè divinabis expreſſas habeo. Quod humanæ mortalitatis memor ante extrema de rebus ſuis exacte diſponere velit, non aliter perficere ea arbitrans, niſi reddito civibus Regno, à quibus acceperat ſecuriorem tam ſibi comparando ad æternitatem animo, quàm illis amoliendis, quæ imminerent interregnorum periculis viam præſtruendo. Ea porrò conſilia pridem jam concepta, & maturiore deliberatione diu penſitata, forte publico Ordinum conſenſui deferentur.

Quidquid ſequentibus habebo genuinè tibi ſcribere non intermittam ut videas meum animum, quem jam nôſti, tibi inſitum eſſe, cùm quæ mihi præſtitiſti, memini, ſemperque tenebo &c.

COPIA LITERARUM ANDREÆ OLSZOWSKI PROCANCELLARII REGNI AD WEZIRUM TURCARUM Varſaviæ die 21 Decembris

Queritur de irruptione Tartarorum

POſt titulos. Mandatum mihi eſt à Sacra Regia Majeſtate Poloniæ Domino meo Clementiſſimo tanquam ejus Majeſtatis, & Regni Poloniæ Statûs Miniſtro, ut literis meis compellarem Excellentiam veſtram informandi cauſa, ſincerè & candidè de præſenti rerum Polonicarum ſtatu. Miſerat anno præterito Sereniſſimus & Potentiſſimus Rex Poloniæ ad Sereniſſimum & Potentiſſimum Turcarum Imperatorem Magnum Legatum Suum Hieronymum Radziejowski, ut non ſolùm Portæ Ottomanicæ, ſed orbi palàm

làm faceret, conſervari à Nobis antiquam cum Sereniſſima Porta amicitiam & bonam vicinitatem. Cujus confirmationem & incrementum eâdem ſolenni legatione requirebamus. Sed ecce antequam rediret Legatio Noſtra poſt mortem Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Radzicjovij per generoſum Caſimirum Wyſocki continuata, inſperatum accidit, quòd Coſaci ſubditi noſtri in protectionem Porta Ottomanica recepti, ac Domino ſuo proprio Regi Poloniæ rebellare juſſi ſunt, ſimulque Tartari Crimenſes Duce Soltan Galga in Poloniæ aliquas provincias hoſtilem irruptionem facientes, fracto juramento, & violatis pactis ditiones Polonicas ferro & igne vaſtârunt, multa millia captivorum in ſervitutem abduxerunt, quos mandato Porta Ottomanica uti ejuſdem ſubditos hæc talia hoſtiliter patrâſſe, ipſimet Tartari captivi, & Coſaci ſponte fatentur atque id etiam Dedez Aga Legatus apud Nos agens non negavit. Equidem jam pacem iterum cum Tartaris compoſuimus, injuriam tamen & dolorem noſtrum Seren. Portæ Ottomanicæ repræſentamus, quæ ex recentiſſimis, antiquiſſimiſq; pactis Tartaros ſubditos ſuos in officio continere, atque ab incurſionibus in Poloniam faciendis, & à violanda bona vicinitate prohibere obligatur. Ut verò certiores eſſe poſſimus pacis & ſecuritatis noſtræ, authoritatem ſupremam Portæ Ottomanicæ pro ea firmiter manutenenda advocamus. Parati verò erimus, ſtipendiariam ſummam ex antiquo tempore conſuetam Tartaris annuatim numerare, quando limites Regni Poloniæ non infeſtabunt, & nihil hoſtile attentabunt. Quod verò attinet Moſchos, cum his, repentinâ hoſtilitate & incurſione Tartarorũ, ac rebellione Coſacorum adacti inducias temporales fecimus. Si enim modernus Hanus Crimenſis Adel Gierey fidem Nobis & amicitiam juratam ſervâſſet, ſi auxilia contra Moſchos protunc adhuc hoſtes, & contra rebelles Coſacos tuliſſet, ſi exercitûs noſtri partem amicitiæ ſecurâ Nuradin Soltan non diſſipâſſet, non tam facile ad concludendos tractatus pacis cum Moſcho deſcendiſſemus, ratio dictabat, cùm ab una parte hoſtes nobis Tartari repente exorirentur, ut ab altera videlicet à Moſchis ſecuros nos redderemus. Cæterùm poſſum publico nomine affirmare nihil exinde præjudicij oriturum bonæ vicinitati, & amicitiæ cum porta Ottomanica, quam offendere minimè cogitamus, modò ipſi non offendamur, & circa pactorum antiquiſſimorum integritatem conſervemur, atq; à Tartarorum incurſionibus liberi ſimus. Si enim, quod minimè ſperamus, hoſtilia contra nos apertè agitentur, lex naturalis, ſicut amicuiq;, ita & nobis defenſionem permittit, neq; adeo vires Polonas infirmas eſſe, Sveeus, Moſchus, Brandeburgicus, Rakocius, Coſacus, ſimul juncti, & jurati contra nos hoſtes experti ſunt. Quos omnes Polonia poſt varios caſus, & eventus fortiter vicit, & finibus ſuis expulit, & illatis magnis cladibus ad pacẽ adegit, ne minimâ quidẽ portione Regni amiſſâ. Quocirca nomine Ser. & potentiſſimi Regis mei, ejuſque mandato excellentiam V. uti Ser. & Pot. Imperatoris Turcarum Statûs Miniſtrũ per præſentes certiorem reddo, nos pacem prout cum omnibus vicinis,

A.C. 1667

Cur pax cũ Moſchis inita.

A.C. 1668 *ita & cum Serenissima Porta religiosè observaturos. Tartaris, si amici & quieti erunt, consvetam summam annuatim numeraturos. Moschorum per inducias stabilitâ amicitiâ minimè in præjudicium & detrimentum aliquod Portæ Ottomanicæ usuros, ac offensionem ullam daturos, prout vicissim sinceram, & constantem amicitiam, ac bonam vicinitatem, & pactorum observantiam ex parte Serenissimæ Portæ Ottomanicæ nobis pollicemur. De reliquo excellentiæ vestræ bonam valetudinem &c.*

COPIA LITERARUM REGIARUM AD METROPOLITANUM GAZENSEM LEGATUM IN MOSCHOVIAM Varsaviâ die 2. Januarij.

Unio Latinos inter & Græcos procuranda commendatur

EAm Christiani Principes unà cum sceptro, & corona longè gravissimam cogitationem suscipimus, ut inter civiles Regnorum curas veri Principatus firmamento Sacrorum, & Religionis concordiæ studeamus, quod fiet, cum amplissimos linguis, & ritibus divisos populos in unius Reipub. grande corpus nostro in Regno divinus favor collegerit, huic semper omnem operam impendimus, ut qui uno legum complexu tenentur, ijsdem aris, templisque conjuncti, eodem sanctæ fidei spiritu animentur. Cujus piæ voluntatis nostræ, quod devotionem vestram instrumentum singulare in vicino amicoq; nobis magno Moschoviæ Ducatu ad præsens habere contigerit, peculiari in DEI Ecclesiam clementiæ acceptum referimus. Quanquam verò Devotio vestra suâ in Ecclesiæ concordiam propensione, tum singulari ex longo Romanæ Ecclesiæ usu, notitiaque collecto studio nullâ cohortatione egeat, tamen ut Regium quoque tot expetito Orientis Occidentisq; votis negotio suffragium adjiceremus, Devotionem vestram etiam atq; etiam enixè requirimus, ut suam diligentiam omnem in componenda Latinæ Græcaq; Ecclesiæ pace, & unitate conferat persuadeatq; nihil ad firmandam Christianorum Principum securitatem, ad Græci nominis gloriam, ad populorum salutem retinendam augendamq; istâ quam exoptamus utriusque Ecclesiæ concordiâ præstabilius fore. Faciet Devotio vestra publicæ de sua virtute existimationi fidem, præsentique Legationi perpetuitatem addet dum Ecclesiasticas res discordiâ hactenus dilapsas concordiâ pacificus Auctor instaurabit. Pleni porrò fiduciâ sumus Serenissimum magnum Moschoviæ Ducem, parè ex parte sua zelum, & studium, Christiano Principe dignum tam exoptato negotio accommodaturum. Prout ea de re tam ad ipsam Serenitatem, quàm ad Reverendissimos in Christo Patres Alexandrinum & Antiochenum Patriarchas in Moschouia hospitantes prolixius scribimus. De reliquo Devotioni Vestræ Regiam nostram gratiam pollicemur, & bonam valetudinem à DEO precamur.

COPIA

COPIA LITERARUM SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS AD PATRIARCHAM ALEXANDRINUM, ET ANTIOCHENUM

A.C.1668

2 Januarij.

RETulerunt nobis Legati noſtri ab aula Sereniſſimi Magni Moſchoviæ Cari fratris, vicini, & fœderati noſtri revertentes Devotiones veſtras in Metropoli Moſchoviæ inpræſentiarum hoſpitari, ſimulque edocti ſumus pacem nos inter & Magnum Moſchoviæ Carum ſancitam cum latitia, & ſumma gratulatione à Devotionibus veſtris acceptam eſſe. Idem memorati Legati noſtri adjecerunt propoſitum eſſe à Devotionibus veſtris, ut poſt compoſitam civilem pacem, de componenda pace Eccleſiaſtica tantò ſanctiorem, & digniorem curam ſuſciperemus, quantò æterna beatitudo terrenâ iſtâ, & caducâ felicitate præſtantior eſt, ac ſemper maximorum Regum, & Principum contentio fuit, ut divinam gloriam, extirpationem Paganorum, ſanctæ fidei Catholicæ à Salvatore noſtro Domino IESU CHRISTO inſtitutæ, & pretioſo ſangvine confirmatæ incrementum, & decus quàm maximè promoverent; exinde latum nobis fuit audire, tam piam & Sacris Præſulibus dignam propoſitionem, qua permoti conſilium, & deſiderium noſtrum hiſce quamprimum Devotionibus veſtris explicandum duximus. Quid enim magis à nobis optari poſſit, quàm ut poſt varios bellorum caſus, & diſcrimina extremos ætatis noſtræ dies, & glorioſè geſta hoc ſublimi, & Sacroſancto actu pacis, & unitatis inter Latinam & Græcam Eccleſiam reductæ, coronemus. Ab eodem unico fonte, & authore Domino IESU CHRISTO Fides noſtra fluxit, una Fides, una Eccleſia ſub uno capite Chriſti Vicario multis ſæculis duravit, nulla Tyrannorum ſævitia, aut Hæreticorum machinis exorientis adhuc Eccleſiæ firmitas everti potuit, imò per ardua, & adverſa, per cædes, & ſangvinem magis efflоruit: Sancti illi Patres Græci, quorum doctrinâ fulget Eccleſia, unitatem, & concordiam ſervaverunt, aliæ potiùs cauſæ, quàm pietas & Divinæ gloriæ zelus diſſidium fecerunt, & veſtem hanc Chriſti inconſutilem lacerarunt. Neque verò tam magna uarietas eſt controverſiarum Eccleſiaſticarum inter Occidentalem, & Orientalem Clerum, ut ſi recta intentio, & uoluntas adſit, ac Doctorum & Piorum Virorum conatus paulò diligentiùs allaboret, conciliari, & ad unitatem reuocari nequeat, fundamenta eadem fidei nobis ſunt, Sacram ſcripturam, & traditiones Apoſtolicas, tanquam regulam, & Magiſtram habemus, eorundem antiquorum Patrum libris innitimur, ritus tam Latini Græcorum, quàm Græci Latinorum admittimus, Sacramenta, à CHRISTO Domino inſtituta, pariter obſeruamus, inclytam Virginem MARIAM Deiparam, Sanctoſque DEI, ac Imagines, & Reliquias eorum ueneramur; aliquæ difficultates ſi rectè explicentur non magno negotio ſubmoueri & ſopiri DEO auxiliante poſſunt. Huic uerò tam præclaro, &

A.C.1668 cœlo terriſque exoptato negotio adeo incumbere parati ſumus, ut non Regiam tantùm dignitatem, & authoritatem noſtram, omnesque quæ in nobis ſunt uires, ſed vitam etiam ipſam libenter advocemus. Nec dubitamus Sereniſſimum Magnum Moſchoviæ Carum pari ſtudio, & pietate in promovendo tam ſancto opere nobiſcum certaturum, ea de cauſa ſcribentes ad ſuam Serenitatem optamus, & conſulimus, ut tempus certum præfigatur, ac locus deſignetur, in quo commodè per Delegatos Reverendiſſimi in Chriſto Patris Archiepiſcopi Gneſnenſis, aliorumque Dominorum Epiſcoporum Poloniæ unà cum Reverendiſſimis Devotionibus veſtris ac Domino Patriarcha, & Metropolitanis Vladiciſque Moſchoviæ, ſeu eorum Delegatis conferentia haberi, tantæ molis concordia, & unitas Eccleſiarum atque animarum ſalus tractari, & feliciter ſtabiliri valeat. Speramus etiam Sanctiſſimum Pontificem Romanum Clementem IX pro ſua pietate, & zelo huic tractationi paternè aſſenſurum ac per literas ſeu Delegatum ſuum adfuturum, prout ea de re ſcribemus ad ejus Sanctitatem. Porrò deliberantibus nobis de tempore, & loco, tempus videtur idoneum in menſe Junio; locus in Civitate Metropolitana Moſcua, ſi ita placuerit Sereniſſimo Magno Moſchoviæ Caro tum & Devotionibus veſtris, qua de re literarium reſponſum, ad nos quàm primum expectantes Devotis in Chriſto Paternitatibus veſtris bonam valetudinem & proſperitatem à DEO precamur.

COPIA LITERARUM AD EMINENTISSIMUM CARDINALEM PROTECTOREM A PROCANCELLARIO REGNI OLSZOVIO die 26 Januarij

Spes unionis Græcorum cum Latinis

TAmetſi multo ſæculorum retro decurſu, ac recentiore memoriâ ingentibus Sacræ Romanæ Eccleſiæ ſtudijs Græcos inter Latinosque conſenſio quæſita hactenus intra vota potiùs ſteterit, quàm integre aliquando coaleſcere potuerit, tamen ad omnes ſanciendæ iſtius concordiæ vias oculis, animiſque intentis excubare ut maximæ DEI cum gloria conjunctum eſt, ita populis Chriſtianis ſummè beatum, & ſalutare; neque verò ſingularis pro Eccleſia ſua divinæ bonitatis cura, & tutela deeſſe videtur, quæ ultrò tanti operis materiâ in vicino, & nuper fœderato nobis Magno Ducatu Moſchoviæ ſubminiſtratâ expetitæ pacis, & unitatis fundamenta aperit orditurque, certis relationibus Sereniſſimo Regi meo compertum eſt evocatos ſuis è Græcia ſedibus à Magno Moſchoviæ Duce Alexandrinum, & Antiochenum Patriarchas, cum nonnullos ritus Ruthenorum ſublatis erroribus correxiſſent, tum non mediocre in Sanctam unionem uoluntatis ſuæ argumentum dediſſe. Nam cum iteratò baptizari Latinos ſua forma mos & inſtitutum illis eſſet, ac primâ Quadrageſimâ Dominicâ in Romanum Pontificem, & Eccleſiam publico Anathemate privata odia uindicare, utrumq; rati impium ita aboleuere, ut nihil videatur reſtare

Patriarchæ Antiochenus & Alexandrinus

Ritus quoſdã abolent

reſtare, quàm prono calentiq; negotio manu ab urbe facēq; adminiſtrari, A.C.1668
ut ex annexis copijs literarū Regiarū quæ ex Cancellaria mea mittuntur, tū ex relatione in ſcripto porrectâ Religioſi ex Ordine S. Dominici informari poterit Eminentia V. quanto ſtudio Magnus Moſchoviæ Dux, & Patriarcha memorati ad unionem cum Eccleſia Catholico-Romana propendeant; quod ſuæ Sanctitati Domino noſtro per Eminentiā V. quāprimū referre mei muneris exiſtimaui, ne conceſſū rebꝰ fidei prouehendis tēpꝰ, morâ, & cunctatione corruptū efflueret. Neq; dubito ſuā ſanctitatem æmulâ Prædeceſſorū ſuorū pietate tā grandi negotio manus Paternas admoturā, tantò felicioris ſpe euentꝰ, quantò circūſtantiæ tēporis, & perſonarū magis ad præſens & ultrò conſpirare uidentur. Animus mihi eſt in Moſcuam abeundi & operā utiliter pro Eccleſia DEI nouandi, ſi Regia Mtas id permiſerit & Ss. D. Noſtro ita cōplacuerit. Hæc paucis innuens de reliquo obſequiorum meorum veterem deuotionem Eminentiæ Veſtræ ex animo commendo.

X.

FRANCISCO DE MEGNIN A. C. Z. die 29. Martij.

De actis in Comitijs (ut putabatur) Abdicationis

NOn committam, ut quidqam à me, quod ego quidem præſtare poſſum, fruſtra petas, cùm amicitiam non loeorum ſpatijs, ſed amicorum moribus metiendam, non ignorem. Ago proinde morem deſideriis tuis, & id, quod in literis meis habeo, per compendium defero, per quod debitum promiſſionis meæ abſolvo. Præteritus annus, annus luctûs ac mæroris, ob crebra præcipuorum capitum funera dictus paſſim in Polonia eſt. Præſens, (quem tibi jam gratulatus ſum) perpetui conſilli, aut novaliorum vocari incipit. Cœpta 24ta Februarii non magis frequenti Ordinum concurſu, quā arrectâ omnium attentione ad paſſim vulgatam abdicationis Regiæ famam Comitia, ſed cùm in inſtructionibus, ut ſcripſiſſe me tibi recordor, ad Palatinatus mentio nulla extaret, cenſuêre plerique, tentari ea novitate popularium animos, à volente rogari Principe, qui ubi inconcuſſam benevolentiam ſubditorum perſpexiſſet, facilè propoſito deceſſurus, cùm præcipuè per forenſes tantùm rumores, & incerta projectorum ea abdicatio vulgaretur, tanquam libellus repudii, quaſi verò ad diripienda mutuæ obligationis vincula, ſufficeret nuda Regis voluntas, præſertim in devincto legibus principatu, & depoſitio Coronæ ſinè cauſa inſtitui poſſet. Ad eum tamen ſcopum tendunt conſilia, ut compoſito ſolidè publico ſtatu, tum demum ad privatas rationes ſe daret Majeſtas, proviſâque prius Regni ſecuritate, extraordinariis indictis comitiis, deſtinata Rex exequeretur. Unde rumores de abdicatione præcociter ſparſos quibuſdam imputabant, velut in anteceſſum pollice explorantibus venam, & promptius in effectum deducturis intenta, ſi præoccupatis animis abdicatio ex abrupto proponeretur.

Comitia abdicationis Regiæ

Eligendi Mareſchalci difficultatem ſuſtulit Caroli Ducis Czartoryski Cracovienſis Succamerarii virtus, & dignitas, nam ille electus eſt in minorem tunc Poloniam alternâ vice recidente.

Mareſchalcus in illis

Non credo neceſſarium eſſe, ut tibi deſcribam omnia, quæ in comitiis acta. Diſputabatur imprimis de diſtributiva juſtitia, cùm multi animum vincere, ambitionem verò non poſſint, nec unquam poterunt, ita comparatis mortalium animis, ut metus odium, & nimium cupientibus aliena felicitas excitet invidiam; ſemen largitionum, in lolium male-

A. C. 1668 malevolentiæ excrevit, & ipsa donandi promptitudo in gravamen secus factorum tracta est, explicatâ in deterius vitâ justorum, per pervulgatos in pejus Regis errores.

Contra Legatum Galliæ, ut relegaretur, multa dicta sunt, quem diuturnâ in aula obhæ one permiscere Regnum factionibus incusabant, quamvis futili argumento innixi. Enixè verò obstabant illationes plures, ob frivolas suspiciones, gentem inclytam, & optimè de Polonia meritam ejusmodi ingratijs lacessere iniqvum censentes, neque conducibile nobis, dum maximè succurtu egemus, ex amicis hostes facere, quòd si movetur loco Gallus, si afficerenius hunc injuriâ & contemptu, etiam aliorum Principum Ablegatos relegare necessum foret, non sine mittentium contumelia, nec injusto retaliandæ offensæ metu.

Legatus Galliæ an relegandus

Multi adulterinam monetam, tanquam publicæ paupertatis causam accusabant, jam quippe ad universorum sensum malum descendit, florentis nuper Regni, intestina exedens, ac velut in homine inereieens lien cacohimum ægro corpori habitum inducit sic enormia privatorum lucra, & inordinatus ex publico ditescendi apperitus, grandi sensu damni universam Rempublicam enormiter afficiunt. Rerum pretia in immensum extendi, ubi valor monetæ duplicatus. Regnum cupro, & scoriâ disparente auro refertũ, nummi nostrates apud exteros repudiati, nativæ merces, quibus olim gentis opulentia stetit, contemptui, exoticæ carò admodùm venales, & ad arbitrium institorum solvendæ, allaque in statu publico pathemata, non aliunde emergentia, nisi, dum materia nummi, tertiâ parte suo pretio minor euditur, apud circumsitas gentes abjecta, & proclamata, confusis inde mercaturæ, inter ementes, & vendentes, rationibus. Quæ in Administratores nummulariarum officinarum jacta ab illis quibus est os, nec carens officio dentium, specificè in Boratinium, & Tymfium, facili publicis odijs materiâ, contemnunt enim magis inter se, quàm contendunt urgentes, quòd recens ad opulentiam provecti Invidiosis se efferant opibus, publicæ paupertatis rei. Et, si isti legem publicam obtenderent, quâ jus cudendæ monetæ ipiis ex consensu Reipublicæ tributum mansit; ac plura decreta commissionem evincerent. Insuper præstitis in facie Reipublicæ juramentis quod non nisi ex contractûs præscripto in specificata quantitate nummos elaborassent, indemnitatem suam tuebantur. Hinc rursus exorta disquisitio, utrum commissio Leopolienſis tantùm sibi arrogare potuit, ut prægrandes solidorum summas authoritate suâ procudi concessibiles decerneret. Admodum molestâ conscijs Impetitione, quæ pleroique in participium peculatûs traheret, hinc mollius, & summis tantùm labris ad objecta respondebant, necessitate factum excusantes, aut transacta tempore obliterabant, missis, quæ possunt deplorari facilius, quàm emendari, & corrigi, singulos integrâ re dissentire fas est, peractum quod pluribus placuisset, cunctis tuendum.

Moneta adulterina

Commissio Leopolienſis concedis cusionem solidorum

Permolestæ controversiæ mitigandæ aut abrumpendæ non alia commodiùs interposuit pausam deliberatio, quàm, dum de belli rationibus relatum est. Expeditio ad Podhaycios tanti momenti credita, cui cederent aliæ civilium contentionum lites. Idem ille relator actûs, qui patrator operis erat, Ioannes SOBIESKI, Supremus Regni Marescalcus, ac Exercitum Dux Generalis, homo magnus, & occupatus in magnis, tantis adornatus virtutibus, quantas perfecta natura, & conditio mortalis recipit. Facilè ergo contentiosos ad auscultandum composuit Quirites, approbantibus cunctis silentio, læta & glorioſa dicturum. Is nullâ operosi procemij circumlocutione usus, aut svetâ Rhetorum periphrasi narrata distendens (etli veteri sæculo Imperatoribus liceret, rerum à se gestarum magnitudi-

Sobieſcius relationem facit victoria Scythica

nem


image
not
available

A. C. 1668 Et quoniam humanissimis tuis literis, quasi me è somno excitas, quidque mihi de præsentibus conjuncturis scribatur, plenâ fiduciâ requiris, scripto tuo obediens sum, eo libentius & alacrius, quòd hisce diebus satis plenam præsentium conjunctura rum à meliùs scientibus acceperim notitiam, & didici, quod meliùs ignorassem; antea verò pauca habebam, unde haud aliquem, quod ipse non habeat, dare alteri posse concludes. Accipe ergo nunc, quod adest argumentum observantiæ in Te meæ, & illud, quod jam speramus futurum expecta. Scies enim jam illud, quod secretum erat, esse rumorem, operta, quæ fuere, jam aperta sunt, et fama per urbes, & est vera. Obstirmatus animo ac immobilis Rex, eas se ad curas accingit, ut Regnum deferat, non quòd sit moli regnandi per ætatem impar, sed fortè continuo rerum motu in tædium regnandi adductus.

Rex abdicaturus regnum

Expeditæ erant mensibus præteritis in secreto literæ (mitto tibi aliquarum, quæ ad me venerunt, copias) ad Commonarchas Christianos, id propositum revelantes, rationes intentionum explicantes, ac proamicitiæ, aut necessitudinis jure in negotio hoc tam gravi consilium exquirentes. Mirabantur omnes, uti ex literis clarè id demonstrabant, quòd è tanto fastigio, ad eam submissionem se inflecteret à solo immediatè DEO dependens Rex. Refutabant alii celebritatem exemplorum, præcipuè Caroli V. Proavi Materni suæ Majestatis. Nam multum in circumstantiis discrepat, cùm Rex noster Imperii sarcinam hanc Regni sui finè velis ac remis in arbitrium ventorum inter-regni dimitteret. Contra Imperator Carolus plenâ Cæsarum domo fasces Romani Imperii in fratris Ferdinandi, Hispanicam Monarchiam in Philippi Filii humeros reclinaverit. Multa in hac materia discursuum projecta in vulgus emanant.

Informat Monarchas

Clemens Nonus, si quis unquam Pontificum pro grege Christiana solicitus, ac vigil, parum se egisse advertit, quòd per Nuntium suum ab eo abdicandi proposito Regem dehortaretur, notabili inter alia literarum Pontificiarum propriâ manu scriptarum, commate, his formalibus expressit. Quare, si quid habes Fili charissime, quod animæ tuæ rationes tangat, solicitè petimus, ut antequam quidquam decernas, confidenter nobis aperire non omittas, memor, quòd animæ tuæ rationem in re præsertim ad tot animarum, & populorum securitatem spectante districtè DEI Judicio reddere teneamur. Age igitur charissime fili, & Patrem in Christo tuum, salutaria monentem audi, respice tot millia hominum, quæ DEUS curæ, & fidei tuæ Majestatis credidit, ex tali facto gravissimè periclitatura, nisi privatos voluntatis tuæ sensus, & intenta publico rei Christianæ bono postponis, ac remittis, aut generoso animo prudentiâque singulari in tempus commodius differs &c. Paria & Augustissimus Romanorum Imperator Leopoldus, imò pro sangvinis vinculo fidentius, velut in problema differebat, Gratiusne DEO futurum sit, onus publicæ salutis procurare ipso vocante injunctum? an semel susceptam spartam præ tædio abjicere? certè generosius fuerit stare erectum contra consurgentes undique tempestates, præsertim cùm vires per DEI gratiam adhuc sunt vegetæ, quàm sibi soli ignavo otio vacare &c. Similia à Christianissimo Rege, alijsque Europæis Principibus perscribebantur, immobili adversus insurgentes fluctus scopulo, ob invictam propositi tenacitatem.

Clemens IX Pontifex dissuadet

Item Leopoldus Imp.

Ut verò consilia jam tandem defæcata in apricum prodirent, invitare Senatum Varsaviam placuit, nullâ explicitè positâ causâ, cur vocarentur. Die 31ma ita frequentes confluxerunt, ut 46 numerarentur Senatores, quibus

Senatus consilium

bus ſalutato in conclavi Rege ex ordine conſidentibus his ipſiſſimis verbis, Pro-Cancellarius Regni Avunculus meus propoſitionem fecit. *A.C.1668*

Neminem latet Sacram Regiam Majeſtatem deſtinâſſe pridem abdicationem Regni Polonici Dominiorumque annexorum, eaſque curas adhuc vivente LUDOVICA Regina agitatas, quas in præſens, ubi commodum, & opportunitas adeſt, omnino reſumendas S. M. cenſet ideo, quod conſilium ejuſmodi, bellorum diverſorum moles, exercituum nexus, internorum motuum turbæ, aliaque obſtacula tantisper diſtinuerant, hoc nunc tranquilliore Patriæ ſtatu in effectum deducere Sacra Regia Majeſtas intendit. Nempe diadema deponere, regimine ſe abdicare, Remque publicam liberis ſuffragiis veſtris ſibi collatam, & traditam vobiſmet ipſis in manus reddere, & reſignare. Ejus conſilii potiſſimas affert rationes; primò ſtatum conſcientiæ ſuæ tangentes, uti inter curas regnandi, & extremam vitæ lineam interſtitium temporis habere poſſit, comparando ad æternitatem animo, jam valetudini tam annis, quàm laboribus fractæ, & labaſcenti conſulturus, ob quam tantæ molis rerum ſufferendæ impar, caſum prævenire malit, quàm præveniri. Et jam boni publici, & quietis Patriæ causâ, præſertim In eo male contentorum livore, & obtrectatione: pijſſimas Sacræ Regiæ Majeſtatis pro bono Reipublicæ ſuſceptas intentiones ſequiùs interpretantium, paſſimque violentæ electionis ſuſpicionibus innocuum Principem onerantium, quibus ſe aliter expedire ſine moleſtia non poſſit, niſi abdicato ſceptro; etiam amoris in populum ſibi ſubjectum ſpecimen, & facultatis liberè eligendi Succeſſorem, ære perennius Polonis relinquere vult monumentum. Igitur Sacra Regia Majeſtas fixum ſibi, & deliberatum jura Regnandi in manus tradentium reſtituere declarat, & denuntiat, ſimul impræſens congregatum Senatum obteſtatur, ut vanis, & nihil profuturis expoſtulationibus de mutando propoſito abliſterent, huc definitivè conſilijs tendentes, ut quam honorificentiſſimè, cumque cõmodo & ſecuritate Patriæ, is è throno deſcenſus expediri queat &c. &c.

Pro-Cancellarij Regni proponit Regis intentionem

Cauſæ abdicationis

Ad ea Regis nomine denunciata triſte ſuper omnes ſilentium, imò ſtupor ingruit, nam impracticabilis actus novitas dolorem, & lachrymas omnibus movit. Imperato demum ſilentio, ſenſum, ut promeret Archi-Epiſcopus Gneſnenſis, ex Ordine requiſitus, primò ad rem velut inſperatam haud ſuppetere ſibi, quid proloqueretur, dixit, ex eo, quòd ad ſolam de tempore indicendorum comitiorum materiam vocatus eſſet, nunc ad tam graviſſima, & quævis Senatûs conſulta tranſcendentem materiam deliberativè ſe vetantibus legibus, nequaquam intrudere audeat. Petijt unius diei interſtitium à Rege, intra quod vel Majeſtas juſtiſſimis Senatûs poſtulatis locum, vel illi ad propoſitam theſim legale reſponſum adferre poſſint. Hinc die 12ma Junij in Palatio Archi-Epiſcopali congreſſi Senatores, diu, multumque diſceptavêre, pro formando ad propoſita reſponſo, cujus copiam, (nam ſequenti die nomine Senatûs reſpondit Archi-Epiſcopus) tibi adnecto

Senatores turbantur ad denuntiata

Primas Regni interſtitium petit pro reſponſo

Conſultant Senatores de reſponſo dando

Primate verò è curuli ſua conſurgente cũ lachrymis ad oſtentationẽ doloris in quibuſdam paratis, ſimul omnes ac ſinguli læderentur univerſi periclitarentur, quot quot è Senatu aderãt ad thronũ progreſſi, & ſingultibꝰ verba impediẽtibꝰ, in ſupplicẽ geſtũ conformaꝛi, novã adhibebãt deprecationis formulã, dũ lingvæ parcunt, lachrymis perorando, difficilius eſſe, qui ſcribit, mihi dicit dictu ea eſſe, quam factu. Ac propè erat, ut exempio Vchanſcii Archi-Epiſcopi, Sigiſmundum Auguſtum Regem ab Catharinæ Auſtriacæ divortio averſuri, etiam nunc ante Majeſtatem cernui Senatores provolverentur, niſi id ipſum Rex parari prævidens, mox Throno ſe proriperet, per extraordinarias preces vim ſibi fieri vetans, & indebitam Sacri Ordinis ad ſcabellum pedum genuflexionem, quaſi in contemptũ ſui,

Supplicant Regi pro mutando conſilio

Non impetrant

, ei potiùs aliquem in Lithvania insignem Palatinum. Palatini enim *A. C. 1668*
, licet potior locus, minor tamen ad nocendum vis, & potestas, quàm
, Mareschalci, minus periculi timendum à remoto Senatore, quàm in
, visceribus aulæ, & culmine sedente. Etiam præoptarem, ut Mareschal-
, catus, vel supremo Generali PACIO Castellano Vilnensi, vel si id ambi-
, verit, Palatino Vilnensi Radzivilio detur, in Castellanatum, aut Pala-
, tinatum Boguslaus succedat, nam id exempla tuentur, & excusant
, multos, & Radzivilios hæreticos Palatini dignitate fulsisse. Mareschal-
, cum seu alium quemvis Ministrum aulæ neminem ex hac vel alia do-
, mo hæreticum legi, aut fando audivi, quod præsenti casu, ne tam
, sublimi, & prævalido honore Calvinianus adornetur, quantum possum
, conscientiæ solius motu dissuadens P. V. rogo, id ex me soli Regiæ Ma-
, jestati innuere velit. Interim me sacrificijs, & favori Paternitatis Ve-
, stræ commendo datum Starogrod. ut supra.

, P. S. Minorum ecce Gentium Calvinista Chelmski, quàm impro- *Chelmski Calvinista acta.*
, bè & pertinaciter agit, exauctoratus à Regia Majestate ob facinus ma-
, ctatorum indignissimè novem innocentum militum, tum ob prædati-
, ones in bonis Ecclesiasticis, quid non molitur in Palatinatu Cracovi-
, ensi, ut se legionemq; suam in statum pristinum reponat, deterret
, me hoc exemplum, & audacia Calvinistica, ne nimis fidere velim pro-
, missæ modestiæ Ducis Boguslai, si in Mareschalcum evaderet.

VOTVM PRIMATIS AD REGEM NOMINE SENATUS. 13tiâ Julij.

ORe omnium fidelium Mtati Vestræ Senatorum (quos hæc super subsellia collatos clementissima Majestatis Vestræ auxit dextera beneficijs & ornamentis) piam & humilem defero supplicati-
, onem ad hesternam nobis præter spem præfixam propositionem, quæ
, silentio premenda potiùs, quàm dictione esset prosequenda: dum re-
, vocamus nobis à ducentis retro annis, clementem domûs Jagellonicæ
, dominatum, à septuaginta annis à Vestrâ Majestate (quam liberis ad
, hunc thronum vocibus proveximus) præstita huic Patriæ beneficia, in-
, defessa castris, tam heroica facinora; quomodo non supplicabimus o-
, mnes, non nos deseras Domine? ipsa persuadet justitia, reddere cuique,
, quod suum est, scilicet Ecclesijs ut reddere clementer debitam digne-
, ris protectionem, Patriæ juratam defensionem. Hæ nimirum leges
, sunt, Rex Serenissime, quæ licet videntur Monarchas non stringere;
, qui censentur esse supra leges, & supra æqualitatem, etiam hos tamen
, ipsa lex divina stringit, æquantur Reges in hoc etiam cum infimo; cùm
, Domino Dominantium æquè ab omnibus ratio sit reddenda. Exhau-
, sti fors laboribus animi, cum gravi nimium corona ad id motivum e-
, rant, amissa pærsertim socia laborum, Sereniſſima consorte (cujus id
, laudi nemo non tribuet, quòd fideliter prudentérve juverit) in om-
, nibus; at his turbidis Patriæ temporibus, nondum sopitis diffidentijs,
, ipsa suadere deberet conscientia, conformare se ad populorũ necessi-
, tatem, cum qua votum quodpiam Majestati Vestræ intercessit. Scru-
, pulum hunc conscientiæ, non tantùm nos Episcopi, (quibus Majestas
, Vestra, velut ovis, agnatâ Regibus humilitate submittere se consuevit)
, verùm etiam ipse summus Pontifex nequit resolvere, considerãdo, quàm
, conscientiosum sit tot milliones animarum exponere periculo, inter
, hostes Ecclesiæ DEI; quando hinc Schismaticus, inde Turca gentilis,
, aliunde hæreticus, uno Ecclesiam explodent ludibrio: Insuper quando

A.C. 1668 , Patria ſine reſpirio manebit in periculis; ingens ſcrupulus, imò caſus
, erit ipſi ſummo Pontifici, cui poteſtas eſt in conſcientias, reſervatus.
, Fatemur quòd onera hæc addunt momentum, ad aſſumendâ hanc ma-
, teriam, non reſpectu annorum; hos enim plures habuit S. M. Sereniſ-
, ſimus Genitor Majeſtatis Veſtræ, qui in provecta ætate, ad mortem
, uſque ſibi ſubjectas à DEO gentes moderabatur; verùm reſpectu ipſius
, Dominij. Ad onerum tamen iſtorum levamen an deſunt idonei Veſtræ
, Majeſtati Miniſtri ſtatûs? an non adſunt ex lege ſemper reſidentes?
, Non procul abeſt magnus Miniſter Regius, Epiſcopus Cracovienſis:
, ego ipſe indignus licet, eâ tamen, quâ Majeſtati Veſtræ adſtringor
, obligatione, ad quemvis nutum ſum paratus, niſi me lecto affixũ Re-
, gium mandatum inveniret. Non in manibus te clementiſſime Domi-
, ne, verùm in cordidus geſtabimus, ſupplicamus tantummodò qua-
, tenùs non alibi ſepulchralem quæras honorem, quàm cum divis tuis
, parentibus juxta illud: erro per orbem. Communis jam vulgata fue-
, rat fama per orbem, quaſi libertas noſtra excuſſerit jugum, eò quòd
, clementiſſimum Dominum & beneficum neſciêrimus Patrem hono-
, rare, licet enim quis inventus fuiſſet, qui id verbò expreſſiſſet, no-
, vit tamẽ Majeſtas Veſtra id excelsâ ſupergredi prudentiâ, etſi noluiſ-
, ſet temperare ſangvinem, ſemper potuiſſet ſuperare. Verùm nihil
, tam grande reperitur, quod alienare à nobis poſſet animum Maje-
, ſtatis Veſtræ. Non nos ergo deſeras clementiſſime Pater.

AD SANCTISSIMUM PONTIFICEM CLEMENTEM IX.

POſt oſcula pedum Sanctitatis veſtræ, mei, Regnorũq; meorum ac Dominiorum humillimam commendationem, Religionis ſanctæ & meæ erga Sanctam Sedem devotionis, ut Sanctitati V. quem vicarium ejus per quem Reges regnant agnoſco, & veneror, filiali obſequio & confidentiâ, deferam, quoties clarè aliquod mutationis concernens intervenit momentum, plures jam ſunt anni, ex quo curis, & ætate feſſus boni publici Regni mei providus, & ſalutis animæ meæ, quam inter regnandi artes operarie ſt difficile, ſatagens propoſueram Statibus Regni, quo Electione libera adſcito reganturo poſt fata mea Principe orbitati meæ commodiſque publicis conſulerent; diſjecto vi & ordine fatorum hocce conſilio, & auctis annis meis maliſq; publicis, non aliud meis & ſubditorum rationibus convenire reperi, quàm abdicato in manus Reip. imperio, eam in liberrimo electionis Exercitio & in optione vitæ conſtituere, quam reſiduo dierum meorum, & parandæ æternæ quieti commodam judicavero, id me in futuris comitijs certè excuſaturum Senatoribus huc convocatis die heſternâ declaravi; præcipua verò mihi cura eſt. Sanctitati V. cõſilium meum hoc approbari, qua de cauſa Illuſtriſſimum & Reverendiſſimũ Dominum Galeaceum Mareſcottum Archiepiſcopum Corinthiæ Nuntium Sanctitatis Veſtræ omnia fidè relaturum, atque jam in anteceſſum diadema meum benedictione Sanctæ Sedis aſſumptum ad pedes Sanctitatis Veſtræ depono, non aliud inde resumpturus, quam eandem Sanctitatis Veſtræ benedictionem, ſub cujus nutu, & auſpicijs reliqvum vitæ tranſigere deſidero. Sit hoc voluntarium ambitionis mundanæ, animæ, & Regno meis oblatum ſacrificium

cium gratum in oculis Sanctitatis veſtræ, & ad gloriam ſæculi & Pontificatus Sanctitatis veſtræ, augeat exempla illorum, qui per jacturam terrenorum, non pœnitendo commercio portum ſalutis quæſivêre. Nec credat Sanctitas veſtra perdere ſe filium, qui ſub firmo erga Sanctitatem veſtram obſequio lucrari animam ſuam, non reſpiciens retrò contendit, aut perdere Coronatum è filijs, ſuccreſcit enim benedicente per manum Sanctitatis veſtræ DEO dignus qui impleat thronum meum, & ego ſponſor eſſe auſim, non alium ſubditos mihi populos aſſumpturos Principem, niſi qui Religione Catholicâ & obedientiâ erga Romanam Eccleſiam ad ſolium hoc gradiatur. Conferet procul dubio Sanctitas veſtra in eam rem operam, ſtudiaque ſua & Statibus Regni hujus ſub interregno concordiam internam, & veræ Religionis amorem paternâ ſuâ admonitione inſtillabit. Hoc eſt quod & ego Regno huic, & ad præſens à Sanctitate veſtra flagito, & in exceſſu è throno commendatum curabo, exiſtimans bene me ſubditos meos relicturũ; ubi illis nihil de protectione Sanctæ Sedis, & obſequio in matrem Eccleſiam deceſſerit. Interim Sanctitati Veſtræ longævam à DEO valetudinem & feliciſſimum Sanctæ Sedis Apoſtolicæ regimen filiali devotione exopto, ac ejuſdem paternæ Sanctitatis Veſtræ protectioni me Regnaq; mea humillimè ſubjicio. Dabantur Varſaviæ die 13 Menſis Junij anno 1668 ejuſdem Sanctitatis Veſtræ obedientiſſimus Filius. A.C. 1668

Ioannes Caſimirus

COPIA LITERARUM A SUMMO PONTIFICE CLEMENTE NONO AD SERENISIMUM IOANNEM CASIMIRUM REGEM POLONIÆ

CLEMENS PAPA NONUS

CHariſſime in CHRISTO Fili Noſter ſalutem, & Apoſtolicã benedictionem. Majeſtatis tuæ literas die 30ma Maji datas reddidit nobis dilectus filius noſter Cardinalis Vrſinus, earúmque tenorem, & obſirmatam de Regno dimittendo ſententiam tuam voce quoque proſecutus eſt, quam rem omnem utique nos non ſine paterna charitatis impenſa, ſollicitaque cura, & attentione audivimus. Nunc autem ſumma rei gravitas exigit, ut pro impetranda luce, quâ in tam arduo negotio bene dirigamur, ipſe Pater luminum enixis precibus adeundus nobis omnino ſit. Quod idem adhuc etiam à Majeſtate tua fieri planè cupimus, & ab ea ſummopere petimus, ut in hujuſmodi tanti ponderis deliberatione, quà communi iſtius Regni bono, quà Chriſtianitatis univerſæ rationibus rectè conſulatur, Nos equidem à prima uſque Pontificatûs noſtri die mentis oculos in res tuas, tuique Regni converſos, & fixos habuimus, atque primis ipſis literis manu propriâ ſcriptis rogavimus Majeſtatem tuam, ut ad ſecundas nuptias tranſeundo Regiæ domûs ſuæ ſucceſſioni proſpicere vellet, quo Religionis Catholicæ, & publicæ quietis, res iſthic illæſæ atque immotæ permanerent. In his cogitationi-

A.C.1668 bus, solius cõmunis boni zelo ducti, nec ulli prorsus affectu, aut propensioni quorũcũq; respectuũ humanorũ indulgẽtes, usq; perstitimꝰ, hujusmodi jensus Mti tuæ, per Nuntiũ nostrum identidem insinuantes. Quare non sinè magna profectò solicitudine audire potuimꝰ, Majestatẽ tuã in abdicandi Regni proposito mentẽ omnino fixisse, cùm inde periculũ impendeat, nedũ pacis & quietis subditorũ tuorũ convellendæ, verùm etiã rei Christianæ totiꝰ, & Religionis Catholicæ rationũ nõ mediocriter perturbãdarũ. Hinc nos muneris nostri debito nimium deesse videremur, nisi quod ex toto corde facimꝰ, iterum à te vehemẽter postularemꝰ, atq; flagitaremꝰ, ut de retinẽda corona cõsilium nostrum accipere õnino velis, aut saltẽ hãc rẽ universã animo cõplexꝰ, eã ita regere, ut Successoris Electi o sequi possit absq; ullo dãno, aut etiã si possibile sit, cum emolumento & lucro sanctæ religionis, ac totius istiꝰ Regni, quod se tamdiu, tantoq; cum suo bono sub regimine amplissimæ domûs tuæ fuisse gloriatur; Nos profectò huic eidem rei, atq; fini cunctis animi viribꝰ ex parte nostra efficaciter incumbemꝰ, tũ erga personã præclarissimã tuã, in quocunq; statu Te constitueris, eandẽ Paternæ charitatis eximiã voluntatẽ certè retinebimꝰ. Quod autẽ attinet ad venerabilem fratrem Episc. Bitenensem, nos eum præcipuo sensu existimationis, & benevolentiæ prosequimur, neq; nobis utriusque rei causa quoq; particulares desunt, cumq; summopere nobis cordi fuerit Mti Tuæ, in re præsertim tãto studio peroptata satisfacere posse, impedimenta, quæ hucusq; paternæ propensionis hujus effectui obstiterunt, permolestè tulimus. Cæterum imprimis graves, & adhuc matura cõsideratione planè dignæ sunt eæ rationes, quas õnino in hac re perpendere debemꝰ, uti Mtas Tua, ut credimꝰ, jã audivit, ac rursus audire poterit ex Venerabili Fratre Archi-Epi. Corinthi Nuntio nostro, cui fidem omnem habere volet, illud profectò sibi persuadens, õnibus in rebꝰ, quibus nobis permissum fuerit, gratificari Tibi posse. His animi paterni sensibus Mti Tuæ benedictionem Apostolicam amantissimè impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 7. Julii, Pontificatûs nostri anno secundo.

COPIA LITERARUM A SUMMO PONTIFICE CLEMENTE NONO AD SERENISSIMUM JOANNEM CASIMIRUM REGEM POLONIÆ

CHarissime in Christo fili noster salutem, & Apostolicam benedictionem. Etsi Mtas sua ex aliis literis, quas nuper ad eam scripsimꝰ, intelligere potuit, quàm ingenti molestiarum, & solicitudinum cumulo mentem nostram impleverit cõsilium ab ea de Regno dimittendo susceptum, tamen, cùm assiduè nostris cogitationibꝰ usq; plura & majora succurrant, quà detrimenta quà pericula, tum Regno isti, tum etiam Reipublicæ Christianæ toti, ex hujusmodi re procul dubio hisce temporum articulis exstitura, denuo te rogare & in Christi visceribus obsecrare constituimus, ut omnem cogitationem hanc

hanc deponere velis, aut saltem suspendere, donec nobis, de causis, A.C.1668
quæ te movent, certioribus planè redditis de re tanta, & ad conscientiam quoquè tuam vel maximè pertinente communicatis nobiscum consilijs maturiùs deliberare possis. Quare, si quid in hoc habes, quod animæ tuæ rationes tangat, etiam atque etiam à te petimus, ut antèquam aliud quidquam decernas, id amori paterno nostro fidenter aperire non omittas, memor, quòd animæ tuæ rationem DEO reddere, in re præsertim ad tot aliarum animarum & populorum securitatẽ, & salutem omnino spectante districtè tenemur. Age igitur charissime fili noster, patrem tuum salutaria mandantem audi, respice tot hominum millia quæ DEUS curæ custodiæq; tuæ commisit, ex tali facto tuo graviter periclitatura, & privatos voluntatis tuæ quosq; cunque sensus, quamvis alioquin generosos publico bono, nedum Regni tibi, domuiq; tuæ amplissimæ tam devoti atque devincti, sed universæ rei Christianæ multò generosius remitte, atque condona, aut certè tantisper in tempus opportunius providè differ, uti cuncta planius ex Venerabili Fratre Archiepiscopo Corinthi Nuntio nostro coràm audies. Quam profectò sententiam, ut animo æquè pio, ac præcelso tuo pro summa misericordia tua Dominus insinuare dignetur, cum enixè precamur, Majestati tuæ Apostolicam benedictionem amantissimè impertientes. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, Die 20 Julij Pontificatûs nostri anno secundo.

XII.

FRANCISCO DE MEGNIN ANDREAS CHRYSOSTOMUS ZALUSKI GRÆCIO 12 Julij.

Nuntiat Comitia Abdicationis indicta.

NOvam rem, & fortè non speratam tibi nuntio, quòd scilicet intra aliquot dies ex præscripto mandati Pro-Cancellarij Regni avunculi mei Viennæ me videbis. Brevi ergo veniam, cum DEI auxilio, & illos tecum conferam sermones, qui & auditione tuâ, & confidentiâ meâ non indigni judicabuntur. Non possum verò rationem aliam insperati itineris allegare, nisi, quam avunculus meus ponit in calamo meo.

Abdicationis negotiũ pertinet ad totam Rempublicam.

Cùm jam ultra precibus locus relictus non esset, ut Rex noster de abdicando Regno mutaret sententiã, disputatum diu, de modo id faciendi. Reperti sunt, qui ut pacta sponsalia sine justa & legitima causa nequaquam dirimi posse dicerent, ita eò magis inter Regem, & subditos vincula, ex quib⁹ indivisus ex pacto mutuæ adhæsionis nexus in extremo obligat. Convenêre ad extremũ in eo omnes, illatã de abdicando Regno materiã non nisi ex totius Reipubl. consensu trutinandam. Nam si insccndentis thronũ Electi Regis denuntiatio non nisi in comitijs Generalib⁹ promulgatur, ijsdem gradibus & descensum ex throno moliri expedit, ac in pleno Ordinũ Conventu resignationem sceptri instituendam. Ergo iterum congressi, cùm & Rex decisivam ejus negotij potestatẽ ad universã Rempubl. pertinere agnosceret, remq; tanti momenti solidè perficere, intenderet, ad indicenda comitia demum inclinavit ac illis ex præsenti Senatûs-consilio, diem 30mam Augusti imediatè subsequentis dixit, in quibus ut ego quoq; compaream, meque quantocius Varsaviæ reddam, in man-

Tempus ceremoniarum abdicationis.

A C. 1668 datis accepi, intra aliquot proinde dies, videbis me Viennæ, ego gaudebo, ſi DEo volente ſanus ſanum reperero. Non poſſum verò pro affectu, & obligatione te celare, quæ mihi ſcribũtur, his planè formalib⁹.

Rex obſtirmatus in abdicatione

Iminent comitia, in quibus poſt irrita Pontificiæ ſollicitudinis dehortamenta, poſt non admiſſas præcipuorum in Chriſtianitate Cõmonarcharum diſſuaſiones, repudiatas Senatûs Regni preces; permittetur tandem alea fato. Cum inſtructionibus ad comitiola Palatinatuum Primas Regni pro loco & officio cõmonefactorias etiã ad nobilitatem dimiſerit literas, reddideritq; per ſcriptum rationes nuperi Varſavienſis Senatûs conſilij, quamq; imobilis in propoſito abdicationis Rex eſſet, ſine ambage Ordinibus aperuit, irritaſq; ſuas cum Collegio Senatûs preces. Facilius eſt invenire privatos, qui nôrint rectè conſulere, quàm Principes, qui velint bene conſulentes audire, & ita in hoc conſilio ſatius eſt parum dicere, vel omnino non dicere. Ad flectendum nihilominus Principem, iterum reaſſumendas preces ſuadebat. At rem novam, & antehac impracticabilem multi mirantur, plerique ſtupent. In multis Palatinatibus Nuntiis injunctũ, fideq;, honore, & conſcientijs obligati ſunt, ut à tam pernicioſo Regnantis intento, conſiliũ dando, quod non tantùm erat prudens, ſed etiã ab optima fide, & optimo animo proficiſcebatur, CASIMIRUM in throni poſſeſſione, omni poſſibili modo, ac precũ demiſſione, firmarẽt, retinerentq;, cùm unius Regis reſolutione tota Polonia affligatur, ſed fortè frangas citiùs, quàm corrigas, quæ ſemel induruerunt, cùm, ſi quis placitis Regis contraria ſuadet, vel ſuggerit meliora, infallibilẽ incurrit offensã, efferveſcẽte protinus Rege, & ne per jocum quidẽ (ſemper feſtivioribus dictis, & jovialitate delectatus) de retinẽdo diademate ſibi inſinuari paſſus. Hinc, cùm Pro-Cancellarius Regni Olſzovius, nuper vacuũ curis nactus, familiari ſermone mentionẽ abdicandi ipſimet injicientẽ ingenuè cõpellaret. Quàm (inquit) melius Poloniæ conſultũ foret, ſi ſua Mtas, cum quib⁹ vixit populis, iiſdẽ poſt ſera fata indivulſus cohærere non dedignetur. Etiã ſubjungens: Quid interim vetat? ut iterato Matrimonij voto liberorũ parens, faſtiditas regnandi curas dulcedine ſobolis leniret, vel ſaltẽ amore ejuſdem ad ſceptra Polona gignendæ thronũ Sarmaticũ non ita flocci faceret? Ad quæ vultu cõmotior CASIMIRUS reſpondit; major (inquit) P. Reverende hæc conſideratio eſt, quàm ut obiter expẽdiri poſſit: præſertim ſeni in nubendi materia, cui non quid velit, ſed quantũ poſſit, accuratè perpendendũ. Hinc alij, ubi ſuaſiſſe profutura ad offenſam referri vident, penitus à diſſuadendo abſtinent, quamvis omniũ collimãtib⁹ votis, & ſtudijs, ſi quo modo menti Principis tam tenaciter impactus clavus, evelli poſſet. Non ideo minus vult, qui non poteſt nolle, imò magnũ argumentũ eſt formã voluntatis nec mutare quidẽ poſſe.

Feſtinationi meæ, brevitatiq; ignoſcas, apud ſic amantẽ, ſic amans non peccat, quid etiam dicerem coràm, ſi omnia literis mandarem.

XIII.

ANDREÆ OLSZOWSKI EPISCOPO CULMENSI, & POMESANIÆ VICE-CANCELLARIO REGNI POLONIÆ. ANDREAS CRYSOSTOMUS ZAŁUSKI AVUNCULO SUO DEVOTUS NEPOS Viennâ die 21. Junij.

Enarrat progeniem & dotes Caroli Principis Lotharingiæ.

OBediens dicto tuo non finitis adhuc, quæ inceperam ſtudijs veni Viennam, ibiq; ex eodem mandato tuo non tantùm Miniſtros tibi benè notos, indeq; mihi benè affectos viſitavi, & veneratus ſum, ſed etiam & Principem Carolum Hyacin-

acinthum Lotharingiæ absque ulla difficultate vidi, cujus placida humanitas humilitate condita amores cogit & vix me illi acclinem reddere velle, insinuavi, ad teque pertingere dixi, non tantùm ad audientiam humanissimè admisit, sed etiam ad mensam liberalissimè pro more suo tractavit. Non oblitus est inter primas sanitatis tuæ, utque intimiùs tibi notus fieri possit, à me petiit, prius parare tentans claves cordis, quàm auris. Libens hoc mandatum accepi, idem à te habens. Nihil verò est quod à te mihi mandari aut majus, aut gratius, nihil quod honestiùs à me suscipi possit, quàm ut qualitatum ejus personæ, meritorumq; pro tenui judicio, & capacitate meâ rationem reddam. Antequam ergo ipsemet oretenus fusiùs deferam, quæ jussu tuo didici, vidi, notavi, hæc præmitto, dicereque debeo imprimis, quòd sit Catholicus, a vita Majorum pietate fundatus, quorum orthodoxam constantiam nulli è vicinia novatores infecêre. Antiqua & Regia hæc domus annos ultra millenos audit, Kochanovius noster carminibus Lotharingorũ Principum sacra bella cantavit. Vidi à Jagellonibus Maternum genus, nec in prætextum, obtentumque juris, sed in ornamentum suum, amoremque Polonæ Gentis deductum. Unde tanto justius commodis omnium lætabitur, movebitur incommodis. Vt verò obediam tuis nutibus, nihil affero, quod non me bene scire appareat, cum quærenda certè magno cum labore non arbitror, nam scio quòd Anna filia Vladislai Jagellonici Hungariæ, & Bohemiæ Regis Sigismundi Primi ex fratre neptis, Ferdinãdo primo Austriaco Imperatori Eleonorã filiam edidit. Hæc Guilhelmi Mantuæ Ducis Conjunx Vincentium Mantuanum reliquit, qui filiam Margaritham, Margaritha verò Henrico Lotharingo nupta filiam Claudiam Matrem Principis, de quo res est, generavit. *A.C.* 1668

Vaudemuntij (quod tanquam inferius à magno viro objectari audivi) iidem cum Principibus Lotharingiæ fuêre, quasi ramus Regnatricis stirpis. Ita consuetudo habet, ut primogenitus Lotharingiæ Dux Barensis, secundus natu Vaudemontanus appelletur.

Duo fratres Carolus Patruus, & Franciscus hujus nostri Parens ductis in matrimonium duabus ultimis sororibus, quas Lotharingiæ hæreditas expectabat, familiam junxerunt, Ducatumq; omnem jure hæreditario unico Hæredi Carolo nostro quæsivêre.

Promotores video ab Coronam aut nullos, aut paucos habebit, jam enim & Imperator Neoburgo se invadiavit: Nescio verò an non validior ad thronum Poloniæ promotio esse debeat, Promotoribus externis carere. Hic campus ostendendi orbi quàm liberè si nulli addicti motu nostro, & virtutis solâ æstimatione Regem eligamus. Audivi à magno viro nuper, ut simus memores non ab alijs, quàm à Polonis Regem eligi debere, & omnem illum, qui conspiratis externorum fœderibus, & illicitis promotionibus nititur, omnino excludendum. Quin talis Rex Polonorum sponte electus nihil Cæsari, Regibus, Principibus, tanquam debitor imputabit, virtuti, & nobis omnia debebit, & integerrimũ amorem Reipub. obligabit. Maturè expendet apud nos Patriam, Penates, nulla alibi, vel aliundè divisâ expectatione, apud nos spem reliquæ suas omnes deponet, externis aulam non implebit, spes nostras extra nos non efferet, si quid bello, vel pace quæret, Patriæ atque jam suæ acquiret.

Princeps hic annorum nunc 26 robore ætatis, parvo negotio, cùm jã magnam in eo notavi inclinationem, lingvam nostrã addiscet, moresque nostros facili tinctura imbibet. Æmularum domuum Austriacæ, Gallicæque: ut piè credo, suspiciones integer effugiet, cum vicinis nec odio, nec gratiâ notus, ex æquo aget.

Priu-

DISPUNCTIO, IN QUO DIFFERAT PRINCEPS SÆCULARIS ET PATER FAMILIAS. A.C. 1668

PRinceps sæcularis & paterfamilias in quo differant? & cur Principes vocentur Parentes? & cur inter subditos vivere debeant tāquam Pater inter filios? persolvit Pragosus in Regimine Reipublicæ Christianæ pag. 11 n. 28, 29, & 30, ubi.

Sed petes, in quo differat Princeps sæcularis à patrefamilias. Plato lib. 16 de Regno, vocat Regem Patremfamilias. Ratio, quia sicut Pater habet curam Domûs suæ, filiosque sub sua potestate existentes regit in pace, & alit; sic etiam Rex sibi subditos regere ac tueri debet. Differt tamen à Patre, quia Pater paucos, Princeps verò multos sub sua continet ditione, quod retulit Xenophon lib. 3 de dictis & factis Socratis & lib. Pœdia Cyri, ubi vocat Reges Patres Reipubl. ac Patriæ, cujus rei etiam meminit Sueton. Tranquil de Cæsar. & Budæus in annotationibus ad pandectas in tit. solet §. quantum ff. de officio proconsul. pag. 327 & Cermenatus in Rapsodia cap. 28 pag. 262 & 369. ubi ostendunt hoc nomen Pater apud Ethnicos & Gentiles multò illustrius ac sublimius fuisse, quàm nomen Dux & Dominus; hi jurisdictione cogunt subditos; Pater verò filios ducit amore. Ex quibus colliges bonos Principes, siquidem Patres vocantur, ut subditos ad se alliciant, debere erga eos signa amoris & benevolentiæ potiùs, quàm timoris exhibere. Sic Naaman 4 Reg. cap. 5 ob bene volentiam & amorem, quem erga famulos suos ostendebat, ab ijsdem Pater vocabatur.

Eodem ferè Senatores & Gubernatores vocabantur Patres teste Tiraquel de nobilitate c. 20 n. 26 & reliquæ personæ publicæ hoc titulo paterno colebantur, qui leges ferebant, Jura distribuebant, ac dicebantur teste Virg. 5 Æneid. Plato Dialog. 9 de leg. Unde rogatus Agesilaus Lacedæmon Rex, quomodo Princeps sæcularis posset incedere, respondit, si suis populis ita imperet, ut Parentes filiis. Proinde libro de creatione Principis Philo Judæus, sunt inquit Principes publici Parentes Civitatum & Gentium, quotquot boni sunt, nec cedunt pietati naturalium. Accedit illud Lucæ 22 ibi Reges Gentium dominantur eorum & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Igitur ut Principes & eorum vices gerentes, ac officiales, ut suo munere bene fungantur Patres se esse considerent, sicut Philosophus innuit per hæc verba: Societas Patris ad filios Regni præsefert effigiem. Nati namque sunt Patri curæ. Hinc Homerus Jovem Patrem appellavit. Nam sicut Parentes filijs provident, ne bona illis unquam desint, sic & Principes provideant subditis, ut ab eis tanquam Parentes amentur, & tanquam Reges honorentur. Cadat in illos illud Pauli 2 ad Corinth. 12 non quæro, inquit, quæ vestra sint, sed vos, Non enim debent Filij thesaurisare Parentibus, sed Parentes Filijs, quod dixit Chrysost. si inquit ipsam carnem insumere oporteat, non parcam pro vestra salute.

Oportet ergo, ut Reges, ac Magistatus Reipub. existiment erga subditos se obligationibus Parentum esse devinctos, quos non ut subditos, sed ut filios chariſſimos regant. Aliter enim teste Strabone in Geograli lib. 6 Arduum erit alio pacto regere Imperium, quando uni non Parenti, nec benefico, sed Tyranno atq; inviso procuratio Regni demandatur. Cùm igitur Princeps tanquam Pater gubernat, neque ipsi neque subditi timere possunt, cùm resideat inter suos tanquā

Pater

*A.C.*1668 Pater inter filios, non enim pecuniæ jus, neque ſtipantia ſatellitum arma Principem tuentur, ut ſolebat dicere Marcus Aurelius Imperator Auctore Herodoto Hiſtorico, niſi ipſi, quos Princeps regit, animum benevolentiamq; Imperanti accommodent, illumquè non tanquã Regem ſed tanquam Patrem venerentur.

Princeps debet cavere à fallenda fide ſubditis data. Idem Author p. 1. l. 1. diſp. 2. §. 1. à num. 97. uſquè ad 107.

Probatur primò

Gravius enim peccant violatâ fide, quàm inferior privatus Bald. conſ. 324. vol. 1. conſ. 24. vol. 2. dicens: violare fidem, eſſe mentiri l. dolus ff. mend. mendacium autem, tanquam crimen deteſtabile eſſe fugiendum Principibus Cavalup. in l. omnes populi ff. de Juſt. & Jure n. 10. Idem Baldus conſ. 343. col. 2. verſ. exiſti. vol. 1., quia Principes in licitis debent habere unum calamum, & unam lingvam, eſſeq; immobiles, quaſi polus in cælo, atque in illis debent ſplendeſcere, conſtans voluntas, ac fides, illamquè ſemel datam ſervare curent inviolabiliter, juxta illud; quæ procedunt de labijs meis non faciam irrita; rurſus ſemel locutus eſt DEUS. Non enim poſſunt principes amittere, quod cum honeſtate non poſſunt omittere. L. nepos proculo ff. de verb. Signi Alex. conſ. 4. coll. pen. in vol. 4.

Accedit grave eſſe crimen violare fidem gravibus viris, ac graviſſimum graviſſimis, tum quia in ſe malum eſt, tum quia extra ſe malum profert exemplum ſubditis valde noxium, pro text. in l. 1 ff de conſt. pec. Bald. cons. 279 vol. 3 ſequitur Curt. Jun. conſ. 170 col. fin. faciunt notata à Pariſio conſ. 22. n. 45 Cravel. conſ. 96 n. 9 ob quã cauſam ne violetur fides, pacta ſunt ſervenda l. jurisgentium §. præter ait ff. de pactis, quæ ſi inter privatos ad ungvem inita præ oculis ſunt habenda l. digna vox C. de leg. Ratio, quia quod ſemel placuit, diſplicere amplius non poteſt cap. quod ſemel de reg. Jur. in 6. item quia quamvis Princeps ſit legibus ſolutus, ligatur tamen dictamine rationis, nec poteſt derogare juri naturali per legem humanam cap. quo jure diſt. 8, ubi textus in fine ait, quæcunque vel moribus recepta ſunt, vel ſcriptis comprehenſa, ſi naturali juri fuerint adverſa, vana & irrita habenda ſunt. Mart. de jurisdict. 1 cap. 38 c. 14 Lancelot. de attent. in præfat. 1 p. fol. 8 n. 86 & Suar. l. 3 de lege humana cap. 35 n. 13 ubi vult Principem obligari ex lege naturali in Radice, quia ſequitur ex ipſa ratione naturali, ut dixit Bald. in l. 2 C. de ſervit. n. 40 & Decius in cap. de conſtit. lect. 1 n. 15. Principes obligari ad ſervandas leges ex diſcurſu rationis. Imò volunt aliqui teſte Suar. citat. n. 10 obligari ſuis legibus ex voluntate totius Reip. & ex conventione virtuali inter Principes & Reſpub. celebrata, quaſi non alia conditione tranſmiſerint Reſpublicæ poteſtatem condendi leges in Principes, niſi ipſi obligarentur ſaltem indirecte, legibus. l. Princeps ff. de leg. ſed ligari vinculo rationis naturalis quæ ſuadet promiſſa ſervari debere. Nihil enim magis convenit humanæ naturæ, quàm ſtare promiſſis l. 1. ff. de pactis

cum

cum Principes ſint lapides angulares, ut eos vocat Bald. conſ. 327. Pridiè col. 2 l 1 quẽ ſequitur conſ. 287 n. 8 & Tiraq. tract. de nobilitate cap. 20 n. 42 Menoch. conſ. 331 vol. 4 n. 64 & ſeq. & prius conſ. 15. 208 num, etiã 42 ubi addit Principes eſſe loco DEI in terris, & eorũ fidẽ eſſe fidẽ DEI ac cõſequenter nõ eſſe violandã cùm habeat vim juramẽti, gloſſa in c. querelã, ne Prælati vices ſuas Butrigꝯ in cap. ex tẽpore de arbitr. & alij quos ibi referens ſequitur. Unde colligunt non ſolum privatos homines, ſed etiam Principes teneri datam fidem, ac etiam Pacta conventa ſervare ſcribentes in cap. 1. ex literis de conſtit. Fulges conſ. 61. col. 2. Cravet. conſ. 135. n. 5. ſunt enim illa à jure naturæ textus in l. ex hoc jure de juſt. & jur. quod jus non licet violare, ita omnes in Cap. quæ in Eccleſ. de conſtit. ſed de his infra diſp. 32. à num. 200. uſqꝯ ad n. 213. & ſeq. Confirmatur, quia ubi non eſt ſana fides & inviolata, non poteſt reperiri fidelis juſtitia. Ita Eue de Pen. in l. quoties C. dependerat & Aruit lib. 10. & exprcſſe in capite, ubi 24. quæſt. l. quamvis enim fides ſeu fidelitas in quocunqꝯ requiritur, maximè neceſſaria eſt in Principe teſte Senecâ ad Lucilium, fides inquit, eſt ſanctiſſimum humani pectoris bonum nullâ neceſſitate ad fallendum cogitur, nullo præmio corrumpitur. Imò & hoſti congruit tenere fidem Ss. ſi ergo hoſti congruit, quis diffitebitur non congruere Principi, quod fatetur 1. Epiſt. inter claras c. de Suma Trinitate, fidẽ ergo fallere, & veritatẽ minuere nefas eſt Princi i. Ideo Proverb: 12 n. 19 cõmendatur pulchritudo veritatis in hunc modũ. Labiũ inquit veritatis erit firmũ in perpetuũ, hoc eſt, labiũ veracis vera loquentis non fictetur, ſed erit firmũ ac ferreũ. Nam veritas Authore Stobæo ſerm. 50. ferrea eſt, imò adamantina, & ictibus fraudulentis percuſſa magis ſplendeſcit, ut ait Ephrem tract. de verit. ſuperatqꝯ ferrum, ſilices & adamantes, neqꝯ habet duplex, ſed unicum labium, & hoc firmum, ſicut notat Lyran d. c. 12. quia inquit veritas non variatur de uno in aliud, ſed tantùm uno ore loquitur. Quod cùm maximè conveniat Principi, apertè conijcies ex illo Pſalmo 118. ne auferas de ore meo verbum veritatis uſquequa, ut ex illo Proverb. 3. n. 3. ibi, miſericordia & veritas te nõ deſerant, circũda eas gutturi tuo, quaſi torquẽ gemarũ ſplendore collucentẽ, ac ſi nihil illuſtrius, ac præſtantius dignitati Regiæ addi poſſit, quàm veritatis ornamẽtũ, ſecundũ illud, & veritas tua in circuitu tuo. *A.C.1668*

Quid ſi contingat Regi fidem datam non ſervari? Reſpondeo ex regula communi, ſi ex altera parte non ſerventur conventiones non teneri Principem ex ſua parte ſervare fidem. Ita Bartol. in l. ſcire debemus in princip. num. 4. ff. de verborum obligat. Roland. conſ. 69. num. 43 l. 4. Cagnot. in l. ſi quis major num. 134. C. de tranſact. quod intellige, ſi conventiones ſint correſpectivæ, hoc eſt, quæ fiunt contẽplatione unius propter aliud. Felin. in cap. cum inter num. 7. de re Jud. Ideo ſi alterum ex correſpectivis retrocedat, omnia corruunt. l. fin. C. de appellat. Menochius de præſumpt. lib. 6. præſumpt. 12. n. 2. multis ibi allegatis. Quocirca fidem non ſervanti, fides frangitur eidem l. cum proponas, C. de pactis ibi, nec inquit adverſario tuo tranſactione uti concedendum eſt, niſi ea, quæ placita ſunt, adimplere paratus ſit, cap. pervenit de jurejur. 2. ibi. Nec uti ei, etiamſi promiſſum tuum juramento, vel fidei obligatine interpoſita firmaſſes, aliquatenus teneris, ſi conſtat eum conditioni minimè paruiſſe. & ibi Felin. à n. 5. ſequitur Roland. d. conſ. 69. n. 8. 11. & 12 & num. 41. & 42. vel 4. Facit pro hoc, quod omnes promiſſiones & conventiones habent

A.C. 1668 habent ſubintellectam conditionem, ſi conventa ſerventur Fla. de reſig. l. 1 quæſt. 3 n. 42 poſt Mœdan. decis. 83 & alios ibi. Neque alios damnare de violata fide, qui violandi cauſam præbuit ſecundùm gloſſ. fin. in l. 2 ff. quando actio de peculio. Aqu. de indemnitate mulierũ, ſicut qui prius eſt in culpa, non de alio, ſed de ſe ipſo conqueri poteſt l. ſocius ſocio ff. pro ſocio.

Difficultas eſt, quomodo obligatur Princeps ex contractu naturaliterne & civiliter ſimul, an naturaliter tantùm? obligari naturaliter opinio eſt cõmunior. Nã talis obligatio naturalis efficax & potens eſt ad agendũ, & interdũ ad culpam mortalem inducendam text. in cap. 1. de probat., quod docent Anton. Abbas, & alij. Ratio, quia Princeps legibus ſuis eſt ſolutus, cùm ſit ſuper jus civile, ut habetur in l. Princeps cap. de leg. Ergo non poteſt obligari civiliter, ſed naturaliter. Panormitanus, Felinus, & Anton. in dicto c. 1 de probat. quos referens ſequitur ſapientiſſimus præceptor meus Rebel. 2 part. de obligat. juſtit. lib. 1 quæſt. 8 ſect. 1 num. 9.

Nihilominus verius puto Principem non ſolùm obligari naturaliter, ſed etiam civiliter, quia quamvis legibus ſit ſolutus, ſecundùm tamen leges vivere, & agere debet. 1 digna vox c. de lege cùm lex à DEO procedat & teſte Cicerone in 1 Philipp. ſit à numine Deorum tracta ratio. Item quia ex eo, quòd vult contractum inire cum ſubdito, ſubmittit ſe legibus contrahentium Bald. in dict. l. Princeps C. de legibus, Abbas in dicto cap. 1 de prob. Alberi c. in l. 1 ff. de officio procur. Cæſ. ubi habetur, quòd per aditionem hæreditatis Princeps efficaciter obligatur. Ergo dicendum eſt non ſolùm naturaliter, ſed etiam civiliter obligari Principem ex contractu cum ſubditis inito. Quib⁹ accedit Caſtat. in ſuo tractatu de Imperal. quæſt. III. v. 81. & quæſt. 116. Anton. Gomez 2. variarum reſolut. c. 1. n 1. & alij quibus eſt comes Roland. com. 2. conſ. n. 29. ubi agit obligari de jure gentium, ac de jure civili, quòd naturalis ratio civili ratione cooperatur per text. in l. bona fides ff. de poſſ. aliàs ſi Princeps non obligetur ex contractu civiliter, nec ſubditus illi obligabitur ratione correlativi. Idem Roland. tom. 4. conſ. 69 n. 17 poſt multos. Ex dictis conſtat Principem teneri ſtare contractui inito cum ſubditis ex illoq; obligari juxta Bartol. Bald & alios in d. l. digna vox. Paris conſ. 2. n. 125. vol. 1 1. ff. de Pactis. Eſt enim grave delictum recedere à contractu, & violare fidem, ob id Philoſophus nihil magis ſuadebat Alexandro Maced. quàm ut datam fidem ſervaret, teſt. eſt Plutarchus & Quintus Curtius in Alexandri vita, cujus virtutis exemplo nos docuit Attilius ille Regulus, de quo apud Ciceronem in officijs, ut meminit etiam Menoch. tom. 4 1 conſ. 75 n. 42.

Quando patet obligari civiliter ex contractu Principem, quia cõtrahendo, ſuſtinet perſonam privati potiùs, quàm Principis, ut in ſpecie reſolvit Bald. in cap. de natura feudorum. Quamvis enim Princeps ſit ſupra leges à ſe conditas, non tamen eſt ſupra rationem naturalem, ac cõtractus, ex quibus obligatur, in quibus ſtandum eſt juri cõmuni. eodem modo quo ſtatur inter privatos, & ſic contractus eſt ſervandus de jure civili, ſiquidem legibus vivere volumus, ut ait Imperator in d. l. digna vox c. d. leg. Et Socin. conſ. 76 num. 3 vol 1 pro quo etiam facit Uelaſ. tõ. 2 conſult. 132 n. 6. quâ ait, Principẽ in contractib⁹ pro privato eſſe reputandũ ſecundũ cap. 1. & ibi ſcribentes de Probat. Igitur Rex ſi cenſetur privat⁹ dum contrahit cum ſubdito, obligatur civiliter & naturaliter ſicut quilibet privat⁹. Quod in dubio eſt tenendũ cùm Princeps ita contrahendo videatur ſe juri cõmuni ſubjicere. Notat Bald. in l. ex imperfecto

C. de

C. de teſtam. per text. in l. eſt receptum ff. de juriſd. omni judici. A.C. 1668

Quam etiam partem tuetur Molin. tom. 2 de juſtit. diſput. 261 ad finem poſt Antonium Gomez citat. & Padilka l. interpoſitas n. 37 C. de tranſact. ob aſſignatas rationes, tum etiam quaſi Princeps renitatur quamvis non poſſit cogi ad implendum contractū, obligatur tamen jure naturali. Quib⁹ rebus bene expenſis ſequitur verius eſſe multo poſſe Principem obligari civiliter ad ſtandū contractibus initis, cùm ſubditis alioquin non datur æqualitas inter contrahentes, & in conſequentiā datur injuſtitia. Favet noſtræ opinioni praxis quotidiana, in qua videmus cauſas Principis circa contractus, & alias quæſtiones cum ſubditis habitas ſive pro, ſive contra decidi à Senatu Regio, quia obligatur civiliter, quod tanquā verius tenet D. Gabriel Pereira decis. 120 n. 5. multis ibi allegatis.

ORATIO JOANNIS STAPHILEI AUDITORIS & NUNTIJ APOSTOLICI Ad SIGISMUNDUM PRIMUM REGEM POLONIÆ habita.

NIhil eſt quod magis deceat Chriſtianum Principem Sigiſmunde Rex Potentiſſime, quàm pacem colere, & non ſolùm Regna, verùm etiam privatas domos in pace conſervare, quia tempore pacis, benè colitur Author Pacis, qui proximus paſſioni, pacem veluti locupletiſſimam hæreditatem Fidelibus reliquit, & propterea hæres Chriſti non eſt: qui pacem illius teſtamento relictam non amat. Hinc B. Paulus Apoſtolus ſciens non eſſe ulteriùs nobis bella carnaliter agenda, ſed animæ certamina contra Spirituales Adverſarios defudā-do, veluti Magiſter militiæ præceptum dat militibus Chriſti, dicens: Induite Vos armaturam DEi, ut poſſitis ſtare fortes in bello adverſus aſtutias Diaboli. Quis eſt fator zizaniæ? Pater ſcandali & perturbator pacis. Et ideo quemadmodum omnes pacifici, beati & filii Dei in Evangelio appellantur, ita inquieti, diſſenſiones & ſcandala ſectantes, filii Diaboli, & miniſtri tenebrarum rectiſſimè nuncupantur. Quod exemplo Polycarpi Ssmi. Martyris eleganter comprobatur, qui cùm obviaret Martiano Schiſmatico eidem dicenti; cognoſciſne me? reſpondit, cognoſco Primogenitum Sathanæ. Cicero quoq; in Philippicis contra ejuſmodi homines ſic inquit; nec privatos focos, nec publicas leges, nec libertatis jura videtur chara habere, quem diſſenſiones ac ſcandala delectāt, eumq; ex numero hominum ejciendum, & extra terminos humanæ naturæ exterminandum putant. Nihil hoc cive, nihil hoc homine deterius, non autem civis aut homo habendus eſt, qui bellum aut diſcordias concupiſcat. Rurſus idem Cicero de amicitia, quæ domus tam ſtabilis? quæ civitas tam firma eſt, quæ non odiis poſſit funditus everti. Hæc modò ſcandala, has diſſenſiones, hæc odia hujuſmodi homines non una domus, non certa civitas, ſed tota DEi Eccleſia patitur, plurimumq; paſſura eſt (quod abſit) niſi per tuam Majeſtatem unà cum aliis Regibus & Principibus Chriſtianis, præcipuè Vladislao Sereniſſimo Rege Hungariæ Bohemiæque fratre tuo, his malis, hujuſmodi incommodis, ac futuris ſcandalis quàm celerrimè occurratur; & propterea juſſit me Ssmus Dñus Julius Divinâ providentiâ Papa II. Majeſtatem Tuam adire, & Tibi ſanctam benedictionem ac pacem elargiri, tecumq; de rebus tam ad communem Reipublicæ Chriſtianæ ſalutem, quàm ad tuum ſpecialiter commodum, utilitatemq; & honorem

A.C. 1668 communicare. Verùm, quàm difficillimum eſt in tanto bellorum turbine, tantaq; Chriſtianorum Principum diſcordia, ac quorundam Cardinalium periculoſa admodum ſciſſura benè communi Reipubl. ſaluti conſulere. Te imprimis hortatur, & per viſcera miſericordiæ DEi noſtri deprecatur, ut quantum in te conſilii ac prudentiæ Chriſtus ipſe Author & Fundator pacis eſſe voluit, tantum & poteſtatis & virium in communem ſalutem, quæ eſt pax & unitas Eccleſiæ, impẽdere non recuſes, ut Te procurante Chriſtiani Ppes modò inter ſe graviſſimè diſſidentes ſanctam pacem amplectantur, & ſpiritualia membra Eccleſiæ, quæ turpiter à ſuo capite receſſerunt, ad debitam obedientiã (ut par eſt) revertantur, quo & Eccleſia DEi, quæ debet eſſe ſinè macula, & ſinè ruga per ſanctam reformationem in charitate DEi, & proximi fundatam, ad priſtinum decus, & veram Religionem reformetur, & tandem univerſæ Chriſtianorum vires pacatis inter eoſdem rebus adverſus Chriſtiani nominis hoſtes ſtudioſiſſimè ac unanimiter convertantur. Nulli enim dubium eſſe poteſt Chriſtianorum Regum partes eſſe & ad eorum officium & dignitatem pertinere Rempublicam Chriſtianam, contra ejuſdem Adverſarios, & fidei noſtræ inimicos protegere, atq; tutari, nec diutius patì terreſtre illorum Hierosolymorum Regnum, ac Ssmi Salvatoris noſtri ſepulchrum perfidis Nationibus deſervire, DEUM Chriſtianorum ab ipſis contemni, fidem deſpici, ſanctam Religionem ab ipſis violari. Libet hoc loco Rex Invictiſſime miſeriam temporum noſtrorum proſequi, & calamitates, quas hactenus ab infidelibus paſſi ſumus, lamentabiliter deplorare; quot virgines ingenua nobiliaq; corpora retroactis temporibus eiſdem infidelibus ludibrio fuêre; capti Epiſcopi, interfecti Præsbyteri, & diverſorum officia Clericorum, ad altaria Chriſti ſtabulati equi, Martyrum effoſſæ reliquiæ, ubiq; luctus ubiq; gemitus, & plurima mortis imago. Amiſerunt Chriſtiani Principes temporibus noſtris nobiliſſima Regna, ampliſſimaſq; Provincias, Myſiam, Thraciam, Macedoniam, Epyrum, totamq; Græciam, quibus omnibus nunc imperat Ottomannus. Reſtabant ſolæ maritimæ civitates Dalmatiæ Provinciæ noſtræ, quæ ſolæ in illis partibus ſub fide Chriſti remanſerunt, quas modò impii hoſtes vaſtant, trahunt, rapiunt, ita, ut vix incolis noſtris muros urbium exire liceat. Foris vaſtata ſunt omnia, apparetq; ingens ubique ſolitudo, Chriſtianus orbis ruit, & tamen Reges & Principes noſtri inter ſe graviſſima bella gerunt, & quod deteſtabilius eſt, adversùs Sacroſanctam Sedem Apoſtolicam cornua erigunt, ejuſque terras ac civitates hoſtiliter invadere occupareque non verentur; nec non Ssmum Dñum Noſtrum Julium Papam ſecundum oppugnare, ac injuriosè proſequi non erubeſcunt, authoritatemque ac poteſtatem convocandi & celebrandi Generalis concilii vendicare ipſis ſolis contendunt, inſcis & inconſultis aliis Regibus & Principibus Chriſtianis, quaſi ſoli videantur habere omnimodam poteſtatem, authoritatem ſupra omnes alios Potentates Chriſtianos. Exurge igitur tandem, exurge ſaltem tu Rex Potentiſſime in defenſionem Ssmi Domini Noſtri Parentiſque tui dilectiſſimi, qui te Regnumq; tuum in miro amore, paternaq; charitate proſequitur, indieſque magis ac magis ob tua præclara facinora, egregiumq; animum, ac maximam devotionem, quam geris ad Sedem Apoſtolicam, ejuſq; Sanctitatem, proſequitur. Imitare Ferdinandum Arragonum & utriuſq; Siciliæ Regem Catholicum, qui validiſſimis copiis, terrâ mariq; comparatis, oppoſuit ſe tanquam murum inexpugna-

expugnabilem Adversariis Sedis Apostolicæ, & Ssmi Domini Nostri, *A. C.* 1668
quam jure merito, quæ vos ambos, scilicet simul Majestatem Tuam & Suam consuevit acerrimos propugnatores, propagatoresq; fidei & Religionis Christianæ appellare, nec immerito quidem; nam sicut Ferdinandus continua bella gerit adversùs Mauros, & Afros, ita & tu incessanter in illis occuparis contra Scythas sive Tartaros, ac perfidos Turcas, & sicut ille Regnum Bohiæ sive Granatæ, & quàm plures civitates glorioſissimè devicit, & jugo Christi subjecit, ita & tu duobus Principatibus, duabusq; victoriis DEo favente cum maxima tua laude apud omnes Principes Christianos imprimis es potitus. Adesto ergo alacer Julio II. Pontifici Maximo, ejusdemq; partes ac protectionem viriliter susci pe, ut tandem compositis rebus Ecclesiæ, sedatisq; discordiis Principum Christianorum possit quietè, & cum pace celebrare hoc sacrosanctum concilium futurum; in quo de sanctissima contra infideles expeditione imprimis agendum erit, quam Sua Sanctitas & in hoc suo Pontificatu, & adhuc in minoribus constituta continuè, incessanterq; procuravit. Quam quidem expeditionem Majestas Tua ac Sereniſsimi Fratris Sui sponte vestrâ totisq; viribus expetere, efflagitareque debetis; plus enim Vestrâ interest, vestrorumq; Regnorum, quib⁹ imperatis, quàm aliorum Regum & Principum Europæ, quia Italia, Gallia, & utraq; Hispania, cæteraq; Regna Occidentalia intacta sunt hactenus ab infidelibus, vestra verò in finibus hostium constituta quotidie incessanterque vastantur, destruuntur, urbes comburuntur, castra & agri, incolæ, vasalli, & subditi vestri partim ferro necantur, partim captivi abducuntur. Cæteri verò & quidem pauci, qui in sylvis & cavernis tempore latitando cruentas manus hostium effugiunt, jam omnibus bonis spoliati in maxima egestate, nuditateq; miserrimam vitam ducunt.

His igitur malis, ac graviſsimis incommodis Reipublicæ Christianæ cupiens occurrere Sanctiſsimus Dominus Noster indixit concilium generale, in quo de reformatione rerum reformandarum, & de ista Sanctiſsima contra infideles expeditione agetur. Ad quam fidelium congregationem, conventumque admodùm salubrem ac necessarium Majestatem Tuam per tuos Oratores Proceres invitat, ac in Domino hortatur. Prælatis verò Regnorum tuorum, authoritate, quâ in terris fungitur, mandat, ac præcipit, ut Romæ in Ecclesia Lateranensi tempore constituto conveniant celebraturi hoc sacrosanctum Romanicum concilium generale, ad honorem, conservationem, & augmentum totius Ecclesiæ DEi ac Reipublicæ Christianæ. Quod præstare dignetur DEUS Optimus Maximus, qui est benedictus in sæcula.

XV.

FRANCICO DE MEGNIN 23. Septembris.

De actis in comitijs Abdicationis.

EXsolvo promissionis meæ debitum, nam semper ad te scribere amo, ac imprimis sanum me Varsaviæ comparuisse, sed mox ex itineris fortè defatigatione ita infirmus fui, ut nec tibi scribere potuerim, nunc sanior factus, malam valetudinem tolerare soleo, bonam optare, reassumo calamum, sine cura verborum, ea quæ sunt acta, nuntio, credo autem piè non te mirari idcirco, quòd tamdiu nihil ad te scripserim, cùm nôris id mihi facere non licuisse.

A.C.1668 Vix aliquis ex Senatoribus à latere Regis abeſſe ſuſtinuit, multi ſacri ordinis præſules à nupera convocatione manebant Varſaviæ, alii brevi digreſſu ibant redibantque, omnium vota eò inclinabant, ut Regi abdicationem hanc diſſuaderent.

Nuntiorum terreſtrium rotha Directorem, ſeu Mareſchalcum concorditer elegit, Stephanum Sarnowski Leucicienſem Succamerarium majori Poloniæ tunc ex vi recidentis cum minori, & Lithvaniæ alternatæ debita vice. Mox ad conclave ſenatorium invitati Nuntij venerunt, ac imperato per Mareſchalcum ſilentio, ad excipiendam deliberandorum propoſitionem ſe ſe componebant. Diutius Orator throni jacturã pro certo magnam conſiderans, in abdicatione Regis, cùm Reſpublica in novos fluctus, turbaſque incidere debeat, amoto quieto, & perito illius Gubernatore, quem nôſti eloquii promptiſſimum, velut attonitus ſtetit, concedendum pio dolori juſtum ſpatium. Quid verò velut excuſſo à ſideratione aliqua animo, dixerit, verba ejus formalia adnecto, cum copia ſchedæ, quam Rex poſt propoſitionem factam manibus ſuis eidem Pro-Cancellario porrexit, quam antequam legere cœpiſſet, primo ſacri Ordinis Præſules, imò antequam Rex è ſinu ſuo depromptam ſchedam tradidiſſet, ut quiſque è curuli ſua ſe proripientes circumvoluti ſunt throno, etiam Primas, ac velut elingves cunctos dolor præſtaret, ſuſpiriis tantùm, & verborum inopes mutuo perorabant ſilentio. In qua omnium commotione ipſe Rex ſedare Mareſchalcis tumultum, debitum conſeſſûs locum cuique repetere mandat, & genuinas abdicandi ſceptri rationes & motiva ex Regiæ mentis ſcripto excipere, quod ægerrimè præſtitum: quid verò contineat hæc ſcheda, in copia adnexa videbis. Poſt quam lectam, iterum motus conſurrexit, ac velut, novam animorum procellam ſuſcitavit. Collatis proinde abſente Rege conſiliis, iterum per ſupplices preces tentare vadum placuit, ut mitigaretur perſeverantia in deponenda ſatis obfirmata voluntate. Multum ac diu actum, an conceſſibilis ea contra mutuæ obligationis vincula reſignandi Regni propoſitio eſſet. Ad conclave demum Equeſtre Nuntii ſeceſſerunt, unde in triduo expeditâ deliberatione ad Senatum regreſſi. Quo ſermone Director Nuntiorum SARNOVIUS eſt allocutus, fideliter adjungo: Ita equeſter ordo, qui nuper tædium ex Regnante oſtenderat, jam retentabat abdicantẽ, & dum perſpectæ virtutis tædium ſubiêrant, mox ſublatam ex oculis quærebant invidi.

Sarnowski Mareſchalcus.

Andreas Olſzowski Regni Pro cancellarius.

Abdicatio Regni.

Frequentiſſimus ille Senatus, Nuntiorumque cœtus turmatim omnes exorando Principi ad thronum eunt, ut propoſitum mutet, poſtulant, & in extrema vitæ cum fido ſibi populo perdurare dignetur. Primas Regni ampliùs iterandas preces abnuit, vel irritas non vanè prævidens, vel aucturus ſibi dignationem, dum abſcedente, ſolio, Principe, Inter-Regem aget. Cæterùm CASIMIRUS per poſtulata Ordinum, ſi non vim deſtinatis ſuis, ſaltem moram adferri videns, in ſequentem diem ſolvere ſeſſionem juſſit. Quâ demum veniente, non tam vicariâ Miniſtri lingvâ, aut per ſubſtitutum mentis ſuæ interpretem, ſed ore proprio enuntiavit, quàm fixum, & immobile ſtaret, redditâ civibus Republicâ, neceſſitatem deponendi diadematis prolixiùs explicare, demum ad imperatum ſilentium, quid arrectis omnibus, & in auſcultandũ paratis, Ex-Regem ſe omnino oſtendens, non per inſtrumenta publica, ſed per ſe ad ſubditos ſuos dixerit, in copia videbis.

Et ita poſt moleſtam utrinque diſceptationem, imò veriùs inter abdicantis Regis, ac retinentis populi luctam, dolor cecidit, ubi quo creſce-

creſceret, non habuit; irritæ diu preces, in querelas propè & altercationes vertebantur; inter alios Martinus DĘBICKI Vexillifer Sendomirienſis deſtinatis CASIMIRI obnitebatur, ex odio magis, quàm affectu, quod illi in uſu magis, quàm in crimine, immemor enim ſemper, quod in eâ unâ rem certatim incumbere debeamus, ut de Regibus noſtris bene mereamur, ſi poſſumus, aut ſaltem nunquam niſi bene cogitemus. Nam cor Regis in manu DEI eſt, fulmen cælo provocat, qui illud impetit. Ille tamen reſignationem diadematis ex arbitrio coronati capitis abdicabilem non eſſe cenſebat, nullâ, in pactis appoſitâ, quæ permitteret, clauſulâ, ac ut ſuſcipere onus, beneplaciti fuit, ſic retinere, ex vinculo obligante neceſſitatis eſſe, indelebilem unctionis Regiæ, characterem ſemel ſuſceptum nequaquam amoliri, & contracta cum Regno ſponſalia nullatenus dirimi permittens. Sed demum Ordines animos huc inclinavêre, quomodo cum deſtinantis Principis voluntate, & gentis noſtræ obſequij gloria actus hic quàm honorificentiſſimè finiretur. Ventum proinde ad diplomata, quando aliter fieri non potuit, quamvis à primis gentis Polonæ cunabulis, cùm ſimilis abdicatio exemplo caruiſſet, ſic impracticati actûs difficilior ratio viſa eſt. Non tibi refero, quomodo de cognomine ac vocabulo diſputatum, alijs abſceſſus à throno actum tabulis publicis repungere, ne exemplum in ſequelam tranſiret, alijs non in chartis modo, ſed in marmoribus inſculpendum judicantibus, non aliud electivi juris in Polonia majus firmamentum, & liquidius in Principes conſtantis fidei ad poſteritatem teſtimonium; enumerare dicentium ſenſus, longum eſſet, confectæ proinde eo nomine tabulæ, ſeu diplomata, quorum eſſentialia ſubjungo.

A. C. 1668

Dębicki contradicit abdicationi

Delibabat CASIMIRUS annum tunc nonum ſupra quinquageſimum, quippe natus anno Chriſti 1609 die 21 Martij Cracoviæ, ibidemque 1649 die 18 Ianuarij diademate inſignitus.

Cum Reverſoriale diploma ab Ordinibus confectum eſſet, tanquam ne ipſæ curæ æternitatis ſubſiſtere queant, ſine temporalium rerum proviſu, injecta ex parte Regia expoſtulatio fuit, pro ſancienda in bonis Oeconomicis penſione annuâ quâ ad vitæ tempora cum dignitate, aut veriùs neceſſitate Statûs ſui commodè ſuſtentaretur. Confectæ eo nomine etiam tabulæ ſunt, aſſignatis trecentis florenorum millibus, ex bonis menſæ Regiæ per Procuratores ærarij utriuſque gentis, perſolvendis, qui donec vita ſuperſtes, CASIMIRO quot annis redderentur.

Penſio ampro Ex-rege

Abſolutis eſſentialibus, verſi Ordines ad civilem officioſitatem, Ex-regi jam abituro valedixerunt. Primas Regni PRAZMOVIUS nomine Collegarum Senatorum, SARNOVIUS Nuntiorum Mareſchalcus, nomine Equeſtris Ordinis, Pro-Cancellario Regni OLSZOVIO nomine Ex-regis cunctis Ordinibus valedicente. Sermones hos omnes, pro ſatisfaciendo curioſitati tuæ, adjungere placuit. Et ita abdicationis finita comitia, uti mea ad finem etiam properat epiſtola.

PROPOSITIO A THRONO ANDREÆ OLSZOWSKI EPISCOPI CULMENSIS PROCANCELLARIJ REGNI.

NOvum imminet tempus, nunquam quod ſciam, à condita gente Polona, in Patria noſtra auditum. Venit ſumma dies. Venit tempus, quod poſt lætiſſimas tranſactæ æſtatis delicias, in moleſtum & turbidum vergit autumnum; ac deportatam in horrea fertilium camporum meſſem, non ſine ſuſcepti laboris fœnore, & meſſorum gaudio, granarijs provide includit; eodem tempore, autumno ineunte, maturus annis, plenus meritis, gentilitius Sac. Reg. Maj. Domini Noſtri Clementiſſimi manipulus, ex arvis Sarmatiæ, ex publico agendi theatro, ex perpetua con-

A.C.1668 , tra hoſtes crucis ſtatione, jamjã ad privatas tendit umbras, & immorta-
, les Regiorum operum fructus, dolenda nobis, etſi ipſi Sereniſſimo enixiſſi-
, mis votis exoptatâ, concludere intendit epilogo. Hic manipulus ſat ferti-
, lis, & ſpecioſus, qui in Chriſtiani orbis aprico, ac ſub jove libero in am-
, pliſſimam meritorum ſegetem excreverat, varios fortunæ caſus, & diſcri-
, mina rerum, æſtus, & pruinam ſuſtinuit: diutiuſque è grano fertili panem,
, non fulmina mittebat; cujus curâ ac providentiâ aquila Polona viginti
, ferè annorum ſpatio, non ad neceſſitatem modò ſed ad delicias uſque fa-
, turata eſt, jam nunc ex oculis, imò horyzonte noſtro, decedere intendit.
, Equidem Miniſterij mei deterrimæ ſorti indoleo, ac planè fatorum acer-
, bitati indignor? non hos ornatus in uſus: ubi eam auribus Patriæ peracer-
, bam, & ab hoc throno immemorabilem orbitatis Reipublicæ vivente Prin-
, cipe propoſitionem, iteratò proclamatæ denuntiare cogor. Servilibus inge-
, nijs innata labes eſt, mutatione Dominorum gaudere: generoſi pectoris
, proprium, ut ſincero Regnantes affectu colere, ſic voto proſequi, uti i-
, js in longam annorum ſeriem indivulſum convivere liceat. His vita &
, ſangvis ſacra ſunto. Præſertim in gente noſtra, apud quam non in mar-
, more, aut poſtium ſummitatibus, ſed in ipſo cordis areano inſculpſit na-
, tura: Ferenda Regum ingenia, neque uſui crebras mutationes. Antiqui
, Reges còércendis ſubditis, nihil rigidius, nihil gravius minitari poterant,
, quam abituros ſe è Regno. Præſens S. R. M. propoſitio ejusmodi qui-
, dem eſt; ſed quæ nihil minarum, aut ſeveritatis præſeferens ſtupendo e-
, xemplo ſinceram Patriæ caritatem, & augendi boni publici ſtudium in ſe
, contineat. Quæ coronati capitis propoſitio, ut intimius penetrata, ſince-
, rius intellecta, & firmius memoriæ Ordinum Regni impreſſa maneat, pro-
, jectum ab ipſo Sereniſſimo Rege manibus meis traditum relego univer-
, ſis, de tenore tali.

COPIA SCHEDÆ, QUAM REX LEGENDAM PROCANCELLARIO REGNI PORREXIT.

EX vero ſupponit S. R. M. D. N. Clementiſſimo cunctis innotuiſſe tã ex publica fama, quàm facta, & nuper propalata in frequentiſſimo Senatûs conſilio, propoſitione, quod fixum ſibi & conſultum mane-
, at, Regni Poloniæ diadema, per libera gentis ſuffragia impoſitum, in ma-
, nus & liberam Reipubl. diſpoſitionem reſignare. Ad eas intentiones ſu-
, ſcipiendas adducitur, unum porrò neceſſarium cenſens; ut animæ ſuæ
, ſaluti conſuleret, diſponeretque tempeſtivè conſcientiæ eo modo, ſi
, inter occupationes profanas, & noviſſimam vitæ lineam, ad reflexionem
, habere poſſit aliquod temporis interſtitium. Etiam præter comparandum,
, quod principale eſt, ad iter æternitatis animum, idem perſvadent exactæ
, ætatis annis fractæ valetudinis vires, & in declive vergens ſenectus: in
, qua amplius labor tantùm & dolor. Præter eas non dedecentes Chriſtia-
, num Principem conſiderationes, ſenſu percipit fractum ſe bellorum incom-
, modis, caſtrorum laboribus, conſultationum publicarum ſecus cadentium
, ærumnis; unde non amplius tantæ moli curarum parem ſe agnoſcens,
, pro ſincero erga hanc Rempubl. affectu, & effuſo in omnes Ordines amo-
, re & benevolentia, hoc, quod ſibi tantiſper impoſitum onus fuit, totali-
, ter & pleniſſimè in Rempubl. Ius regnandi refundit. Inſuper advertit, tot
, ſuſpicionibus petitam exiſtimationem ſuam; quaſi verò agitati conſilij, ut
, violenter throno imponeret ſucceſſorem. A qua iniquiore credulorum
, ſuppoſitione, reputationi ſuæ vindicandæ, ſimul tranquillandæ Patriæ non
, aliter conſulturus, niſi id documentum exhibeat, adeò alterius ſubjecti
, non eſſe promotorem in ſolium, ut magis eodem ſuâ ſponte ipſe & ul-

trò

, tro decederet. Quo non alio magis actu Reipub. agnoſcet ab ejuſmo- *A.C.1668*
, di moliminibus Seren. Regem remotum egiſſe, atque alienum: ut qui
, non modo intrudere quenquam ad ſceptrum electivum nolit, ſed &
, ipſe Regimine ſe abdicans, in manus, ſubditorum qui contuliſſent,
, integrum & illibatum jus Regni à ſe nunc abdicatum, cum pleniſſi-
, mo libertatis uſu reſtituat; cui placebit, deferendum. Amore igitur
, in ſubjectos populos dictante, ac Reip. a vano metu liberandæ præ-
, ſentia comitia indicta eſſe declarat, ſemel atque iterum cunctis Reip.
, Ordinibus notificans, quia hic & nunc Regnum abdicat, throno de-
, cedit, & quibus gradibus ad clavum Reip. admotus eſt, ijſdem ex hoc
, apice deſcendere incipit. Nempe uti per ſolenne nominationis diplo-
, ma Rex inauguratus eſt, ſic pari abdicationis diplomate, curis regnan-
, di ſolutus exaugurabitur: quod manus Regiæ ſubſcriptione firmandũ
, promittit. Reciprocâ à Statibus, ſeu Ordinibus Regni ſponſione; eoq;
, vinculo mutuo partes dirimente, aut obligante. In eo diplomatis re-
, verſali cavebitur de proviſione annua, ſtatis temporibus ex bonis Oe-
, conomicis ad vitæ tempora ſuæ Majeſtati exolvenda, & per pacta à fu-
, turo Regnante ratificanda &c. &c. tum demum concludebat. Quæ præ-
, miſſa animo deliberato & firmo ſuſcepta, jam nunc eam abdicationem
, ſeu diadematis reſignationem, per Ordines Regni & M. D. Litvaniæ,
, Provinciarumque Regno Poloniæ annexarum ratam vult fieri, omni
, meliori modo, aut quomodo univerſis Ordinibus, in forma ampliſſima
, videbitur, Ordinum Regni arbitrium in omnibus ſecuturus, imò ſe-
, curus exiſtens eo in negotio huc eunctos conſiliorum maturitate coli-
, limaturos, providendo honori, & integritati famæ gentis, ſimul &
, omnimodæ libertati & ſecuritati Reipublicæ.

SERMO, QUO MARESCHALCUS COMITIORUM SARNOWSKI SUCCAMERARIUS LENCICIENSIS REGEM EST ALLOCUTUS.

NOn extra laudem in omni ſtatu mortalium, ſed præcipuè in ſumma fortuna, moderatio animi fuit, præ alijs inſignior virtus, ut quippe nihil arduum magis, quàm ſeipſum vincere, inſurgenti
, felicitati contrahere vela, publicis ſatius quàm proprijs conſulere com-
, modis, & ex ſublimi Majeſtatis apice, ad inferius deſcendere ſubſel-
, lium, perampláque Regnorum peripheriâ abdicatâ, arcto ſe includere
, re circulo, ut ætas antiquior, ſimilia, etſi rarò admodum, protulit
, exempla; ſic nec præſenti inſtructiori ad virtutes ſæculo per Evange-
, lium, haud defuere motiva, ad nobiliſſimum animi ſpecimen, in Re-
, gio apice monſtrandum excitantia. Apage verò cum impia voce Ty-
, rannum, ſi (ait) violare jura licet, Regni causâ violanda ſunt? aut ad
, idem facinus tendente Auguſto, dum abdicationem imperij oſtentat,
, exeqvutionem facti diu nimis moratur. Is quinque & quinquaginta an-
, nis, de reddenda Republ. deliberans, demumque reputans, & ſe pri-
, vatum non ſine periculo fore, & illam temere plurium arbitrio com-
, mitti, in retinenda perſeveravit. Primus Diocletianus hanc ſemitam
, inoffenſo pede calcare viſus, in abdicando imperio firmus, & in mu-
, tatione Statûs omnino perſeverans; reſiduum vitæ, quo ſupervixit per
, decennium abjectus, ex Imperatore Hortulanus, colendis viridarijs, ac
, transplantandis arboribus ſeſe addixit. Poſt hunc longo ſæculorum tra-
, ctu, vix ardua imitatu virtus, aliquos exempli ſequaces invenit, non
, tamen ex publici boni, aut amoris populi ratione; verùm magis, ut

vitæ

A.C.1668 , vitæ propriæ consulerent, aut honestius decedere throno, quàm pel-
, li viderentur; montium, sylvarum, aut Cœnobiorum secreta petebant.
, Etiam parentes ingeniti amoris ductu, filijs Regna absessu suo con-
, stabilivere; uti nuperrimè CAROLUS V. Austriacus, cum plausu or-
, bis, intimam mentem tanti Herois non planè pervadentis, Ferdinan-
, dum fratrem ad decus imperij, Philippum filium Hæreditarijs Regnis
, Hispaniarum admovendo, sibi gloriam inusitatæ moderationis, istis se-
, curitatem regnandi respectivè partitus. Huic catalogo Heroum mun-
, danas curas (in quem rarò quisquam Regum adscriptus, sine comi-
, te pœnitentia) sinceriſſimâ mente, & sine ullo privato respectu, dum
, Sua Majestas D. N. Clementissimo sociari intendit, utique non sine
, dolore accideret nobis ea orbitas, lene imperium, & paternam beni-
, gnitatem S. R. Mtis Vestræ, populis istis ex merito æstimantibus,
, si modò Patriæ nostræ rationes in tranquillo existerent. Verum ubi
, navis hæc Reipubl. ad cujus clavum & supremum moderamen, etiam
, ex vi jurisjurandi Regij, Numen Majestatem Vestram admovit undiq;
, procellis quassata fluctuat: teneris enim Seren. Rex Domine Clem.
, furore belli exagitatam, externorũ factionibꝰ concussam, civilibus dissi-
, dijs & motibus laceratam, & in turbido tempestuosi maris æstu, fra-
, gilibus anchoris innixam carinam Reip. imminenti prius eripere nau-
, fragio, antequam celoce ista abdicationis, teipsum in tutum subdu-
, cas; dum undique mala imminent, & nihil est spei reliqvum. In ocu-
, lis, in foribus imminentia mala obversantur, districtus ensis super cer-
, vice nostra pendet, metuimus non injustè, ne vel nos conspiratio ma-
, levolorum allidat scopulis, vel interni dissensus compagem hanc Reip.
, violenter disrumpant. Terremur sat valido concurrentium ad Coro-
, nam ambitu, ne lassos & enerves obruat potentia? si adspiciemus ex-
, teros, ne legibus, & libertati gentis derogent? sub his discendi erunt
, peregrini mores, ferendum fastidiosum imperium, & cum juvene Re-
, ge non minus toleranda erunt vitia hominum, quàm ætatis, aderunt
, pejora novæ aulæ mala, æquè perstringentia non æquè accusata, re-
, verâ commutatio hæc Dominorum sortiri in melius nequaquam po-
, terit, ut nec felicius conciliantur nuptiæ post abominabile divortium,
, quàm post fata mariti. Opponere equidem possemus quia nec decet,
, non licet Ser. Rex Domine Noster Clem. divortiari nobiscum re-
, luctantibus nobis, per naturam legum. Sed non disputamus de jure,
, qui in eo proposito dissvadendo, nihil efficacius submissione petenti-
, um censemus: cùm non alius gloriosior regnandi finis sit, quàm com-
, modum obedientium, & utilitas subditorum. Discrimina tantùm uni-
, versam Patriam afficientia exponendo humillimas preces ad ima pe-
, dum S. R. Mtis D. Clem. deferimus, ut in partem & commodum
, Reipubl. inclinatiore mente & animo esse dignetur. Quodsi merita
, nostra, vitæ, sangvinisque oblatio, ac quævis fortunarum dispendia,
, haud ejus momenti fuerint, ut nequaquam immutare propositum Suæ
, Majestatis valeant, at certè salus Regni aviti, & quæ omnium cha-
, ritates complectitur, Patriæ amor, justum ex dignetur meretur Suæ
, Mtis respectum. Petimus plus quàm supplices, desinat Sua Mtas cum
, fatis luctari; nec contraire pergat æternæ sic ordinantis JEHOVÆ dis-
, positioni, quæ suam Mtem in paterno, fraternoque throno collocã-
, re voluit. Ad extremum, divini honoris zelus, & in quibus rite co-
, litur Numen, templorum securitas perstringat piam mentem suæ Ma-
, jestatis, ne in ea orbitate Reipubl. loca DEO consecrata deveniant

ad

„ad desolationem abominationis. Eas pro imutando proposito, semel, atque iterum geminando preces, & supplicia vota, invitamus ardentissimè intermedium Ordinem Senatorium, Majores fratres nostros, „ut ad eundem finem unà nobiscum cooperati, simili suasu, & flagratissimis postulatis inflectere Suam Mtem annitantur. Interim *AC.* 1668

Tu Regem, Patrémq; geras, Tu consule cunctis:
Nec tua te magis moveant, quàm publica damna.

CASIMIRI REGIS IN COMITIJS ABDICATIONIS SERMO.

EFfluit hora, quâ Paterni in hanc Rempublicam affectûs debitum, per domum meam à ducentis octoginta & amplius annis contractum, exolvendum est. Lassus annis, castris & consultationibus „fractus, viginti & unius annorum ærumnis pressus, Rex & Pater ve„ster, hoc, quod mundus maximè æstimat, Regni hujus Coronam de„pono, inque manus vestras vobis reddo Poloni. Pro throno loculum „eligo, & funeri meo superstes, pro possessione sceptri, glebam tantùm „telluris mihi relinquo, vobiscum communem: quâ intra peripheriam „Patriæ, ac Majorum meorum cineres tumulatus, memoriam mei ad „seram posteritatem vobis inculcare possim, eum me esse, qui primus „in prælijs, postremus in discrimine & recessu: etiam nunc ob amo„rem Patriæ, & commodum publicum, Regiæ amplitudini renuntiem, „Regnumque iis, à quibus accepi, postliminio reddam, amor populi me „in hoc throno, per libera suffragia vestra collocavit, vicissim amor „meus erga hanc Rempubl. me ex eodem demovet. Multi anteriorum „Regum tradebant sceptra filiis, aut fratribus respectivè, ego charis„simæ Patriæ reddo, & cujus Pater & filius extiti, jam nunc ex Prin„cipe gregarius, ex Domino subditus ex Rege concivis fio, ac junio„ri & validiori, quem DEUS & libera gentis suffragia successorem de„stinabunt, loco decedo. In quo ex commodo Reipubl. eligendo, ut Nu„men hanc Rempulicam prosperare velit, in solitudine curis vacuus, „flagrantissimis votis cœlum onerabo. Jam nunc grates omnibus ha„beo, pro tot meritis, consiliis, & exhibita obsequiorum promptitu„dine: si quibus non ex mente aut desiderio regimen nostrum compla„cuit, ex ratione Statûs, vel fatorum fuit: parcant, quæso, ipse vicis„sim ijs qui secus meriti, remitto: valedico omnibus, unumquemq; Pa„terno applicans pectori, quorum dulcem memoriam quoad vita sup„petet, gratus feram, insuper paternam benedictionem universis & „singulis impertior: ac quamvis distantia loci utrosque separante, ni„hilominus corde ab hac dulcissima matre avelli, me haud quaquam „patior: in qua cineres mortalitatis meæ deponere velim. Plura cùm „& doloris vis, & memoriæ fragilitas proloqui haud permittat, ex hac „scheda, quam ad relegendum trado, amoris & sinceritatis meæ docu„mentum intelligetis.

DIPLOMA SERENISSIMI REGIS IN ABDICATIONE REIPUBLICÆ DATUM.

JOANNES CASIMIRUS D. G. REX POLONIÆ.

Magnus Dux Litvaniæ. &c. &c. Nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumque Hæreditarius Rex.

NOtum testatumq; facimus præsentibus & futuris temporibus, quòd cùm prægravescente ætate nostra, debilitari nos in dies sentiamus, defessiq; & fracti ingentibus pro Republ. Polona curis,

& la-

A.C. 1668 & laboribus, sustinendæ amplius tantæ regni moli, vires nostras impares fateamur: cepimus demum ultro, & motu proprio, consilium, coronæ Regiæ deponendæ, quo residuum declinantis ætatis, tranquillè & privatim agentes, componendis ad meliorem, & haud interituram vitam, conscientiæ nostræ rationibus, liberius vacaremus. Eam ob causam convocato nuper Varsaviam frequentiore senatu die 12 mensis Junij, anni præsentis, mentem nostram iisdem DD. Senatoribus & Consiliariis nostris aperuimus. Quibus magnitudine ac novitate rei, præterea reverentiâ legum Patriarum deterritis, remq; integram ad universam Rempubl. referentibus, comitia Regni generalia pro die 21 Augusti omnibus Ordinibus indiximus; ac primo statim Comitiorum exordio abdicationis Regni propositionē publicam fecimus. Hic experti sumus amorem & affectum civium, fidelium q; subditorum nostrorum, qui serenissimorum Antecessorū Regum merita, & in Rempublicam hanc beneficia gratâ recolentes memoriâ, nostrorumq; similiter per viginti annos tot comitijs, curarum, laborumq; & periculorum plurium memores, omni, quâ par fuit, renitentiâ, & ardentissimis precibus nos in throno retinere nitebantur, sed nobis immota ad hæc perseverantia, in semel destinato proposito hærentibus; tandem eò descensum est, ut abdicationem seu resignationem sceptri Poloniæ, realiter & solenni ritu, in comitijs Ordinum faceremus. Prout quidem maturâ deliberatione præhabitâ ac consentientibus omnibus Ordinibus Regni, sani mente & corpore, liberè nec coactè Regno Poloniæ, & Magno Ducatui Litvaniæ, Dominisque eidem annexis nosmet in præsens & in perpetuum abdicamus; jura Majestatis, & alia quævis Monarchis Poloniæ & Magnis Ducibus Litvaniæ, regalia, ex antiquo competentia, plenè & integrè in manus Senatûs, & Nuntiorum Terrestrium totiusque Reipublicæ omni meliori modo restituimus, ac reponimus, omnes Status & Ordines & quemlibet subditorum seorsim, à juramento fidelitatis nobis præstito, quovis modo resoluimus, atque ab obligatione subjectionis, Homagij, Vasallagij emittimus & absolvimus, Ducem in Prussia, ab obligatione Bycheuiæ ac Lenburgi. Etiam Ducem Curlandiæ, ab Homagio, seu quibusvis alligationibus, ex nostra tantùm persona, liberos pronuntiamus &c. Quâ abdicatione, seu resignatione Coronæ Regiæ, jam protunc ritè & legitimè peracta, ac diplomate præsenti corroborata, jus & potestas erit, atque est Reverendissimo Domino Archiepiscopo Gnesnensi, uti subtempus interregni, cum omnibus Statibus & Ordinibus ad Electionem novi Regis, juxta leges & consvetudinem antiquam procedendi. Quam quidem liberrimam Electionem nullâ ratione impedituros nos, neque candidatum quempiam promoturos; imò remotiùs ab actu & loco Electionis durante eâdem Electione mansuros, promittimus. In cujus rei fidem, & robur perpetuum, præsens diploma nostrum sigillo Mitis com-

communiri juſsimus. Datum Varſaviæ in comitijs Regni Generalibus A.C. 1668
die XVII Menſis Septembris Anno M. DC. LXVIII. Regnorum noſtrorum Poloniæ XXI. Sveciæ XXII Anno.

DIPLOMA A REPUBLICA JOANNI CASIMIRO OBLATUM.

Nos Regni Poloniæ, ac Magni Ducatûs Litvaniæ, Provinciarumque annexarum Ordines &c.

HOrtantibus exemplis *Majorum noſtrorum, quì nihil glorioſius, nihil poſteritatis memoriæ mandandum nobilius putârunt, obſervantiâ & veneratione Regum ſuorum, eorumque cultum & amorem per tantam temporum ſeriem integerrimè conſervatam, velut compendium omnium gloriarum nobis tradiderunt: ut ſtudia noſtra huc conferentes, retinere, augereque imperantium benevolentiam erga Rempubl. valeremus. Ad quam omni poſsibili medio obtinendam, non modò honeſtâ æmulatione Majorum, verùm etiam obligante gratitudine, & plurium beneficiorum Domûs Regiæ obſtricti debito, præſertim inclytæ ſtirpis Jagellonicæ, trecentos prope per annos in Patria noſtra Regnantis. Sed cumprimis Sac. Reg. Maj: Joannis Caſimiri D. N. Clem. ſpatio 21 annorum, pace æquè ac bello inclyti, poſt ſummos Prædeceſſores ſuos, per libera ſuffragia Ordinum Regni & M. D. Litvaniæ ſceptra Reipubl. noſtræ moderantis, inſignes ad ſtuporem orbis animi dotes &c. &c.*

Et hic in debita effuſi encomia, quæque proſpera ex vero memorabant, ſubjungendo Apodoſim.

Quapropter acceptâ notitiâ ab Illuſtriſsimo Regni Primate, de hocce triſti & inſperato nobis deponendi diadematis S. R. Mtis propoſito, & abſceſſu throni, omnes adhibuimus curas retinendo, in eo Regali Anteceſſorum ſolio) in quo eundem ſupremi Numinis æterna diſpoſitio, & unanimis conſenſus gentium Poloniæ ac M. D. Litvaniæ per libera ſuffragia collocaverat) interpoſuimus enixam Illuſtriſsimi Senatûs authoritatem, addidimus ſupplices Ordinis Equeſtris preces, denique totius Reipubl: obteſtationes, junctâ voce & ſuffragio nobiſcum, omnium orbis Chriſtiani Principum, inſuper oppoſuimus vetantes leges, Regij juramenti vincula &c. &c. Verùm cùm prædicta omnia in caſſum ceſſerint, nec ſuperare immobilem deſtinantis mentem, ac propoſiti firmitudinem ſuæ Mtis immutare ea valuerint, præponderante æternitatis curâ, etiam feſſæ valetudinis ratione. Tandem urgentibus fatis, cedere adacti ſumus, nec ultra obluctari voluntati S. R. M. licuit, ſinceriſsimum animi ejus candorem perſpiciendo, & advertendo, nihil eo actu impreſſum cordi S. R. M præterquam, quòd pietas, & ingenitus in hanc Rempubl. amor dictarent; quam ille, ut demum avitum fundum, & Patrimonium proprium animitus diligeret. Nec minùs informati Diplomate S. R. Mtis, quo ſe obſtringit, cœlo & orbe terrarum teſte, nullo privato intereſſe, ad eam abdicationem inductum, ſed ſolâ laſſæ valetudinis curâ, & æternitatis reſpectu, puro & candido animo ad deponendum

A.C.1668 *ponendum diadema acceſsiſſe. Et quoniam S.R.M. reſtituit Diplo-*
ma, quod in pignus conſtantis noſtræ, & perpetuæ fidei, à nobis
acceperat, aliudque ſpecialiter confectum ſuperaddit, quo ſubjectione
& juramento fidelitatis Rempub. liberam pronuntiat; proinde ùt con-
ſentaneum Ordinibus regni viſum, hoc mutuo reverſali, à juramento
vicißim per Delegatos ſuper pacta conventa in Eccleſia Collegiata
Varſavienſi præſtito; deinſubſequente in Baſilica Cathedrali Cra-
covienſi tempore felicis ſuæ Coronationis publicè confirmato, resolvi-
mus: & illud in omnibus totaliter punctis, & articulis reſcindimus,
& annihilamus, ſalvis per omnia iuribus, & privilegiis noſtris,
Id vel maximè præcauendo, ne actus modernus quicquam præiu-
dicare ualeat libera Electioni, legibus gentium, & immunitati, nec
unquam inter exempla conſuetudinis trahatur, & computetur ad
poſteros &c.

NICOLAI PRAZMOWSKI ARCHIEPISCOPI GNEZNENSIS ET PRIMATIS SENATUS NOMINE REGI VALEDICTIO.

Ecquod illud tandem per tot ſæcula & ætates nuſquam viſum? eò-
que nobis triſtius? aſpiciente orbe, oculis noſtris intuentibus, volun-
tas altiſſimi exhibuit ſpectaculum? ſpectaculum eheu? quod multos
, in admirationem rapit, plurimos ſtupore attonitos reddit, nos verò, Pa-
, triamq; noſtram ærumnosâ involvit calamitate. Ubi S. R. Mtem Ve-
, ſtram, quod maximè æſtimat ambitio, jam die hodiernâ, ultrò & bene-
, volè repudiantem ſceptra videt, & jura Regnorum; ac Dominationem
, deponentẽ contuetur? quis enim portentũ demiſſionis ejuſmodi ad mi-
, raculum in homine mortali ſimile moderamen animi, ſine ſtupore & ad-
, miratione intueri queat? cùm aureum pomum hoc, quod à primis mun-
di cunabulis appetitus humanus afflictim deperit, & pro quo ſudat ambi-
, tio ingentibus curis acquiſitum, enormi ſuſtentatum labore, è manibus
, tuis dimittis, eò dolentius, dum pro vix dimiſſo, & adhuc in manibus
, hærente, jam diverſi competitores flagrantiſſimo ambitu contendant.
, Deſeris ſponte Ser. Rex thronum iſtum, trecentorum fere annorum ſpa-
, tio, à piiſſimis, & in ſeram poſteritatem memorandis S. R. Mtis Veſtræ
, Majoribus poſſeſſum & inſeſſum; & ex eo haud interruptâ ſeriè, jura his
, populis reddentibus. Relinquis ipſiſſimam & genuinam Patriã, quæ ut
, ſemel à cunis infantem S. R. Mtem Veſtram ulnis ſuis excepit, ita eun-
, dem adultum fovit, virum & Regem in avito ſolio concordibus liberæ
, gentis ſuffragijs collocavit. Grande hinc doloris noſtri augmentũ, dum
, S. R. M. Pater Princeps noſter valedicis Senatui, quem potens & beni-
, gniſſima Majeſtatis Veſtræ plantavit dextera: ut nemo ex hoc ampliſſi-
, mi Ordinis collegio reperiri poſſit, qui non ſe creaturam manuũ S.R. M.
, Veſtræ fateatur, qui non ſe excultum gratiâ, ornatum beneficijs, obliga-
, tum benignitate in perpetuum recognoſcat. Valedicis inſuper huic non
, poſtremæ Regni noſtri portioni, inclyto & invicto gloriæ tuæ ex bellis
, partæ inſtrumento, Equeſtri Ordini; ſtabile Dominationis tuæ fulcrum
, recognoſcens, & tot trophæorum pararios, quot partis ex hoſtibus victo-
, rijs, Patriam noſtram illuſtraſti. Ampliſſima hic nobis materia dicendi
, ſe aperit, inenarrabiles labores & ærumnas recenſendo, quas ob coñmo-
, dum publicum & amorẽ Patriæ, viginti & amplius annis ſuſtinuiſti, du-
, rante regiminis tui intervallo: hoſtiũ circũcirca inſurgentium repreſſos
, inſultus, invincibili animi firmitudine, eoque Martij pectoris robore,

ut

, ut non de hoſtibus tantùm, ſed de ipſa fortuna triumphâſſe videreris. *A.C.1668*
, Aperit ſe campus patentiſſimus, leniſſimis & planè Paternæ Dominatio-
, nis argumentis memorandis, quæ non imperioſi Principis, ſed benigniſ-
, ſimi Patris Patriæ, demonſtrarent affectum; ſi modò enarrandis ex æ-
, quo & vero ijs, premens eorda non faceret elingves dolor, & irreſarci-
, bilis jactura noſtra verbis ſine auxeſi, non imponeret modum. Eam ta-
, men profitemur in pectoribus noſtris, optimi Principis perennaturam me-
, moriam, quam efficaciſſimè animis populorum impreſſit, perpetua &
, in ævum duratura præſentium beneficiorum recollectio & debita ad ſe-
, ram poſteritatem Regiorum meritorum gratitudo: cui verbis rependen-
, dæ omninò inſufficientes, hoc tantùm ex merito extollendæ cum Pro-
, pheta adferimus: *A a a Neſcimus Domine loqui.* Nec quid reſtat ampli-
, ùs niſi humillimè à Sacra Regia Majeſtate Veſtra precari, ut hos ſuccũ-
, bentis facundiæ noſtræ defectus, innatâ Majeſtati Suæ clementiâ con-
, tegere, & in abyſſo congenitæ bonitatis abſcondere velit.

SIMILIS ALTERA AB EQUESTRI ORDINE.

UTi Sereniſſimi ſolis ſplendor, oculis noſtris gratus exiſtat, non ſolùm vis illuſtrativa orbis, ſed etiam influxus radiorum ejus, uberrimos fructus è terra producentium, facit gratiorem. Nec diſpari modo
, terreſtria hæc luminaria Regum Majeſtates, quibus Numen æternum,
, vicariam in ſublunaribus ſphæris contulit poteſtatem, ſe habent ad effectũ
, in animis, & pectoribus ſubditorum producendum, quibus non magis ſe
, ingerunt, opum & Majeſtatis amplitudine, aut potentiâ, quàm candore
, animi, & clementia: dum regnant, ut benefaciant, & præſunt, ut pro-
, ſint. Faceſſant ſanè ambitioſæ Majeſtatis tituli, Magnorum, Felicium, Au-
, guſtorum, in honorem imperantium excogitata cognomina, peculiaris
, unus Patris Patriæ titulus, omnibus præferendus eſt: uti bono Principi ap-
, primè competens, qui ex reciproca regnantis benevolentia, & ſubditorũ
, obſequij promptitudine, emanavit. Nam ſi amantem parentem peracerbè
, affligit delinquentis filij error, neque minus bonum Principem periclitans
, crediti populi ſalus, apud quem nemo tam vilis eſſe poteſt, ut ipſo pere-
, unte non ſe perire Princeps arbitretur. Ejus rei (licet quadrimeſtre tan-
, tùm Romanæ urbis tenuerit imperium) reliquit exempium Salvius Otto;
, cui ſatiùs viſum, ſpontaneâ morte abrumpere vitam, quàm multo ſan-
, guine civium ſuorum mercari imperium, mortemque ſibi ultrò accerſiit,
, ne plura funera Romanæ pubis pro ſe morientis aſpicere cogeretur. Eam
, Heroico facinore in pectoribus civium excitans gratitudinem. ut multi
, caritate Principis, ad rogum ejus manus ſibi conſciverint. Similis amo-
, ris in populum ſibi ſubditum, hanc Rempubl, gubernando & conſervan-
, do, ſtetêre rationes, à pijſſimis S. R. Majeſtatis Veſtræ Majoribus uſur-
, patæ: Regibus pro populo intrepidè periculis coronata capita objicientibo;
, viciſſim civibus, ſecuriori Regum quieti, ſinum & pectora ſubſternenti-
, bus. Hac viâ à Majoribus tritâ etiam Sua Majeſtas prima Regni inchoavit
, gubernacula, & eodem tenore ad præſentem actum perſeveravit, immor-
, tali ad poſteritatem Zborovianæ expeditionis documento, ubi pleriſque
, Ducum Regias copias hoſtilibus impares conſiderantibus, fatiuſque Zbo-
, rovienſes obſeſſos ſuæ ſorti permittere cenſentibus, dummodo Rex cum
, flore Exercitûs evidentiſſimo diſcrimini ſubduceretur: quod providum
, tunc, aſt re ipsâ puſillanime conſilium ſua Majeſtas generosè rejecit, u-
, num Antigonum pro multis millibus cenſens, pro ſalute tot fortium vi-
, rorum, jamjam ſuccumbentium, Regium caput ſuum, & vitam, in qua
, omnium noſtrûm vita erat, ad inſtar Curtij pro Patria devovendo. Quâ
, Heroicâ animi fortitudine, Coſacorum ſtupendam exarmâſti potentiam,

A. C. 1668 , Seythieæ gentis cohibuiſti barbariem, tuorum accendiſti furorem, excitâſti puſillanimitatem, ut proſperante fortiſſimam intentionem Numine, , pacem poſtularent, qui bellum fecerant rebelles, & qui jam planè ſemi- , victores erant, demum S. R. Mtis incredibili virtute, victos ſe faterentur. , Hæ ſunt aureæ præclarè factorum catenæ, amorem ſubditorum Principi , obſtringentes, hæ compedes obſequij perpetuâ beneficiorum reminiſcen- , tiâ devincti, quibus æternùm obligatæ gentes noſtræ, etiam nunc & ul- , trà, nimium, quàm cupierant perdurare ſub alis felciſſimi Dominatûs, , & immutabili S. R. Mtis Veſtræ protectione: huc curis noſtris, huc ſtu- , dijs omnium verſis, quomodo non fortunis, non ſangvini, imò nec vitæ , impendio parcentes, & quidquid unicuique eariſſimum natura eſſe volu- , it, modò in hoc Majorum ſolio recumbentem, & ad ſera fata Regnantem , S. R. M. D. N. Clem. aſpiceremus, ſolidam illam optando ſuæ Majeſta- , ti gloriam, quæ omnes ſuperat Regum titulos: AMARE MAGIS REM- , PUBL. QUAM FILIOS. Sed quoniam neque Illuſtriſſimi Senatûs humil- , lima poſtulata, neque ſtatûs Equeſtris, utriuſque gentis, flagrantiſſimæ pre- , ces, nec totius Reipubl. demiſſa interpoſitio, Patriæ diſcrimina, Monar- , charum Chriſtianorum dehortamenta, tenacem propoſiti mentem, à ſe- , mel ſuſcepto conſilio dimovere potuerunt; inde palam nobis liquet, quòd , fatali rerum ordine præſcriptum ſit, ut fiat id, quod non conſilio prudenti, non remedio ſagaci, non vi ingenij, aut prudentiæ humanæ adminiculo inverti, aut Immutari poſſit, ne non fieret. Accedimus ergo inviti ad , hoc abominabile nobis divortium, valedicimus non ſine grandi cordolio, , fideles ſubditi Clementiſſimo Principi, & in orbitate relicti, Patrem Patriæ , benigniſſimum, ad plantas pedum procumbentes, demiſsè veneramur. Quod , ſi vel avitæ libertatis zelus, vel humanæ naturæ fragilitas, aliquam diſ- , plicentiam, vel offenſam provocavit; à paterna Majeſtatis Veſtræ clemen- , tia indulgeri poſcimus. Deprecamur item innati erga hanc Rempubl. amo- , ris immutabilitatem, & perennantem Patriæ affectum, quæ à primis eu- , nabulis S. R. Mtem Veſtram enutrivit, tenerrimè fovit, & aluit, etiam , ſangvinem & intima viſcera pro felici ejuſdem Dominatione litare haud du- , bitavit. Quâ de cauſa potiſſimum retinebis Ser. Rex, haud obliteratam ad- , dictiſſimi tibi populi memoriam, & nos viciſſim ad recolendas laudes ſuæ , Majeſtatis flagrantioribus accendemur ſtudijs. De ſucceſſore throni haud , requirimus ſenſum ſuæ Mtis, certi non aliud reſponſum relaturos, quàm , quod idem requirentibus amicis, Alexander Macedo dedit: eligite digniſ- , ſimum. Vel quale Julianus Imperator (niſi à fide ſe apoſtaſiâ temeraſſet, , revera Inter egregios Prineipes numerandus) ſub bellum Perſicum letha- , li vulnere ſaucius ſupremi in Patriam affectûs teſtimonium reliquit: A- , lumnum me Reip. ſciens, eidem frugi opto poſt me reperiri Rectorem. , His ergo uti ſupervacuis curis haud fatigando ſuam Mtem, certi omnino, , & ipſiuſmet vivæ voeis oraculo confirmati, apprecamur cuncta proſpera , & glorioſa S. R. M. & perennes diuturnæ longævitatis annos. Jam verò , uti ſemper aliàs, pro agnitione debitæ ſubiectionis, conſvevimus victri- , cem ſuæ Mtis dexteram oſculo venerari, ita etiam nunc in teſſeram immu- , tabilis affectûs, & conſtantiſſimæ propenſionis pignus, pari cultu & vul- , tu ad eam oſculandam ferimur. D.

ITERATA VALEDICTIO PER PROCANCELLARIũ REGNI.

ERgo jam Sereniſſimus Prineeps JOANNES CASIMIRUS D. N. Cl. ampliſſimarum gentium modò Rex, pace belloque Inclytus, potentiâ inſuperabilis, Regni Poloniæ Monarcha; triſte dictu! hodie, hac ho- , râ, hoc temporis momento, attritas laboribus vires, & finem vitæ reſpiciens, , expetitâ à Republ. miſſione Regimen ſuum concludit? ac throno hoc Sarmatico

„matico decedens, hæreditaria Sereniſſimorum Anteceſſorum, ſuaque A.C.1668
„ipſius decora, victorias, triumphos, omneſque in univerſum actus, al-
„mæ huic Patriæ, filijſque ejus, Illuſtriſſimis utriuſque gentis Ordinibus
„dat, donat, reſignatque, eâ memorabili geſtis ſuis ſuperadditâ Epigra-
„phe: ſine me, per me, fruimini: deponit ecce Sereniſſimus, è Regio ca-
„pite diadema, quod grave admodum & oneroſum, in varijs bellorum
„diſcriminibus immotâ cervice tulit; reddit creditum manibus ſuis ſce-
„ptrum, quo turbines & tempeſtates procelloſi maris ſedabat, conſule-
„bat que naufragijs pluries imminentibus: reſtituit vobis hanc circula-
„rem ſphæram, effigiem orbis demonſtrantem, ſub qua laborioſus Atlas,
„viginti annorum & ampliùs ſpatio, nuſquam ſubduxit humeros, nec
„graviſſimâ regnandi mole preſſus ſuccubuit, nec abjecit onus vix to-
„lerabile. Provolvit ad manus veſtras Regium pomum, eo cum voto
„& deſiderio: detur digniori. Antevertit nempe maturato conſilio no-
„viſſimum terminum illum, æquè Regibus ac mendicis communem,
„in quo ſepulchralis cinis æquat omnes, ac è Majeſtate Regia ſponta-
„neè decedens remigrat in habitum, conditionemque privati; ſubducens
„ex hac perilluſtri umbella, ac magnifico Regiæ amplitudinis throno,
„præſentiam ſuam. Relinquit nihilominus non ſolùm in hoc Auguſta-
„li, ſed magis in generoſis Polonorum pectoribus memoriam ſui, nec in-
„gratam per annos viginti & amplius meritorum reminiſcentiam; ſi-
„ne dubio in animis ſubditorum ad ſeram poſteritatem, regnaturus. Jã
„nunc liceat Sac. Reg. Mti ſub extremum vale & noviſſimum digreſ-
„ſum, uti verbis illis, quibus olim magnus Imperator uſus, dum vitam
„& Dominationem concludendo, ad adſtantes inquit: ergo valete, & plau-
„dite. Retulit jam exauguratus Princeps, ac ſe ipſo minor Senatûs ac
„Equeſtris Ordinis ore, bene adminiſtratæ Reipubl. teſtimonium &
„encomia: exceperunt viciſſim ab eo inclyti utriuſque gentis Ordines,
„vivæ vocis oraculo valedictionem, nec quicquam ſupereſt ſuæ Mti,
„niſi ultimariè ſingulis & univerſis paternè benedicere, & effuſo cor-
„dis affectu lætiſſima Reipubl. tempora apprecari, Auguſtæum illud in-
„geminando, plaudite. Bene ſit in ævum huic communi matri Patriæ,
„vigeat Reſpubl. trophæis, cives concordiâ; avita floreat Religio, & com-
„poſitis concordi unione animis, liceat optimum quærere, throno Sar-
„matico regnaturum. In cujus immutabilis affectûs teſſeram, ſtipulatã
„manum cunctis Sereniſſimus porrigit. Illam manum, inexhauſtam
beneficiorum in populum ſibi ſubjectum diſpenſatricem, quâ dextrâ nu-
„per circumfuſos undique à Patria hoſtes depulit, vicit, aut ſubegit,
„eâ nunc cunctos ad pectus ſuum applicans, vadem offert, & manu Re-
„giâ fœdus ſancit, licet ſi ad privatas umbras ex publico decedat, quod
„unumquemque veſtrûm, tam præſentium, quàm domi manentium,
„nunquam Paterno affectu excludet, & donec vita ſuperſteserit, haud
„extinguibili affectu proſequi univerſos dignabitur. Quoſque nunc ex
„ſubjectionis vinculo, à nexu juramenti præſtiti ſolutos manu miſit,
„eos demum ad prehendendam manum iſtam, & oſculandam, velut in
„ſtipulatum admittit.

AD SUMMUM PONTIFICEM,
A PRIMATE REGNI 17. Sept.

POſtea quam nec Sanctitatis Veſtræ paternæ dehortationes, nec Conſanguineorum Principum diſſuaſio, nec ipſiuſmet ſubditi populi, Senatorum, Procerumq; hu comitiis congregatorum ſup-

A.C.1668 plices preces obfirmatum ad abdicandum hoc Regnum Serenissimi nostri Regis animum, à proposito dimovere valuissent, illud tandem diu meditatum, maximo omnium dolore exequutus est, cum die nupera 16. mensis Septembris & omni Regiâ potestate in plenis ac frequentissimis comitiis à se abdicata, plenum nobis jus eligendi successoris reliquit. Factum hoc cum primis Sanctitatis Vestræ debui intimare, ut gravissimis curis, quæ incomparabilem Sanctitatis Vestræ vigilantiam, in universa Christianitatis bonum incessanter exercent, ista quoq; nec minor, nec inferior cæteris accederet. Fiet profectò ut tam porrecta ad omnes orbis Christiani partes Sanctitatis Vestræ sollicitudo, nostro quoque Septemtrioni in tam arcto, & ancipiti statu fluctuanti deesse nolit, quinimo Regno huic Catholico, & Sedi Apostolicæ deditissimo, nunc præcipuum impendere dignabitur Sanctitas Vestra studium, cui cum Regem domo accersere non possumus, aliunde omnino quærere Principem debemus, ignari, & inscij quemnam cælestis providentia throno huic destinârit. Supplex proinde patrocinium Sanctitatis Vestræ Procerum Regni hujus, ac Magni Ducatûs Litvaniæ nomine favoremq; imploro, quo benedictione Paternâ ejusdem Sanctiti Vestræ confirmati ejusmodi consilia ineamus, quibus jacturam pientissimi ac pro fide Catholica zelantissimi Regis in sufficiendo alio non dissimilis zeli, & paris probitatis Principe resarcire possimus: Mihi imprimis, cui eo nomine tã difficilis interregni moles maximè incumbit, secunda post Divinã utpote vicaria ejus, manus Sanctitatis V. petenda venit, ut eâ fultus huic tantò firmius insistam, murumq; me pro domo DEi ponam, quantò certior sum hac rerum metamorphosi insultibus hostium, eandem fore arietandam, atq; cum hac humillima prece mea ad scabellum me pedum beatorum Sanctitatis Vestræ demittens, eosdem reverendissimo osculo veneror. Dabantur Varsaviæ 17. mensis Septembris.

AD CARDINALEM PATRONUM, EJUSDEM.

ITA hoc antemurale Christianitatis in medio bellicosissimi septemtrionis consedit, ut aut bellorum ictibus incessanter quassetur, quippe Barbarorum, aut Hæreticorum junctum vicinia, aut arcana quadam fatorum intemperie, domesticâ exerceatur inquiete, ita profectò eâ tempestate accidit, cùm enim hostica & Moschorum & Schismaticorum arma, ut alia minora silentio præteream, divino adspirante numine, & Serenissimi Regis Casimiri fortunâ, ferro primum fracta, fœderibus deniq; composuissemus, refloruisse pacem diuturnam credere poteramus, nisi nos in funestum interregni tempus repentinus Serenissimi Regis è solio discessus conjecisset, non prævaluêre Senatus, & omnium provinciarum hortamenta, ut partâ pace sua quoq; Majestas cum subditis populis in solio flueretur. Igitur cum in animum induxisset è publico in privatum secedere otium, tandem 16. Septembris solenni apparatu in frequentissimo senatu, & Ordinum confessu, Regno

& Reip.

& Reipubl. ſummo omnium noſtrum dolore valedixit; & quia mihi cum primis vacante throno, veluti Regni Primati publicas reliquit curas, ſignificandum, id ſimulq; quàm enixè Eminentiam veſtram rogandam duxi, quatenus pro ſuo apud Sanctiſſimum favore Paternam ſuæ Sanctitatis in me derivare velit benedictionem & Patrocinium, cujus ſubſidio nixus arduam hanc valeam ſuſtinere provinciam, deditiſſima cæterùm obſequia mea Eminentiæ Veſtræ defero. Datum Varſaviæ. A.C.1668

LITERÆ AD CARDINALEM PROTECTOREM. 17. Sept.

NOvo necdum in ſolio Sarmatico viſo exemplo Sereniſſimus JOANNES CASIMIRUS regnare deſijt, cum expectare noluit, ut ſibi fata ultima eriperent ſceptra, verùm cum eadem ſponte diu præmeditatâ abdicare propoſuerit, non potuêre apud pientiſſimũ Principem provinciarum & populorum pientiſſimæ preces, nec Senatûs, & Comitiorum lachrymæ, ne Regnum dimitteret, aut unam imperij & conſcientiæ curam reſumeret. Itaque 16 Septembris ſolenni ritu, & admirando faſtûs ſæcularis contemptu, majori alacritate ſceptra depoſuit, quàm ſuſceperat, ſui nobis deſiderium relinquens, Succeſſoris verò more Majorum liberrimè eligendi poteſtatem, tam memorandum deſideratiſſimi Regis factum, & repentinam Regni hujus orbitatem Eminentiæ veſtræ, quàm primum denunciandam duximus; quatenus Eminentia Veſtra pro ſolita rerum noſtrarum cura, & protectione in tam vel maximè funeſto Reipublicæ caſu, ſtudio ſuo eidem deeſſe nolit, noſque favore, & benevolentiâ proſequi, & quod maximum eſt ad aras immaculatiſſimas, commendatiſſimos habere velit, has verò, quas ad Sanctiſſimum mittimus, dignetur Eminentia Veſtra Sanctitati ſuæ quantocius exhibere, nec minus Regni hujus neceſſitatem, ac pericula, quæ interregni tempore ingruere ſolent Sanctiſſimi Domini Noſtri providentiæ, ac favori commendare, cæterùm Eminentiæ Veſtræ obligati noſtra deferimus ſtudia Datum Varſaviæ.

AD SACRAM CONGREGATIONEM

GRaviſſimo rem noſtram publicam Sereniſſimus Rex noſter JOANNES CASIMIRUS afflixit caſu, dum depoſitis Regni faſcibus, ſublatoque placidiſſimæ planéque Paternæ gubernationis ſuæ fructu in orbitatis, & interregni diſcrimina dedit præcipitem. Non ambigimus illuſtre, & ipſâ novitate ſuâ eximium facinus, tam ſtupendam Europæo orbi exhibere ſcenam, quam nobis cauſavit. Hoc verò publici mœroris ſenſu perculſi, dum attentæ mentis indagine adverſus quævis pericula ſcrutamur præſidium, non eſt unde præſentius, quàm à divorum Po- Beatificatio Cantij promovenda commendatur

A. C. 1668 *lonia Patronorum præstolamur patrocinio; Eorum verò catalogo ut Sanctitas sua servum DEI JOANNEM CANTIUM accensere dignetur, Senatus, Clerus, populúsve Sarmaticus supplicibus contendit precibus. Proponentur Sacro Eminentiarum Vestrarum Collegio insignia Divi hujus miracula, quibus vitæ sanctimoniam illustravit, deducentur & eâ authentico processu beneficia, quæ ejusdem suffragio in dies cælitus in nos derivantur. Quare plurimùm Eminentiæ Vestræ de nobis totoq; hoc Regno merebuntur, ubi ferventissima nostra, & universi desideria populi ad votivum provexerint effectum, eóque Sanctissimum Dominum nostrum permoverint, ut Candidatum hunc nostrum in Sanctorum Confessorum tribum referre dignetur, talique honore à populo colendum decernat, qualis Beatissimarum mentium cœtui, ab Ecclesia DEI in terris impenditur, quod equidem tantò majori exoptamus desiderio, quantò prolixiori fœnore vota nostra à Beatissimo hocce DEI servo coronanda speramus. Faciet Sanctitas Sua rem, & Divinæ laudis auctoramento congruam, & excitandæ Christianitatis zelo maximè proficuam, grande insuper nostræ erga Sanctam Sedem devotiom & reverentiæ præmium accedet, afflictisque rebus nostris certum dabitur solatium. Quam in rem EMINENTIARUM VESTRARUM promotricem operam solicitamus, pietati nostræ, regnique emolumentis consulant, prosperrimos ijdem rerum successus precati, devotissima nostra deferimus obsequia.*

Datum Varsaviæ in Conventu Generali.

AD REGEM DANIÆ A PRIMATE REGNI

ITa divinæ placitum est providentiæ, ut rem nostram publicam nullâ perpetuâ beare velit tranquillitate, imò novis eandem continuò exerceat ærumnis, & adversitatibus: Tot enim quassata malis, vix dum respirare cœperat, reductis duntaxat undique pacis ornamentis, cùm Serenissimus Rex JOANNES CASIMIRUS, tot retro annis exantlatam Regiarum curarum molem, & fastidium sanctioris otij malaciâ redempturus, simul & sese Regno die 16. præsentis abdicavit, & Reipublicæ orbitatem induxit. Quantò proinde benignius suæ Majestatis imperium experti sumus, tantò majori animi dolore hanc Serenissimæ Majestatis suæ abdicationem ipsâ exempli novitate mœstam, & excipimus, & prosequimur. Serenissimæ verò Majestati Vestræ id eatenus communicandum duximus, ut eidem constet, quo periculi, amicissimum, ac non us-

no

no fœdere ſibi addictum devolutum ſit Regnum, & quæ illud A.C.1668
maneant orbitatis incommoda; quod ſicuti eo à MAJESTATE VESTRA animo, quo propenſionem ſuam in Reimpublicam noſtram, hactenus multis manifeſtiſque palàm fecit argumentis, acceptum iri confidimus, ita non dubitamus fore ut præſenti turbidarum rerum noſtrarum ſtatu, ea in hoc Regnum permaneant benevolentiæ officia, quæ amiciſſimi Regis humanitati maximè conveniant. Cæterùm proſperrimos rerum ſucceſſus MAJESTATI VESTRÆ precati obligatiſſima noſtra commendamus ſtudia. Dabantur Varſaviæ.

AD ELECTOREM BRANDEBURGICUM A PRIMATE REGNI

Quemadmodum tempeſtas minari ut plurimum prius conſuevit, quàm conſurgat, ita antequam Sereniſſimus Rex noſter ultimum Jagellonia Proſapia pignus, ac Hæres præſentis orbitatis turbine Rempublicam involveret, convocato non ita pridem Senatûs Collegio id ſeſe facturum prædixit: ſperabamus, nihilominus fore, ut aut ipſâ temporis morâ ille animi impetus miteſcendo conſideret, aut certè ſupplicum Regni Ordinum intenſione refrigeſceret, verùm contra quàm ominabamur, evenit, cum SUA MAJESTAS SERENISSIMA vigeſimum Regni annum emenſa & per utramque experta fortunam, quàm arduum ſit cuncta regendi onus, non tam curarum Regiarum faſtidio, quàm meditandæ æternitatis motivo ad privatam tracta quietem, id quod reliquum eſt ætatis, ſanctioribus curis impenſura, Regno ſeſe in totius Reipublicæ conſpectu abdicavit. Quo facinore veluti nos ſummo dolore, ita & longè graviſſimis cumulavit curis, adeo ut rem cum SERENITATE VESTRA, pro ea, quæ nobis mutuò intercedit, neceſſitudine communicandam duxerimus, minimè ambigentes, quin in hoc orbitatis ſtatu, eam nobis velit conteſtari propenſi animi ſui voluntatem, quam ſemper hactenus à SERENITATE VESTRA experti ſumus, dabimus vicißim operam, ut SERENITATI VESTRÆ conſtet, quanti amicitiæ cum eadem pretium æſtimemus, cui proſperos rerum eventus precati promptiſſima noſtra ſtudia commendamus

Dabantur Varſaviæ.

COPIA

*A.C.*1668

COPIA LITERARUM AD PRINCIPEM TRANSYLVANIÆ A PRIMATE REGNI

Cur nõ red dantur obſides

QUod Illuſtritas Veſtra per literas ſuas anni currentis ſolicitè à nobis poſtulat; ut dati exercitui obſides à Principe olim RAKOCIO liberè dimittantur, id Nos pro Regio, & Chriſtiano animo, & pro conteſtanda erga Illuſtritatẽ V. amica noſtra propenſione, eoque magis reſpectu, quod unus obſidum propinquo ſanguine Illuſtritatem Veſtram attingat, libenter, & nullâ morâ faceremus, ſi res à ſola voluntate noſtra penderet. Movemur enim miſeratione afflictorum virorum, qui alienæ iniquitatis pœnas immeritò luunt, dedimusque clementiæ noſtræ, quantum in nobis erat, ſpecimen, cùm eoſdem compedibus, quibus onerati erant, exſolui, & liberalius tractari juſſimus. De hoſtilitate temere contra Nos, & Poloniam ſuſcepta Principis olim Rakocij nihil jam memoramus, tantum enim facinus, quo provincias noſtras perdidit, ac ipſe demum perijt, nec excuſari, nec reparari poteſt, illud duntaxat certum eſſe volumus Illuſtritati Veſtræ, obſides, quorum cauſam agit, non nobis & Reipublicæ, ſed exercitui Polono, & Magni Ducatûs Litvaniæ eſſe datos, & conſignatos. Minimè itaque in manu noſtra ſitum, ut eos pro imperio libertati demus. Eam enim ac grandem ſummam, quam Princeps Rakocius pactis, & vadibus hiſce relictis aſſecuravit, exercitus à nobis repeteret, & prout facilè tumultuari ad præſens ſolet, per confœderationem extorqueret. Egimus Nos benevolè cum delegatis ab exercitu, qui præſentes in comitijs ſunt, de eliberatione memoratorum obſidum, ſed illi facilitatem ſuam conteſtati ad extremum reſponderunt, minimè ſibi integrum eſſe ſine ſcitu & conſenſu exercitûs ea de re aliquid ſtatuere, ſtudium tamen & officia ſua abunde promiſerunt, prout Ablegatus Illuſtritatis Veſtræ oretenus referet. Cæterùm & Nos pro confirmanda erga Illuſtritatem Veſtram Regia noſtra propenſione, authoritatem noſtram exercitui per literas interponemus. Quò verò magis mutuis officijs, amicitiâ, & bonâ correſpondentiâ invicem promoveatur, Illuſtritatem Veſtram fidenter compellamus, ut Sacerdotibus, ſive Miſſionarijs Catholicis Claudiopolim pro exercitio Religionis Catholicæ, non ita pridem ingreſſis, de permanſione tamen ſua minùs fortè ſecuris, locum aliquem pro exſtruenda reſidentia in eadem civitate Claudiopolitana cum libera permanſionis, & exercitij Religionis Catholicæ conceſſione concedere, ac privilegio ſuo corroborare velit, minimè ambigimus, Illuſtritatẽ V. id non aquitati duntaxat, & antiquæ Religionis

Miſſionarij Catholici cõmendantur

liberta-

libertati, ſed etiam Noſtræ Regiæ inſtantiæ haud gravatè conceſſuram. Quod Nos pari benevolentiâ noſtrâ datis occaſionibus rependemus. De reliquo Illuſtritati Veſtræ bonam ualetudinem, & proſperos à DEO ſucceſſus apprecamur &c. A.C.1668

LITERÆ AD IMPERATOREM ROMANORUM.

QUam felici ſerie Sereniſſimorum ſtirpis Jagellonidum tot ſæculis imperium in hoc uſq; temporis momentum in Polonia magnoq; Litvaniæ Ducatu continuaverit, id Sacræ Cæſareæ Majeſtati Veſtræ plus quàm manifeſtum eſt, cum eidem ſummo Reipub. bono, ac emolumento, cum ejuſdem originis Principibus perpetui conſanguinitatum, & affinitatum interceſſerunt nexus: hinc verò eſt, quòd Regnum tanto triſtius ſuæ ingemiſcat infelicitati orbatum optimo Principe, Supremo prædictæ regnatricis Domus Hærede Sereniſſimo JOANNE CASIMIRO. Qui dum illuſtri fama 20 annorum faſtos implevisſet, ac Regiæ poteſtatis faſtigium ſtationem non portum reputaſſet, indéque meditandis æternitatis momentis ſacratioris otij quietem reſpiceret, non expectato fatorum termino Regni hujus faſces in manus Reipub. ſummo Ordinum mœrore depoſuit. In hanc itaque deplorandam conjecti orbitatem præſentis Status noſtri rationem notitiæ Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ inſinuamus, idq; ex merito noſtræ in eandem obſervantiæ, quâ in venerantium cenſu nulli unquam fuimus ſecundi, non ambigimus quin Sacra Cæſarea Majeſtas pro ſua quam ſemper pronam, & addictam agnovimq; erga nos voluntatem, non ſolùm orbitatem hanc noſtram dolenter excipere, verùm etiam benignè proſpicere dignabitur, ne quid contermino ditionibus ſuis, & amiciſſimo ſemper Regno hâc rerum revolutione ſuboriatur diſcriminis, quod publicam inter ſe ruinare, aut confundere valeat incolumitatem, quod equidem plenâ in Sacra Cæſarea Majeſtate Veſtra operimur fiduciâ, ipſo eventu comprobaturi, quantum ejusdem Majeſtatis Veſtræ ambiamus benevolentiam, ac gratiam, cui nos devinctaque, & amiciſſima ſtudia noſtra, cum votis fortunatos rerum ſucceſſus Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ precantibus reverenter commendamus. Dabantur Varſaviæ.

AD REGEM SVECIÆ

INter ſanctiores ſemper reputavimus curas, ut ea, quæ nobis cum Sereniſſima Majeſtate Veſtra intercedunt vicinitatis, neceſſitudinum, & mutuæ ſecuritatis jura probè coleremus, integrè impleremus: Quod equidem viciſſim à Majeſtate Veſtra experti ſumus hactenus, ita, ut Reſpublica Polona gaudeat ſe tam arcto amicitiæ vinculo Regno Sveciæ eſſe adjunctam. Cùm verò inter amica Regna utraq; cõmunis eſſe debeat fortuna, mutuoq; commercio læta æquè ac triſtia cõmunicanda veniant, celare Mtem Veſtram

non

A.C.1668 *non potuimus, quod cùm Sereniſſimus Princeps Joannes Caſimirus, id quod reliquum ætatis ſupereſt, in priuatæ quietis malacia ſubducere jam antea deſtinaſſet, tandem in proximè præteritis comitijs Regno ſe ſe hocce addicauit, noſtro. Quanto proinde mœrore uniuerſam hanc impleuerit Remp: ex facili judicare poteſt, quisquis Paterni ejus in nos imperij, ac noſtræ erga Sereniſſimam domum Jagellonicam, devotionis non fuit ignarus. Hanc verò orbitatem Reipubl: noſtræ dum Majeſtati Veſtræ commucamus, quòd pro amiciſſima in nos voluntate ſua, fato noſtro indoleat, planè confidimus, eaq; in nos profectura ſperamus officia, quæ in hoc ſtatu à vicino, & amico Regno meritò expectari debeant. Cæterùm dum proſperrimos rerum eventus Majeſtati Veſtræ precamur, ſtudia noſtra officioſiſſima eidem commendamus. Dabantur Varſaviæ.*

AD PRINCIPEM LOTHARINGICUM, A PROCANCELLARIO REGNI. 18. Decemb.

EPiſtolas indices mentis, ac velut ſpecula non fruſtra vulgò affirmant, cùm hæc quam à Serenitate Veſtra nuperrimè accepi, ſpirantem ejus humanitatem, atq; egregias animi dotes, planè ob oculos mihi præſentet. Adjecit momentum Reverendi Patris Richardi Soc: JESU fida, & copioſa eorum quæ à Serenitate Veſtra commiſſa habuit, relatio, popularis iſte ſtatus Polomæ, & temporum ratio, atq; legum patriarum, & juramenti reverentia, adeo me pariter, ac omnes obligat, ut nihil privatim attentare, neq; aliter, quàm ex conpublico Ordinum Regni ſentire liceat, quem tamen comitari, imò & præcurrere ad inſerviendum Serenitati Veſtræ, ex animi ſententia certum habeo. DEus modò annuat, ut virtutem Ducem Comes ſequatur fortuna. Pluribus promptitudinem officij, & obſequiorũ meorum Pater Confeſſarius loquetur. Commendo me interim ſingulari gratiæ Serenitatis Veſtræ. Varſaviæ.

COPIA LITERARUM AD CARDINALEM ROSPIGLIOSUM, A PROCANCELLARIO REGNI.

DEbeo immortalem gratiam, agoq; humiliter Eminentiæ Veſtræ, quòd me compellare ultro benigniſſimâ, & honorificâ Epiſtolâ non inferius duxerit. Abſtinueram ego ſcriptione ad E. Veſtram, ne moleſtior accederem orbis Chriſtiani negotijs onerato, reverentiùs etiam acturum me putavi, ſoli Eminentiſſimo Cardinali Prodatario ſenſum meum multorumq; de Coadjutoria Epiſcopatûs Culmenſis explicando. Relatum id E. Veſtræ libens intelligo. Quod ſupplicaverit Epiſcopus Culmenſis dari ſibi Coadjutorem, ferendis ejusdem Eccleſiæ oneribus idoneum, non inficior Dominum Epiſcopum provectiore jam ætate ſatis cauſæ habere petendi Coadjutorem, quod etiam ſacri Canones, & Polonici Regni exempla patiuntur. Neq; mihi cau-

Nominatio Coadjutoris Culmenſis ſub inter-regno.

hi causa privatim subest Episcopali supplicationi, aut Archidiacono Plocensi ad dictam Coadjutoriam nitenti minimè de me malè merito obicem ponendi. Ago publicum Ecclesiæ, & Patriæ negotium (Magistratus quem gero ita me obligat) informans curiam Romanam: regali jure simul cum sceptro depositio, memoratæ coadjutoriæ nominationem non rectè, neque ordine emanasse: Dominum Archidiaconum ætate nondum maturuisse: Validam & rebus in publico gestis exercitam auctoritatem in Episcopo Poloniæ desiderari. Ad ultimum expedire, ut jus integrum Coadjutorem nominandi futuro Regi reservetur. Cæterùm prout bonum in oculis Sanctissimi Domini Nostri videbitur, actum esto. Illi rerum arbitrium DEUS dedit, nobis obedientiæ gloria relicta est. Paterni ejusdem Sanctitatis amoris, & honesti de me judicij documenta, quæ epistola Eminentiæ Vestræ affirmat genibus flexus, & lætitiâ triumphans accipio. Hoc verò pulcherrimum mihi trophæum, ac monumentum ære perennius, Vicarij Christi judicium meruisse, hic stimulus animo meo erit, ut tanquam sub aspectu Magni CLEMENTIS positus, conceptam Sanctitatis ejus opinionem non destituam, sed plus ultra zelo pro Ecclesia, pro Patria, fide, & constantia promoveam. Tibi verò Purpuratorum Syderi ad nutum quemvis inserviendi, ambitione feror; meorumque obsequiorum demissionem sublimi gratiæ, & patrocinio Eminentiæ Vestræ commendo. A.C.1668

Stanislaus Dębski

XVI

FRANCISCO DE MEGNIN ANDREAS ZALUSKI 12 Decemb.

De actis in Comitijs convocationis & tempore interregni

QUod rarius scribam, vellem quâ humanitate es, ignoscas occupationibus meis non magnis illis quidem, sed multis tamen, & molestis, quæ me interdum cogunt, magno cum meo dolore minus erga amicos officiosum esse quam optarem.

Ad curas publicas ex ratione loci, & officij Primatialis versus Archi-Præsul Prazmovius deferebat per innotescentias cunctis Regni Provincijs abscessu à throno Casimiri orbam Principe Remp. ad interregnum deveniisse. Quæ ubi publicata universalia, in quibus præfinitum tempus ejusdem Primatis edicto, dies 9na Octobris advenit, quâ conventus particulares pro condicenda internâ securitate indixit judicia solita obsoleto apud nos vocabulo Kaptur, velut capuclum dicta, fortè ideo, quòd involutum eo tegmine caput, oculos involvat, aureisque consimili ejusdem judicij rigore, ut nec respectu videndo moveatur, nec preces audiendo admittat, per quæ judicia internæ securitati provisum. Convocationis Generalis comitia 5tâ Novembris celebranda indixit, quæ vel maximè pro unione animorum, & universali in suffragijs ferendis concordiâ, & unione Electioni præcedunt. Director, seu Marescholcus ex Litvania Joannes Antonius Chrapowicki Succamerarius Smolenscensis vir nativâ realitate, & paribus ei muneri qualitatibus eligitur.

Judicia Kapturalia

Comitiorū convocationis tempus

Chrapowicki Mareschalcus

In

A.C. 1668 In Ukraina turbulentus ſatis Status, Doroſzenko, cujus frons arrogans, elatumque ſupercilium publici odij ſcopus, carens virtute quam neſcit, ac Sierkone Coſacorum Tribunis capitali odio inter ſe diſſidentibus. Prior Ottomanicæ Portæ patrocinio fretus, & in ſubjectionem Turcæ malè ſuaſam plebem trahens, Sierkonem perſequebatur, auxilijs Scytharum erectus, quibus anteacto anno Sierko Crimeam, & adſita Ponto Euxino cubilia devaſtavit. iſte rurſus veteranos Coſacos, & robur militiæ ſibi adjungebat, æmulo totis viribus, & peritiâ bellandi ſuperior, ita ut in Tauriea matres, dum vagientes parvulos aliter nequeunt, vel ipſo nomine Sierkonis venientis perterrefactos mulceant. Eſt Sierko juſtâ, & virili corporis Simetriâ, algoris, & æſtus, vigiliæ, & famis, diſcriminum laborumque Caſtrenſium tolerantiſſimus, ac quæ in illa gente haud pro virtute reputatur, ſobrietate ſpectabilis, cùm præcipuè Coſaci nihil aliud curant, quàm quod comedunt in diem, bibuntque. Ille verò non ſegni otio diffluens, aut voluptatibus marcidus, ſed continuis excurſibus, Scythis infeſtus.

Doroſzenko & Sierko hoſtes

Sierkonis terribile nomen

Ejus deſcriptio

Brandeburgicus Drahimum occupat

Accidit etiam, quòd Elector Brandeburgicus ſub tempus interregni, Drahimum in finibus Pruſſiæ Præfecturam armatâ manu, nihil tale ſperantem invaſit omnem appertinentem ditionem violenter recepit, & in ſuam apprehendit poſſeſſionem, quæ Præfectura collata in feudum erat Demetrio Wiſniovieccio Campeſtri Exercituum Duci ad vitæ duntaxat tempora extenſum, quâ demum advitalitate expirante prætacta reddi debuit Pruſſiæ Duci in ſumptus, & expenſas belli reſpectivè, quas ſub tempus hoſtilitatis Sveticæ Regni rauſa pertuliſſet. Perculit ſanè rei indignitas congregatos Varſaviæ Ordines, neſciebatur enim facti ratio, ſed factum eſſe ſentiebant multi, & excruciabantur. Cum id, quod noſtrum eſt, ſine facto noſtro ad alium transferri non poteſt, neque minus Viſnioviecio animi erat ut hic, & nunc permittente Rep. in reparandam injuriam ſibi, & Regno illatam convolaret, niſi certus Elector offenſæ providiſſet media in ante civilibus modis diluendæ, ac ubi ſatisfactum poſſeſſori feudi, accedente Oberbecci Miniſtri Electoralis agilitate, omnes ſenſim injuriæ, quæ ad unum pertinerent, tantùm animis facilè expunxerunt. Sæpius conſilium tunc deeſt, cùm opus maximè eſt, nihil ei negandum, qui poteſt cogere.

Comitiorũ electoraliũ tempus

Convocationis comitia non improſperè finita ſunt 6tâ Decemb. præfixo futuri Regnantis electioni termino ad diem ſecundam Maji in anno 1669, ut & benignitas auræ Campeſtri negotio ſit commodior, & centuriatis univerſi Regni comitijs tam explicatum ſub libero Jove theatrum faventius exhibeat cœlum, ipſum quoque pro jumentis pabulum providâ matre terrâ facile ſuggerente. Quod reliqvum eſt, noli quæſo dubitare, quin is erga te ſim, qui debeo, & qui ſemper fui.

INSTRUCTIO ILLUSTRISSIMO DOMINO BOGUSLAO RADZIWIL, DUCI IN SLUCK, BIRZE, DUBINKI &c. &c. Magni Ducatûs Litvaniæ Præfecto Stabuli, nomine Statuum Univerſorum Regni, M. D. Litvaniæ ad ſuam Serenitatem Electoralem Brandeburgenſem à nuper concluſa convocatione Legato ex Cancellaria Celſiſſimi ac Reverendiſſimi Principis Regni Primatis tradita. Die 10 Decembris.

POſt conteſtationem propenſi animi, ſtudiorum, officiorum, ac bonæ vicinitatis, nomine Senatûs ac totius Reipubl. Ordinum in convocatione proximè præteritâ congregatorum, peractam. Inſtabit Illuſtriſſimus Princeps Dominus Boguslaus Stabuli Præfectus Magni Ducatûs Litvaniæ, ut Sereniſſimus Elector, Præfecturam Drahimenſem poſt Abdicatione

, catione S. R. M. aut proximo ante eandē tempore, in manus Reip. dimittat. A. C. 1668

, Licet enim non negetur, eandem præfecturam Sereniſſimo Electori, , in ſumma centum viginti millium florenorum obligatam eſſe, ejuſque poſ- , ſeſſionem ab ejus Serenitate Electorali etiam ſinè alicujus officij aditione , apprehendi potuiſſe; vigore tamen eorundem pactorum, non aliter, quàm , prævia dictæ ſummæ ſolutionis requiſitione, & Regno, Reipublicæ de- , nuntiatione id ad effectum deduci debuit.

, Hunc legitimum procedendi gradum, ac modum omnino neceſſariū , omiſſum eſſe; imò legatum tum temporis in aula regia præſentem, nullā , ejus rei feciſſe mentionem, aut, ſi quæ eo nomine à Serenitate Sua com- , miſſa habuit, ſtudiosè ſubticuiſſe.

, Ejuſmodi enim requiſitio, & denuntiatio in pactis expreſſa adeo eſſen- , tialis eſt, ut illâ omiſsâ actus indebitus, ac illegalis meritò cenſeri debeat.

2do. Multò verò minus privata cum quopiam conferentia, in negotio , univerſam Rempublicam concernente, aut ſecreta cum excellentiſſimo Du- , ce Viſnioviecio (ſi quæ interceſſit) tranſactio ſufficiebat, cùm Reipublicæ , intereſſet, ſummæ requiſitionem ad denuntiationem partis publicè fieri.

3tio. Poſtulabit proinde à Serenitate Sua Electorali Jlluſtriſſimus Do- , minus Legatus, ut dictam Drahimenſem præfecturam Sua Serenitas in , manus Reipublicæ reſtituat, ſalvâ Suæ Serenitati in futurum, apud eli- , gendum Regem & Rempublicam, decenti in comitiis Generalibus Regni , requiſitione, quæ tantò facilius apud utroſque locum inveniet, ſi viciſſim , à Serenitate Sua, ratione non ſubminiſtratorum ſubſidiorum, ad bella Moſ- , chnvitica, & Coſatica, ex pactis debitorum, Reipublicæ præſtita fuerit , compenſatio.

, Repræſentabit idem Jlluſtriſſimus Legatus, inter prajudicia Reipu- , blicæ, ac præſertim terrarum Pruſſiæ Regalis cenſeri, quòd Sereniſſimus , Elector Trajectum per Viſtulam ſibi appropriet, nullo ad id novo, aut , antiquo jure ſuffragante. Caruit eo trajectu Sua Serenitas, cùm adhuc , Pruſſiam feudali Jure obtineret, multò minùs ſtante jam ſupremo domi- , nio eum permitti, ac tolerari poſſe. Conveniens proinde eſt, ut nihil , circa eundem trajectum innovetur, ac attentetur. Sed antiquæ ſtetur cō- , ſvetudini, ne quid hac in parte de Reipublicæ Juribus decedat.

4to. Inquirat præterea Illuſtriſſimus Dominus Legatus, quo jure Se- , reniſſimus Elector titulum Dominl in Lemburg, & Bitan ſibi vendicet, qui , directo dominio, & Juri Reipublicæ, prajudicat. Neque enim per pacta , aut tranſactionem ullam, aut circa traditionem tam ipſarum præfectura- , rum, quàm ſupremi Dominij Suæ Serenitati eſt conceſſus. Fiduciarij & , Feudalis Domini titulum non negamus, abſoluti Domini appellatio nunc , & in futurum prajudicat.

RESPONSUM ELECTORIS BRANDEBURGICI AD LEGATIONEM POLONAM PER DUCEM RADZIVILIUM.

QUæ Illuſtriſſimus Princeps Boguslaus RADZIVIL M. D. Litvaniæ Supremus Stabuli Præfectus obeundo commiſſam ſibi à Dilectione Veſtra Statuum univerſorum Regni & M. D. Litvaniæ nomine Le- , gationem nobis expoſuit, ea rectè intelleximus, & non tantùm plenam , eidem adhibuimus fidem, verùm etiam cuncta eo, quo deſiderabatur ex- , ceplmus animo. Cæterùm uti non exiſtimabamus talia prolatum iri, quæ , liquidiſſima noſtra Jura concernerent, ita nihilomlnus neceſſaria ex actis , conſignari curaſſemus ſi ad manus fuiſſent, poſtquam verò ea in Regio , Svetico Stetinenſi Archivo commodo & juſto tempore huc deferri haud , poterant, plenior iſta informatio, neceſſariò in aliud tempus, etiam no-

*A.C.*1668 „bis invitis differenda fuit. Dabimus tamen Legatis nostris extra-Or-„dinarijs ad Comitia Electionis mittendis in mandatis, ut ex actis cau-„sarum merita notent, etsi opus, aut delideratum fuerit justitiam, cui „Nos innitimur, exponant. Cujus interea Dilectionem Vestram hisce „reddere voluimus certiorem, nullatenus dubitantes, quin Respublica „jurium nostrorum dignam ex Pactis convenientem habitura sit ratio-„nem. De eo certa, quod jura vicinitatis, amicitiæ, atque fœderis, quæ „nobis cum eadem intercedunt, uti hactenus, ita & in posterum reli-„giosè simus observaturi. Quod supereſt, Dilectionem Vestram Divinæ „protectioni diligenter commendamus, eidemque studia & officia nostra „deferimus. Regiomonti 24. Martij.

PROJECTA DE PRINCIPE NEOBURGICO

INnotuit hæsitque memoriæ multorum, personæ dignitas, comitas, prudentia, vigor Neoburgici, Varsavienſibus nuptijs, cum Princi-pe nostra, anni tamen jam eis triginta elapsi, grande mortalis ævi „spatium, multum demutavêre. Non eadem est ætas, quæ media lon-„ge optima, cætera in morbos, & detrimenta senectutis desinit, ac-„crescit, vanescit. Speciosum illud in ludis Græciæ senum. Nos quon-„dam fuimus inclyti bello viri: validius pro Republica juvenum: Nos „tales sumus, fac qui vis periculum. Neque id excidit memoriâ mul-„torum, opulentiam Polonam, splendoresque Regiæ Domûs hinc exhau-„stos suumque Neoburgum avectos, ac demortuâ improli consorte, do-„tem eò, unde profecta est, nequaquam redijsse. Gratia exspiravit si-„mul atque affinitas, Regiæ Principis excessu. Vladislai Regis judi-„cium supremis tabulis Neoburgicum laudantis, potentemque regnan-„di commonstrantis, prudens illo temporis & tanto Rege dignum non „abnuerim, sed tempestate modernâ, hic si esset, aliter sentiret, neque „(quo amore, & curâ erga Poloniam fuit) tam facilem calculum po-„neret in Principem sorore suâ orbatum, liberis Regij sangvinis desti-„tutum, Reipublicæ gravem, libertati metuendum. Promotiones ex-„ternorum ad Coronam, actu in ipso Electionis pondus obtinent, Po-„loniſque æstimantur. Ante Electionem, & stante adhuc imperio Se-„reniſſimi Ioannis Casimiri, præmaturo, & malè consulto ambitu fa-„bricatæ, lædunt enormiter jura liberæ Electionis. Intolerandum gene-„rositati Polonæ, fœdera de nobis, sine nobis Principes iniisse. Adeo-„ne pupilli, & rerum nostrarum improvidi videmur, ut tutores nobis „moderandis, sese ex condicto ingerant, Regem pro arbitrio, rebus „suis obnoxium libero populo obtrudant? amori, & favori in Po-„loniam non opportuno, sponte renunciamus, nec invisis beneficium „conferri necesse habetur. Gratia bona sit ex nobis tam pronis exter-„norum in res Poloniæ studijs, sed illâ subjectâ formulâ, quâ fœdera-„tis ab Ordinibus Legationi Principum Germaniæ responsum, Groti-„us doctiſſimus Batarorum scribit: næ inutili curâ fatigantur, rerum „suarum non alius quid illis expediat, se peritiores. Ego isto animo in „Rempublicam sum, ac plures fore non dubito, ut omnes licet egregiæ „capacitatis numeros Neoburgicus impleret, mille commodis Rempu-„blicam bearet (salva ex me Sereniſſimi Principis veneratione, & li-„benti ad licita quævis obsequio) Regem eum dicere & ferre non pos-„sim, quo prælicenti ausu fortunam suam externis fœderibus, & auxi-„liis, non liberæ benevolentiæ Polonorum credidit, permisitque. Non

temere

, temerè vereor, ne Elector Brandeburgicus (aliquando tentasse legi) E- A.C.1668
, lectorale Jus inter Polonos veteri, & explosa prætensione affectet. Prin-
, cipesque alii ab hoc uno felicis confœderationis successu in futurum
, mancipatum sibi Poloniam sperent, præsumantque. An Poloni rerum
, alienarum anxii, & satagentes Electionem Imperatorum aut quæcun-
, que alia externi statûs negotia attrectamus? primi nomina pro Neo-
, burgico dedere Brandeburgicus, Rex Galliarum, Rex Sueciæ, accessere
, eidem promotioni Cæsarea Majestas, Elector Saxoniæ, cæteri Electo-
, res, & Principes Imperii, suis quisque cõmodis intendentes, ac præcipui
, vetustis, novisque prætensionibus ad Juliam, Cliviam iter sternendo,
, quin & Primarios Poloniæ Status sanciendis istis fœderibus momentum
, addidisse, nec nisi iliis suadentibus, & impellentibus pro tuenda liberta-
, te, & avitis liberæ electionis Juribus eo maximè opportunam Confœ-
, derationem factam, epistola propriâ manu exaratâ, Neoburgicus fate-
, tur. Ergóne illo Rege immunitates & Jura nostra firmiter stabunt, qui
, per violata, ne dicam calcata istharc, gradum facit, thronum affe-
, ctat? malè quæsitum Imperium, vix unquam bonis artibus retinetur.
, Plena res suspicionis, Brandeburgicum, & Neoburgicum, ab illâ horâ
, factos amicos, neque ex vano opinio, rumoresque gliscunt, secretio-
, ribus pactis, partem aliquam Poloniæ Brandeburgicum, aliam Suecos
, præcidisse. Gallum opportuna rebus suis Palatino Neoburgici promo-
, tione, potiundæ firmandæque ad Rhenum Dominationi, ac ubi casus
, detur, Imperiali Coronæ oculos spemque vastissimam admovere. Im-
, peratorem nullo in privatũ commodo, consensu multorum abripi. Prin-
, cipes Germaniæ, tot ab ea promotione spes sibi quemque derivare,
, ut desideriis illorum explendis, non Julia, Clivia, Montes, sed integra
, deficeret Polonia. Obstat Neoburgico ad Regnum grandæva ætas, o-
, nerosior, quam ut belli togæque nostræ officiis superstt, senescen-
, tis Reipublicæ inclinans moles adolescentiæ robore erigetur, invali-
, dus juventa aut senectute sub pondere primum gemet, mox succumbet.
, Lex Romana à quinquagesimo anno militem non cogit, à sexagesimo Se-
, natorem non citat, & Romano verbo de ponte dejicit. Quod Sigo-
, nius doctè explicat: Sexagenario non communicari suffragiorum jus,
, quod per pontem ferebatur senilis ætas, quod olim de Galba facilè, fa-
, stidio, cui nihil quiete, ac æternitatis meditamentis beatius diploma-
, te abdicatorio IOANNES CASIMIRUS docuit, exempio monstravit,
, neque securum, & consultum Reipublicæ, in caducum parietem in-
, clinare, ac brevibus annorum aliquot inducijs, ad interregni pericu-
, la, & curas iterum revolui. Poloni Regem vigentem, & vernantem
, flore ætatis poscunt, ut in mores hominemque Polonum faciliùs im-
, migret, comitiorum, judiciorum, castrorum, incommodis ferendo sit.
, Jura, lingvam nostram addiscat, uxore ex voto Reipublicæ sumpta, il-
, lustri & læto nos matrimonio ornet firmetque.

, Non minor obex, numerosa & tenera proles, providere, augere,
, undecim liberos Regios, grave, & intolerabile Polonis, quorum ægre
, aliquis ex pane benemeritorum delibaret. Diserevit Majorum pruden-
, tia bonorũ Reipublicæ potiorem sortem (regalia vocamus) quæ egre-
, gijs alterutra Pallade civibus Reges largiantur, quam molestum, &
, inimicum virtuti, antiqua meritorum præmia, ad cunas, & nuces
, diverti. Fertur, Sacerdotio duos filios destinari, ergo in spem Episco-
, patuum, Abbatiarum Poloniæ, & cujus erunt optima in Israël, nisi
, præprimis filiorum Regis. Prælati nationales longâ expectatione

*A.C.*1668 , conſumi, vel analectis contenti vivere cogentur. Non potuit Neoburgicus Princeps emoliri electionem filij ſui in coadjutorem Epiſcopatus Monaſterienſis ad Electoratus Spirituales, Abbatias, ad Capitula Germanica, non adeo prona, & expedita via, libera illic capitulari Electione, neque magis altum ſangvinem, quam merita, & ſuffecturas munera dotes cenſente. Cæteris filijs, & Virginibus, unde providere-tur, niſi ex Reipublicæ Præfecturis, & Tenutis. Oeconomiarum legibus prohibita diviſio: ne Princeps egeat, neque diviſioni locus, cum notabilem partem redituum Sereniſſimo Regi IOANNI CASIMIRO decidi oporteat. Iulia, Clivia, Montes, quid ſint inter tantos, jam Regio nomine coruſcantes. Quid etiam juverit capitulationis legibus Regios liberos circumſcribi, & extra Poloniam detineri, cum nulla lex potentiora naturæ jura, & paternum, maternumque affectum, adſtringat? Terentianum illud conveniet: ibi ſumus, ubi non ſumus, ubi non ſumus, ibi eſt animus noſter, ibi cura, opes, proviſio, ſolicitudo, intenſior erga abſentes, quin & ſecernere liberos à Parentibus inhumanum, nec diu, quæ felicitas noſtra, ac regnantium reſpectus eſt, ſervabitur. Expenderit quivis futurorum providentior, poſt mortem electi Regis eis ſexagenarij, Podagrici, ægri, & qui longum perennare non ſuffecit, non adeo facilè Polonos ad electionem filij, in Regem, qui extra Poloniam natus ſit, inclinaturos. Migrandum ergo illis hinc foret, aut Regnans Pater, ſtudia, & favores ad ſtabiliendam filio in throno ſucceſſionē, compararet. Hinc diffidentia, motus, confuſio in Republica, & triſtis iterum redivivæ electionis cataſtrophe, vel ſi à morte parentis, filij emoveantur, periculum à potenti & ampliſſima cognatione. Nullus ferme in imperio potentior Princeps numeratur, quem ſangvinis nexu tam Palatina, quàm Landgravica Domo Neoburgicus non proximè attingat. Majorum noſtrorum temporibus Vladislai II. & filiorum ejus exilium, bello nos cum Cæſare, & Bohemiæ Rege affinibus implicuit, poſtremum, avulſionem Sileſiæ à Polonia perfecit Popielidarum Electione Piaſtana, excluſio, quidquid Albi, & Balthico mari terrarum interjacet Dominio Poloniæ abſtraxit.

, Obſtruit Neoburgico aditum Regni, Principem Germaniæ eſſe. Magno authore didici Maximiliano Tredro Caſtellano Leopolien. eminenti in literis, & Republica viro objectum id Erneſto Auſtriaco, quod è populis Germaniæ oriundus eſſet, quæ gens natale fert odium in Polonos. Alieni ſemper à Principibus Germanicis Poloni, quibus nunquam volentibus erat, è Germania Reges eligere, imò prenſantes rejiciebant, ita Sigiſmundus Marchio Cracoviâ excluſus, Archidux poſthabitus, Maximilianus armis victus, & captus. Magna varietas animorum, morumque Germanos Inter, & Polonos, faſtidierunt ſubitò Poloni memoratum Sigiſmundum, qui ad menſam ne vultu quidem noſtros dignabatur, & intrantibus fores claudi mandabat, meritóq; ſcribit Author ille: Polonos de triclinio, Poloni eum de Regno excluſerunt.

, Nationem Germanam univerſam, non eſt quod inculpem. Per incorporationem Terrarum Pruſſiæ, Litvaniæ, Curlandiæ, per crebras inter accolas commercia, per emerita bellis ſtipendia, quæſitaſq; opes, remiſerunt de odio Gentis noſtræ. Sed Principes Germaniæ, inſita abſoluti Imperij cupidine, eaq; cunctis affectibus flagrantiore, domi (ſciens ſcribo) graves Domini, Polonis Intolerandi. Nota in Annalibus noſtris crudelitas, & avaritia, Germanicarum Dominarum, uxoris Popieli II. Chriſtinæ, Vladislai II. Rixæ Matris Caſimiri Monarc. Domus Auſtriacæ fœminas excipio, quas Sanctitas, probitas, clementia, gravitas: omnes adeo inſignivit: ut verè dicam

» eam: fato ab illa Domo, aliis Reges, Polonis, Reginas felleiter provenire. A.C.1668

» Memorandum liberè & illud, prægraves semper Regno noſtro Germa-
» nos. Evocarant Crucigeros Teutonicos Majores noſtri, extorres egenos, pul-
» ſos Ptolomaide, auxilio contra gentiles Pruſſos. Quid tandem? perdomita ar-
» mis Pruſſiâ, ingrati illi, & rebelles, cruentis, & internecinis bellis Poloniam
» ducentos ultra annos fatigarunt. Religioſi erant fidei Propagatores, tamen
» omni genere crudelitatis in gentem noſtram, & Chriſtianum populum de-
» ſæviêre. Exiguo numero Ordo, ſæpius quingentorum, imò centum, ad Tan-
» nebergam centum quadraginta millium Germanico exercitu, aciem inſtru-
» xiſſe leguntur. Societati illorum innexi agebant Imperatores, Reges, Princi-
» pes, quidquid floris, & roboris Germanici fuit in Polonos pro Cruci-
» geris belligerabat. Nonne vivax memoria? Carolo Guſtavo irrumpente in
» Poloniam, undique velut ſigno dato, Principes, comitesque imperij accur-
» riſſe, & Poloniam bello jam captam, quaſi hæreditatem certam hianti
» cupiditati ſuæ deſtinaſſe? Nónne Rex idem Sveciæ, delectibus in Germa-
» nia habitis, exercitui ſuo ingens robur fecit, omnes ferme Electores Prin-
» cipes, liberæ Ciuitates, auctorare militem Sveco, non obſcuro conſenſu
» permittebant, iniquiùs quàm in Poloniam vicinam, amicam, & pactis
» Monaſterienſibus incluſam, conveniret. Quod Miniſtri Regis Poloniæ, An-
» dreas Morſtinus ſupremus jam Regni Theſaurarius apud Imperatorem,
» Saxoniæ & Moguntinum Electores, ac Deputatos Principum Francofur-
» tanos, mox Andreas Oiſzovius vice-Cancellarius, coram toto Collegio
» Electorali (prout in actis Francofurtenſibus publico datis legere eſt) gra-
» viter conqueſti fruſtra inhiberi poſtularunt. Nónne in memoria Majo-
» rum, in oculis noſtris verſatur, quibus artibus, & technis, altera linea Mar-
» chionum Brandeburgicorum, Pruſſiam Ducalem hæreditatem noſtram,
» occupaverit, quod hiſtoricè narrare, non alienum eo loci duxero.

» Albertus Brandeburgicus electus Magiſter Pruſſiæ ex linea Anſpachi- *Albertus Brandeburgicus.*
» ana deſcivit ad Lutheri ſectam, votisque Religioſis obſtrictus, regnandi
» libidinem, ac thalamum, illis præpoſuit, metu exhinc ſummi Pontificis &
» Caroli Quinti cenſurâ Eccleſiaſticâ, quod votum Caſtitatis more Mo-
» nachorum factum fregerat percuſſus, & à Cæſare proſcriptus, cum
» Rege Sigiſmundo Avunculo ſuo (ſorore germanâ filiâ Caſimiri natus)
» Tractatum accepit, permitteret ſibi Domuiq; ſuæ Anſpacenſi Jure fiducia-
» rio poſſidendam Pruſſiæ partem, Pacto fidelitatis Vaſallagii, & copiarum ſub-
» mittendarum, contra quoſcunq; Regni hoſtes. Rex Sigiſmundus Alberto,
» prono in nepotes affectu, & tribus fratribus, Georgio, Caſimiro, Joanni,
» jure Feudi Ducatum concredidit, Ducémque Pruſſiæ, ex Ordinis Magiſtro
» creavit. Quod jus memoratum, ſuni poſt obitum alterius, & filiis eorum
» prærogativâ Majoratus ſerviebat. Manſit hæc Dominatio in ea domo non
» ultra annos 78.

» Alteram lineam Electoralem, ſeu Berlinenſem, Brandeburgicæ domûs,
» nullatenus Feudum Pruthenicum attingebat, & ſucceſſione in Ducatum,
» cum primâ lineâ extincta, ſecundum jus primæ inveſtituræ, Pruſſia Du-
» calis ad corpus Regni accedere & accreſcere debebat. Efformando tamen
» ſibi prætextui domus Electoralis, cum Albertus Fridericus homagium Si-
» giſmundo Auguſto Lublini in conventu Regni generali anno 1569. præ-
» ſtaret, Nuntios ſuos attingere vexillum procuravit. Impetravêre etiam ſe-
» cretè à Sigiſmundo Auguſto Privilegia, unum Petricoviæ anno 1586, Alte-
» rum Lublini circa homagium Alberti Friderici 1569. Vigore quorum, Jo-
» achimus Marchio Elector admiſſus, à Rege ad Ducatum Pruſſiæ, & con-
» tactu vexilli, Nuntij illius non prohibiti. Quamvis ſuper eo Nuntij Ter-
» reſtres proteſtarentur, quæ proteſtationes poſtea Stephano & Sigiſmun-

A.C.1668 ,do Regibus innovatæ, in libera Republica, vim habuere tribuniciæ ,intercessionis, juſque infirmabant, & vitioſum reddebant. Neque Pri- ,vilegia inſciâ Republicâ conceſſa, totamque alienationem per Regem ,duntaxat, in Regno Electivo validam fuiſſe, certi juris erat. Memo- ,riæ poſterorum conſignavit magnus olim Cancellarius & militiæ Su- ,premus Præfectus, Ioannes Zamoſcius, ingentem ſummam eo nomine ,oblatam, quæ rejecta, privatum potiùs Sigiſmundi Auguſti auxit æra- ,rium, & corrumpendis Aulicis inſervit.

,Decedente fatis ultimo Alberto ex familia Anſpachiana, finita- ,que Curatela, novum Feudum à Rege Sigiſmundo III. impetrat pro ſe, ,& quatuor fratribus Germanis, Ioannes Sigiſmundus Elector Brande- ,burgicus cæteris lineis, Columbacenſi, Onaldina, Franconicorum in ,perpetuum à jure Feudi excluſis. Sed ecce iterum per Pacta Bidgoſti- ,enſia intruſæ ſpeciali rationis nomine, Domus Columbacenſis Onal- ,dina, in caſu caducitatis, hodierni Principis Electoris.

,Idem modernus in Boruſſia Dux ex Vaſallo perpetuus ac invio- ,labilis fœderatus noſter (abſit veritati hiſtoricæ offenſio) quid non mo- ,litus? parando abſoluto dominio, jus ejus causâ violavit Domino ſuo ,naturali, ita Regem juramento feudali appellaverat, hoſtem egit, Po- ,loniæ, quam Patriæ loco revereri, & defendere fas erat, ſine clariga- ,tione, imò pacta prius cum ſtatibus & Ordinibo Regalis Pruſſiæ, armorũ ,conjunctione, deinde oſtentatâ per Maydelium noſtrum mediatione, ,bellum fecit: viginti millium lecti, & recentis exercitûs, ſed perſo- ,nam ſuam junxit, eidemque commilitavit: prælio ad Pragam Varſavi- ,enſem, cælo & campo beneficii feudalis teſte, & exprobrante, Polo- ,num ſangvinem fudit: Pacta de Pruſſia, de Varmia de Palatinatu Poſ- ,nanienſi, Caliſſienſi, Terra Vielunenſi ſtabilivit. Varmienſem Epiſ- ,copatum titulo Ducatûs ſæcularis indigna Metamorphoſi, donari, & ,appellari fecit: Poſnaniam præſidio inſedit, pecuniâ, & eo meatu Sue- ,os, maximè tunc laborantes refecit, ut Regem noſtrum, ex urbe Ge- ,danenſi in Poloniam reditu arceret.

,Recedere poſtremo à Sueeis maluit, cum illis alea belli adverſum ,caderet, ſed irreparabili damno, & detrimento noſtro, quippe multis ,artibus, & factionibus, favore Reginæ, nonnullorum, quod dicere no- ,lo Auſtriaca promotione (ſola ſuffragium Electorale, ad Coronam Im- ,peratoriam Bidgoſtiæ conciliante) ſupremum Boruſſiæ dominium, nul- ,lo conſenſu, ac ne ſcitu quidem Pruthenorum Lemburgum, Bitoviam, ,Elbingam, Drahimum, ſummas ingentes, in turbido cepit, atque ex- ,torſit. Plura alia in aperto ſunt, quæ vocem doloris ſtrictim eliciunt, ,& ſenſum injuriæ, bono cuivis nec occupato civi altè imprimunt. Quî ,potuit Elector conditione quingentorum Equitum ſingulis bellis Polo- ,niæ præſtandâ, adeo de facili, inſciâ Republica, in perpetuum abſol- ,vi? Pacta manibus tenemus, juramento Electorali firmata, in qui- ,bus hæc Raytarorum auxilia continentur. Pacta hæc cum perpetua ,ſint, cur in publicam lucem per typum non exierunt? cur neque in ,conventibus Palatinatuum præcognita, neque in Generalibus Comitiis, ,manibus & lectioni Nuntiorum, concredita fuerunt? Certum habeo, ,neminem Nuntiorum, ac vix fortè aliquem Senatorum illa perlegiſſe, ,quorum tranſcriptum ægrè multis poſt annis, mihi non poſtremo ei- ,vium obtinere licuit. Traditio ſupremi dominii, ne hæc quidem can- ,didè procurata, & peracta, nullo prævio tractatu, quo Elector nobis ,ex parte ſua ſatis faceret. Inſtructio Commiſſariis noſtris data, non

latuit,

»latuit Electorem, priusque quod proponi debuit, ille scripto legerat, *A. C. 1668*
»quàm voce nostrorum proponeretur: de violato & ex domo suâ arre-
»pto bono patriota Roht, non omitto dolere, cui crimini fuit, quod pro *Roht captivatur*
»libertate, pro Rege, aliquid sentiret, diceretque fretus cautione pactorum.
»Jura, statuta, Privilegia, Immunitates, Libertates, Augustanæ Religioni,
»Nobilitati, Civitatibus, integre salvante, & quia nondum Regi, ac Rei-
»publicæ Polonæ subjectionem ejuraverat; tenetur in carceribus, magna-
»nimus, & innocens vir, frustra habitis toties literis, quibus Rex Poloniæ,
»Rex Daniæ, Primas, Archiepiscopus Gnesnensis, multi Principes, & Senato-
»res pro libertate ejus Electorem orabant. Graviter habere Polonos debet
»cusa moneta superbo cum titulo, supremi Prussiæ domini, & hæredis, quæ
»nomina Rex Poloniæ nunquam in titulis ferebat, neque Polonia stante li-
»cet dominio Electorali, hæreditatis suæ in Prussiam ducalem, & in even-
»tu caducitatis lineæ Electoralis, juris statim possessorii oblivisci potest. Vitu-
»patus trajectus per Vistulam, non est quod dissimuletur, in Principe jam
»absoluto, quem stante Feudo nec affectavit, nec affectare potuit. Jure
»omni in Vistulam penitus destitutus. Ligæ Guarantiæ, cum Regibus, &
»Principibus stabilitæ, pro Ducali Prussia, contra expressam reciprocam cau-
»tionem malè amicæ nobis quia sine nobis, quidni etiam contra nos? titu-
»lus domini in Lemburg, & Bitow, neq; legibus feudi, nec ulla tractatione,
»aut à principio statim traditi Dominii Nominatione, concessus, non recte a
»fiduciario Dynastiarum, usurpatur, in præjudicium supremi dominii Re-
»gum, & Regni Poloniæ. Reductio monetæ argenteæ Polonicæ, in Ducali
»Prussia, minus pactis, & bonæ vicinitati convenit, cum de pretio, valore,
»æstimatione monetæ, liberoque ejusdem cursu amicabiliter convenire debu-
»isset. Violenta Drahimi occupatio, ad famam abdicationis Regiæ, arguit
»contemptum, Relpublicæ, & grave contra Pacta attentatum, requisitione
»sistimæ apud Rempublicam, & denuntiatione, utilla sonant, prius nõ præmissa.

»Dux Curlandiæ, etiam hic noster fiduciarius, paulatim audaciam su- *Dux Curlandia*
»mit stylumque condicit: appellationes post Curiam Regiam non permit-
»tit, Episcopatus Piltinensis liberam nobilitatem, gravi dominio premit, hoc
»animo & toto conatu agitat, ut supremi domini & hæredis in Curlandiam
»Jus, titulumque sibi arroget: Regem Regnumque Poloniæ, Majestate &
»Imperio in eam Provinciam exolvat. Nec abnuit, jam fama, Ducem ope-
»râ Livonum & Curlandorum, qui in camera Regis, nuper præpollebant,
»rescriptum aliquod, magni in Rempublicam præjudicii, secretâ viâ obtinuisse.

»Terrent ergo nos vestigia, terrent usurpandæ, & retinendæ domi-
»nationis artes moresque imperitantium Germanorum, quibus candore no-
»stro pares non sumus. Terret fama, haud semper errans, pro officio pro-
»motionis, Prussiam Regalem, Livoniam reliquam, Samogitiam secretiori li-
»citationi subjectam, quod non temere audimus, timemusque, non obliti
»indignæ transactionis cum Rege Suecorum, de supremitate Borussiæ, de
»Episcopatu Varmiensi, Palatinatu Posnaniensi, Calissiensi, terra Vielunensi.

»Dux Neoburgicus sceptro Poloniæ potitus, dubio procul, Regnum
»successoribus suis, in hæreditatem linquere affectaret. Germani quod se-
»mel capiunt, firmiter, & in ævum retinent. Consiliarii jurisconsulti, Pala-
»tini hoc agunt, vigilant, somniant, ut jura, & dominia Principum suorum,
»per jus, per injuriam, plus ultra augeant, æternentque. Adeóne Dux Ne-
»oburgicus sexagenarius, Regnum ambiret, nisi illud Filio, & seris nepo-
»tibus de manu ad manum trahendum destinaret. Hinc Ligarum, Fœde-
»rum, Guarantiarum quas pro domo sua cum Principibus stabiliret, seque
»adversus Polonorum libertatem, cui nunquam tuta, apud exteros Princi-
»pes fides, consiliis, & armis permuniret.

Magna

A.C.1668 ,Magna vis, & amplitudo Palatinæ domus, politico judicio, altiùs exa-
,minetur. Simul juncti unius familiæ sangvis, ,Poloniæ, & Sueciæ Reges,
,Colonienſis, Heidelbergenſis Electores, uxorii sangvinis, Landgravii Haſ-
,siæ, tot agnati, affines, fœderati, quàm formidandi Polonis, & cuicunq;
,vicinіæ, procedente tempore, tot liberi maſculi, fœminæque, per nova
,connubia, & qui naſcentur ab illis, fortioribus, quo pluribus vinculis, in-
,comparabilem familiæ potentiam firmabunt. Regnante Polonis Principe,
,Auſtriacis æquato, velut nunc ad Duûm viros Auguſtæ Domus redacta res,
,ſuperiore: animus forte illi incideret Imperatoriam dignitatem prætен-
,dendi, quæ ambitio Poloniam ingentibus periculis, moleſtiis, difficultati-
,bus implicaret, factionibus, bellis, permiſceret: ſeu exemplo Regni Bohe-
,miæ, titulum Electoratus ad Imperium, tanquam laciniam conſarcinaret:
,Verbo: Quidquid Majores noſtri ab Auſtriacis libertati metuebant, id
,nunc terroris & periculi à Palatinis impenderet.

,Rege Neoburgico, Germani, & Germanæ fœminæ, dominium aulæ,
,& cameræ potentiam tenerent, imbuerent, uti ſolent, regnantem odio,
,mox contemptu Polonorum, illorum arbitrio, & ſuffragio irent promoti-
,ones, magno gentis noſtræ dedecore, magno, neque ferendo, prout ha-
,ctenus, Regni Miniſtrorum, & civium bene meritorum præjudicio.

,Favor Galliæ, & confœderatio pro Neoburgico ſecretioribus, quàm
,ut evulgentur, cauſis inita, an multum juvet, vel noceat, ex iis quæ inferi-
,us ſcribo, colligere ſit.

,De ærario Neoburgici, & grandi inde rebus noſtris ſolatio addubi-
,to. Ferunt Ablegatum ejus Giſtum, aliquantulâ ſummâ imperialium pro-
,fusâ dixiſſe: Vana crediderim, & parca ſpes, à non immodico, nec prodi-
,gente opum Principe, atque inſtar aucupii, quo cibi ſemel, iterumque ob-
,jecti levi jacturâ, caſibus aves involvuntur. Certiùs multò erit, Polonam
,opulentiam, notâ jam viâ Neoburgum, aut Duſeldorpium deportatum iri.
,Propinquior illi, & magis cordi hæreditarius Principatus, quàm advitaliti-
,um, dubiæ ad poſteros ſucceſſionis Regnum. Neoburgus Juliam, Cliviam,
,attentiùs, tanquam ſua curabit, externa noſtra ſine cura habebit.

,Regina Bona, filio, filiaque in Polonia licet ſuſceptis, & relictis, the-
,ſauros hinc in Italiam vexit. Ducatum Barenſem, à propriis liberis alie-
,navit. Ludovica Maria piæ memoriæ, exhæredem, alicujus etiam ligulæ
,(Plenepotentiariis Angianis, & Palatinæ omnia cum pulviſculo evertenti-
,bus) & exſortem Poloniam fecit. Aurum, elenodia, grandis ſumma pro
,venditis, Opolienſi, Ratiborienſi, Ducatibus in dotem Nepti, & Angien-
,ſi ceſſere. Vitra hæc Rex optimus, exolvendo rigidis exactoribus legato
,(præter annum gratiæ, ſivè annuos reditus, ex vacantibus tot præfe-
,cturis gratuitam donationem] ducenta millia, à menſa propria in vim ſa-
,tisfactionis Legatario numeravit. Vrgebat, acriter, ac moleſtè Petrus
,Bonſus Epiſcopus Biterenſis, Legatus Gallicus, elenodiorum Regni ad ma-
,nus ſuas extraditionem, niſi Executores reginalis teſtamenti, Nicolaus
,Prazmovius, Archiepiſcopus Gneſnenſis, Andreas Olzovius Epiſcopus
,Culmenſis viee-Cancellarius Poloniæ, Chriſtophorus Pac Cancellarius
,Litvaniæ, Joannes Malachovius Referendarius Regni, non ſine periculo
,offenſionis ſe ſe prætenſioni oppoſuiſſent. Finio Archiepiſcopi olim Gneſ-
,nenſis, Stanislai Karnkowski, meaque nunc ſententia: nolo (inquiebat)
,ad Gorcanos domum meam cum Germano Rege reverti.

DE CON-

MInus gratus ob memoriam Reginæ, quæ privatarum virtutum, illustri & heroicâ famâ, sed in publicum gravis, supra fœminam nimia regnandi, an turbandi? vixit. Heu quantum negotii fuit »una cum muliere, ut alicubi Comicus.

»Gallia adverso rumore, etiam averso amore apud Polonos, cui ea»lamitatum nostrarum scena, & fons vulgo debetur. Pacis cum Sueco »affirmata securitas, belli mox insperata eruptio. Induciarum Stum»dor Hiensium, quæ Gallicâ mediatione steterant, non defensa Integri»tas, non coercita violatio. Proximo jam prælio Pragensi ad Varlavi»am distractæ Polonæ vires, Gaszewius cum flore Litvani equitatûs ad »Tykocinum, Lubomirscius cum robore hastatorum ad Cracoviam or»dinatus. Generalis expeditio multis mensibus ad Varsaviam otiosè in »castris habita, tandem dissoluta; Palatinatuum majoris Poloniæ, Volhy»niæ, Russiæ, proximè ante conflictum permissa discessio, splendido pa»cis nomine, per Davocurtium Legatum Gallicum, Prussiæ, Livoniæque »ante omnia curata renuntiatio. Hoc extorquendi Prussiam consilio, »tractatuum pacis protractio. Eâ protractione Transylvanorum, Co»sacorum, Vallachorum, Hungarorum, Moldavorum, totiusque vici»nioris barbariei, conjuncta Suecis in Poloniam Inundatio, rationum, »cur frustra Moschus oblatione Coronæ à Polonis lactetur? publicatio, »& Moschoviticis Legatis Regiomonti exhibitio, Electoris Brandeburgi»ci Bidgostiam evocatio, Pactorum Velavienslum in deterius ibidem i»teratio, Borussiæ alienatio, Lemburgi, Butoviæ, Elbingæ, Drahimi pro»diga concessio? Quæsita Austriacum inter & Polonum discordia. Cæ»sariani exercitûs ad Thorunium malè amica tractatio, Reginæ Berli»num profectio, Woinscij Bruxellas, Fantoni Parisios abscondita missita»tio, mediatione Gallica, quæ hinc stans, illinc causam dixit, res Sve»corum morte Regis, & casibus tunc licet infracta, Pactis Olivensibus »superior. Livoniæ perpetua jactura; Regis Daniæ fœderati nostri à »tractatu Olivensi exclusio. Successoris, vivente & diu ignaro Rege, pro»motio, ob non designationem in comitijs Successoris, intemperans, & »scissionem unionis minitans nomine M. D. Litvaniæ manifestatio. »Violenta consilia, corrupta judicia, judicum ex Equestri Ordine astu»ta deputatio. Magni civis proscriptio, ejusdem ac pro eodem suppli»cantium immiserieors repulsio, motus intestinus, collisio statuum; tu»multus civilis interventu Andreæ Trzebicij Episcopi Cracovienslis, »propè compositi, mox insuper habiti, ad æstatem alteram protelatio. »Litvanæ militiæ in viscera Regni inductio, cognataque cominus ar»ma, & temere deletæ legiones: vetus bellorum miles. Abrupti totles »Regni Conventus. Monetæ adulterinæ aucta in immensum vis. Tot »vitia, & propria Aulæ, mulieris privatæ & peregrinæ potentia. Re»gni Abdicatio. Confœderatio pro Neuburgico. Sexcenta alia voce po»puli, Gallicarum factionum partus censentur. Volitat etiam per ora, »in Crimæa Taurica rem Polonam à Gallis agitatam fuisse, & fidem »(utinam vanè) adstruit frequentior in manibus Scytharum Gallici Nu»mismatis moneta, quam per commercia se vidisse aliqui affirmant.

»Lumbresius Gallicus Legatus Prædium Pragense ad Varsaviam »ineendit, exasperando Electorem Brandeburgicum odiosâ, & intempe»stivâ relatione, nempe Polonos ad tractatum pacis cum solo Rege Sve»ciæ propendere, Brandeburgicum uti Vasallum, à tractatu excludi

quem

A. C. 1668 „quem prius in genua provolutum rebellionem deprecari Rex & Senatus „jubeant. Quod præcipuæ causæ Elector, datis ad Imperatorem Ferdi„nandum literis, adhæsionis suæ Sveco assignavit, ac Regina coram „Bidgostiæ retulit. Id verò nunquam publicè dictum, ac licet fortè in„temperantiâ doloris ferocius verbum Stephano Korycinio Cancellario „Regni privatim excidisset; non erat prudentis & amici Mediatoris, in „procinctu jam, ipsoque proximè furore belli, animum, & arma Ele„ctoris irritare. Akakia, quique alij Gallici turbines, & faces oleum huic „igni affundebant, quo ruinâ Poloniæ Sveous robustior domum Au„striacam facilius debilitaret. Evulgabant peregrè arcaniora nostra, Tra„bucus Sanmartinus, Badulus, Neyersius, Bolanenses cæterique noctes „diesque, magnâ inquieto, turbis, motibusque continuò jactati, suspe„cti, aut suspectantes egimus, Gallisante tunc Aulâ.

„Gallia fœdus cum Svecis Poloniæ infestum Fontenebli 1661 sancii„vit subscribente Legato Todt, & fidem obstringente, auctura Svecos Gallico ære exercitum numero millium duodecim ad asserendam „armis in Polonia Electionem, majore parte Senatûs nostri suffragante; „Bono Poloniæ stetit, pacta hæc postmodum Sveciæ Statui rata non fu„isse, ac perturbatis Polonicis comitijs, & exercitu tumultuante, ma„jorem illam partem Senatûs, tanquam Ajaceem Augusti in Spongiam „incubuisse.

„Redijt iterum animus Galliæ Svecos ad tuenda armis consilia, & „partes Aulæ Polonæ invitandi, egitque sedulò negotium Legatus Gal„licus Arnoldus Andilius de Pompone Stockholmiæ 1666 præconceptâ „Abdicationis Casimirianæ fiduciâ, sed consilio Svetico, velut scripto „responsorio declaraverunt, non visum belli Polonici molem susti„nere Principes prætendentes eum totû imperiû in se concitare: pro„missâm licet gvarrantiam Christianissimi Regis, ingenti hostium nu„mero, & longinquis è Gallia auxilijs, alijsque obstaculis, difficilem ad„modùm, modo ne penitus impossibilem reddi. Remque pro Svecia sum„mi periculi plenissimam fore, si præsentem suum Statum tranquil„lum, & omne robur totius Regni non ob proprium aliquod emolumen„tum, vel interesse, sed saltem ad præcautionem aliquam, & ad tuen„dam amici sui causam in minoritate Regis, absque scitu & consensu „Ordinum, tam certissimis & infinitis turbis, ac calamitatibus expone„re audeat. Auditum insuper: metuendum à Poloniæ Ordinibus, ne ac„ceptâ semel per Regis Abdicationem novæ Electionis libertate, con„tra expectationem Aulæ, ea conentur, quæ non solùm ejus Intentio„ni penitus adversa, sed & personæ Regis, & Reginæ maximè perieu„losa esse possent. Conclusumque: non tamen alieno à re ipsa animo Sve„ciam esse; modo tutior via monstretur.

„Gallia comitijs imperij Electoralibus minimè verita est, inter cau„sas obmutiandi Austriaco ad Coronam Imperialem Sacri Romani Im„perij Electoribus, & Principum, ac Statuum Francofurti Deputatis, „submissas nobis auxiliares copias, tanquam excitati belli noxam expo„nere, violatæque pacis Germanicæ, Regem Hungariæ invidiâ onera„re, quod datis Poloniæ auxilijs fortunam Sveticam intervertisset, quòd „se bello Polonico, Moschovitico, Tartarico, Transylvanico, Ukraynen„si immiscuisset; petieruntque Legati Plenipotentiarij Galliæ, Gran„mondus, & Lion memoriali manibus propriis subscripto Austriacum „ad reparanda Sveciæ gravamina compelli. Quid aliud nisi ad revocan„das è Polonia copias auxiliares, authoritate publicâ imperij adstringi,

Craco-

„ Cracoviam Sveeis reſtitui, indefenſam Poloniam armis tunc hoſtilib9 A.C.1663
„ exponi.

„ De Condæo Principe jam meliora ſcripſeram, & ecce in manus me-
„ as, neſcio, cujus ordinariâ poſtâ ſcriptum, ad me inſcriptum pluribus co-
„ ram amicis allatum, magno ſcribendi ardore, ſtyli acumine, rerum Gal-
„ licarum curioſâ peritiâ. Anonymus iſte Condæum Principem aterrimo ca-
„ lamo depinxit. Illum emeritæ apud Gallos, & jam conſumptæ, neque Po-
„ loniæ ſuffecturæ virtutis culpare. Fuiſſe Ilium, & ingentem gloriam Dar-
„ danorum, nunc laboribus fractum, vitijs juventutis enervem, pedibus de-
„ relictum, ſellâ geſtatoriâ ferri ſolitum, otioſum, & præteritarum rerum glo-
„ riâ duntaxat florentem, corpore non tam ſenectâ, quàm exceſſibus debi-
„ litatum, Martem in acie, in Politicis ineptum, in prælio formidabilem, in
„ Aula contemptibilem, manu, quam conſilio promptiorem, impietate erga
„ DEum, ingratitudine erga amicos, violentiâ ingenij erga omnes nulli mor-
„ tallum cedentem. Objurgat idem Anonymus Condæum nunquam innatâ
„ ferociam ad humilitatem Chriſtianam Sacræ Confeſſioni ſubmiſiſſe. Ra-
„ dziwilio Noſtro Calvini Sectatori veſcendis die Veneris carnibus Pariſijs
„ convivam fuiſſe. Chriſtianiſmum tanquam multis ſæculis jam nauſeantem
„ ſpernere, & novandæ Religionis deſiderio flagrare, ſuiſmet ſermonibus pro-
„ didiſſe, inſignibus Galliæ fœminis, quas nominare neque Polonorum inter-
„ eſt, nec me decet, pactam fidem ingratè, & turpiter non ſervâſſe. Duces
„ Bavillonæum, & fratrem ejus Turenium, ultra aram amicos deſeruiſſe. A
„ Senatu Gallico decretum de excludendis Mazarinianis poſtulâſſe, illoque
„ injuriam juſtè renuente per emiſſarios ſuos faces Curiæ propè admoviſſe,
„ ac prodito tentati facinoris auctore, & ſuſpendio damnato, metu Indigna-
„ tionis popularis, ſilentem egiſſe. Illum non tam amore noſtro, quàm ſtu-
„ dio, ut Patrio ſolo emoveatur, & Patria exoneretur, à Gallia promoveri.
„ Illum Gallicæ militiæ aſſvetum, tyrocinium longè diverſæ apud Nos mili-
„ tiæ nec acturum, neque toleraturum. Illius Ingenium à pace abhorrere,
„ nec bello ſufficere. In illum, ſi Rex eligatur, bonum militem perdidiſtis,
„ malum Regem creâſtis, vetus Romani Imperatoris quadraturum. Filium
„ porro Angianum Ducem, ne ſpes creſcentis Juli Polonis imponat, Patri vi-
„ tijs non tamen virtuti conſimilem, vanæ gloriæ retinentem, arrogantiâ
„ ſuâ Aulæ Gallicæ exoſum &c.

„ Quiſquis es, qui talibus iſtis oculos animumque meum Implevlſti, Tros,
„ Rutulusve? Davus an Oedipus? ater an albus? & tu Pavali Pruſſe, qui
„ Nuntium nuper Podolienſem agens, non eſſe cum DEO, qui favet Con-
„ dæo, in vocem publicam, comitijs Varſavienſibus erupiſti? Non ſatis
„ eſtis, ut virtutis Condæanæ gloriam, conſpirantibus invidiæ, Euriſque,
„ Notiſque, magis radices agentem, magnorum geſtorum cardinibus ſubni-
„ xam apud orbem, apud me ſubvertatis. Connatalem velut eſſe ſiniſtram
„ erga eminentes viros interpretationem individuam ſumma petere; calum-
„ niam, convicium, contumeliam, fortibus infligi, non tamen infigi bonis
„ authoribus doctus ſum. Ego jure, ac libens, quod ſcripſi ſcribo. Condæ-
„ um militiâ clarum, experientiâ, ac fortitudine, alijſque magnis dotibus pa-
„ rem ſceptro, & rebus Polonicis, moderandæ præſertim ac reducendæ in
„ Ordinem militiæ noſtræ percommodum videri. Sed Gallici ejus Comites
„ nobis faſtidio, quorum turba notæ inſolentiæ iterum Aulam noſtram in-
„ undaret. Præfervida illa ingenia, & maximè Gallici Statûs, non ſunt pro-
„ genio noſtræ gentis, proque forma regiminis Poloni. Grave Polonis, &
„ Innatâ decoris æmulatione intolerandum veniret, ſua fortia geſta, ſua
„ belli, & pacis decora Gallis adſcribi: Mielecius olim noſter clariſſimus bel-
„ li Dux, oppugnatione Sokolenſi Ungarum Agozonem rejecit, quo Ste-

phanus

A. C. 1668 , phanus Rex Ungarorum suorum fortitudinem jactantius æstimaret. Ela-
, ta vox in publicum fertur cujusdam Galli, Aulam Polonam sectantis, stre-
, nuos, & fortes Polonos esse, modò Gallici Præfecti armorum, imperium
, tenerent. Auderet Gallica in scribendo, & dicendo quidvis licentia, Re-
, gnum Poloniæ inter beneficia Galliæ computare: disputarent cathedræ,
, definiret Sorbona, tuerentur Parlamentarij per Henricum, & Condæum,
, quin & Neoburgicum, Majestatem Christianissimam, in Polonicam Ele-
, ctionem protendi. Legi Parisijs in Gallico librum; Repertorium jurium Re-
, gis Galliæ (Gallicè Recherses des droits) tum ad omnia Regna, tum ad
, Regnum Poloniæ; risi vanidicas, & falsidicas rationes, quibus tamen cre-
, dulitati populi seriò illuditur, adeoque imponitur, ut Regem suum eve-
, hant ad DEOS, Galliam solam mirentur, cæteros Reges, populosque floc-
, ci faciant. Quidquid litium, hostium, bellorum, Gallia habet, Regi, Re-
, gnoque Poloniæ accresceret; obstrictoque fœderibus seeretis, beneficijs a-
, pertis, Condæo: Gallia an consilium omne, an imperium dictaret? Lupa-
, rensem Gameram Varsavia nostra moderantem pateretur.

, Condæus uxoratus est, quod communi judicio non ad votum nostrũ,
, pronioribus Polonorum animis in cælibem adolescentem, qui novo conju-
, glo amicam domum, & gentem Reipublicæ arctius obstringeret. Ita Hen-
, ricum, Stephanum, Sigismundum necdum Matrimonijs illigatos Majores
, nostri Regno imposuerant.

, De Condæi in Polonia amicis planè verum est, paria non facere, &
, njuriæ, quàm gratiæ vicem ab illis exsolvi. Acerrimè in Galliam, & Con-
, dæanas partes insurgunt, qui Gallicis officijs, Condæique respectu sæpi-
, us non sine flagitio in Republica honores, opes, dignationem, populari
, facundiâ in Condæum, favorisque auram, criminatione Gallicarum fa-
, ctionum improbè venantes, mala, quæ fecerunt, increpant, & Grachi de
, seditione queruntur.

, Condæus acri verborum injuriâ à nonnullis læsus, scripsit in marmo-
, re, nec facilè sensum doloris obliteraret, par ex nobis diffidentia, & odi-
. um veteri scito: proprium humani ingenij odisse, quem læseris.

, Rex Christianissimus per fœdus cum Electore Berolinense, promoti-
, oni Condæi, & favori renuntians, studium, auramque omnem derivavit
, in Neoburgum. Quid ergo Polonis accederet commodi, Condæo Rege,
, quando Gallia exsortem se fortunæ, & evectionis ejus intelligeret Pecu-
, niam nullam gratis dabit, gratuito nostro in Condæum officio minimè ob-
, noxiam habebimus Galliam. Sola invidia, diffidentia, an & inimicitia vici-
, norum Principum, Cæsaris, Sveci, Brandeburgici, in lucro erunt. Notum
, in vulgus est, quàm anxios habuerit, Imperatorem & Brandeburgicum,
, mirus ille Aulæ nostræ in Condæum favor, & popularium prima incli-
, natio, quibus conatibus, studijs, pecuniâ (proco concivibus) opus adopti-
, onis jam ad fastigium proximè perductum, per Ministros Isolam, & Ho-
, verbekium, subrutum, eversumque iverunt. Svecia ipsa Gallis licet devin-
, ctissima insurgere Gallism, Condæum vicino sceptro destinari, non læ-
, tis oculis aspexit: Imperator ultra binos milliones, grandem, & Ducatu-
, um valorem plus dimidio excedentem summam numerare, levioris dispen-
, dij duxit, ut suspectum Vicinum Condæum seu Condæi Filium intra O-
, poliam, & Ratiboriam toleraret.

COPIA EPISTOLÆ A SERENISSIMO DUCE NEOBURGICO AD ILLUSTRISSIMUM DOMINUM ANDREAM OLSZOWSKI EPISCOPUM CULMENSEM VICE-CANCELLARIUM POLONIÆ NEOBURGI 1. Februarij. A.C.1669

LAudata Excellentiæ Veſtræ ſtudia, quibus ſe incolumitati Patriæ impendit, animant calamum ad exarandas has literas, unáque explicanda mea deſideria Sereniſſimæ Reipublicæ Polonæ proſperitati ita conſulendi, ut nihil omnino velim, quod avitis liberrimæ Gentis Juribus minimam labem aſpergere poſſit, ac proinde Excellentia Veſtra perſvaſum ſibi habeat, nulla mihi prorſus fœdera eſſe cum quoquam vel Regum, vel Principum, quæ liberis Electorum votis importunè me obtrudant. Neque in ſanciendis illis fœderibus quidquam actum eſſe, niſi ita ſuadentibus & impellentibus Primariis Poloniæ ſtatibus, quibus tum temporis viſum fuerat maximè opportunum eſſe medium tuendæ ſuæ libertati, & avitis liberæ Electionis Juribus illa fœdera. Novi, quàm ſanctas & illibatas ſibi ſervari velit Sereniſſima Reſpublica liberas Electionis leges, quas vel leviſſimè contaminare tam alienum eſt à me, quàm fixum, firmumque habeo, aliud in propoſito Electionis Regiæ negotio non agere, quàm liberrimis ſingulorum Eligentûm votis mea deſideria de inclyto Regno bene merendi committere. Et cùm probè mihi conſtet Excellentiam Veſtram, magnâ omninò inter ſuos pollere authoritate, tantò explicatius, ſenſum meum aperio, quantò magis confido Excellentiam Veſtram ſinceriſſimam hanc meam voluntatem omni benevolentiâ proſecuturam eſſe. Equidem ſi providum Numen Electorum libera vota in meam ſententiam inclinârit, faxo ut nemo unus ſit, qui non pluribus argumentis experiatur, ſe magis boni publici commodo, nec minore ſingulorum ſolatio deſideriis fuiſſe ſuffragatum, cum primis verò velim Excellentiam Veſtram certò certius ſibi promittere, me liberaliſſimo prorſus gratitudinis affectu præſtitam mihi ab Excellentia Veſtra benevolentiam, proſecuturum eſſe, ut qui inſuper non inter minimâ ſuffragatoriæ mihi Electionis felicitatem recenſerem, ſi hoc etiam tempore ad Regium ſolium eveherer, quo Excellentiæ veſtræ ſingularem prudentiam, & magnarum rerum feliciter gerendarum experientiam, mihi jugiter ad manum haberem, cum qua Regni curas partiri, & tantò felicius Regni proſperitati conſulere poſſem. DEus ſervet Excellentiam veſtram diu incolumem, & reddat Sereniſſimam Rempubl. felicem, ita toto animo deſidero, nunquam defuturus.

Excellentiæ Veſtræ Amicus ad officia paratiſſimus

Philippus Wilhelmus comes Palatinus Rheni.

RESPONSUM PROCANCELLARII REGNI AD DUCEM NEOBURGICUM.

BInas Epiſtolas Serenitatis veſtræ inſimul accepi; prior Italica exorti anni gratulationem attulit, quam ego ſummo honori duco, debeóque obſequium Serenitati veſtræ, quòd me faventibus votis, & benevolentiæ ſuæ ſingulari documento cumulandum duxerit cui reſpondeo, DEum ex animo orans, ut Serenitatem veſtram longævâ incolumitate vigentem, & rerum omnium ex voto affluentium incre-

A.C. 1669 , mentis felicem cum tota Sereniſſima Domo proſperrimè conſervet. Po-
, ſteriori Epiſtolæ pro debita erga Principem obſervantia, libenti officio re-
, ſponderem, niſi Religioſæ apud noſtrates habitæ, legibuſque & juramen-
, to præcuſtoditæ Electionis materiam contineret. Quam inconſulto Pri-
, mate, & Senatu verbo etiam attingere non auſim, ne vel minimam Pa-
, triarum legum lineam tranſgredi videar, quod Serenitas veſtra pro ſua
, prudentia boni conſulere, meque gratiâ ſuâ complecti dignabitur. Interim
, Serenitati veſtræ promptiſſimam obſequiorum meorum devotionem reve-
, renter commendo.

EJUSDEM AD PRINCIPEM LOTHARINGIÆ 3 Martij

BInis literis Serenitatis veſtræ diebus Februarij ad me datis, non reſpon-
dere, inurbanitatis; reſpondere, Religionis, ac periculi duco; utrum-
que tempero, nam reſponſi loco ſit, teſtari, ambas mihi redditas, u-
, nas per manus Comitis de Schlieben, alteras Varſaviâ per Veredarium di-
, rectum, ſilentij legem ſervavero declinando verbum, quo vel minimam
, legum Patriarum lineam tranſgredi videar. Candidati nomen Serenitas
, veſtra præfert, quo cum ſociare commutareque interim vocem, epiſtolas,
, conſilium ſuper Electione, mihi præſertim Regni Miniſtro, legúmque cu-
, ſtodi, niſi conſulto Primate, & Senatu fas non eſt. Integrè ſemper in Re-
, pub: hac vixi, eoque candidius, & liberius, nullâ palleſcens culpâ, aut cul-
, pæ ſuſpicione, & ſentio, quæ pro bono Patriæ velim, & quæ ſentio loquor.
, Non ignorat Serenitas veſtra, quàm arctis legum, & ſolennis nuper jura-
, menti vinculis obſtricti ſimus, quibus non prius, quàm campo demum
, illo Electorali, proximo menſe Majo publicè laxemur, ſolvamurque. Pru-
, dentia Serenitatis veſtræ meam hanc excuſationem boni conſulere, meque
, gratiâ ſuâ complecti dignabitur. Cui porrò devotiſſimâ obſequiorum prom-
, ptitudinem ex animo commendo. Lubaviæ.

AD CARDINALEM OTTHOBONUM EJUSDEM PROCANCELLARII VARSAVIÆ 22 Martij.

An ſæcularibus Abbatia conferenda.

USus jam mihi planè legem fecit, ut pro incidente occaſione rectà, ac liberiùs Eminentiam Veſtram compellem. Uſus teſtatæ erga me benevolentiæ, eximiæque humanitatis Eminentiæ Veſtræ faciet, ut ſcri-
, ptionem meam, vel ſi moleſtior ſim, non dedignetur. Acceptâ pridem fa-
, mâ Dominum Hieronymum Lubomirski Abbatem Tinecenſem militiæ
Ut Tinecenſis Hiero. Lubomirſcio collata
, Ordinis S. Joannis Hieroſolymitani nomen dediſſe, ſimulque Abbatiæ e-
, juſdem Tinecenſis retentionem à Sanctiſſimo Domino noſtro impetraſſe,
, tenui tantiſper ſilentium, donec conferendi ſermonem cum Illuſtriſſimo
, Domino Nuntio Apoſtolico hiſce in terris degente tempus locuſque mihi
, eſſet. Primo nunc adventu meo Varſaviam, habito invicem colloquio, gra-
, dum poſtremo facio informandi Eminentiam Veſtram, ac Sanctam Se-
, dem, quid de memoratæ Abbatiæ reſervatione plerique Polonorum ſen-
, tiamus, quidve legibus, & moribus patrijs conveniat, vel repugnet. Præpo-
, ſterum equidem videatur conſilium poſt rem factam adferre, ſed facien-
, dum tamen duco, ne ad cuſtodiam legum impoſitus (eo me nomine, &
, officio Patria eſſe juſſit) negligentis ſilentij culpam ſuſtineam. Clari in
, Republ: Polona cives, avus paterque Domini Hieronymi Lubomirſcij equi-
, tis Senatoriâ dignitate meruerunt, ut digni videant, quorum poſteros non
, minus nominis, quàm virtutis Hæredes, amemus, ornatoſque auctis ho-
, noribus cupiamus. Neque mihi illibenti eſſet honori, & emolumento Do-
, mini Hieronymi obſequi potius, quàm intercedere, ſi trita, & nulli mole-
, ſta via fortunam ſuam proveheret, obſervaretque illud Romæ olim dictũ,

& à

, & à Polonis uſurpari ſolitum, moribus antiquis. Novitatem enim quidni A.C.1669
, iſtam appellem? Cùm omnes nationis meæ equites Melitenſes memoren-
, tur, qui commendis tantùm Ordinis ſui, ac ſæcularibus dignitatibus, &
, Præfecturis varijſque bonorum Regalium ut vocant tenutis cumulabantur,
, beneficijs Eccleſiaſticis perpetuò caruerunt. Recenſeo vultu mihi, & vir-
, tute notos, Principem Radzivilium, Nowodworſcium, Czarnecium, Judic-
, cium, Oſolinium equites natalibus, & meritis quemque ſuis illuſtrem, &
, Lubomirſcio æqualem. Antiquiores ætatem meam ſuperant. Scio tamen
, illos, atque iſtos nullas Abbatias, vel majora ac minora beneficiorum Ec-
, cleſiaſticorum prætendere auſos, Senatorias curules ſæculares inſediſſe, Præ-
, fecturas, & Capitaneatus Regios, quibus Eccleſiaſticæ perſonæ ex lege
, arcentur, obtinuiſſe, non neminem commenda militari Poſnanienſi in Polo-
, nia, in Litvania contentum egiſſe. Scio priſcos equites Ordinis Theuto-
, nici Beatæ MARIÆ pariter Hieroſolimytanos Pruſſiæ noſtræ inſeſſores,
, quos Crucigeros hiſtoriæ nominant, cùm Epiſcopatus quinque Varmien-
, ſis, Culmenſis, Pomeſanienſis, Sambienſis, Caminenſis, multæ Abbatiæ, &
, Prælaturæ intra Pruſſiam numerarentur, cùm Dominij abſoluti trecentos
, propè annos in Pruſſia potirentur, rebusque ſuis, & opibus non ſegni-
, ter invigilarent; Eccleſiaſticis tamen dignitatibus penitus abſtinuiſſe. Scio
, reperiri in monumentis noſtris, quomodo Julio II Pontifice Equites Cruci-
, geri jus obtinendi Canonicatus Varmienſes impetraverint, ab eodem ta-
, men Pontifice melius informato, facilè conceſſio revocata & reſciſſa fue-
, rit. Neque ignarus ſum, in Italia, Gallia, Hiſpania, uſu receptum Equi-
, tes Ord: S. Joannis ad beneficia Eccleſiaſtica nullo diſcrimine admitti; ſed
, nobis uti multa ab illis Regnis diverſa, ita retentio iſthæc Abbatiæ, legi-
, bus, moribuſque Poloniæ multum adverſatur. Audeo legem Patriam alle-
, gare non licere à Polono cive, contra jus Patronatûs Regium, vel mini-
, mum attentari, & mutatâ perſonæ qualitate, prorogationem juris ſine con-
, ſenſu Regio obtineri non debuiſſe, ſeverè id legibus prohibitum, præſer-
, tim interregni tempore parum conveniens videri, ut tali novitate conten-
, tiones nobis, & diſſidia, quorum plus ſatis habemus, accreſcant. Nec va-
, nè ſubverendum, ùt multi in nobilitate Polona ſunt vitâ Cælibes, conditi-
, one milites, ſpei immodici, quos ingens onus egena nobilitas premit, &
, quorum multitudini, ac cupiditatibus Regia beneficentia deficit, ne aper-
, tâ hâc viâ ad Abbatias irrepant, vel irrumpant, præeunte magno exemplo
, Lubomirſcij Equitis Abbatiſque, quod non in perſona ejus duntaxat con-
, ſiſtet, ſed ad plurimos, ac poſteros, etiam valeſcet. Tali ratione mos jam
, in Polonia habet pſeudo-Epiſcopatus Græco-Schiſmaticos non ab alijs,
, quàm à militibus impetrari, neque noſtrates Catholici nobilitate, & mili-
, tiâ inſignes nupero bello Svetico Abbatias à Rege Sveco impetrare, & ju-
, re Dominij occupare, pudori aut Religioni duxerunt. Paucos ante annos
, Coadjutoria ad Abbatiam Tinecenſem eidem Domino Hieronymo Lubo-
, mirſcio admodum puero indulta fuit, & ecce non longa mora ejus exem-
, plo ſex, aut ſeptem pueri (Gninſcius, Zegocius, Leſczynij duo, Dön-
, hoffius, Opalinius) ad Abbatias ambitu parentum intruſi ſunt. Alis for-
, tè Regnis talia faciliùs evenire, ac tolerari poſſunt prævalidis rei Catho-
, licæ viribus, & quòd centenæ aut ſexcentenæ Abbatiæ inibi numerentur.
, In Poloniæ populari hoc Statu inter potentes Hæreticos, aut malè, & po-
, liticè Catholicos nobis non licet eſſe tam beatis, ac viginti & aliquot non
, plures intra Poloniam Abbatiæ exactiorem juſtitiam diſtributivam requi-
, runt. Quidſi ipſemet Dominus Lubomirſcius privatæ militaris fortunæ per-
, tæſus ad ſæculares dignitates animum adjiciat, quàm indecorum id, quàm
, Ordini Eccleſiaſtico atque Sedis Apoſtolicæ authoritati præjudicioſum e-

A.C. 1669 , rit. Multorum jam sermones audivi Abbatiam propter Sacrificia Missarum , à Majoribus fundatam, non sine fraudatione piæ intentionis alio diverti, , ac esto licet conquisitis epistolis aliqui Procerum amicitiæ, affinitati, pre- , cibusque Domini Lubomirscij tribuerint, ut suæ Sanctitati gratias agerent, , tamen in sermonibus habetur, ensem pedo, Baltheum Clericæ togæ, ga- , leam Equestrem Tiaræ Abbatiali non bene convenire. Professum Ord: San- , cti Joannis diverso Ordini S. Benedicti parum commodè præponi. Prolixi- , us hæc scripsi, non animo prorsus nocendi, aut privati commodi respe- , ctu, tametsi augendæ fortunæ meæ ex primis vacaturis Abbatijs decreto , comitiorum Regni præcautum esse fatear (quod inferius ego eâ occasio- , ne duco) sed ad solam duntaxat Sanctissimi Domini nostri informationẽ, , neque aliud postulo, nisi ut dignetur sua Sanctitas Illustrissimo Domino , Nuntio suo committere, quatenus eorum, quæ scripsi veritate indagatâ , plenissimè Curiam Romanam informet. Cæterum obsequiorum meorum , devotissimam promptitudinem Eminentiæ Vestræ ex animo commendo.

, P S. Certiorem etiam reddo Eminentiam Vestram avum & parentem , D. Lubomirscij Hæreticorum semper protectores fuisse, eorumque præci- , pua opera popularitatem, & potentiam sibi struxisse. Pater ejus Mareschal- , cus, & belli minor Dux tantâ servitute, & exactionibus bona Ecclesiastica , pressit, ut jure à multis præcipua ultionis in eum divinæ causa impute- , tur, quod pro gratia in favorem filij adolescentuli Abbatiæ Tinecensis in- , gratè erga Ecclesiasticos egerit, præsenti etiam statu, fratres, & agnati , Domini Hieronymi, non allenos se ab Hæreticis partibus monstrarunt , prout acerrimi pro libertate, quam pacem vocant Hæreticorum articu- , culi in Conventibus illis, quibus interfuerunt, scripti testantur.

COPIA LITERARũ ILLUST: PRINCIPIS RAKOCIJ, AD CELSSS: REGNI PRIMATEM NICOLAUM PRAZMOWSKI.

In Castro Borzienſi 16. Martij.

CUm recenter solùm ad aures meas delatum sit, me Divinâ favente gratiâ per Illustrissimam & Reverendissimam Dominationem Vestram in seriem Candidatorum adnumerandum declaratum es- , se. Quam benevolentiam eatenus elargitam omni studio, & animi mei , sinceritate Illust. & Reverend. Dominationis Vestræ animitus regrati- , ficari conabor. Et quia indignum, & adeo inconveniens mihi videtur, , si Divinæ huic vocationi me contrarium exhiberem, Ablegatos quoque , pro termino ad electionem præfixo non expedirem; quin & tantam Il- , lust: & Rndmæ Dominationis Vestræ erga me præstitam benevolenti- , am condignâ gratitudine non reciperem. Ideo eandem Dominationem , Vestram Illust: & Rdmam rogo, dignetur ulterius quoq; in animo suo, , ita favere, ac ad ea, quæ Domino DEo grata, & ad conservationem , hujus immediatâ vicinitate sanctæ Christianitatis antemuralis, medio , mei profitua esse videbuntur, promovere, & mihi tanquam Candidato, , & generationis meæ lineam de sangvinitate glorioſi olim Regis Poloniæ , Stephani Batorij, ducenti, ad prælibatum electionis terminum modo , condecenti legatos meos libere mittere liceat, quo melius optatum hujus , Candidationis meæ finem, operâ, & benevolentiâ Illust: & Rndniæ Do- , minationis Vestræ assequi valeam. Ego quoq; Paternum hunc Illust: , & Rndmæ Dominationis Vestræ affectum erga me, omni animi studio , regratificaturus Illust: & Rndmam Dominationem Vestram diuturnè, , feliciter, & benè valere desidero.

AD

JUſtâ indignatione ſuccenſeo tam incerta tradenti famæ, cujus judicium Illuſt: Dominationem Veſtram in propoſitum ambiendi, & ſpem adipiſcendi ampliſſimi hujus Regni erexit. Publicorum etenim odiorum telis me exponit, cùm tanti erga Illuſt: Dominationem Veſtram favoris inſimulat, hoc præſertim tempore, quo nondum injuriæ vulnera oblivionis cicatrice obducta ſunt, quæ Illuſtriſſimus olim Dominationis Veſtræ Illuſtriſſimæ Parens Reipublicæ huic inflixit, ſpreto, quod tum temporis fortis pando ſinu offerebat. Quippe recenter in particularium nonnullorum Palatinatuum Conventibus Indigenatus Illuſt. Dominationis Veſtræ diſputatur, omninoq; in dubium valor ipſius vocatur; tantùm abeſt, ut Gentis Polonæ vota Illmam Dõnem throno ſuo deſtinent. Si Illuſt: Dominatio Veſtra meum hac ſuper re ſenſum fidentiùs explorãſſet, non exiſtimo facturam fuiſſe, ut id conſilij capeſſeret. Modò quoq; facilè ignoſcet, literas ſalvi conductûs à me legatis ſuis dari non poſſe, ne probare videar, quod ſuaſi. Si tamen famæ nullo certitudinis fundamento nixæ inſiſtere malit, mittere eoſdem ad plena Regni Comitia nullo prohibente poterit. Hæc ſinceriùs Illuſt: Dominationi Veſtræ depromere volui, ut eidem conſtet, longè me alienum ab eo famæ errore fuiſſe. Cæterùm Illuſt: Dominationem Veſtram proſpero rerum ſucceſſu frui exopto.

LITERÆ AD SUMMUM PONTIFICEM A COLLEGIO EPISCOPALI, RATIONE LEGATI SUÆ SANCTITATIS, A LATERE MITTENDI IN POLONIAM NOMINE EPISCOPALIS COLLEGIJ.

STatus, & Ordines Poloniæ Regni, Magni Ducatûs Litvaniæ ad providendam ex communi conſilio ſecuritatem congregati, nihil magis in præſenti orbitate expetere viſi ſunt, quàm ex Sanctitatis Veſtræ dignatione beari, ut futuram novi Regis electionem per Legatum à latere ſuo mittendum condecorare velit, hujus demiſſæ ſupplicationis nos Epiſcopos interpretes eſſe volucrunt, quam dum præſentibus humillimè Sanctitati Veſtræ exhibemus, Eminentiſſimis ſimul S. R. Eccl: Cardinalibus Regni noſtri Protectori, & Comprotectori deſiderij hujusmodi cauſam, & rationem, adeoq; illius evidentem pro Religionis Catholicæ utilitate neceſſitatem prolixiùs exponimus, dignetur modò Sanctitas Veſtra eam ab iiſdem excipere, ac pro Paterna ſua, eaq; incomparabili in populos Chriſtiana fidelitate Sanctitati Veſtræ ſubjectos pietate, in quorum numero non poſtremam ſe eſſe Polonia gloriatur, omnium noſtrûm votis clementiſſimè annuere, quod maximi loco beneficij acceptum in perennaturos referemus faſtos, ac una nos poſteroſq; noſtros perpetuo gratitudinis tributo æternum nomini Sanctitatis Veſtræ obligabimus. Beatiſſimis ejusdem pedibus venerabundi humillima figentes oſcula.

A.C.1669 LITERÆ AD CARDINALEM COMPROTECTOREM A COLLEGIO EPISCOPALI, UT SUMMUS PONTIFEX MITTAT HUC LEGATUM PRO ELECTIONE A LATERE SUO.

PEculiare in hac orbitate nostra à Paterna Sanctissimi Domini nostri cura, & solicitudine tuleramus solatium, dum ex publica accepimus fama destinari huc à latere Sanctissimi Legatum, qui futuræ electioni assisteret, tamq; eminenti autoritate rei illius actus moderaretur, ejusmodi Nuntio exhilarati jam dignos tanto hospiti honores, omnem humanitatis cultum apparabamus, cùm recens rumor mutatum id Sanctitatis propositum divulgavit, quòd minus acceptum nonnullis nostrorum popularium tantæ dignationis argumentum fore Sua Sanctitas arbitraretur. Omnino itaq; necessarium duximus supplices ad Sanctitatem Suam scribere literas, quas ad Eminentissimum Cardinalem Regni nostri Protectorem annexas Eminentiæ Vestræ eidem præsentare, & pro eximia, quâ Regnũ hoc complectuntur benevolentiâ missionem Legati à latere apud Sanctissimum meritissimâ promotione Suâ accelerare dignabitur; Et licet pluribus evincere possimus rationibus, quantum rei Catholicæ interfit, ut id decoris futuræ electionis solennitati Sanctissimus impertiatur, ijs tamen omissis ea cumprimis perquam humiliter insinuamus, Regnum Poloniæ duntaxat, non in personam, sed fatis ita urgentibus, in familiam quæ cœlitus destinata fuerit transferendum, quod fieri Divino nutu, orbis universus tunc intelliget, si Sanctissimi Domini veluti interpretis supremæ voluntatis Legatus, à latere electioni nostræ adstiterit. Jam verò cùm inter metuendæ potentiæ competitores Magni Ducis Moschoviæ Filius per ora vulgi passim circumferatur, multiq; pronis in eum studiis Græcum Schisma cum lacte haustum Catholici Regni præmio ejuraturum polliceantur. Est sanè cur Romanam fidem extremum periculum subituram vereamur. Nam cùm certò nobis constet duram Gentis cervicem, nisi singularis Numinis ope ad meliorem frugem flecti posse; quis Principum Christianorum sponsionem de assumenda fide Romano-Catholica, retinendoq; ejusdem ritu pro Schismatico hoc in solium (quod absit) assumpto in se reciperet, gnaris omnibus, quàm sit Moschorum Gens moris sui, ac erroris sui supra modum tenax, ac insito in Sacram Romanam Ecclesiam odio adsistendum, proinde hanc populi ad sola temporalia commoda, minimè verò ad maximum rei Catholicæ detrimentum respicientis inclinationem supernâ Christi in terris Vicarij autoritate, omnino opus habere judicavimus. Suppetunt etiam summorum retroacti sæculi Pontificum exempla, qui levioribus de causis Reges nostros, adeoq; ipsa interregna similibus legationibus condecoravêre, cum igitur nobis certum sit summam utilitatem rei Catholicæ, eximiumq; suæ Sanctitatis solatium emanaturum, dum in tam dissitis & per vastissimum septemtrionẽ diffusis populis filialem erga sanctam sedem cultum profitentibus, paterna

næ ſollicitudinis gloria in Regnum hoc orbatum perſonuerit, in ſpe a- A.C.1669
dipiſcendi favoris hujus erigimur, dummodo Eminentiæ Veſtræ effi-
caciſſima accedat opera, quam cùm enixius in hanc rem ſollicitamus,
devota noſtra Eminentiæ veſtræ deferimus officia. Dabantur Var-
ſaviæ.

ANDREÆ OLSZOWSKI EPISCOPI CULMENSIS PROCANCELLARII REGNI AD GEDANENSES die 2 Januarij.

Epiſtolam Nobilitatum veſtrarum prægrandi ſigillo, hactenus nondum mihi viſo munitam, per manus Domini Secretarij civitatis, accepi. Intelligo deſiderari. ab Illuſtritatibus veſtris, ut decretum Regium in cauſa Domini Valentini de Linda actoris nuper promulgatum irritum habeatur, vel ejꝰ executio tantiſper (quod memoratus Secretarius oretenus propoſuit) ſiſtatur, donec proceſſus contra eundem de Linda ex alio actoratu Gedani noviſſimè inceptus terminetur. Animadverti & expendi rationes Nobilitatum Veſtrarum, nempe, quòd cauſam hanc, amoto Principali defenſore, alter minor, luctuque domeſtico recens & turbatus advocatus non ſatis cumulatè tractaverit, quod jus & poteſtas eligendi conſules antiquitus, & inviolabiliter penes Magiſtratum ſit, poſtremò per conſcientias veſtras, executionem admitti non poſſe. De Patrono cauſæ quod attinet, is Magni Ducatûs Litvaniæ Inſtigator renuntiatus, ornatusque publico Miniſterio, cum hic tum privatorum cauſis tractandis abſtinere debuit, quod probè, & pridem cognitum Secretario Nobilitatum veſtrarum, & conceſſis pluries, ex benignitate Regia dilationibus, integrum erat alium vel plures Patronos cauſæ idoneos adoptare, quanquam unus ille pro duobus vel pluribus fuerit, quem memini cauſam hanc egregiæ defendiſſe, nihilq; in dicendo in allegandis juribus & rationibus, reliqui feciſſe. Jus eligendi ad conſulatum (tametſi Reges per declarationem ſuam juribus Pruſſiæ inſertam, probandi iſtius juris neceſſitatem Majoribus DD. Veſtrarum impoſuerint) eſto, concedatur, neque in dubium vocetur, tamen non ex inde ſequitur demovendi conſulatu collegam & conelvem, Magiſtratui abſolutam poteſtatem competere, cum id Regiæ authoritati, diſertis verbis reſervetur, nec ſine voluntate & expreſſa declaratione Regia, quempiam conſulatu exautorari, jurium veſtrorum dignitatiſque Regiæ, & ſecuritatis ac libertatis civium plurium intereſſit, conferuntur ſummi Magiſtratus, & dignitates à Regibus Poloniæ, neque tamen auferri, niſi publico & ſolenni judicio poſſunt. In conſcientias DD. Veſtrarum, non intro vos videritis, quid eiſdem debita, erga naturalem Regem ac Dominum præſcribit, mihi pro Rege ejuſque dignitate, & poteſtate fides & officium, ita conſtat, ut Auctor omnino eſſe nequeam, mutandi decreti, ſemel enim locutus eſt Dominus, neque ego privatim affectu ullo ducor erga D. de Linda, vultu ſoſum mihi vix notum, non excuſo, imò abominor delictum Regiâ ſententiâ damnatum, nec leviter punitum, cauſam procul habeo, ægrè faciendi Nobil. Veſtris, quorum (ut moderationem meam minimè prædicem) antiqua jura & privilegia ſancta habeo, & amicitiam comiter obſervo. Illud duntaxat animum movet, Nobilitates Veſtras modò ex figura judicii, minimè ſervato, defacto proceſſiſſe. Deturbari conſulatu, quantumcunque nocentem, per conſultum civile inconſultâ Regiâ Majeſtate, non potuiſſe. Miſeris atque fragilitate prolapſis, ad Clementiam Regiam perfugium petere. Iudicata ſupremi throni, quacunque ſorte eeciderint, ſeu juſtitiæ, ſeu fortunæ tribuenda, & toleranda eſſe. Cæterls in rebus iſtis, & benemerendi de nobiliſſima civitate veſtra ſtudio libens complaeebo. In hac cauſa jam terminata per ſententiam Regiam, de Executoris præterlapſo abſente, & non

Dimotio Valentini de Linda à Conſulatu Gedanenſi

A. C. 1669 & non audita parte contra dignitatem Regij judicati morigero eſſe deſide-
rijs Nobilitatum Veſtrarum mihi non decet, nec licet. Ad trinam informa-
tionem in triplici cauſa, Sacræ Regiæ Majeſtati porrectam ſimul reſpon-
Telonium deo. In negotio telonei Aquatici reſcripſit jam Sacra Regia Mtas, acceptū
ſibi perinde fore, ut alia quapiam ratione, prævio in Conventu terrarum
Pruſſiæ laudo, ſumma æquivalens ad theſaurum Regni inferatur, alienum
enim ab æquitate videtur in publico totius Regni & cujuſcunque eminen-
tiæ perſonarum inevitabili onere ſolas civitates Pruſſiæ immunes penitus
agere, quarum præcipuo commodo ſervit, ne Elbinga valida, & nobilis ci-
vitas Principi externo traderetur, aut aliàs tradatur, neque diſcordiam Or-
dinum, ac rupturas Conventuum poſt-Comitialium ærario Regni, frau-
di eſſe debere. In privatorum cauſis Petri Hartmani, Bartholomæi Hayn,
Joannis Beiſen junioris, ut & Hertmani Hejutz, impetrata ex Cancella-
ria Regni reſcripta, in tantum valent, in quantum preces veritate, & ju-
re nituntur. Salvâ ſemper ijs quorum intereſt, ad reſpondendum agendi
poteſtate. De reliquo Nobilitatibus Veſtris optimam valetudinem, & felici-
tatem à Deo animitus precor.

NICOLAO RICHARD CONFESSARIO SERENISSIMI PRINCIPIS LOTHARINGIÆ 20 Aprilis.

Literas meas accepiſſe te gaudeo, placuiſſe eaſdem triumpho. Non credas verò Pater mi oblitum fuiſſe authorem cenſuræ candidatorum Principis tui, quem (poſt Piaſtum) deperit, fieriq; talem ſcias diſpoſitionem, ut aut nemo externorum ſit futurus, aut certè tuus, liceat etiam dicere meus dilectiſſimus Princeps. Accipe ergo, quæ de illo loquimur, ſcribimus, cogitamus.

Quidquid Neoburgicum in Polonia deſtruit, oppoſitâ ratione fortunam Lotharingici ſtruere videtur. Proclive eſt componere, & contrarium deducere effectum. Ille ſenex: hic juvenis. Ille jam ſellâ & conclavi; hic equo & arenâ melior. Ille uxore & liberis gravis: hic ſolutus. Ille in tot ſtirpes diffuſus: hic domûs ſuæ ultimus. Ille Germanus; hic medius inter Gallum & Germanum. Ille Electoribus externis: hic populo Electori debitor. Ille externis fœderibus injurius, hic intra Poloniam, ac Polonorum non nemine Miniſtro, decenter acto ambitu innocens. Ille remotior: hic è vicino Cracoviam deduci facilis, nullâ morâ, nullo publico, & privatorum diſpendio.

De pecunia non uſque adeò mercatoriè agimus, ut in nos ſit:

Protinus ad cenſum, de moribus ultima fiet
Quæſtio.

Vel alibi dictum:

Ad ſonitum, ſtrepitumq; auri ſuffragia vertunt.

Bono etiam animo Lotharingus noſter mercari nollet, quod mereri oporteat, Gallo promotionem offerenti reſpondiſſe narratur. Neq; tamen pecunia omnino, prout ſpargitur, Lotharingum deficit, Patruo Carolo à re nummaria probè inſtructo, & ſubſidium ingens promptè offerente. Ab obitu ejus jam propè ſeptuagenarij & vergentis, Lotharingia Candidatum noſtrum concernit. Principatûs ſupremi & nunquam dependentis Dominij, à Gallica vi & prætenſione pactis ultimum ſancitis ſecurus, amplus, opulentus, turbis & tricis omnibus expeditus.

Carolus Patruus naturali filio ſuo percupiens, non vili pretio apud Nepotem, (audita refero) favorem eidem parabit. Nec grave erit Guberna-

bernatorem & Vicarium ſui in Lotharingia relinquere, qui Principi agendo ob natalium maculam idoneus non habetur. Eâ cauſa periculum nullum ſubeſt uſurpandi à Gubernatore naturali filio Imperij, neq; verendum exemplum Caroli Sudermani, qui per abſentiam Siglſmundi Regis Sveciæ tanquam derelictam poſſeſſionem ſubripuit. *A.C.1669*

Lotharingia Regi Polono & Reipub: decora, utilis, juventuti Polonæ ad peregrinationes opportuna, & uni Filiorum Regiorum, ſi duo, pluresvè fuerint, certum patrimonium.

Finieram ſatis de Lotharingo, ſed amicus vir rectè monuit, nondum ſatis & per fortunam oblatâ informatione, animavit: plus ultra: Trutinam, quam in tranſcurſu vix attigerant, relego, & video authorem non æquam lancem ſervâſſe, pro Neoburgico nimirum evectum, in Lotharingum nimis declivem. Appendo in ſtatera verba Trutinatoris, quæ minùs fortè habere invenientur: Ab origine paulò altius rem ducet.

Carolum modernum Lotharingiæ Ducem cum filia unica ſine prole maſcula defuncti Henrici Ducatum Lotharinglæ accepiſſe. Malè aut malignè unicam filiam ſcribit. Duæ fuerunt Henrico II. Lotharingiæ Regnanti: Nicolaa major Carolo nupta, improlis defuncta. Claudia Franciſco, quæ Carolum Candidatum noſtrum progenuit. Quid aliud iniqvus trutinator, niſi aut Carolum noſtrum ſine Matre novum Meſſiam, prodigium ſæculi lucem aſpexiſſe, aut à Polonis honeſti amantibus, ambiguâ matre, tanquam natum, vel ſuppoſititium poſthumum exiſtimatum, contemptui, & odio propinari. Miror temeritatem, abominor ſcribendi impudentiam.

Carolus Candidati Patruus, nullo titulo orbi notus, quàm Comitis de Vandemonte. Scripſi jam Vandemontanos proximâ lineâ deſcendere è Lotharingica ſtirpe. De Lotharingicis nullius injuriâ affirmo: Regnantium hodie atq; olim Familiarum, diuturniore dominandi ſerie, & Gentilitiâ ſucceſſione nullam in orbe, Lotharingicâ antiquiorem & certiorem eſſe. Extra Bibliothecam poſitus ſum, ut mihi Hiſtoriam Lotharingicam percurrere non ſit ad manum.

Kochanovij Maronij noſtri vernaculum Pòéma manibus puerorum meorum teritur. Ac Volſcius meus interrogatus nominavit Bullonium Godefridum Jeroſolymæ vindicem, Saracenorum triumphatorem, inclytum cælo terraque nomen.

In Bullonio Lotharingicæ Duce Juſti Lipſij verba refero: Acres illi in pectore ſtimulos fuiſſe, qui adegerunt rem tentare, atq; aggredi vix Europæ viribus patrandam. Judæa & Terra ſancta à profanis & impijs tenebatur, qui loca illa Chriſto DEo calcata, aut cruentata illudebant, & profanabant. Perdolitum eſt piiſſimo Heroi (ſic nominandus eſt, & homine in eo aliquid majus) militem collegit, opes ſuas ad avitum patrimonium expendit, fratres ipſos duos impendit. DEus autem cœptis quàm palàm adfuit, ad ſexcenta millia peditum, equitum centena milia armavit exercitum, quem rarò Europa noſtra vidiſſet. Scio eſſe, qui numerum minuant, ſed fuiſſe certum eſt, etſi non omnes perveniſſe. Venit igitur in Syriam, & (ut Julianis olim verbis utar) vidit, vicit. Rex terræ ſanctæ factus, victorijs & vitâ illuſtris obijt, quem mirari aliquando ſubiit, non & ipſum relatum, tum in Divorum numerum tam claris teſtatiſq; meritis. Anſam mihi dat idem Auctor memorandi è Lotharingica trecentos circiter Sanctos, terris editos, tranſcriptos cælo, quorum contextas Litanias Carolum Hyacinthum Regni Candidatum habere, atq; Chriſtianâ pietate, & ardenti in ſanctos Majores cultu recitare *Bullonius*

A.C.1669 tare Nicolaus Richardus Jeſuita mihi nuper Varſaviæ narravit.

A Gallis uxore & Ducatu privatus. Non putabam Gallos raptores uxorum, Ducatuum uſurpatores.

Gallia juxta legem Salicam à Paterna hæreditate excludi filiam ſuſtinebat. Quid lex Salica & Gallia ad Lotharingiam? quid juris & arbitrij Gallis ſine ſuffragio Prætoribus in Principem Supremum, abſolutum, à nulla in terris Mte, niſi à ſolo DEO dependentem?

Auſtriacorum protectionem impioravit. Rectè cognatus & amicus bello Svetico & Gallico de Auſtriacis bene meritus.

Vivente uxore ad ſecunda vota cum vidua DE SANCTA CRUCE tranſijt. Nihil iſta labes Patrui (cujus ego vitam, moreſque in medio relinquo) ad Carolum Nepotem, perſonæ probrum ſit, non familiæ, & quæ familia, tam orbi clara, ut nævo aliquo non umbretur? Quod Palatium ſine poſtica parte? maculas aliquas in ſplendidiſſimis cæli luminibus ruſtica gens, non tamen docti mirantur.

Summus Pontifex liberos ex nuptijs cum Sancta Cruciana declaravit non legitimos. Nihil inde probri aut nocumenti Candidato noſtro, ſoli & indubitato Lotharingiæ hæredi. Informatus rectè eâ de re lectorem informo. Nicolaa Patrui Caroli uxor teſtamento condito, ſuum (ex ſorore Germana Claudia) unicum nepotem hæredem ſcripſit, hac genuinâ verborum formulâ: nullium hæredem meorum Statuum agnoſco, niſi meum nepotem Carolum Principem Lotharingiæ, volo tamen, ut ijs maritus meus tempore vitæ ſuæ fruatur. Alio publico inſtrumento jus irrefrigabile in Lotharingiam Candidati noſtri affirmatur, quo Carolus idem modernus Dux Lotharingiæ declarat Nepotem Principem ſuum, hæredem incommutabilem, licet ex ſequentibus nuptijs cum Sancta Crucia prolem maſculam haberet,

Divitias, ſummâ Belgarum & agreſtium oppreſſione, ex rapto, & militaribus concuſſionibus ſub ſignis Hiſpanicis acquiſivit. Deinde Trutinator conſcientiam alienam interrogas, tuam potius appende in ſtatera, neque in odium erant divitiæ juſto bello partæ, cùm aliquando eveniat illud Senecæ: rarò ſimul & bonum Ducem, & bonum virum impleri. Arduum profectò, & ſupra humanum quæras in militante innocentiam. Quid ſi etiam militariter extortas divitias malè amicâ in Belgio captivitate, diuturno Hiſpanico carcere, ſua pœnitentia expiavit, & Sanctas fecit.

Aſino Bruxellis inequitans iudibrijs ſe Patruus exponebat. Leviuſculum certè id fateor, tamen magnorum virorum Romæ, Lutetiæ, Venetijs, Viennæ nugamenta aliqua, præſertim Saturnalibus tolerantur, civilia habentur. Catonis vigor jam exolevit, quo præſente fas non videbatur Floralia agere.

Franciſcus Lotharingius Poſtquàm Patruum ita depexuit, in Franciſcum Candidati parentem manus & livorem vertit.

Romani Imperatoris protectioni ſe ſubdidit Franciſcus. Dixi jam cognationis & meritorum fiduciâ, nec indecorum ulli eſt, Imperatoriæ aquilæ alis circumdari, Auſtriaco flumine irrigari.

Ab Imperatore honeſtam ſuſtentationem impetravit.

Decet Imperatoriam fortunam alios fortunare. Non dedecuit Joannẽ Caſimirum Regem noſtrum Ferdinandi ſecundi ſtipendiis militâſſe, beneficâ ejuſdem manu aliquando ſuffultum fuiſſe. Non recuſavit Neoburgicus ab Auſtriacis diu penſionem: ergóne Poloniæ id dedecori, ſi in Regem proclamaretur. Franciſcus proviſionem ab Auſtriaco gratè habuit, tanquam præmium meritorum, quod Carolo fratre contra Svecos bellante, ſtatibus ſuis expulſus, egenuſque ageret. An ignoramus plurimos Germaniæ Principes

Principes in præmium addictæ fidei, ab Hiſpano & Gallo annuâ liberalitate etiam purpuratos Cardinales, Imperij Electores, regnantium primos Miniſtros ampliſſimis donativis ſublevari? An moderno Regi Angliæ id objectare auſis, quòd à Polonis pecuniario ſubſidio (prout tunc Regni bello vaſtati tempora ferebant) adjutus fuerit? etiam rem Polonam ab avo Regis Angliæ Jacobo gratuitis in Turcam ſubſidijs, ab Alexandro VII Pontifice difficillimo bellorum & exilij tempore, aliquantâ pecuniâ valde opportunâ, in ſpem & fortunam meliorem erectum, ingenui & memores agnoſcimus. *A.C.1669*

Ab Archidu-e Leopoldo ad inimica tunc Gallorum caſtra profugum Franciſcum filij conſcenſâ raptim navi inſalutato hoſpite Bruxellis in Gallias parentem ſecuti ſunt; necdum tunc decennis, fruſtra invidiâ Patris oneratur, laudis etiam non criminis eſt, qualemcunque parentis fortunam, cujus poſt DEum princeps & debita veneratio eſt, comitari.

Ornat deinde elogijs Candidatum noſtrum Catholica Religio, antiqua Lotharingorum familia, juventus ad bella, & ardua quæque aptiſſima, fratribus liber, ſine conjuge, ſine prole, ſine occaſione belli, natura mitis, peritia variarum lingvarum, amicitia Auſtriacorum, experientia militaris, agilitas in exercitijs Equeſtribus, felicitas ingenij, morum comitas, Religio in ſervandis promiſſis, & multa commoda à Lotharingo Principe Reipub. noſtræ promittuntur. Magna vis virtutis, quæ ab invito etiam laudem extorquet. Niſi te inter eos cenſeam, quod peſſimum inimicorum genus, Tacitus vocat, laudantes. Nam præſtruxiſſe hanc laudem videris in Lotharingico, ut tuum Neoburgicum faſtigio imponeres. Non inferiorem tamẽ Religionis & pietatis laude ſi conferas, ponderesque, ne dicam vetuſtate, & magnitudine rerum pro gloria DEI geſtarum, Lotharingicam Domum Palatino-Neoburgica grandiorem recta trutina monſtrabit. Marmoribus templorum fixa & ſcripta ſunto Neoburgicæ pietatis monumenta. Lotharingicam erecta crucis Jeroſolymis trophæa ad cœlum extollunt. Illic lauri, illic palmæ manibus & ſangvine Buloniorum Godefridorum multorumque Lotharingici nominis Principum plantatæ, manſuræ, æternæ, quas non edax tempus, caſuſve, ſicut in marmoribus ſolet, aliquando rumpat: ſed cœli, terræque cuſtodia conſervet. Pulchrum etiam eſt Lotharingicam domum atque provinciam monſtra fidei non parere, quæ Palatinam in Heidelbergicis Religionum portentis graviter devenuſtant.

Adoleſcentulum in præceps proclivem. Proclivi in contumellam animo nominas, & quæ ætas magnitudini rerum commodior maturitate Candidati noſtri, nec in extremam ſenectutem devexa, nec prima juventa lubrica?

Auſtriacæ futuræ Conjugi fidem dedit. Vereor, an id ex fide ſit, atqui fidem etiam juratam nobis dabit, nullam ſe, niſi ex conſilio ſenatûs uxorem ducturum. Et vide an non temere obſcuriorem Vandemontijs genitum, Orbiq; ignotum habeas, cui Auſtriaca Cæſaris Filia & ſoror dignè deſtinetur.

Quæ à tali conjugio nobis commoda quæris? commodiora, quàm à Landgravica, Haſſica, Caſſelenſi, Darmeſtadica, Calviniſtarum Heroibus, cognatione; quorum præcipui Svecis in nos commilitabant. Fridericus Landgravius Frater Neoburgicæ à Chriſtophoro Zegocio Palatino moderno Januladiſlavienſi ad Coſtinum trucidatus eſt.

Auſtriaca cognatio (adulationem indecorè mihi aliquis affingat, boni viri incorruptè, ac nunquam corrumpendâ fide ſcribo) Reipublicæ & libertati noſtræ reſtituendæ auxilia miſit. Fecerit commodo ſuo, ut lividiores carpunt, maximo tamen ditionum & rerum ſuarum periculo, hoſtem

A. C. 1669 hostem in Suecos pro Polonis egit, illis terrorem, nobis fiduciam auxt. Virtuti Polonæ casibus langventi, atq; illi Achilli nostro Czarnieccio animos, calcarq; addidit. In maximis Poloniæ, conspiratione undiq; hostium oppressæ, angustijs, legationes nobis faventes ad Moschos & Cosacos misit, tractatum induciarum cum Mosoho per Ablegatum promovit. Austriacæ conjunctionis terrore Rakocius & Cosaci cum ingentl & prædatoria Gentium colluvie gradum retulêre, & vim, furoremq; ultra Vistulam transtulerunt, mox celeritate Polonâ deprehensi gloriosius, quàm sub Caudinas furcas missi, & paucis vix elabentibus, ipsoq; Rakocio duobus millionibus salutem pacto, occidione cæsi sunt. Austriaca conjunctio Regem Daniæ diu ambigentem in fœdus nobiscum & diversionẽ belli pertraxit. Electorem Brandeburgicum Partibus Sueticis avulsit, recuperandæ Cracoviæ & Thorunio, obsidendo arctissimè Mariæburgo, maximum ornamentum fecit. Moschos Chovanscio & Szezerba Ducibus, ulteriori à Bresta Litvaniæ in Poloniam excursione absterruit. Suecum ferocientem primùm ad excedendum Poloniâ, mox ad pacis consilia & media acceptanda adduxit. Paci Olivensi, candido erga Poloniam studio per Colobratum & Isolam Legatos allaboravit. Legationem nomine Electorum Imperij ad Regem Sueciæ, ut à bello Polonico desisteret, effecit. Cracoviam, dubitante Europâ, nobis amicè restituit, memoratæ legationis Electoralis Francofurti; evocationis Cracoviensis Viennæ; efficaci Ministro Olszovio.

Austriaca amicitia, quam semper coluimus, imperium formidavimus, coluimusque, à tot sæculis bene vicina malis nostris semper indoluit, bonis semper lætata est. Pro Lubimirscio frustra deprecata, oppresso perfugium fuit. Ad Turciei belli terrorem, post cladem Machovij ad Brahiloviam auxilia nobis libenter promisit. Regem à Regni abdicatione per Ablegatos Valsteinium & Mariæburgium, perque literas officij plenas seriò & amanter dehortata est.

Austriaca nobis S. Casimirum, cælo & terris mirum, Genti Tutelarem & amabilem, felici partu effudit. Austriaca Vladislaum IV. Martem Sarmaticum, amorem Gentis, hostibus terrorem, qui bella famâ profligabat, qui Jani templum in Polonia clausit, qui Orientis & ultimi Septemtrionis imperia & fasces victor calcavit, & in genua ad sui veneration em demisit. Joannem Casimirum (demptâ erga Reginam, ac ultimum erga Germanicam fœminam, atq; Gallicas partes nimiâ indulgentiâ) cætera magnum ob Armenicum populum, ritumq; unioni Romano-Catholicæ Ecclesiæ, feliciter in Polonia consociatum, Arianismum pulsum & proscriptum; Græco-unitos protectos, Societatem JEsu amatam, Thorunienscm Ecclesiam S. Jacobi jure vindicatam, hæresim in Regno imminutam, nullum Hæreticum aut Schismaticum in senatum cooptatum, sacra Domini bella contra Christiani nominis & Ecclesiæ hostes præliata, ob res togâ, sagoq; pro Incremento gloriæ DEi & Catholicæ fidei præclarè gestas digniſſimo titulo orthodoxi Regis ab Alexando VII. ultro donatum, Regijs virtutibus incomparabilem, in sententia concludva plùs quàm Senatorem, in adversis intrepidum, & plùs quàm Ducem, toties periculis caput plus quàm gregariâ audaciâ objectantem, in acie primum, post aciem ultimum, etiam ipsâ abdicatione, quæ trepidatione bonis civibus erat, tranquillè & decenter peracta optimè de Polonia meritum, Jagielloniæ Augustæ domûs ultimum & deciduum sangvinem, in gratijs à non nemine habitum, mihi pro beneficijs, antequam rogare, imò ne rogare quidem delibersrem, ultrò oblatis, ac

Joannis Casimiri merita.

spes

ſpes meas aureæ mediocritatis, otijque, non mutatâ duntaxat veſte, ſed vera gratitudine, & fide, donec mortalis ero, memorandum, amandum, devenerandum, ſceptris Poloniæ reliquit. Illa ex Auguſta domo CÆCILIA RENATA, imò Auſtriacæ omnes Reginæ, gravitate, pietate, & ipſæ præluxerunt, & Matronas Polonas formaverunt. Auſtriadis non ratio ſtatûs, non toga & ſagum, ſed thorus mariti & amor populi curæ fuit: non acies ordinare, conſilia ſenatûs, comitia, judicia regere, non Rempublicam, quæque alia ſupra ſexum moliri, ſed domum curare, Regiam cuſtodire, liberos educare, Principes maritos laboribus feſſos oblectare curabant: optimos cives promovebant, Cancellarijs, Epiſcopis antiquiſſimo & decenti more, (qui etiam Auguſtis Imperatoribus in Abbatibus Principibus Fuldenſibus) utebantur: Auſtriadarum negotium & occupatio fuit, ut templa ornarentur, Divinæ laudes muſicis cantibus inſonarent, paramentis & velis Eccleſiaſticis proprijs manibus elaboratis, altaria inſtruerentur, quarum ultimam Cæciliam Renatam memoriâ æternâ dignissimam, meo etiam hoc calamo in famam ituram, diebus Sacratiſſimi corporis Chriſti proceſſionem comitantem, ultimum fatum in Auſtriaca pietate occupavit. &c. &c. A.C. 1669

ANDREÆ OLSZOWSKI PROCANCELLARIJ REGNI, AD ARCHIEPISCOPUM GNESNENSEM.

Data Thorunij 13. Januarij 1669.

LOco liminum Apoſtolorum, viſitatis cognatis meis, & amicis, heri primum in limine conſtiti Diœceſis meæ Thorunij: ubi reperi in datis ad me, dexteræ Veſtræ Celſitudinis characteres, qui, ſi citius perveniſſent, aut ſi Celſitudo Veſtra diem conſilij determinatè dignata fuiſſet deſignare, non mihi fuiſſet grave Varſaviam excurrere; uti defacto emergente neceſſitate publica, ad quemvis Veſtræ Celſitudinis nutum accurram ocior nimbis, & agente nimbos ocior Euro. Reſponſum ad Legationem Doroſzenko, aliud meo judicio eſſe nequit, quàm expreſſum in literis Veſtræ Celſitudinis; ut ſcilicet juxta priſcam Coſacorum conſuetudinem, exemplo Exercitûs Regni, ſuos mittant pro electione Nuntios. Non dubito lenitate Celſitudinis Veſtræ, contentos ejus Nuntios rediiſſe. Electio futuri Regis extra omnes, aut inter ultimas mihi curas, nec nimium caput meum fatigat; per me regnet, quemcunq; ex beneplacito Veſtræ Celſitudinis, Reſpublica elegerit, dummodo non Germanum, quem firmo, excludo intra me, propoſito. Altiſſimo Veſtræ Celſitudinis judicio, uti & aliàs ſic præſertim in tam grandi electionis negotio, facilè acquieſcam, firmiter perſuaſus à Veſtra Celſitudine, utpote ſupra fortunam & votum poſita, ſine privato intereſſe, digniſſimum & utilem Patriæ deſtinari. Privatum meum negotium exponet, & promovebit ex mandato meo Wolowſki, petitam gratiam pro me à Veſtra Celſitudine non dubito, obtenturus. Legatus Galliæ in Diœceſi mea, Pomezaniæ reſidet Kwidzini; conveniam eum literis, & facultatem exercendi Pontificalia ultro mittam.

P. S. *Scripta illa antiquiora, quæ à me requiſiviſti, libens adnecto.*

COPIA RATIONUM SERENISSIMI REGIS SVECIÆ SCRIPTO EXHIBITARUM LEGATO GALLICO DOMINO ARNOLDO ANDILIO DE POMPONE STOKOLMIÆ.

QUoad negotium abdicationis novæque electionis in Polonia Sereniſſimus Rex Sveciæ equidem in cauſa Statum interni Regni concernente, & per ſe conſiderata non prorſus alieno eſſe poteſt animo, rerum habitâ ratione cùm ad Sereniſſimi Regis Chriſtianiſſimi intentionem, quatenus Sveciam iterum in Societatem promovendi hoc negotiũ invitat, tum ad Aulæ Polonæ modum hactenus agendi tot in præſenti rerum temporis conjunctura obijciuntur difficultates & pericula, ut ſatius videatur operam hanc ad tempus intermittere, quàm fruſtra eam conſumere, idque ob ſequentes conſiderationes.

Successor vivente Rege non designatur

1mo. Notorium eſt ex Poloniæ Hiſtoria, & recentiſſimi temporis exemplis, quàm operosè Polona gens ad præcavenda periculoſa inter-regna, & libertati ſuæ conſultura Regibus præſertim Stephano & Sigiſmundo III legem ſæpe ferre voluerit de modo electionis Regiæ, verùm intervenientibus nunc aliunde intempeſtivis ſuſpicionibus, nunc domeſticis turbis inſtitutum genti adeo neceſſarium adhuc differtur, jus tamen liberæ electionis ſæpius eſt repetitum, & in legum Polonicarum volumen relatum, & ne viventibus adhuc Regibus Succeſſor (etiam ex Regum filijs vel agnatis) deſignaretur, ſemper enixiſſimè cavit gens illa. Sic Stephano Bathoreo optimè de Republica & tota gente merito Regi quendam ex ſuis agnatis Candidatum propoſituro reſtitit. Rumore etiam per Poloniam bis ſparſo de Sigiſmundi Tertij intentione deſignandi ſibi Succeſſorem unum ex filijs, lege repetitis vicibus lata libertati & ſecuritati gentis cautum ibant Ordines, ut ita ſimul ſpes deſignandi Succeſſorem vivo Regi præſcinderetur. Movebantur autem Ordines Poloniæ exemplo vicinorum Regnorum Hungariæ & Bohemiæ, utpote quæ ſemel iterumque contra leges Regnorum fundamentales admiſſis Auſtriacis Principibus jam tum ipſam ſuam libertatem eligendi conculcatam deplorant.

2do. Notorium etiam eſt, quantas idem ſucceſſionis negotium tempeſtivè & ſæpiuſculè ſub moderno regimine motum in Polonia turbas etiam cum ſummo Chriſtianitatis diſcrimine dederit, adeo quidem, ut motus illi ante ſedari nequiverint, quàm Rex Poloniæ modernus in tranſactione cum Palatinatibus quibuſdam & confœderatis promiſerit hujus rei mentionem ampliùs fieri non debere, & utinam huic tranſactioni ſtetur.

3tio. Quamvis enim Aula Polona prudenter, & moderatè proceſſerit, proque obtinenda ſua intentione (quod equidem ſtrepitu rem ipſam promõverit) nihil reliquerit intentatum, tantùm abeſt, ut negotium ejus adhuc ad optatum ſtatum poterit provehi, ut inde potius diverſis alijs Principibus anſa data ſit Coronæ Poloniæ quoque inhiandi, nam, dum in Poliarchico illo ſtatu inter tot intereſſatos Aula ſuarum partium ſatagit, & Candidatum ſuum commendat Imperator, Czar Moſchorum, & alij ſuos ſimul oſtendunt, ſeque factionibus, & adhærentibus in ipſa Polonia munitos gloriantur.

4to. Cùm verò jam dictis prætendentibus omnis occaſio deſit quidquam tentandi, quamdiu Rex Poloniæ in præſenti relinquitur ſtatu, certiſſimũ & contrarium videtur illos ſummo eum impetu acturos eſſe negotium, quàm primùm Sereniſſimus Rex Poloniæ ſuæ abdicationis mentionem fecerit. Metuendumque ab ipſis Poloniæ Ordinibus ne acceptâ ſemel per Regis abdicationem novæ Electionis libertate contra expectationem Aulæ ea conentur, quæ non ſolùm ejus intentioni penitus adverſa, ſed &

perſo-

, perſonæ Regis & Reginæ maximè periculoſa eſſe poſſent. *A.C.1666*

, 5*to*. Et licet Regum fœderatorum intentio ſit optima, & ex legibus , Poloniæ per omnes procedendi modos conſentaneam reddere velint, vix , tamen Reges ijdem in Polonia nunc fidem invenerint, maximè ex quo fœ- , dus inter Sveciam & Galliam ſuper Polonico hoc negotio pridem initum , inconſideratè admodum, & quidem, poſtquam jam eſſet reſciſſum, per Po- , loniam & inde per totam Europam diſſeminatum eſt, ſcilicet qui in prio- , ribus interregnis ſpe omni obtinendi pro domo ſua Polonicam Coronam , exciderant, viſo hoc fœdere eoque in pravum & detortum ſenſum expli- , cato non ſolùm Polonam gentem libertatis aliàs ſtudioſiſſimam tot jam ſu- , ſpicionibus contra Reges fœderatos imbuerent, ut parum abſit, quin, quam , Auſtriacorum ambitioni Poloni ſæpiùs opponere voluêre legem, nunc ad , Gallicum Principem in perpetuum à Corona Poloniæ excludendum reſtau- , ratam eam, & alios etiam vicinos Principes & populos hoc exemplo ita , territant, ac ſi etiam eorum libertati & ſecuritati hoc ipſo laquei ſtruan- , tur. Et hinc tot undique ſurgunt fœdera, & euduntur conſilia contra Re- , ges fœderatos.

, 6*to*. Si igitur Sereniſſimus Rex Sveciæ in tali rerum conſtitutione Au- , læ Polonæ partes armis tueri ſuſceperit evidentiſſimum eſt:

, 1*mo*. Quantam belli molem in Polonia ſuſtinere cogatur.

, 2*do*. Quòd poſt expeditionem in Poloniam omnes reliquos prætenden- , tes cum toto imperio contra ſe excitet, cùm ſat perſpicuè ab omnibus , hactenus teſtatum ſit, quàm facillimo & levi prætextu omnium animi con- , tra Sveciam commoveri poſſint.

, 3*tio*. Et ſi in tali diſcrimine Sereniſſimus Sveciæ Rex de Sereniſſimi , Regis Chriſtianiſſimi gvarrantia & aſſiſtentia non dubitet, attamen ſi con- , ſideretur ingens hoſtium Coronæ Sveciæ imminentium numerus, ejuſdē , per expeditionem in Poloniam diſtractæ vires, longinqua à Regis Chriſti- , aniſſimi auxilijs diſtantia, & obſtacula, quæ in ejuſmodi contingentijs præ- , ter expectationem evenire, Regiſque Chriſtianiſſimi optimam intentionem , difficilem admodum, modò penitus impoſſibilem reddere poſſunt. Res e- , rit pro Svecia ſummi periculi pleniſſima, ſi præſentem ſuum ſtatum tran- , quillum, & omne robur totius Regni non ob preprium aliquod emolu- , mentum vel intereſſe, ſed ſaltem ob præcautionem aliquam, & ad tu- , endas amici ſui cauſas in minoritate Regis abſque ſcitu & conſenſu Ordi- , num tam certiſſimis & infinitis turbis ac calamitatibus exponere audeat.

, Quòd ſi verò Sereniſſimus Rex Poloniæ induci poſſet, ad propoſitæ ab- , dicationis ſuſpenſionem, ſimulque ut teſtaretur ſe nec de abdicatione nec , de eligendo Succeſſore ulterius cogitare, hoc exinde abſque dubio reſul- , taret commodi, ut ſublatis omnibus differentijs bona correſpondentia in- , ter Aulam, & reliquos Reipublicæ Ordines reduceretur. Reliqui præten- , dentes occaſionem pro tempore amitterent. Fœderatis autem Regibus , ſpatium relinqueretur huic negotio majori ſecuritate pro obtinendo ſco- , po invigilandi. Quemadmodum verò in ingreſſu indigitatum eſt Sveciæ , hæc obſtacula hactenus obfuiſſe, non verò, ut nunc tam alieno à re i- , pſa ſit animo, modo tutior via monſtretur, ita ſuper hac re expectatur , Illuſtriſſimi Domini Legati matura reſponſio.

COPIA LITERARUM AB ELECTORE BRANDEBURGICO FRIDERICO WILHELMO, AD REGEM POLONIÆ.

Coloniæ ad Spream 14. Januarij.

EX literis Regiæ Majeſtatis Veſtræ ſeptimâ præſentis Varſaviæ datis pluribus intelleximus, quatenus Tartari cum Coſacis in

A.C.1667 *Reipublicæ præjudicium ſe ſociaverint, & quòd graviora adhuc à Turcis immineant mala, ad quæ avertenda Regia Majeſtas Veſtra noſtrum etiam expetit auxilium. Utiq; iſtam ex animo Reipublicæ vicem dolemus, utpote quæ domeſticis longè agitata & concuſſa malis hoſtibus illis, qui olim amicitiam & ſocietatem ejus deprecari, quàm arma experiri malebant, jam quidvis in ſe audendi, occaſionẽ ac licentiam præbet. Caterùm nondum planè perſuadere nobis poſſumus, tam graviter Reipublicæ à præfatis hoſtibus metuendum eſſe, cùm pro certo cognitum habeamus inter Coſacos & Tartaros taliter convenisſe, ut illi in debita fide ac obedientia erga Regiam Majeſtatem Veſtram conſtanter permaneant, hi etiam illos à legitimo obſequio nullatenus abalienare vel avellere tentent, quod tantò quoq; minus eos facturos credimus, cùm nuper adhuc ad Regiam Majeſtatem Veſtram literas plenas amicæ conteſtationis, & ſtudioſiſſimæ erga fœdus juratum voluntatis dederint. Turcæ præterea pacem æternam cum Republica initam, quam hactenus ſanctè coluerunt haud temerè violaturi videntur. Imò, quamvis etiam contra fidem datam hoſtilia moliri, & arma Reipublicæ inferre deſtinatum illis foret, non dubitamus adhuc tamen ſatis Reipublicæ ad reſiſtendum ſupereſſe virium, dum modo Regia Majeſtas Veſtra ſic omnia domi componat, ut reductâ & ſtabilitâ concordiâ cum Regni Proceribus, armis, animisq; conſociati, hoſtili audaciæ, cui fortuna nihil majus, quàm Reipublicæ diſcordiam præſentare poteſt, fortiter obviam eatur. Quodſi verò præter omnem ſpem ac votum adeo ſit afflicta Reſpublica, ut ſuſtinendæ hoſtium moli ſola non ſufficiat, non intermittemus eidem ſpontaneo tempeſtivè ſubvenire auxilio, eoq; oſtendere facto, quod Regiæ Mti Veſtræ & Reip: conſtanter benè cupiamus, & publicam ſalutem privatis anteponamus commodis, ſperantes Regiam Mtem V. tantò magis curaturam, ut pacta cum eadem & Rep: inita, & Religione firmata in pleno ſuo robore atq; vigore conſerventur, & impleantur. Confidimus inſuper Regiam Mtem V. operam daturam, ut commeatus copijs ſubmittendis neceſſarius ac ſufficiens deſtinatis in locis maturè advehatur, ne fortè ejus defectu ſolita eveniant incommoda, & ipſo malo pejus accidat remedium. Quæ porrò Regia Mtas V. de ſolicitando apud circulos & Principes Imperij auxilio memorat, primò omnium apud S. Cæſaream Mtem ut negotium vel in comitijs præſentibus Ratisbonæ vel in circulis, quod deinceps omni conatu promovere, & ſic ea etiam ex parte Reip: opem ferre ſtudebimus. De cætero Divinam quoq; opem in ſubſidium publicum invocamus, & DEum Optimum Maximum ſuppliciter veneramur; ut velut hactenus, ita & inpoſterum publicæ ſalutis Cuſtos atq; Vindex Reip: curam habere, eidemq; conceſſam nuper pacem ſtabilire, ac conſervare priſtinum etiam decus atq; ſplendorem reddere clementiſſimè velit. Quibus S. R. Mtem V. quàm diutiſſimè ſalvam ac incolumem animitus optamus, & nos Regiæ benevolentiæ debitâ obſervantiâ commendamus.*

COPIA

COPIA LITERARUM AD ELECTOREM BRANDEBURGICUM.

A.C. 1667

PAucos ante dies triſte & dolendum accidit facinus illatæ truculentæ necis Generoſo Smoguleckí Camerario & Colonello noſtro, atq; ad Comitia Regni Nuntio Terreſtri, quem Generoſus Brandt ſubditus Serenitatis Veſtræ inſidioſè in domo occidiſſe, ac famulos ejus tyrannicè contrucidâſſe accipitur. Non poſſumus non indignè ferre tam atrox delictum in Regno noſtro patratum, præſertim, quòd Ordines Regni eadem ornatiſſimi viri nepotis ex ſorore Magnifici Palatini Cracovienſis, ac, quod præcipuè commovet animos, Nuntij Terreſtris, quorum ſecuritati jus Gentium ac Regni leges proſpiciunt, vindicatam quàm primùm velint, ut maximis animorum motibus inſtent; Serenitatem Veſtram pro juſtitiæ zelo, & pro reciproco Pactorum vinculo amanter requirimus, ut in dictum homicidam ſicarium Brandt, ejusdem criminis complices & cooperatores, ſi fortè in ditiones Serenitatis Veſtræ profugerint, ſeverius animadverti, & juſtitiam pro qualitate exceſſus adminiſtrari, ac ſucceſſoribus defuncti decenter ſatisfieri quàm primùm jubeat. Rem Principe dignam, & amicitiæ ac fœderibus convenientem, nobiſq; gratiſſimam factura erit, quod minimè dubitamus, Serenitas Veſtra, quam de reliquo Divinæ Protectioni cum apprecatione longævæ felicitatis commendamus. &c.

Smogulecki occiſus à Brandt.

COPIA PROPOSITIONIS, PER D. LEGATUM SUCCAMERARIUM CURIÆ AD AULAM BEROLINEN: TRADITÆ. 28. Februarij. 1667.

SEreniſſimo & Potentiſſimo Poloniæ & Sueciæ Regi Domino meo clementiſſimo eſt ſermo ad Serenitatem Veſtram Electoralem; Principi ut naturâ ſupra mortalium vices benigniſſimo, ſic amore, in Serenitatem Veſtram effuſo, candore Amico, fiducia Fratri: ſermo, quo Principem arctiſſimis nexibus fidum, ſangvine affinem, perpetui, fœderis Sacramento ſocium, ditionibus vicinum alloquitur Ser: V. ut, benevolam ſalutẽ & proſperrimũ omniũ incrementũ impertiatur ſimul, graviſſimũ idq; cõmune, quod ab Orientis Tyranno imminet, periculum, exponat. Inſolens ille Aſiæ Dominus, imò orbis uſurpator molẽ potentiæ ruinis Chriſtianorum partæ movet in Poloniam, ut bellis internis, & externis ſervilibꝰ feſſam depaſcens ad tetrã univerſi Orbis Monarchiã, enitatur. Jamq; Coſacos juris ſui fecit, ſociam Cherſoneſum rationibus, noſtris annis 14. bene militantem dejecto nuper Hano, mox imperantis ſacramento impiè abrupto non avulſit modò, ſed in viſcera Regni, effudit, ut militem ſubdolè in ſocietatem belli evocatum, ideoque eluſum opprimeret, Remp: fatigaret, Turciam ſangvinis Chriſtiani ſemper famelicã, cædibus, captivis, libidine exſatiaret, nec antemurale noſtrum bellis ad ſecundam annorum decadem fractum, peſte, fame, igne exhauſtum, annonâ inops tanto diſcrimini par, quin non eodem vicinæ gentes involvantur, maximè Serenitatis Veſtræ, quæ nullo aggere, montibus diſtingvuntur. Illam igitur ad commune malum propulſandum Sacra Regia Mtas D. meus clementiſſimus invitandam cenſuit,

A.C.1667 , mihique mandavit, spe firmâ Serenitatem Vestram, Principem pro re
, Christiana vigilantissimum incredibili prudentiâ venientibus malis oc-
, currere solitum S. R. Mti, & inclytæ Seren: Reip. subsidium laturum,
, pareniq; zelum, quem remotior Ungaria experta, præstiturum. Ages
, Princeps Serenissime, quod à Fratre tanti Regis socio, perpetuo vicino
, Christiano desiderari, quod à magnanimitate, quæ inferiora minùs mo-
, ratur, & prudentiâ, quæ stateræ Magistra, potest expectari.

COPIA PROPOSITIONIS 2DÆ IN SCRIPTO DATÆ.
3. Martij. Coloniæ ad Spræam.

QUò sanctiori Seren: & Potent: Poloniæ & Sueciæ Rex D. meus clementissimus, inclytaq; Respub: Polona cum Seren: Principe Electore Brandeburgico lætatur nexu, ac omnia prospera & adversa cum eadem Serenitate Electorali communia fatetur, imminentemq; ab Oriente procellam, ne morâ valescat, communicatam voluit; eo teneriori susceipit affectu eandem Serenitatem Electoralem ad commune hoc malum propulsandum erectam, ac studio defensionis, conservationisque Regni Poloniæ accensam, ut ex literis de data 14. Januarij Coloniæ ad Spream datis, quam ex relatione Excellentissimi Domini ejusdem Serenitatis Electoralis Legati probè intellexit. Quocirca insigne hoc fraterni animi documentum, & Christiano Principe dignum pro re Christiana studium gratissimè admittit Sacra Regia Mtas, ac Sereniss. Electorem Principem sangvine, fœdere, amicitiâ, & vicinitate conjunctissimum perenni amoris officio prosequi annitetur. Quo verò certior auxilij submittendi numerus habeatur ex consilio Senatûs ad 4000 militum reducendum, & determinatum cupit. Nec unà pudebit, ob vices humanas Regnis & florentissimis Statibus communes metiri, Regna nostra, vicesque, fateri Poloniam olim orbis gratiarum, frugumque feracem hodierno climate famelicam penuriâ annonæ pressam, ac nummis belli nervo destitutam sustentandis imparem. Proinde ad ingentem nominis Electoralis famam, ac Sacræ Regiæ Majestatis Reipublicæque votum faciet, cùm ejusdem Sacræ Regiæ Mtis Ablegatus significaverit per Illust. & Excellentissimos Suæ Serenitatis Electoralis Ministros declaratum, auxiliares illas copias ex pietate Christiana donandas, quas duplo majores zelus pientissimus Serenitatis Electoralis jam obtulerat, proprijs stipendijs ejusdem Serenitatis Electoralis alendas, quod jam humillimis rependit gratijs idem Ablegatus non minus nomine S. R. Mtis postulans, ut non jam pro tribus illud stipendium ex thesauro Serenissimi Electoris sed pro sex mensibus, quoniam numerus militum, qui jam oblati, diminuitur, provideatur. Aemulabitur Serenitas Electoralis dulcem Principum memoriam, qui validos exercitus proprijs sumptibus auctoratos in Orientem duxêre, nihil aliud, quàm gloriam Christi anhelantes, cujus Sacrum sepulchrum impietate barbarâ nolebant profanari, cujus populum servituti Saracenicæ subijci dolebant. Nec defuit successus cùm innocentia servabit zelũ nisi eosdem rerum privatarum studia corrupissent. Cùm verò magnitudo periculi moram haud patiatur, nisi Polonicâ Legatione Turcarum consilia & impetus sistantur, ex Borussia vicinori per superiorem videlicet, ubi minor, fluvium Narew, copias illas desiderat S. R. Mtas, ne longiori per inopem Poloniam tractu enerventur, ac populis graves videantur, quibus versus Lublinum illâ Vistulæ orâ movendis primam Julij censet opportunam, non tamen priùs in viscera Regni deducendas, donec Serenitas Electoralis à S. R. Mte literis vel legatione requisita fuerit, & de infalli-

, fallibili Turcarum bello, cui propulsando illæ quæruntur suppetiæ, con- *A. C. 1667*
, stiterit, deque Commissario ad eundem militem subsidiarium ducendum
, provideatur. Quibus sic Rempublicam Christianam juvari, servarique gra-
, tam cœlo, orbi glorioſam suæ Serenitatis Electoralis memoriam sæcula
, narrabunt.

, Cùm verò eadem S. R. Mtas Dominus meus Clementissimus nihil
, sanctius habeat obſervatione Pactorum cum ſua Serenitate Electorali i-
, nitorum, ad quæ non magis ſacramento, & lege, quàm amore, ejuſque
, intimo nexu, ac teneritudinis quâdam vi trahitur. Ideo iniquitate fatorum
, dilatam dolet, ac queritur, nulla tamen integerrimi ſtudij ac curæ noxa
, cum Vectigali Viſtulæ tam ſecundo, quàm adverſo etiam citra Cardina-
, lia Regni jura ad ſummas pro Sereniſſimo Electore rogandas imponi cu-
, râſſet, niſi eaſdem ſeditio militis violâſſet. Quapropter minimo ruboris ſi-
, bi ducit Polonia pignoratas Elbinga & Drahimo ſummas apud Serenita-
, tem Electoralem humili ac decenti niſu deprecari, ut nimirum Serenitas
, Electoralis intuitu præſentis calamitoſæ ſortis noſtræ, pro magnitudine
, animi, pro memoria ſubditorum, & officiorum erga Majores Serenitatis
, ſuæ, ipſamque ejus Serenitatem à Regibus & Regno Poloniæ conteſtato-
, rum, pro obligandis magis ac magis gratis animis, & affectibus Polono-
, rum eandem ſummam, quam nuper reſidens in Clivia minuere deſtinâ-
, rat, declarâratque, nunc fractis, feſſis, & exhauſtis benevolè ac integrè con-
, donare dignetur, quod ſumma ac immortalis gloria Sereniſſimo Electori
, compenſabit, nec patietur Polonia, ubi vires & opes reſumpſerit, talem
, gratiam vacuam, debitâ gratitudine labi; moveatur ſua Serenitas Electo-
, ralis exemplo Sacræ Cæſareæ Mtis, quæ nonnulla ex pactorum vigore
, Regi conſanguineo, & amico, & Regno vicino gratioſè remittere,
, & condonare dignata, quin & ſummam certam liquidam minimè repe-
, tit, vel extorquet, moveatur etiam exemplo Poloniæ, quæ pares ſummas
, Tranſylvaniæ condonavit, ac obſides pignoris loco habitos nullo pretio
, dimiſit. Idem à benignitate Suæ Serenitatis Electoralis inops expectat Po-
, lonia, æternis viciſſim nexibus Domui Electorali devincienda. Quæ Se-
, reniſſimi ac Potentiſſimi Regis Domini Clementiſſimi, Regnique nomine
, propoſuit Ablegatus.

COPIA RESPONSI AD ILLAM ET DECLARATIONIS A MINISTRIS ELECTORIS IN SCRIPTIS D. ABLEGATO REGIÆ MAJESTATIS DATÆ.

NOtum eſt cuilibet Sereniſſimum D. Electorem nullam hactenus neglexiſſe occaſionem, quâ ſingularem propenſionem & eniximſſima ſtudia erga Regiam Mtem & Rempublicam Polonam non te-
, ſtaretur. In præſenti ergo periculo, quod à Turcis orietur, ut R. Mtis
, voto ſatisfiat, idem facturus eſt. Nec quidquam, quod à vicino, fido,
, & amico fœderato expectari poteſt, à ſe deſiderari patietur. In dubium
, quidem vocari poſſet, an Sua Serenitas Electoralis, ob dilatam in
, tot annos pactorum adimpletionem Reipublicæ ſuccurrere deberet,
, quod tanto magis dolet Sua Serenitas Electoralis, quia nemo hucuſque
, cum Polonia tractavit, qui promiſſorum effectu deſtitutus fuiſſet; Hi-
, ſtoricis nihil magis, quàm Polonorum fidem celebrantibus: Verum ne
, Sereniſſimus Elector turbidis hiſce & afflictis Reip: rebus propria ma-
, gis commoda, quàm communem Regni ſalutem, & tranquillitatem ha-
, bere videatur, miſſis pro hac vice juſtiſſimis querendi cauſis, exercitum,
, qui non erit infra octo mille milites Reipublicæ in hoc periculo in

ſub-

A. C. 1667 , ſubſidium, &, ſi valetudo & alia negotia permiſerint, ipſe in perſona ad-
, ducet, & præterea omnibus viribus annitetur, ut re ipsâ S. Regia M.
, experiatur, quo zelo ipſi & Reipub: commodis conſultum cupiat. Pro-
, mittit præterea Sereniſ: Elector ſe iſtum exercitum per tres menſes
, proprijs ſumptibus ſuſtentaturum, ita tamen, ut ſufficiens commeatus
, pro juſto pretio ubiq; locorum ſuppeditetur. Res tormentaria omnibus
, requiſitis neceſſarijs inſtructa ſimul adducetur.

, Hoc tamen requirit ſua Serenitas Electoralis, ut locus quidam cō-
, modus denominetur, quo neceſſitate ſic exigente morbo infecti tranſ-
, mitti & curari; impedimenta militaria, gallicè Bagage relinqui poſſint.

COPIA SECUNDÆ DECLARATIONIS AD REQUISITIONĒ D. LEGATI REGII IN SCRIPTIS A MINISTRIS SERENISSIMI ELECTORIS TRADITÆ 2. Martij.

SErenisſimus Elector Brandeburgicus Pruſſiæ, Magdeburgi, Juliæ, Cliviæ, & Montium, Stetini, Pomeraniæ, Caſſubiorum, Vandalorumq;, nec non in Sileſia Crosnæ, & Carnoviæ Dux Burggravius Norimbergenſis, Princeps Halberſtadij, Mindæ, Camini, Comes Marcæ & Ravensbergæ, D. in Ravenſtein, Lauenburg & Butau D. noſter clementiſſimus probè intellexit ea, quæ Illuſt: D. Ablegatus Regiæ Mtis Poloniæ & Sueciæ nomine de ſubſidijs contra imminens ex Turcico bello periculum Reip: ex pactorum lege ferendis proponere voluit.

, Sicut itaq; nemini non notiſſimum arbitratur Sua Serenitas Electoralis, nullam hactenus ſe neglexiſſe occaſionem, quâ ſingularem ſuam erga Regiam Majeſtatem, & Rempub: propenſionem, & enixiſſima ſtudia non fuerit teſtata, ita in præſenti quoq; periculo, quod à Turcis timetur, idem factura eſt, nec quidquam à ſe deſiderari patietur, quod à bono vicino, & fœderato expectari poterit, neque propenſiſſimus Suæ Serenitatis Electoralis erga Rempub: affectus, neque periculum, in quo iſta verſatur, permittit, ut in præſenti diſquiratur, an vigore pactorum auxilia à Seren: Sua Electorali neceſſariò præſtanda eſſent, licet eorum adimpletio ex parte Reipub: per tot jam annos fruſtra fuerit expectata, quod Serenitati Suæ Electorali eò graviùs accidit, quia, quantum eidem de Poloniæ rebus conſtat, nemo hactenus cū Repub: ullos tractatus inivit, quin religioſa & exacta eorum, quæ promiſſa fuerant, adimpletio ſit ſubſecuta, rerumq; Polonicarum Scriptoribus nihil magis, quàm Polonorum fidem deprædicantibus, implementum etiam pactorum hoc caſu & ſecuriùs ſperabat Serenitas Sua Electoralis, tum quod illa eſſent jurisjurandi religione comitialiq; omnium Ordinum aſſenſu firmata, tum quòd illorum legi in omnibus abundè à Seren: Sua Electorali erat ſatisfactum. Verùm ne turbidis hiſce ac afflictis Reipub: rebus Serenitas Sua Electoralis propria magis commoda, quàm communem Regni ſalutem & tranquillitatem cordi habere videatur miſſis pro hac vice juſtiſſimis conquerendi cauſis cum exercitu qui non erit ultra octena militum millia Reipublicæ ſe ſubventurum pollicetur, illumque, quem Sua Serenitas Electoralis in perſona, ſi modò per valetudinē & alia negotia licuerit in Poloniam ducet, atque præterea omnibus eò viribus enitetur, ut Regia Majeſtas re ipsâ experiatur, quo zelo, & quâ fide illius & Reipublicæ utilitatibus conſultum cupiat.

, Promittit præterea Sereniſſimus Elector ſe huic exercitui tribus menſibus

, sibus debita stipendia proprijs sumptibus exsoluturum, ita tamen ut eidē A.C.1667
, sufficiens ubique locorum commeatus pro justo pretio suppeditetur; res
, quoque tormentaria omnibus necessarijs requisitis instructa unà cum ex-
, ercitu adducetur, unicum hoc expetit Serenitas Sua Electoralis, ut locus
, quidam opportunus denominetur; in quo casu & necessitate ita exigen-
, te, ægroti, saucijque milites deduci, & medicamentis sublevari, impedi-
, menta quoque militum (vulgo Bagage) tutò collocari queant. Quibus
, præsuppositis Serenitas Sua Electoralis, ut locus quidam opportunus de-
, nominetur, scire desiderat, quonam itinere ducendus sit exercitus, & eir-
, ca quod anni tempus Regia Sua Mtas illum in Polonia requirat præsentē.

COPIA DECLARATIONIS ELECTORIS CUM SUBSCRIPTIONE MINISTRORUM ILLIUS D. LEGATO DATÆ 4. Martij.

SEreniſſimo Electori Brandeburgico Domino Noſtro Clementiſſimo nihil unquam poterit accidere gratius, nihil magis juxta votum, quàm ut Regia Mtas Poloniæ & Sveciæ de promptiſſimis erga ſe ſtudijs, ac
, officijs inclytaque Polonorum Reſpublica de ſincero in ſe affectu & amore
, reddatur quàm maximè certa, jure enim merito Serenitas Sua Electora-
, lis hac quaſi propriâ gloriari ſe laude poſſe confidit, nulli hactenus ſe S.
, R. Mtis & Reipublicæ amico, vicino vel fœderato tum in pactis ſervan-
, dis fide, tum in officiorum auxiliorumque promptitudine, tum denique in
, tenerioris affectûs & amoris gradu unquam ceſſiſſe, quod veluti nul-
, lâ non occaſione re ipsâ potius, ac factis quàm verborum lenocinijs teſta-
, ri cupit, ſic erga Illuſt. Dominum Ablegatum ratione ſuppetiarum con-
, tra Turcas requiſitarum ita ſe declaravit, ut etiam vota deſideriaque illi-
, us ſupergreſſa videatur, quo tantò magis lætata eſt Serenitas Sua Electo-
, ralis, quod hactenus citra ullum ſuum meritum, ac præter omnem ex-
, pectationem eâ, quæ optimâ intentione pro inſolumitate ac ſalute Re-
, giæ Mtis Suæ & Reipublicæ acta geſtáq; ab illa ſunt, non rarò in ſequi-
, orem tracta & interpretata partem fuiſſe percepit, majori juſtioriquecа-
, ritatis affectu deinceps de ſe judicatum iri confidit, præſtitis omnibus,
, quæ ab amico fœderato fidiſſimo expectari poſſunt fidei & amoris argu-
, menta: cæterum, quod numerum ſpectat ſuppetiarum, ac tempus quo
, illæ Serenitatis Suæ Electoralis erunt alendæ ſtipendijs, mentem ſuam
, Regiæ Mti & Reipublicæ per Legatum ſuum Varſaviæ jam agentem la-
, tius exponi curabit Serenitas Sua Electoralis, atque in hoc ſuo negotio
, ita ſeſe geret, ut imminentibus Reipublicæ periculis ſeſe objicere potiùs,
, illiuſque ſecuritatem & ſalutem unicè quærere, quàm Eccleſiæ incommo-
, do eſſe, privatæve utilitatis habere rationem videri poſſit. De tempore
, locove, quo & ubi ſiſtendæ erunt copiæ, expectabit deinceps Electoralis
, Sua Serenitas mentem ac intentionem Regiæ Suæ Mtis, ejuſque deſide-
, rio & voluntati libenter obſecundabit. Cùm præterea Serenitas Sua Ele-
, ctoralis noverit & Regiam Suam Mtem & Rempublicam Pactorum con-
, ventorum quàm obſervantiſſimam, non aliud hactenus magis mirata eſt,
, quàm ſe in expectatione eorum, quæ diſertis, ac publici juramenti fide,
, univerſorumque Ordinum adſtipulatione firmatis verbis promiſſa ſunt, per
, tot jam annos inimicorum, malevolorumque artibus fruſtra fuiſſe, præ-
, ſertim cùm eorum, quæ promiſſa ſunt, præſtatio, abſque ulla Reipubl.
, noxa, imò & cum illius utilitate & commodo fieri queat. Neſcit certè Se-
, reniſſimus Elector, cui fato adverſam hanc fortunam imputare debeat.
, Equidem Serenitatem Suam Electoralem minimè fugit, quibus cum ha-
, ctenus calamitatibus colluctata fuerit Reſpublica, quantoque malorum ve-
, luti turbine jactata, ſed fatendum quoque gratijſque publicè, & privatis

actis

A.C.1667 , actis fassa est tum Regia Majestas, tum Respublica Serenitatem Suam E-
, lectoralem morosâ & pervicaci eorum, quæ debentur, exactione non de-
, fatigarè Poloniâ, sed eâ potius usam moderatione, quæ non ab alio, quàm
, fido vicino amicoque fœderato tantùm expectari poterat. Quòd autem
, hæc Serenitatis Suæ Electoralis patientia & æquanimitas tali jam sit re-
, muneranda præmio, ut eorum, quæ fidei, sumptuumque sperabat, aliqua
, ex parte redhostimenta, universam faceret jacturam, illud equidem per-
, svadere sibi non patitur, probè gnara, quis Regiæ Mtis generosi pecto-
, ris sensus, quæ itidem Reipublicæ Procerum publicæ fidei Religio. Illis e-
, nim quàm optimè constat, quâ operâ, & quantis studijs tandem in hæc
, pacta & fœdus perpetuum fuerit itum, quàm sacro illud nexu firmatum,
, quàm abundè illius à Serenitate Sua Electorali legibus satisfactum, &
, quoties idem à Regia Mte, & Republica sanctè promissum.

, Non itaque in segniorem acceptum iri partem, nec quidquam sibi ini-
, quius imputari posse, sperât Serenissimus Elector, si pactis per omnia
, inhæreat, & illa, quæ adimpleta nondum sunt, opportuniori inposterum
, tempore præstanda confidat cætera paratus non argentum, non provin-
, cias sed ipsam quoque vitam & sangvinem, si res & occasio ita fuerit, pro
, Reipublicæ salute, & servitute nulli non periculo, quàm lubentissimè ex-
, ponere, prout in hoc etiam articulo latiùs mentem Serenitatis Suæ Ele-
, ctoralis Regiæ Mtis & Reip. exponet, ejusdem Legatus. Quod reliqvum
, est, ab Illustrissimo Dno Legato benevolè requirit Serenitas Sua Electo-
, ralis, ut hæc omnia Regiæ Mti Suæ decenter referre, eandemque de con-
, stanti illius ac infucato candore, paratissimisque omni loco & tempore
, studijs quàm certissimam reddere, ipse quoque de benevolo Serenitatis
, Suæ Electoralis affectu & propensione securior esse velit.

COPIA RESPONSI ABLEGATI REGII AD HANC DECLARATIONEM ELECTORIS BERLINI IN SCRIPTO DATI

5 Martij Coloniæ ad Spream 5 Martij

FAcit Serenissimi Principis Electoris in S. R. Mtem Dnum meum Clementissimum, universamque Rempublicam tenerrima propensio, quam bino scripto, voce propriâ, gestu, affectu effusissimè testatam voluit,
, cùm non argentum, non provincias, non viros, & arma, sed vitam & san-
, gvinem saluti & securitati Regis & Regni offert: ut ejusdem S. R. Mtis
, Ablegatus principium & finem dicendi à repetita & humili gratiarum a-
, ctione texendum fateatur, retulit idem, quo par erat, candore S. R. Mtl
, Domino suo Clementissimo constans & infucatum ejus Serenitatis Electo-
, ralis studium, quo periculis communibus nullis parcens sumptibus vitam
, etiam impendere velit. At terminatum unà subsidiorum numerum locum,
, tempus, stipendium desiderâsset, ne intra propositionis limina hæreret,
, probè ad prænominata definienda mandatis instructus, nisi Suæ Sereni-
, tati Electorali illa Excellentissimo Legato suo jam agenti servare, eamq;
, gloriam intactam donare placuisset. Nullo tamen Ablegati S. R. Mtis
, animi sensu, qui satis gaudet tantis fidei & amoris Principis Serenissimi ar-
, gumentis, stipulatâque ejus contestatione lætatur. Desiderâsset insuper
, idem Ablegatus afflictæ suæ Patriæ sumniarum pignoratarum condonati-
, onem, quibus bello servili fracta, dissidijs fessa, à Moscho sæpiùs cæso, sed
, à casu resurgenti attrita, nummis invalida, à socijs mutila, populisque
, privata, unde ærarij tabe impar, viris licet & armis, animisque potens.
, Unde pium Augustissimi Imperatoris in condonandis Reipublicæ debitis
, affectum omni cultu recensitum, ipsamque Rempublicam licet afflictam
, Transsylvaniæ afflictiori pares summas, ipsosque obsides donantem cõ-

memo-

» memorare viſum, ut glorioſiſſimâ imitatione Sua Serenitas Electoralis *A. C. 1667*
» naturâ præter hæc benigniſſima ad hanc liberalitatem accenderetur,
» ſummaſque non Elbingæ & Drahimo, ſed animis Polonorum æternũ
» devinciendis pignoratas vellet. Quæ hactenus non inimicorum, nec
» malevolorum niſu, quorum Polonia & aula expers, ac inſons, ſed ob
» duram fatorum inclementiam non adimpletæ. Nec condonandas ad-
» huc idem Ablegatus deſperat, ſed ſi omnino depreçari non poſſent, ne
» Reſpublica immorigera notetur ex rationibus numero & qualitate iub-
» iidij in æternum ferendi partem notabilem diſpeniare, ſummamque
» eam compenſare parata; acturumque ſe ea idem Ablegatus nonine S.
» R. Mtis Domini ſui Clementiſſimi, ac Sereniſſimæ Reipublicæ, imo ex
» plenis mandatis ad ea inſtructum humillimè declarat; ſin id Suæ Se-
» renitati Electorali, quo fons & occaſio querimoniarum ab utrinque
» in æternum ſopiatur, acceptare, in idque incumbere, & immorari
» placuerit.

INSTRUCTIO ILLUSTRI & MAGNIF: JOANNI DEBNIN Opalinski Palatino Caliſſienſi Regni Poloniæ Senatori ad Summum Pontificem, ad Ducem Venetiarum, ad Magnum Ducem Hetruriæ à Sacra Regia Majeſtate Poloniæ & Sveciæ data Varſaviæ 12. Menſis Januarij.

CUm Illuſtris ac Magnificus Palatinus Caliſſienſis in Italiam profectus ſit, utendum ſibi eâ commoditate Sacra Regia Majeſtas ex conſilio Senatûs duxit, negotium longè graviſſimum apud Summum Pontificem, Ducem Venetiarum, Magnum Hetruriæ Ducem eidem tractandum & promovendum comittere, minimè dubitans Illuſtrem Dominum Palatinum pro avito Majorum ſuorum in Reges & Patriam ſtudio, fideque, obſequio & proteſtata ſua ad bene merendum promptitudine demandatum munus libenter, dextrè, & ſummâ curâ obiturum.

Legati titulo viſum eſt S. R. Mti non onerare Dnum Palatinum parcendo ſumptui, & quòd celeritas promovendi negotij ambitionem omnem pompoſæ, & tardigradæ Legationis excludat. Satis dignitatis præferet nomine, & titulo Regni Poloniæ Senatoris.

Principium negotiationis inchoabit Illuſtris Dominus Palatinus à Republica Veneta, eo obſervato modò, ut, ſi fortè Venetijs degentem literæ Regiæ, & inſtructiones repererint, Patavium, vel in alium locum opportunum, non tam remotum ſecretò abſcedat, cumque ibi triduò vel quatriduo ad peragendam functionem ſeſe comparaverit, Venetias proficiſcatur, & impetratâ audientiâ ſermonem ad Sereniſſimum Ducem & Senatum habeat, in ſimilem modum: Sereniſſime Dux: S. R. Mtas Poloniæ & Sveciæ Dnus meus Clementiſſimus per me Senatorem Regni Poloniæ Serenitati Veſtræ, totique Sereniſſimæ Reipublicæ amicitiam ſuam teſtaturus florentem ſtatum, tranquillum imperium, lætos triumphos ad DEI gloriam, Reipublicæ nobiliſſimæ decus, Chriſtiani nominis præſidium ex animo vovet. Ex literis nuperrimis in anteceſſu à S. R. Mte datis intellexit Serenitas Veſtra, quàm gravi in periculo Regnum Poloniæ verſetur, mihi tamen inſuper cõmiſſum eſt, à S. R. Mte Dno meo Clementiſſimo Serenitati Veſtræ præprimis ante omnes Chriſtianos Principes exponere non ex rumoribus, & fama duntaxat, ſed certis indicijs ac documentis evidentibus compertum eſſe, Turcarum Imperatorem bellum adverſus Poloniam moliri.

A.C.1667 , moliri. Fatentur id captivorum Tartarorum confessiones qui unanimes
, affirmant jussa Ottomanicæ Portæ, Societatem cum Polonis abruptam,
, & hostilitatem contra exercitum Polonum nihil adversi opinantem, i-
, mò securitatis fiduciâ elusum, subitò exortam; irruptionem in provin-
, cias Poloniæ factam, prædamque ingentem, vastitatem, cædes, capti-
, vitates Christiani populi consecutas esse. Demonstrant fidem fortalitia
, in limitibus Poloniæ à Turcis noviter structa, & præsidijs firmata, e-
, docent indicia, & præcautiones amicorum, ac vicinorum, nec non Mi-
, nistrorum. Palàm habetur armorum ingens apparatus omnes provin-
, cias Regno nostro vicinas, Silesiam, Vallachiam, Moldaviam percur-
, rit fama publica haud facilè errans: ipsa dejecti nuper imperio Hani
, Tartarorum, qui nobis fidus videbatur, & alterius in ejus locum po-
, siti mutatio, nec non assumpta rebellium Cosacorum protectio fidem
, indubiam Turcicæ hostilitatis faciunt; minimè verò pudet fateri Re-
, gnum Poloniæ per 18 & ultra annos tot calamitatibus afflictum & de-
, bilitatum esse, ut reprimendæ Turcicæ potentiæ, quam maximi Re-
, ges, & validissimæ gentes reformidant, propris viribus non sufficiat,
, præsertim eum Moschoviticis insidijs, Cosacorum rebellione, Tarta-
, rorum perfidiâ defessæ jam Polonæ vires distrahantur. Quæ causa &
, extrema necessitas impulit S. R. Mtem Dominum meum Clementis-
, simum; ut advocandas sibi ducat Principum Christianorum opes, &
, auxilia. Agitur res non solius duntaxat Poloniæ Regni Catholici, & de
, Republica Christiana optimè meriti, sed vicinorum omnium Princi-
, pum, ac reliquæ sensim Europæ. Quilibet prudens facilè intelligat
, eversо hoc antemulari, velut portam in Germaniam patefactum iri.
, Janizarorum viribus ac Tartaro Equitatui, & Cosaco peditatui simul
, junctis nullam aciem resistere posse, ac promotâ (quod DEus aver-
, tat) usque ad Vistulam victoriâ, non tantùm commercia abruptum
, iri, sed omnia bello etiam maritimo necessaria, arbores fabricandis
, classibus idoneas, quarum copia abundè Poloniæ suppetit, & exteris
, subministratur, ferrum, canabum, nitrum Turcarum commodo ces-
, sura. Ad Principum itaque Christianorum utilitatem spectat Polo-
, am juvari, & diserimine eripi ad decus & gloriam Serenitatis Vestræ,
, & Sereniss. Reipublicæ Venetæ non permitti, ut potentia Ottoma-
, nica victis Polonis aucta magis in detrimentum Venetiarum valescat.
, Optaret equidem Sacra Regia Mtas Dnus meus Clementissimus im-
, petrare à Serenitate V, auxiliares cohortes, sed cùm eam spem lon-
, ginquitas Regionis magnæ difficultates excludant, vertit animum &
, consilium ad exorandum pecuniarium subsidium, quo res Polona non
, mediocriter erigi & firmari possit. Datura est Serenitas V. & Sere-
, nissima Respublica ingens præsenti & posteræ ætati documentum,
, quantum cordi habeat Religionis Orthodoxæ integritatem, amicæ
, gentis conservationem, Christianitatis totius in una Polonia pericli-
, tantis salutem, & tutelam. Accedet exinde non mediocre rei Vene-
, tæ præsidium, si infensissimus hostis à proferenda plus ultra contra
, Venetos hostilitate Polonorum armis validè distineatur, qui perdo-
, mitâ, quod absit Poloniâ, gravior ditionibus Venetis incumberet.

, Hunc vel in similem modum locutus Reverendus Ablegatus in-
, nuet postremò in conferentia privata, ut Sereniss. Dux Venetia-
, rum officia sua interponat ad summum Pontificem, quatenus notabi-
, li summa accisis rationibus Polonicis suppetias ferat.

INSTRU.

INSTRUCTIO ABLEGATO AD SUMMUM PONTIFICEM. A.C.1667

PErilluſtris Ablegatus poſtquam Romam advenerit imprimis dominũ Cardinalem Vrſinum nomine Sacræ Regiæ Majeſtatis viſitabit, literas regias reddet, conſilio & operâ ejus utetur. Impetratâ apud ſuam ,, Sanctitatem audientiâ, in eundem fermè modum prout inſtructione ad ,, Ducem Venetiarum præſcribitur, pericula Poloniæ à Turcis imminentia ,, repræſentabit, ſubſidia à beneficâ manu ſuæ Sanctitatis orabit. Beneficia ,, jam aliàs olim ac nuper à Sede Apoſtolica Poloniæ præſtita gratè com- ,, memorabit, tempore enim Sigiſmundi III. florentibus licet tunc Poloniæ ,, rebus ſuppeditata eſt notabilis ſumma contra Turcas, tempore belli Sve- ,, tici non defuit Sua Sanctitas pecuniario ſubſidio, Veneti paternam opem ,, agnovêre, Imperator adjutus eſt.

,, Literas Regias ſive ante, ſive poſt audientiam apud Pontificem, pro- ,, ut commodiùs videbitur, Cardinalibus, Chiſio, Sancta-Crucio, Vidono ex- ,, hibebit, eorumque amicam & faventem rebus Poloniæ operam, & quam ,, celerrimam ſui ex voto ſuæ Regiæ Majeſtatis expeditionem depoſcet.

INSTRUCTIO EIDEM AD SERENISSIMUM MAGNUM HETRURIÆ DUCEM.

EAdem fermè loquetur Reverendus Ablegatus, quæ ad Venetiarum Ducem, eo adjecto, quòd nexus propinqui ſanguinis inter Sacram Regiam Mtem, & Sereniſſimum Ducem ſpem certiorem faciat, de- ,, ſiderium S. R. Mtis in tam gravi & extrema neceſſitate non fruſtra abi- ,, turum. Cætera prudentiæ & dexteritati Reverendi Ablegati committun- ,, tur, qui pro navata opera inſignem gloriam & rei bene geſtæ præmia à ,, S. R. Mte referet.

,, Expedita eſt duplicata nempe ad Reverendum Paulum Doni Deca- ,, num Varſavienſem Ablegatum S. R. Mtis eodem die, ac ſub eadem data.

INSTRUCTIO REVERENDO PAULO DONI DECANO Varſavienſi S. R. Mtis Poloniæ & Sveciæ ad Summum Pontificem, Ducem Venetiarum, Magnum Hetruriæ Ducem Ablegato data Varſaviæ die IIma Januarij anno 1667.

CUm Reverendus Paulus Doni Decanus Varſavienſis Neapoli reſide- ,, at, utendum ſibi eâ commoditate S. R. Mtas ex conſilio Senatûs du- ,, cit, ut negotium longè graviſſimum apud ſummum Pontificem, Du- ,, cem Venetiarum, Magnum Ducem Hetruriæ eidem tractandum, & pro- ,, movendum committeret, minimè dubitans Reverendum Decanum Var- ,, ſavienſem Ablegatum pro teſtata ſua fide, fidâ ſæpius operâ, & obſequio, ,, ac bene merendi de Rege & Republica ſtudio demandatum munus dex- ,, trè, libenter, & ſummâ curâ obiturum &c. &c.

AD DUCEM VENETIARUM. Varſaviâ II. Januarij.

ANterioribus literis noſtris nuperrimè datis ſatis edocuimus Seren: Veſtram, quàm gravis Regno noſtro afflictiſſimo minetur belli Tur- ,, cici tempeſtas, cui jam Tartari hactenus nobis ſoeiati inopinatâ & ,, apertâ hoſtilitate præludunt, vaſtitatem & ſtragem Provinciis noſtris ,, juſſu Ottomanicæ Portæ longè & latè inferentes. Ablegandum tamen ,, inſuper duximus virum nobilitate & Senatorio officio inſignem Magni- ,, ficum Joannem de Bnin Opalinſki Palatinum Calliſſienſem Regni no- ,, ſtri Senatorem, qui prolixius voce periculi noſtri magnitudinem, totius

A.C. 1667 , Chriſtianitatis proximum a nobis bello diſcrimen Serenitati Veſtræ re-
, præſentet; ac ſimul ſubſidia adversus tam formidandũ hoſtẽ decenter
, & obnixè expoſcat. Cui quidem nomine noſtro acturo, ut à Seren: Ve-
, ſtra plena fides adhibeatur, amanter cupimus. De reliquo Serenitati
, Veſtræ valetudinem, ac proſperrimos rerum ſucceſſus à DEo Ter Ma-
, ximo precamur.

AD MAGNUM DUCEM HETRURIÆ.

TAmetſi ex literis noſtris in anteceſſũ nuperrimè datis ſufficienter, uti opinamur, edocta ſit Serenitas Veſtra, de Regni noſtri afflictiſſimo ſtatu, & de impendente gravi Turcici belli procella, tamen viſũ nobis è re præſenti ad Seren: Veſtrã ablegare virũ nobilitate &
, Senatorio officio inſignem Magnificũ Joannem de Bnin Opalinſki Pala-
, tinum Calliſſienſem Regni noſtri Senatorem, qui luculentiùs voce pe-
, riculorum noſtrorum magnitudinem, totluſque Chriſtianitatis &c. ut
, ſuprà in literis ad Ducem Venetiarum.

AD CARDINALEM VIDONUM.

CUm nobis è re præſenti viſum ſit ablegare ad Sanctitatem Suam Magnificum Joannem de Bnin Opalinſki Palatinum Calliſſienſem Regni noſtri Senatorem, noluimus eundem noſtrâ ad Illuſt: Ve-
, epiſtolâ incomitatum ad tractandum commiſſum ſibi negotium accede-
, re, quem nomine noſtro acturum, ut Illuſtritas Veſtra authoritate ſuâ,
, quâ pollet plurimùm, juvare, nobiſcum amicum & efficax ſtudiũ con-
, teſtari, amanter cupimus. De reliquo Illuſtritati bonam valetudinem
, à DEo precamur. Datum ut ſuprà.

AD CARDINALEM CHISIUM.

QUantò majori Illuſtritas Veſtra apud Sanctitatem Suam tam proplnqvus ejuſdem ſangvis, authoritate præpollet, tantò plus ſpei, præſidiiq; in prqpenſo Illuſtritatis Veſtræ affectu, & amico erga
, nos, Regnumq; Poloniæ ſtudio reponimus. Dedimus itaq; in mandatis
, Magnifico Joanni de Bnin Opalinſki Palatino Calliſſienſi Senatori Re-
, gni noſtri, ut Illuſt: V. nomine noſtro ſalutet, & in negotijs noſtris pro-
, movendis præcipuo favore Illuſtritatis Veſtræ nitatur. Cui nomine no-
, ſtro acturo plenariam fidem exoptantes. Quod reliqvum eſt, optimam
, à DEo valetudinem, & proſperos ſucceſſus Illuſtritati Veſtræ precamur.
, Datum ut ſuprà.

AD CARDINALEM URSINUM PROTECTOREM REGNI POLONIÆ.

CUm ad exponenda diligentiiis Regni noſtri à Turcis pericula, & implorandam Suæ Sanctitatis opem ablegamus in urbem Magnificum Joannem de Bnin Opalinski Palatinum Calliſſienſem Regni
, noſtri Senatorem, dedimus ei in mandatis, ut Illuſtritatis Vaſtræ con-
, ſilio, ac directione præcipuè utatur. Magnam enim fiduciam habemo,
, deſideria noſtra ejus optime erga nos, Regnumque noſtrum ſtudio quàm
, efficaciùs promotum iri. Quod ex animo cupientes; interim Illuſtri-
, tati Veſtræ bonam valetudinem, & proſperos ſucceſſus à DEo pre-
, camur. Datum ut ſupra.

AD CAR-

IN præſenti graviſſimo Poloniæ perículo conſultum duximus, paternam inprimis Sanctitatis Suæ opem, & ſubſidia adverſus Chriſtiani nominis hoſtem Turcam implorare. Cui fini ablegamus in urbem virum Senatorij Ordinis Magnificum Joannem de Bnin Opalinski Palatinum Calliſienſem Regni Noſtri Senatorem. Plurimum confidimus Illuſtritatem Veſtram pro ejuſdem erga nos, Regnumque noſtrum optimo ſtudio, & pro totius Chriſtianitatis, cujus antemurale propè evertitur, defenſione, in negotiis nomine noſtro tractandis, memorato Magnifico Palatinato Senatori noſtro efficaci ope, & amico conſilio aſſuturam, quod nobis gratiſſimum erit. De reliquo Illuſtritati Veſtræ &c. ut ſuprà &c.

INSTRUCTIO ILLUSTRI DOMINO IOANNI GNINSKI Theſaurario Curiæ Regni à S. R. Mte Poloniæ & Sveciæ, ad Sereniſſimum Electorem Brandeburgicum Ablegato Extraordinario Varſaviâ 18 Februarij.

ILluſtris Dominus Ablegatus Plenipotentiarius proponet infra ſcripta Sereniſſimo Electori, quà ſtylo, quà voce in hunc vel ſimilem modum: Sacra Regia Mtas Poloniæ & Sveciæ Dominus meus Clementiſſimus, cùm nihil ſanctius habeat obſervatione pactorum cum Sereniſſimo Electore Brandeburgico Bidgoſtiæ initorum, & lege publicâ comitijs Poloniæ confirmatorum, tum libenter fatetur vigore eorundem pactorum, & ſpecialis tranſactionis deberi ſuæ Serenitati quadringenta millia imperialium à Rege & Regno Poloniæ, neque mora ulla eſſet reſtituendi dictam ſummam, ſi per fortunam & ſtatum Poloniæ meliorem liceret; notius eſt, quàm ut verbis exaggerari debeat, Poloniam bellis tot per annos exhauſtam varijs eventibus & calamitatibus, nec non ſterilitate anni præteriti ad ſummam egeſtatem redactam eſſe. Quare minimè rubori ſibi ducit Polonia, olim dives & florens, nunc, uti rerum vices ſunt, egena per Ablegationem meam ſuam Serenitatem Electoralem decenter rogare, ut intuitu præſentis noſtræ calamitoſæ ſortis pro magnitudine animi ſui, pro memoria ſtudiorum & officiorum erga Majores Serenitatis Suæ, ipſamque ejus Serenitatem à Regibus & Regno Poloniæ conteſtatorum pro obligandis magis ac magis, gratis animis, & affectibus Polonorum eandem ſummam benevolè & integrè condonare velit. Quod ſummæ ac immortali gloriæ Sereniſſimi Electoris vertet, nec patietur aliquando Polonia, ubi vires & opes reſumpſerit talem gratiam ſibi præſtitam vacuam debitæ gratificationis abire. Moveatur Sua Serenitas exemplo Saeræ Cæſareæ Majeſtatis, quæ nonnulla ex pactorum vigore Regi conſangvineo & amico, ac Regno vicino gratioſè remittere, & condonare dignata eſt, quin & ſummam certam pecuniariam liquido debitam minimè repetit, aut extorquet.

Hunc primum gradum in tractando negotio Elbingæ ſeu ſummæ quadringentorum millium Illuſtris Dominus Ablegatus ſervabit. Qui, ſi ex voto non ſucceſſerit, aliam propoſitionem in alia audientia aut conferentia cum Deputatis Miniſtris Electoralibus ordietur. Factâ iterum propoſitione in hunc vel ſimilem modum S. R. Mtas Dominus meus Clementiſſimus, quandoquidem gratuita combinatio ſummæ conventæ Elbingenſis impetrari non poteſt ex conſilio Senatûs & mente Reipublicæ proponit pro eadem ſumma ſatisfactionem, ſeu recompenſam tali modo, quòd cum vigore pactorum Bidgoſtien. fol. 4. pactorum Artic. Subſidia quæ verbo. Quoties autem Sua Serenitas Electoralis novo exorto bello Coſatico

A.C.1667 „(ruptâ enim pace Cosaci rebellârunt, seu Poloniæ novum bellum intule-„runt) teneretur mille quingentos pedites, & 500. equites Sereniſſimo „Regi & Regno Poloniæ ſubminiſtrare. Fuit profectò quod deſideraverit „S. R. Mtas & Reſpublica eam militum manum, quæ rem Polonam op-„portunè juviſſet; non fuiſſe ad caſtra Polonica expeditam & ſubminiſtra-„tam. Tenebatur etiam Sereniſſimus Elector conſilia & arma conjungere „ad expurgandam pact. fol. 7 Art. Quandoquidem vel ad expurgandam „Moſchis protunc hoſtibus Poloniam, ſed ut præterita omittantur, ex ea „cauſa, quòd Sereniſſimus Elector à S. R. Mte & Regno Poloniæ in reſti-„tuenda Elbinga, ſive ſumma pro Elbinga conventa ſatisfactionem minimè „habuerit. In futurum pro mutua & plenaria ad invicem pactorum ſatis-„factione proponit & offert S. R. Mtas velle ſe medietatem copiarum ex „pactis Poloniæ debitarum videlicet ſeptingentos & quinquaginta pedites, „& ducentos & quinquaginta equites in perpetuum remittere, eâ lege, ut „viciſſim Sereniſſimus Elector ſummam quadringentorum millium imperi-„alium Poloniæ in perpetuum remittat ſalvis in reliquo per omnia pactis „manentibus. Exiſtimat S. R. Mtas eam propoſitionem & declarationem „à Sereniſſimo Electore gratè acceptùm iri, cùm tanti ſit ſummam ſæpè „memoratam remittere, ut ab obligatione mille militum ſubminiſtrandorũ „Sua Serenitas Electoralis, ac ejuſdem ex lumbis Succeſſores ultra ſæcu-„la feliciter duraturi penitus liberentur. Tali ratione, & reciprocæ obliga-„tioni ex æquo & bono ſatisfiet, & mutua utrinque confidentia cum ſum-„mo Subditorum emolumento incrementum capiet. Ad quem effectum & „executionem totalem promiſſorum Sua Regia Mtas, nec non ampliſſimus „Senatûs ſpecialibus mandatis, & plenipotentiâ ſufficienti miſsâ me Ablega-„tum inſtructum eſſe voluerunt; quo in negotio, ut benignum reſponſum „& ultimam tranſactionem obtineam, neque ad Aulam Svetieam in gravi-„ſimis negotijs feſtinans longiore deliberatione detinear, majorem in mo-„dum rogo.

SUPPLEMENTUM INSRUCTIONIS ILLUSTRI D. JOANNI Gninski Theſaurario Curiæ Regni ad Sereniſſimum Electorem Brandeburgicum S. R. Mtis Poloniæ & Sveciæ Ablegato extraordinario Varſavia 18 Februarij.

ILluſtris Dominus Ablegatus proponet infra ſcripta Sereniſſimo Electo-ri in hunc vel ſimilem modum. Magnâ animi voluptate intellexit S.R. Mtas Dnus meus Clementiſſimus tam ex literis de data 14 Januarij „Coloniæ ad Spream, quàm ex relatione Domini Legati Brandeburgici, „quomodo Sua Serenitas Electoralis tenero ſenſu calamitates & pericula „Regni Poloniæ exceperit, ejuſdemque defenſionis, & conſervationis ſtu-„dio ſuppetias auxiliares contra imminantem hoſtilitatem Turcicam declara-„verit, & promiſerit, dummodo tamen commeatus copijs ſubmittendis ne-„ceſſarius, ac ſufficiens deſtinatis in locis maturè advehatur. Quod ſingu-„laris propenſionis ac Chriſtiano Principe digni non modò pro Regia Mte, „Regnoque Poloniæ, ſed pro tota Chriſtianitate ſtudij inſigne documentum „gratiſſimè admittit S. R. Mtas, & ſuam Regiam benevolentiam, atque „gratitudinem erga Sereniſſimum Electorem, ſangvine, fœdere, amicitiâ & „vicinitate conjunctiſſimum S. R. Mtis condignâ ut par eſt teſtificatione „proſequitur. Ut verò certiùs conſtet intenſio Suæ Serenitatis Electora-„lis & modus ſubmittendorum auxiliorum, explorandi, ac in effectum rem „deducendi causâ demandatum mihi eſt, quatenus ex mente Regia de con-„ſilio Senatûs lateri Suæ Mtis aſſidentis hæc proponerem. primum. Exo-

ptat

, petat Sua Mtas, ut numerus auxiliarium copiarum 4 milliũ militum à Sua A.C.1667
, Serenitate Electorali determinetur, & declaretur. Cùm verò satis constet
, Poloniam anno præsenti frugum egenam caritate annonæ multis in pro-
, vincijs laborare, ac pecuniâ nervo belli destitui, optat ac postulat Sua
, Regia Mtas, ut charitativæ istæ suppetiæ à primo die Ingressus in Polo-
, niam per sex menses proprijs stipendijs ex thesauro Suæ Serenitatis E-
, lectoralis sustententur; Polonia enim ad præsens impar est oneri susten-
, tandi militis auxiliaris proprio sumptu. Cùm vero periculi magnitudo &
, belli Turcici usitata ratio moram longam non patiatur, necessarium es-
, set, ut auxilia Brandeburgica pro die 1ma Julij propè Vistulam adducan-
, tur. Legiones tamen loco moveri, & in Poloniam intrare non debeant,
, nisi prævia requisitione per legationem aut literas S. R. Mtis ad Sere-
, nissimum Electorem. Potest enim fieri ut legatione Turcarum consilia &
, impetus sistantur. Potest Imperatorem Turcarum ab inferendo Poloniæ
, bello arcere, pax cum Moscho & conjunctio armorum sancita, proinde
, ex eventu legationis, & temporum ratione metiri pericula, & consilia ac-
, commodare decebit. Quod attinet commeatum, curæ erit S. R. Mti, ut gra-
, naria seu Magazina aliquo loco opportuno ad Vistulam, præsertim Ca-
, simiriæ in tractu ipso versus Russiam, nec non Leopoli, & Camene-
, ciæ instituantur, & re annonariâ sufficienter instruantur, ut milites pro
, parata pecunia facilè & commodè sustentari possint. Quâ de re, postquâ
, constiterit declaratio Suæ Serenitatis Electoralis ulterius S. R. Mtas Do-
, minus meus Clementissimus conferet, & tractabit, ac Commissarios su-
, os ad deducendum per Poloniam militem Brandeburgicum delegabit.

COPIA LITERARUM AD ELECTOREM BRANDEBURGICUM.

JOANNES &c. Serenissimus &c. Ablegato nostro extraordinario Illustri Joanni de Gnin Gninski &c. præter ea, quæ prioribus literis & instructione nostra commissa habet, dedimus insuper in mandatis, ut Serenitatem Vestram nomine nostro certiorem reddat de transacta feliciter pace, seu potiùs induciis ad 13. annorum decursum sancitis nos inter atq; Moschos, quod nuntium Serenitati Vestræ latum fore pro ejus erga nos studio, ac multorum nexuum arctissimo vinculo minime dubitamus. Idem porrò Illustris Ablegatus, ac noster, & Senatûs Nostri Plenipotentiarius decenter Serenitati V. exponet ea, quæ pactorum Bidgostiensium observatione intimæ amicitiæ, bonæ vicinitatis, mutuæq; confidentiæ firmitatem & incrementum concernunt. Cui ut pronam aurem, plenamq; fidem Serenitas V. adhibeat, amanter cupimus. De reliquo Serenitatem Vestram Divinæ protectioni commendantes.

COPIA LITERARUM AD REGEM GALLIARUM.

PRo devoto propinqui sanguinis, & bona correspondentiæ, ac strictioris amicitiæ nos inter, atq; Majestatem V. nexu certiorem eandem reddimus pacem Polono-Moschoviticam, seu potiùs induciis ad tredecim annorum decursum feliciter, prout temporum præsentium ratio fert, compositas & conclusas, atq; conjunctionem armorum contra Turcas, Tartaros, & rebelles Cosacos sancitam, jura-

A.C.1667 mento per Commissarios nostros & Moschoviticos corroboratam esse minimè dubitamus. Latum id Nuntium à Majestate Vestra consanguineo & conjunctissimo Principe pronâ aure & fraterno affectu acceptum iri. Cujus Christianissimo nomini, & pectori ea præcipuè incidet cura, ut potentia Turcica Regno nostro comminans, & proximè imminens reprimatur, atq; Polonia Christianitatis antemurale tranquillitate pristinâ, & felicitate omni floreſcat. De cætero Majestati Vestræ longissimam valetudinem, & prosperrimos successus ex animo precamur.

COPIA LITERARUM AD SANCTISSIMUM D.

Varsaviæ 17. Februarij.

POst oscula pedum Sanctitatis Vestræ, meiq; ac Regnorum meorum humillimâ commendatione. Alternas rerum vices, & tristia lætis misceri, si quæ terrarum ac Gentium quæpiam, Polonia certè mea experitur, quæ toties extremis casibus allisa, & jam conclamata iterum surgit, & per ipsas strages ac discrimina magis foræ teſcit, duraturque. Quod nos singulari providentiæ supremi rerum arbitri, cujus Regna nutu Regesque stantque, cadunt que, meritissimè totâ devotione adscribimus, neque dubitamus ferventem in istis oris Catholicæ Religionis zelum, admirandam istam curam & protectionem divinæ manûs demereri, sine qua nullatenus esset, ut humanis consilijs adeo frequenter res Polonæ arduæ & desperatæ parvo sæpè negotio, & modico intervallo sublevarentur. Nihil planè opportunius accidere potuit, quàm pax Moschovitica, seu inducia verius, quæ ad tredecim annos cum firma spe tractandæ interim perpetuæ pacis, & cum reciproca ad præsens strictioris amicitiæ obligatione, non infeliciter, prout temporum præsentium ratio permittit, lancitæ, & juramentis Commissariorum ab utrinq; corroboratæ sunt, provisum etiam Religionis Catholicæ exercitio in ditionibus Moscho ad tempus permissis, quod nos boni augurij ducimus, cùm Gens ista in Schismate pervicax, & Catholico nomini infensissima modò jam à nostris sacris non abhorrere incipit. Restat id mihi curandum, ut conjunctionem armorum adversùs Turcas & prædones Tartaros ad minùs defensivam cum Magno Duce Moschoviæ missâ quàm primùm legatione paciscar. Cujus rei jacta sunt aliqua fundamenta per Commissarios meos, concluſio tamen ipsa ad conferendum per mutuas legationes est dilata. Erigor equidem in spem melioris fortunæ & DEo auxiliante credo me validiorem fore ad reprimendum Turcicum bellum, non tamen sinè gravi causa subvereor, ne ista Polono-Moschoviticâ pace magis Turca & Tartarus irritetur, ac graviori belli mole Poloniæ incumbat. Adveniunt undiq; Nuntij Siliſtriam, Vallachiam, Moldaviam, alioſq; accolas populos strepere armis & minis contra Poloniam, ac licet robur ipsum Turcicum differri possit ad mensem Julium vel Augustum, præsentio tamen quòd Tartari hostilitatis Turcicæ Prodromi juncti Vallachis excursionibus Poloniam infestabunt.

Cæ

Camenecum fortiſſimum propugnaculum circumcingent, & fame ur- A.C.1667.
gebunt, exercitus meos more ſuo continuò laceſſent & fatigabunt. Quorum omnium pro devotione mea Sanctitatem Veſtram certiorem facio, rogatam iterum ac iterum volens, ut ſubſidio notabili pecuniario me & Regnum meum fulcire non gravetur. Non deſunt adhuc nobis arma, & fortes viri militiæ prompti; ſed rerum gerendarū, ac præſertim belli nervus pecunia deficit, cogitq; magna neceſſitas, ut gratiam & liberalitatem Sanctitatis Veſtræ pro exercitu contra tam formidandum Chriſtianitatis hoſtem ſuſtentando advocem. Celebrabit eam clementiam Sanctitatis Veſtræ, ejusq; inclytum nomen Chriſtianus orbis; Polonia autem mecum ream ſe accepti beneficij profitebitur. De reliquo Sanctitati Veſtræ longiſſimum rei Chriſtianæ Imperium ex animo voveo, ac me, Regnumque & Dominia mea ejus gratiæ humillimè commendo. Anno Regnorum Poloniæ & Sueciæ 19.

COPIA LITERARUM A SERENISS: IMPERATORE.

Viennâ 18. Januarij.

REddidit nobis Serenitatis Veſtræ Miniſter Baro Siri ejusdem literas ſeptimanâ hujus anni datas, quibus de perfida, & inexpectata planè Tartarorum cum Coſacis conſpiratione, & fœda ab utriſq; ſimul Quartianorum ſuorum factâ ſtrage, Ruſſiæq; rubræ devaſtatione ſignificare voluit, ſimulq; innuere, & expendendum offerre, cùm, quæ inde cura ipſum afficiat, ne belli Turcici, quod magnis contra eandem apparetur viribus, ſit Prodromus, tum etiam, quæ ex eo pericula reliquæ Europæ, ac noſtris quoq; à tergo ditionibus immineant, enixè precans, ut, cùm nos, tum aliorum Principum Imperij, & Chriſtianitatis incitamento præeunti Amico Regno ſubvenire, nunc verò quamprimùm Miniſtro noſtro ad Aulam Ottomanicam Reſidenti injungere, ac per literas quoq; noſtras ad Portam ipſam inſtare vellemus, ut à bello contra ipſam deſiſtat, Tartaroſq; ab excurſionibus coerceat. Quo condolentis animi ſenſu ea res nos affecerit, multis explicare nihil opus eſt, cùm, ut cõmunio periculi nos non tangeret, quæ maximè tangit, is noſter ſit, ſemperq; fuerit erga Ser: V, ut vicinum, amicumq; illud Regnum plurimis de cauſis propenſiſſimæ voluntatis affectus, non uno, Seren: ipſa benè meminit, documento monſtrato, qui nobis ejusdem adverſa non ſentire, aut negligere planè non permittat. Quæ de cauſa ſicuti animo noſtro jam tum ſedit, ſi (quod DEum averſurum ſperamus) majora pericula ingruant, in auxilium Srntis V. cum cæteris Chriſtiani Orbis Principibus omnino concurrere. Ita, dum perſonam à Ser: V. eo nomine ad nos deſtinatam expectamo literas per proprium noſtrũ Curſorẽ ad miniſtrum noſtrũ Conſtantinopoli reſidentẽ jam nunc damo; quibus ei, quæ in hanc rem ſunt opportuna, cõmittimus, prout de cætero Sti V. per Conſiliariũ noſtrũ Cameralẽ Aulicũ Baronem de Magernberg pluribus referetur. Qui de cætero, ſicut Sti V. affectum fratris, conſanguinei, & nepotis benevolentiſſimi ſemper integerrimum conſervamus, eidem omnium felicitatũ, ſucceſſuum cumulum ex animo vovemus. Aõ Regnorũ noſt. Romani 8 Hungarici 17. Bohemici verò 11.

Bonus Frater & Nepos LEOPOLDUS.

A. C. 1667

COPIA LITERARUM AD CARDINALEM URSINUM.

CUm hactenus ignari ſimus, utrum Illuſt: D. Palatinus Calliſienſis demandatam ſibi à Sacra R. Mte D. meo functionem aſſumpſerit, præſensq; Romæ ſit, & negotium impetrandi ſubſidij contra Turcas tractet. Viſum eſt R. Mti epiſtolam de concluſa pace Polono-Moſchovitica nuntiatoriam per manus Excellentiæ Veſtræ tanquam Regni Protectoris Suæ Sanctitati præſentare, quam quidem pacem magnum rebus noſtris momentum allaturam Româ ſperamus, latiſſimè accipiet copias epiſtolæ Regiæ Eminentia Veſtra, quas pro ejus duntaxat informatione confidenter mitto. Ab Imperatore Romanorum, ab Electore Brandeburgico, à Duce Venetiarum accepimus reſponſa plena officij, & propenſæ erga Polonam voluntatis. Dominus Radzicioweſki primorum Epiſcoporum favore, ac præcipuâ Domini Epiſcopi Cracovienſis curâ, & conatu (ita animi mutantur) ad magnam legationem Turcicam promotus itineri ſe accingit, vix tamen primis diebus April. Adrianopolim ad Aulam Ottomanicam perventurum credo. Magnam ſpem habeo, quòd dexteritas viri, utraq; fortunâ exercita concurrente hac pace Moſchovitica ſiſtere, ſeu differre poterit hoſtilitatem Turcarum, tamen ut pacem abinde ſecuram & duraturam habeamus, decrevit S. R. M. ingentem apparatum facere, & validiſſimum exercitum comparare, quò facilius barbari admiratione virium noſtrarum ad reverentiam antiquam nominis Poloni flectantur, & non temporanè ad unum vel alterum annum, ſed perpetuæ & ſolidæ paci conſulatur. Quodſi tamen fortuna melior aſpirare incipiat, & charitativa ſubſidia Principum Chriſtianorum, modò ea gratuita ſaltem per ſex menſes adſint. Non dubitabit S. R. Mtas pro virium & temporum ratione bellum etiam Turcis inferre; præſtat enim externo bello ſemper Poloniæ felici militem diſtineri, quàm ut viſcera Patriæ corruptis moribus ac diſciplinâ ſolutâ tumultuetur.

ANDREÆ OLSZOWSKI PROCANCELLARII REGNI, AD REGEM CASIMIRUM.

Epiſcopi ad nominationem Regis.

JAm tandem poſt multas tribulationes, nominatus à Rege in Cardinalem Epiſcopus de Beziers, me quoque circa id, impenſam adhibente curam, ex debito gratitudinis erga Regiam Veſtram Majeſtatem, ne duplicata ejus nominatio in caſſum abiret, quod in literis Romam datis, (quarum copiam dedi comiti de Lion) patenter expreſſum. Magna opponebantur impedimenta tam ab extra, quod calamo concredere non expedit; quàm ab intra à Nuntio Apoſtolico Mareſcotti, pro quo vix non omnes in votis publicis inſtabant Senatores; prævaluit tamen reſpectus Majeſtatis Veſtræ & authoritas inſtantiæ Galliarum Regis, per quos ſuperatis omnibus difficultatibus vicit, jamque triumphat fortuna Epiſcopi de Beziers: cui id quoque in partem felicitatis accedit, quòd eodem planè tempore Dębicki Vexillifer Sandomirienſis ab aula ſit relegatus, eo modo, quo ſub Majeſtatis V. imperio Zytkeviez, convictus literis propria manu

Dębicki ab aula relegatus.

, manu ſcriptis, in quibus Archiepiſcopum, Supremum Regni Mareſchal- *A. C. 1669*
, cum, Cancellarium M. D. Litvaniæ, peſtifera ſubjecta, V. Mtem Ab-
, dicatorem appellavit, machinationes Gallicas falsò objecit, ſuo Epiſcopo
, Regni Gallarum probra aſpergere non dubitavit. Ruptionem comitiorũ *Olizar rumpit comitia.*
, factam per malitiam & temeritatem Olizar Nuntij Kijovienſis non dubi-
, to famâ delatam eſſe Mti V: alia ſex ſeptimanarum comitia ſunt heri in
, Senatûs conſilio determinata pro die quinta Martij: in quantùm verò etiam hæc rupta fuerint, non ſupereſt conſiliorum modus, niſi in communi *Alia comitia indicta.*
, motu, in quo proponenda eſſet ratio concludendorum comitiorum, & re-
, ſtrictio liberæ (ut vocamus) vocis: nihil tamen forſitan eorum fiet, quan-
, doquidem tantopere hunc diſordinem, & liberam ſervitutem, etiam cum
, noſtro interitu, adamamus. Heri, in conſilio 39 Senatorum concluſum
, matrimonium Regis, cum Archiducissa Leonora Sorore Imperatoris, vari-
, antibus ſententijs, ſeriuſne aut citius eſſet ineundum: in me forte primæ
, ſors cadet legationis, ad tractanda & concludenda pacta matrimonialia.
, Proviſionem Mtis V. quivis Senatorum bene in ſuo voto expreſſit, & pro-
, movit; ſed ruptis comitijs res intra verba ſtetit. In proxime imminentibus
, comitijs certabimus affectu & veneratione erga Veſtram Regiam Ma-
, jeſtatem. Commendatis à Veſtra Majeſtate Mazini & Braun libenter
, ſervio; in alijs, ad omnem nutum Majeſtatis Veſtræ tanquam mei Me-
, cænatis obſequentiſſimus.

XVII.

CARDINALI URSINI REGNI POLONIÆ PROTECTORI, ANDREAS CHRYSOSTOMUS ZALUSKI.

Varſaviæ 3. Julij.

Relatio de comitiis Electionis & quomodo Rex Michàël electus fuerit.

EPiſcopus Culmenſis Regni Procancellarius Avunculus meus plurimis quæ ſuper caput planè ſaliunt publicis impeditus curis, hoc mihi in mandatis dedit, ut exactam Comitiorum Electionis, & præſertim ultimæ diei Eminen: Veſtræ facerem, & mitterem relationem. Facio id, & reverenter, & libenter utinam tanti Principis exiguo hoc officio demereri queam gratiam, & protectionem. Ignoſces verò Eminentiſſime Princeps & ſtyli tenuitati, qui per ætatem perfectus eſſe nequit & prolixiori calamo, quia nihil quod actum eſt, relictum eſſe vellem, ſatius eſt aliquando inutilia non dicere, quàm non dicere neceſſaria. *Andreas Olſzowski.*

Præſcriptum Confœderationis Generalis ſecuta Comitia Electionis Regis, ſecundâ Maij incepta ſunt. Equeſtris Ordo, cui maxima libertatis cura ambiguus conſilij, ſed magis pavidus eventûs, cùm ad ſe præcipuè, ſivè ex turbata Repub: omne belli genus, ſivè ex malè compoſita, pacis adverſa, & graviora ipſo bello mala pertinere adverteret, occupare pericula ultro ſtatuit. Ac proinde ex univerſis Regni Provincijs ad arma itum, & in ipſo Electorali campo fixêre ſedem Mavortia ſigna, ut ex validis virorum fortium pectoribus, honeſtis pro Repub: conſilijs robur eſſet. Magnatum etiam numeroſæ copiæ, & inſtructa ad ſpeciem, terroremque arma, , cupidinem ſuî, æmulationemque apud nobilitatem excitavêre, quæ cum ſemper validiorum ſuſpiciones, & ingenia ſuſpiceret, tum potiſſimum ad reprimendos conatus arma movere neceſſe habuit. Deliberatum itaque de faciendo Principe inter aclnaces. Sobieſcium ſupremum Ducem Exercituum duodecim millia probè armato-

A.C.1669 matorum numerus comitatus, par infesto cuivis prælio manus. Mareschalcus Equestris Ordinis magno negotio vix secundâ septimanâ electus est, acerrimè diffidentibus inter se Litvanis, & pluralitatem eligendi Directoris turbantibus, ac remorantibus. Causa inter eos diffidij animorum campiducalis Clava à Casimiro Rege Michaëli Radzivilio Procancellario M. D. Litaniæ contra conatum & vota Pacianæ domûs collata. Hinc impellentibus partium Ducibus continua in Equestri rota partisantium certamina, & notiora, quam ut tegi potuissent odia, æmulante invidiam fastu. Duo præcipui pro directione comitiorum erant concurrentes, Felix POTOCKI Subdapifer Regni, & Ioannes Odrowąz PIENIĄZEK Oswiecimensis Gubernator. Primus ab Archiepiscopo, Mareschalco Regni totâque factione Gallicâ, & Neoburgica promovebatur. Secundus ab his, qui Lotharingum Principem in corde, & ore habebant, huic officio destinabatur, pluralitas certè secundo favisset; totus enim (ultra multos in Regno Palatinatus) Ducatus Litvaniæ calculos albos dedisset, si ad eos deventum fuisset, sed pars adversa prævidens victuram aliam, diversas nec boni intellectum, nec mali curam habens ingerebat materias Electionem Mareschalci impediendo, inter alias eam obtendendo contra Odrowąz rationem, illudque nævo illi dando, quòd paulò ante desperaverit de Repub. nam sub Ioanne Casimiro Nuntiorum Mareschalcus existens post rupta infeliciter comitia, pathetice, & energicè (ut illi consvetudo est) libertatem læsam accusaret, adeoque eidem expressis verbis vale ultimum diceret, hoc prætextu capto inquirebant nomini ejus adversarij, quomodo hic in libertatis campo Nobilitati præesse poterit, qui jam ore proprio perditam libertatem agnovit, & publicavit. Disputatum diu, nec tam citò ad felicem Electionis Mareschalci finem ventum fuisset, nisi Procancellarius Regni in Sessione omnium illorum, qui Pieniązcio favebant, ob respectum boni publici petijsset, ut tempori cederent, ad Potoccij Electionem accederent, satius est, & Pieniązcium, & nos minus justa pati, quàm Reipub: salutem hâc dilatione electionis periclitari, concluſit his formalibus: ligno ex quolibet columna fiat, eligat pars adversa, quemcunque volet Mareschalcum, recompensabit DEus, ut nostra eligat Regem. Favit postea DEus dictis, confirmavitque vota nostra. Electus proinde, ut dixi Felix Potoccius Subdapifer Regni in Mareschalcum. Integra post hac septimana inter concertationes de juramento elapsa est: tandem post redditam ab Equestri Ordine Senatoribus salutationem, lecta sunt Senatûs consulta, in quibus nil singulare erat, præter literas, quæ ab Imperatore Turcarum, & Moschorum Duce & Magno Tartarorum Hano, eorumque Ministris legebantur.

Nicolaus Praſmowſki.

Joannes Sobieski.

Felix Potoccius Mareſchalcus.

Vexillifer Sandomirienſis vir alioquin egregius, & ipsâ canitie conspicuus, sed nimio rerum studio libertati non profuturo, Reipub. noxio, mala Reipub. bono loco à fatis posita rursum susceitans, qui solem quoque si posset extingveret, impetratâ voce, Condærarum partium studia revivisoere dixit, factionem matureſcere asserult.

Martinus Dębicki.

Tum Oborscius Castellanus Varsavienſis libertatem sibi nullâ lege ademptam esse dixit nominandi, quem voluerit ex Candidatis ingentem animorum concitationi materiam subministravit, subitò enim velut contagione correpti furere, alij minari, multi ad capulum referre manum, omnes infestis clamoribus discessum à Senatu Mareschalci urgebant, atque ad consvetum Equestris Ordinis consultationis locum evocabant.

Oborſcius.

Nicolaus Pekoslavius produxit (ubi erant similia veri non tamen judicia

dicta multorum vera) literas anonymas ſibi redditas, quibus monebatur 25 Maij Secreti conſilij apud Primatem Regni cum 12: Senatoribus habiti, eoidem congreſſus apud Supremum Theſaurarium inſtitui, hiſque fomentis Galliæ ambitionem atque factionem valeſcere. Multi alij etiam Nuntij eâ utebantur libertate, quæ maiè ſanis tribui ſolet, ut cum quodlibet in quemlibet dixerit nemo laboret, ita in quo ſe poſſe argui non putabant liberum ſibi crediderunt eſſe maiè loqui. Miſſi ſunt proinde Legati ad Senatum quærentes, veráne eſſent, quæ conſtanti famâ vulgabantur? Reſponſum a Primate, vana eſſe, quæ jactarentur, neque enim probis animis proprium decus aliena decerpit improbitas. Qui nititur mendacijs, hic paſcit ventos; tenuis eſt omnis mendacij veſtis, creicebat enim diſſimulatione ipsâ dolor hoc altius demiſſus, quo minùs profiteri licebat, concluſitque Primas ſibi conſcientiam, DEumque pro tuenda innocentia ſufficere. Caſtellanus Varſavienſis, (optimè miſeras ſuas ferunt, qui abſcondunt) Ingenuè ſe Condæo hoſtem profeſſus & ſi quid deliquiſſet in Rempub deprecatus, quâ declaratione acceptâ viſi ſunt, leniſſe publicum odium, & quies animorum tantiſper reddita eſt. Director Potocclus infirmitate ſe excuſans, Capitaneo Spiſienſi indulgente, & conſentiente Nobilitate Scipionem cõmiſit, qui ſtatim dandam eſſe audientiam Legato ſummi Pontificis Galleaceo MARESCOTTI Archiepiſcopo Corynthi urſit, ac in ſequentem diem evicit, quâ miſſi ſunt ſex Palatini, duo Epiſcopi in occurſum Legato Apoſtolico, armata Satellitia Dominorũ utriuſq; Ordinis ſtetére pro vallo, expanſis vexillis, concinentibus tubis, ſonantibus tympanis, ſpeciem magni exercitus repræſentabant, cùm à Szopa (ſic locus conſiliorum Senatui deſtinatus vocatur) ad Pomeria uſque urbis armati ſtarent, quinquaginta octo vexilla erant, quæ duodecim millia armatorum ſuperarunt, centum viginti rhedæ anteibant, Equitum nobilium curruum legati ante equitantium ingens numerus, regalis magnificentiæ pompam adſtruebant.

d.C.1669

Litera anonymi

Andreas Morſztyn

Subſtitutus Mareſchalci

Mareſcotti Legatus ſũmi Pontifex cit

Rotam ingreſſo univerſa Reſpublica debitam exhibuit reverentiam, Archiepiſcopus Gneſnenſis à ſua curuli emenſis aliquot paſſibus amicè ſalutavit, inter ſe, & Epiſcopum Cracovienſem loco cohoneſtavit, tum lectæ à ſummo Pontifice per Referendarium Regni Spiritualem ad Senatum literæ, reddita à Mareſchalco Equeſtri ſcripta ad Equeſtrem Ordinem epiſtola, quam Mareſchalcus ſedens intecto capite ob reverentiam Sedis Apoſtolicæ legit: contenta harum literarum nihil amplius in ſe habuerant, quàm vota unionis animorum & ut Principem eligerent concordibus ſuffragijs, Orthodoxæ religionis verum hæredem, quod ut feliciter eedat orbi Chriſtiano Apoſtolicam ſe liberaliter conferre benedictionem. Expeditis literis orationem habuit ad Rempub. reſponſum à Primate, tandem, & à Mareſchalco latino idiomate breviter & ſuccincte. Finitis orationibus Nuntius eâdem viâ armatis undique ſeptâ in urbem horâ fermè nonâ ſole ſub horizontem properante reverſus eſt.

In craſtino lectus eſt conceptus à Succamerario Poſnanienſi, quo præcavebatur in poſterum abdicationi Regum Poloniæ, & id ſingulariter juramento Principum inſertum.

Poſtea Director Rotæ Equeſtris cum nonnullis punctis, in quæ conſenſerat Ordo Equeſtris Senatum ingreſſus eſt petijtque, ut judicio Senatûs firmarentur, & inprimis excluſionem Condæi, ne inter Candidatos haberetur, Camenecij, & Cracoviæ proviſionem, Cæſaris Legato præbendam audientiam, cæteraque puncta Equeſtri ſibi præſcripta conſenſu. Magna ea dies rubori & confuſioni propior facies Senatûs fuit eum clamore univerſorum urgeri cœpit Primas, ut declarationem faceret excluſionis Condæi. Qui reſpondit ſi poſtularetur, ut Senatûs univerſi nomine ſententi

Condæi excluſio à candidatura urgetur

am

A.C.1669 am proferret, præſtare id ſe non poſſe aſſeveravit, niſi conſulto prius Senatu, ſi ut à privato vox exigeretur, libenter ſe paratum eſſe in eum conſentire, qui publicâ omnium concordiâ electus fuerit, ſed conſiderandum quod etiam judex cùm condemnat oſtendere debet, quòd juſtitia non poteſtas puniat, & timeo ne plurium noxam omnes luamus. Magnus Regni Mareſchalcus quamvis etiam illatam injuriam moderatè ferret quia virtute præditus eſt, indignationi tamen propior dixit ſe quidem adveniſſe publico cedere conſenſui, nec ſua mutata eſt ætas, ſine crimine tota eſt, ſed ferre omnes non omnia poſſunt, nullum credens eſſe illuſtrius tranquillitati animi teſtimonium, quam odio haberi ab illis, qui tranquillitatem oderunt, ſi ad cæteros excludendos Candidatos ab Equeſtri rota pari ferocitate urgebitur, libenter ſeſe à Senatu abſentaturum, & munia officij ſui malle relinquere, loco cedere, quàm ſic cadere, & eam pati ſervitutem, ubi non es, qui eſſe debeas, non eſt, cur velis degere. Interim cùm multi quærerent occaſioni locum, quomodo Senatorum ſententiæ differri in ſequentem diem, aut diſturbari poſſent, ingenti clamore erumpentibus inter crebras voces contumelijs, petente Vexillifero Sandomirienſi à Primate, ut reali declaratione excluſionis Condæi, populorum deſiderijs ſatisfaceret. Qui arreptâ voce (nunquid laudat æger medicum ſecantem) inter pudorem, & indignationem anxius plus ſe, quam peteretur, dixiſſe, & Reipub. donaſſe, quòd ſe nobili cuique conſveto, & jure debito privaret ſuffragio, dum illud ad ullius ex Candidatis ad Electionem proferre nollet, niſi in quem univerſa Reſpub. conſtanti concordiâ conſenſiſſet. Eâ quoque ratione, quâvis flagranti popularitate, & in ſpeciem favorabili, non eſt viſus civium animis ſatisfeciſſe, dum contradicenti ſtudio inſaniunt, dum ſua etiam falſa defendunt, aliorum etiam vera ſubvertunt, rurſumque à Karvicio ſubjudice novæ civitatis, exagitatus tandem nihil ad illata reſpondens à Piaſeczinſcio Capitaneo Braclavienſi (ita ſemper argumenta ex falſo petita ineptos, & abſurdos exitus habent) interpellatus eſt, ut miſereretur populorum turbæ, illius ſolummodo declarationem præſtolantis, tum tot Epiſcopos dignitate, & ſanctitate pares dignum eſſet, ſi non præire exemplo ſaltem imitari. Tum urgentibus omnium acclamationibus flexus, quaſi viciſſitudinem rerum humanarum irrideret ſerenâ facie inter ſtrepitus vocũ clarâ voce (uſque adeo variat ſors variatque cito) pronunciavit deteria injuriæ memoria, poſtquam tamen dixerit· quòd nihil gravius eſſet Principibus, quàm contemptum cùm etiam ultimi hominum reliqvum facilè perferant, unum contemptum non ferant, ut nec ſervulum quidem contempſiſſe prudentis ſit. Et ego jam excludo, vitato nomine Condæi cujus cùm ſtudium relinquere coactus fuiſſet, charitatem tam ſubitò nondum deponere poterat. Ita Princeps Condæus excluſus omnibus ferè Majorum noſtrorum inſtitutis neglectis, & hoc negotium non ſolùm tanto ardore, ſed etiam mirâ concordiâ finitum. Quis tot millibus perſvadere potuit, quod priùs ædificaverunt, iterum deſtruere, & abducere ſemetipſos in alium ſenſum? quamvis plerumque reſolutio nimis prompta ingentem vim malorum attulit multis.

Legatus Cæſareus

Actum deinde de Legato Cæſaris excipiendo, conqueſtus Primas, quòd jam monitus ex conſilio Senatus, alias ad Rempub: literas ab Imperatore non procuraſſet: in quibus titulus Sereniſſimæ Reipub: præſcriberetur, addiditq; conſilium, ut literæ ab eo ad Rempub: non acciperentur, ſed oretenus mandata Principis ſui proferret: ac in poſterum curaret, ut à Cæſarea Mte convenientes Reip: Polonæ tituli darentur.

In craſtino honorificentiſſimè à Repub: exceptus eſt, introductus tam per Equeſtris, quàm Senatorij Ordinis ſæculares tantummodo (quia Spiri-

Spirituales nonnisi Sedi Apostolicæ eam præstare solent venerationem) Deputatos exhibitâ Reipub. reverentiâ, intermedius Regni Mareschalco, & Equestris rotæ Directori consedit. Literas à Cæsare non dedit, monitus a Primate non fore Reipub. gratas, quòd in literarum inscriptione, debita non cohonestata esset Respub. honoris prærogativa. Pauca præfatus verba institutionem legit, non denegato Seren: Reipub: titulo. Vota ad Rempub: Polonam Cæsaris erant pro concordia eligendi Regis, amicitiæ cum Austriaca domò semper cum Regno Poloniæ recòmendatio, postremò instantia pro Philippo Vilhelmo Palatino Rheni Principe Neoburgico, laudeiq; ejus à constantia fidei Orthodoxæ, maturitate ætatis, pari vigore corporis, & mentis regimine afferebat. Responsum ab Archiepiscopo, & Mareschalco Equestris Ordinis stylo laconico. Finitâ legatione eâdem viâ reversus est. Legatus Galliæ ob adversam valetudinem, seu ut mœrorem, & indignationem Reipub: ostentaret, audientiam habere noluit; respondens non se amplius ullis indigere Reipub: favoribus. Brandeburgici Principis Legatus Oberbekius favoribus Reipub: Ducem Neoburgicum commendavit. *A. C.* 1669

Die sequenti quatuor Legati continuò perorarunt, magnificentiâ promissorum, speciosò amicitiæ ambitu, insigni Reipub. reverentiâ Majestatem augentes, decoranteſq;. Neoburgici Principis Legatus convenientissimo Reipub: titulo præscripto literas reddidit, deinde oratione habitâ Principem suum jam votis omnium Christianorum Principum commendatum, judicio VLADISLAI VI. Regis Poloniæ, Polonis notum, & insignem commendavit, magnificis promissis favorem concilians, nisi fidem promissorum nimia magnitudo corrumperet, accepto responso abiit. Antequam verò Lotharingiæ Principis Legatus veniisset, ne quid temporis inter otium abiret, permissum est Legatis Curlandiæ, & Semigalliæ legationis suæ negotium expedire. Sedes eis & locus legationis expediendæ assignatus, non inter Mareschalcos, ut aliis externorum Principum Legatis, sed in latere dextro Palatinatuum Prussiæ is locus erat. Qui supplicibq datis ad Rempub: literis, Pudkamer in oratione sua de nonnullis injurijs conquestus est, fidemq; promissorum Principi suo à Rep. exolui petiit. Respondit Primas Generalis Legatis Ducis, curaturâ Remp. expeditis negotijs magis Rempub: affecientibus, ut justissimis desideriis Illustrissimi Ducis satisfaciat. Subiit faciem Reipub, & Legatus Magni Tartarorum Hani, cui à latere dextro prostratus erat tapes in terra, ut eorum est gentilis consuetudinis. Verum ille absentiam Regis causatus, sellam petiit. Datum est illi sedile tapeti contectum: tum Barbarus ingressus rotam; versato in hanc, & illam partem inepto corpore, ad Mareschalcũ Regni facie, posteriori parte versus senatum consedit. Tum per interpretem Rempub: à Principe suo amicè salutavit. Pactorum Podhacensium, & amicitiæ cum Repub: perennitatem Principem suum animitus vovere, illamq; à Repub: expetere. Tum Archiepiscopus per Interpretem quæri jussit ex eo, quomodo Illustrissimus Chan Soltan Galga, & Nuradin Sultan valerent, respondit optimè illos valere. Demum punctatim Legato Tartarorũ ad reliqua per Interpretem dicere præcepit: Cupere Rempub: pridemq; novisse sibi cum Magno Tartarorũ Han, & universâ eorum Gente (illi hoc vocabulo Krym vocant) amicitiæ perennitatem, utq; ab ipsis constanter servetur, obnixè rogare, & adhortari. Tum surgens è sella tecto capite velut stipes, ducente eum Interprete, ad Archiepiscopum progressus, literas à Principe suo reddidit, rursumq; ad Mareschalcum Rotæ Equestris deductus, redditis literis in *Legatus Tartarorum*

A.C.1669 sella consedit, pluraq; se mandata habere ad Rempub: declaravit. Responsum est illi ao Archiepiscopo, & Mareschalco, concessuram illi tempus Rempub expediendæ legationis, cùm voluerit, modò prius Interpretis operâ contenta literarum a Repub: legi possint.

Legati Principis Lotharingiæ. Aderant jam Legati Principis Lotharingiæ, illis obviam egressi Mareschalci, humaniter salutatos in Rotam Equestrem introduxerunt, mediaq; inter se subsellia concesserunt, nondum legationis exordium erat, & jam favor cæli aderat. Molestum imbribus, aut fœdum nubibus cælum in eam subitò serenitatem effulsit, ut non sine omine propitij Numinis (quamvis sub alienis auspicijs) palàm deprehenderetur. Coarctata repente Rota motis in dextro latere sedibus, coalituræ in unum Reipub: signum. Literæ ad Senatum per Referendarium Regni Spiritualem lectæ; ad Equestrem Ordinem per Mareschalcum Rotæ, plenæ humanitatis, & observantiæ totius Relpub: Id tamen Archiepiscopo displicere visum est, quòd in tituli præscriptione nulla sui mentio, ut à cæteris facta esset ac velut per injuriâ, dignitas ejus imminueretur. Expeditis literis illustri facundiâ Demosthenem, aut Tullium ore ferens, insigniter pro Principe suo Abbas satagebat, nihil omissum ab eo in ea oratione, quòd aut dignitatem Serenissimæ domus Principis sui non attolleret, aut ineiytæ Reipub: Polonæ honori non tribueretur, aut ad plebis conciliandum favorem non valeret. In promissis nihil modicum, aut nimium, quod aut sperni, tanquam vile donum à Repub: posset, aut fidem fallere, ob præstandi incapacitatem. Vario motu animorum ea accepta legatio, plusq; valuit in pectoribus nobilitatis ad favorem unà legati Lotharingiæ Principis oratio, quàm Immensa Neoburgici Principis promissa. Datum responsum ab Archiepiscopo Legato Serenissimi Principis Lotharingiæ, Polonos Regem electuros, quem iplis fata, cælumq; destinaverint. Expedito responso Mareschalci Equestris Ordinis, consurrexerunt sedibus suis Legati Lotharingiæ Principis, salutatoque comiter Primate, ac universo Senatu, multisq; illustrium Equitum in urbem magno applausu, ac speciosa ante equitantium turmarum comitatu, ac sequentium Cohortium satellitio revecti sunt.

Decimâ tertiâ Junij in ipsâ Rota voces non perorantium, sed potiùs vociferantium strepebant, nullo discrimine minæ, & seditioni proximi clamores audiebantur. Expediti nihilominus Legati ad Archiepiscopum cum Senatu, ut ad illos descendere dignarentur, cùm non tantùm super prolongatione, verùm etiam de modo, ac termino prolongationis Equestris Ordo cum Senatu inire consilium velit, tum subitò Rotam ingressis Senatoribus ad sex dies ineluctivè prolongatio concluta.

Legati Regis Sueciæ. Die Dominico Legatus Regis Sueciæ cùm ob defectum splendoris nondum ei suppeditati tempus ad audiendam legationem suam differri petiisset, more aliorum exceptus est: redditis literis commendato, brevi ac levi svadâ Comite Palatino Rheni acceptoque à Primate & Mareschalco responso in urbem reversus est. In crastino cohortes quæ

Tumultus. in proximo stabant, velut grando turbine motus, insiluêre vallo, signaque propè ipsis illata munimentis, explosæ aliquot bombardæ. Volebat Mareschalcus Regni, utpote paterfamilias actuum publicorum, ac totius Reipublicæ ejusmodi confusionem cohercere. Progressus ad portam Magnæ Poloniæ, visu & aspectu Venerabilis, admonebat adstantes cohortes modestiæ, sed cùm ad quod quisque volebat, converteretur, & erumpentibus palàm atrocibus magnæ confusionis indicijs regredi debuit. Cùm velut de summa libertatis ageretur, accensa irâ nobilitas, strictioribus vallo incubu-

it

it Ordinibus, ut & terrore quoque impleret animos, exoneratis in uno punAnno 1669
cto temporis aliquot millibus Sclopetorum, ingenti fragore detonuit. Miles cohortium quæ portarum aditus ſepſerant, exemplo aliarum ductus, paria auſus eſt, exploſaque in circuitum valli ſclopetæ ſuſurrantibus per Rotæ ſpatia, ſtridentibusque globis tanto fragore, & terrore, ut Senatus, ſelectusque Eques ſedibus ſuis prorumperet, multi ſuſpenſis cervicibus ad terram corpora reclinarent, plures metu anxij huc illuc diſcurrerent, nonnulli gravius periculum ſuſpicantes, ac verentes, ad portas ruerent, nam certè apparebat, quòd ſpecie libertatem tuebuntur, re verò Senatum oppugnabunt. Epiſcopus Plocenſis Gembiccius, Palatinus Lencicienſis Leſczynius, Palatinus Inovroclavienſis Zegocius, Caſtellanus Poſnanienſis Grimaltovius, Caſtellanus Brzezimenſis Skrzynſcius, dum ad portas ruunt, vario dedecore & turpibus excepti contumelijs, brevioribus ſclopetis in pectora eorum directis, cum ſumma ignominia rejecti ſunt. Bini in valle occili, tertius per manum globo trajectus non ſine periculo vitæ. Extra munimenta idem eaſus temeritatis aliquot involvit homines. Meritò eâ tempeſtate obſeſſum dixiſſes Senatum, ac univerſam Rempublicam viribus ſuis, manibuſque concidere potuiſſe, niſi atrox periculũ, & proximum jam exitium fortuna Reipublicæ à civium cervicibus avertiſſet. Hortantibus Mareſchalcis, multiſque ſvadentibus civium, ægre Senatus cõpoſitus eſt, ſuiſque ſedibus redditi univerſi. Mareſchalco Equeſtris Ordinis invitante ad Rotam de mane, in ſequentem diem improſpera ejus diei Seſſio ſoluta eſt. Quinque tantùm ſententiæ conſumptâ notabili parte temporis, idque inter horribilem ſtrepitum vix expediri potuerunt. Illuxerat dies decima octava Junij, eùm indictum à Reverendiſſimo Primate conſilium in arce, ad quod univerſus Senatus invitabatur. Propoſitum à Reverendiſſimo Archiepiſcopo triſti præmiſſâ querelâ, ſuper atroci periculo Senatûs, quomodo ſecuritati publicæ provideri poſſet, & an eſſet modus coercendæ nobilitatis, ut quieta Reipub: pateretur conſilia, ſimul retulit ſvaſu ſuo Supremum Regni Mareſchalcum miſiſſe ad ſingulos Palatinatus Nuntios ſuos cum literis ſuper eo negotio, ſed ſtatim reſponſum à nonnullis adſtantium, Nobilitatem accipere literas ab Illuſtriſſimo Mareſchalco Regni noluiſſe: quippe quæ non egeret alieno conſilio monituque, ubi de authoritate, & ſalute Reipub. ageretur, amplexuros ſe nihilominus libenter modum progreſsûs Palatinatûs Sandomirienſis, ut Reipub. conſilijs, quo quietius expediri poſſent, per Deputatos ſolùm è medio ſui intereſſent. Poſtremò è re id Reipub. eſſe jurejurando aſſeruit, ut modus aliquis, aut ordo eligendorum Principum in futurum poſteritati præſcriberetur, fuiſſe jam olim dictitans id conſilium, in Majorum noſtrorum pectoribus. Plures eam vocem ſecutæ ſententiæ, ſeditioni, quàm conſilio propiores.

Epiſcopus Cujavienſis, avorum gloriâ nobilis, nobilior ſuâ, & Caſtellanus Leopolienſis æquè fæcundus ingenio, ac facundus eloquio, qui nunquam avidius optabatur audiri, quàm cum diutius eſt auditus, uterque ergo deſperare ſe in tanta animorum diffidentia ex accenſis nimio ſtudio partibus de proſpero electionis fine, & uterque unum ſentire & loqui videbantur, ut quando conſvetudinibus antiquis nullus jam in Repub. locus, præmiſſo ſcilicet jejunio, & celebri cultu divinæ Majeſtatis per omnes aras, templaque Numen cœleſte ſupplicibus deprecationibus, tandem Patriæ noſtræ placaretur. Poſterâ die ſcriberentur nomina duorum Candidatorum per duas ſchedulas, ijsque ſacro ealici inſertis, quarum alterutra à triennali puero eximeretur, prolata; cujus nomen proferret, ille Electore DEO, judice fato Rex Polonis regnaret. Hâc ratione omnes factiones, ambitus, fraudulentas inter ſe concertationes, odia demum, & invidiam vitari exter-

Caſimirus Princeps Czartoryſki Dux in Kle van Maximili-anus Fredro

Conſilium mirandum

A.C.1669 norum Principum. Huic consilio, qui contradiceret, hanc impietatem deferre nollet, factiosum, & jam Reip. hostem se probaret, perduellionem palàm, & manifestè profiteretur, non minus probanda medicina quæ sanaret vitiosas partes Reipub. quàm quæ exsecaret.

Rursum lilacrymante despectui suo Palatino Lencicienſi Leszynio, quid enim indignius potuit fieri ad querelas, & dolorem, Senatores revolvebantur, cum opportuna declaratione Vexilliferi Sendomirienſis, eorũ mœrori succurrium est. Pœnitere jã facti Fratres, & ut pœnitentiam testificarentur, usos modestiâ etiè, non enim interfuturos Reipub: consilio universos, nili per Deputatos. Tum Primas obnixè rogabat Senatores, ut eorum quisq; suis fratribus persuaderet, ne armati venientes ad Rotam, reliqvum tempus consulendi de bono publico, omnemq; Reip: eriperent securitatem. Isq; finis tam operosi consilij fuit, interjecto modico tempore, Mareschalco Equestri præeunte exemplo, pauci numero, nam vix trecenti confluxerant ad Rotam Equites, nondum recollectis ex hesterno terrore animis, continuante velut cælo, ingenti turbine ac procellis confusionem manifestam detegente iram in cives, solo Polono, libiq; graves ob dilatam à DEo destinati, à gratiis Horoscopi favoribusq; Planetarum jam electi Regis electionem. Ibi Mareschalcus pauca præfatus de insolentia nobilitatis conquestus est; libi enim imputari, quod aliorum temeritas deliquisset, nili ad præsens securitati Reipub: consulerent, se officium suum, ac inligne authoritatis scipionem, quem dextrâ gestaret, deponere, à Vexillifero Sendomirienli cohibitus est, inventumq; medium, ut nobilitas armata justo spatio à Rota consisteret. Firmatum id quoq; communi concordiâ, ut posterâ die in Rota nullarum materiarum tractatus permitteretur, præter formationem pactorum conventorum, & condescensionem ad suffragia eligendi Principis. Venit tandem 19. Junij ultima electioni Regis destinata dies, quæ feliciter

Dies ultima electionis.

succeſſit, quòd multi minimè cogitabant. Hâc die magnam felicitatis, & gloriæ partem tulit Andreas Olszovius Episcopus Cuimenlis Regni Pro-Cancellarius, qui posteritatem semper cogitat, & curas suas non uni ævo impendit. Ediderat is in lucem, & per Palatinatus, priusquam Varsaviæ sparserat Censuram Candidatorum, librum sanè egregium, & magnarum rerum notitiâ refertum, in quo de eligendo Piasto, ac nominatim Michàéle Duce Visnioviecio concluſit, divinavitque, cujus copiam propter posteritatis memoriam adnectere placet. Ferebatur singulari adhuc propensione in privatum Principem ultra memoriam Herois Patris, modestam ejus juventani, bonasq; artes, ac præsertim lingvarum insignẽ peritiam amans, laudansque, nam hic Princeps, qui alienis in oculis clarus semper, obscurus in suis apperebat. Unde ei de Matrimonio agitanti, ne obicem augustiori fortunæ suæ poneret, dissuasor fuit. Sed cùm Piastus omnium fermè Procerum sententiis, ac præsertim Palatinatuum Litvaniæ instructionibus excluderetur, nec deessent, qui Procancellarium sermonibus arguerent, quòd Principem fortunis omnibus per injuriam Cosatici, & Moschovitici belli evolutum, postremò invidiæ, & malignitati, velut deridendum objiceret, transtulit omne studium in Lotharingiæ Principem Carolum, eumq; quà publicè, quà privatim Impensè extollendo, proximæ spei admoverat. Neoburgico Principi maximè adversus præter publicas rationes in Censura expressas etiam privatâ quâdã alienatione, quòd Legatus ejus Gizius diutiùs in Aula Polona regnante CASIMIRO residens, futuræ Abdicationis conscius, & consilia pro Principe suo ad Regnũ evehendo, cum alijs agitans plurimũ favori Matronæ cujusdam in aula

præ-

præpotentis (qua cum ſimultas, & offenſio Procancellario intercedebat) tri- *A.C.* 1669
buiſſet, ac Procancellarium omiſiſſe, & velut inferius habuiſſe videretur. Sed maximo præjudicio rebus Neoburgicis fuit, epiſtola ad Procancellarium ſcripta, in qua ſe fœdera quædam ſvadentibus, & impellentibus primarijs Poloniæ Statibus pro tuenda libertate, & avitis liberæ Electionis juribꝰ ſanxiſſe ultro affirmavit. Unde Senatores Neoburgico ſtudentes amicorum erga ſe ſtudia opinione debiliora, fuerunt experti, nam in illos exorta invidia, tumultuſque illius occaſio fuit, quo armata nobilitas vallo adequitans minas, & bombardas contra Neoburgicos intentavit. Iverant in ſententiam Procancellarij plurimi, præ primis Cancellarius, & Supremus Generalis Exercituum Litvaniæ fratres Pacij, depoſitisque nonnullis offenſionibus, & veteribus diffidentijs penitus expiatis amicitiam ejus ultrò reſumentes animos, & officia quævis pro Lotharingico ſimul addixerant. In congreſſibus Secretis, in Conventu Patrum Piarum ſcholarum aliquoties habitis, quibus Procancellarius præſidebat ſemper ille de eligendo Piaſto præloqui ſolitus, quod ſi tamen is per æqualitatem eligi nequiret, Lotharingium ſecundum collocabat. Die electioni præfixâ diſcetsére è Procancellarij domo, cum eodem unâ rhedâ vecti Supremus Cancellarius, & Supremus Generalis Pacij, Demetrius Princeps Vitniovieccius Exercituum Poloniæ Campi Dux, Hilarius Połublnius Supremus Litvaniæ Mareſchalcus magnâ ſpe, & animis pro Lotharingio erecti. In vallo Electorali cum ob pauciorem numerum Senatorum, & Nobilium, mora necteretur, conſilium dedit Procancellarius horam primam pomeridianam actui deſignando, facilè enim omnes notitiâ acceptâ conventuros, ſimulque horologium ſuum parvum deprompſit, & in propatulo locavit. Trahebatur interim varijs controverſijs tempus, ſæpe indicem reſpicientibus, vel requirentibus, qui proximi, qui remotiores erant, neque mora, ipſius horæ primæ momento aſſurgens Procancellarius explorata nobilitatis voluntate nova fortunæ conſilia ſecutus, Epiſcopum Poſnanienſem Stephanum Wierzbowski loci Ornarium, ut in medium prodiret, & invocato Spiritu Sancto populo Electori benedicceret, animavit; quo ſolenniter, & devotè univerſa nobilitate adgeniculante peracto quiſque Senatorum & Nobilium ad Palatinatus ſuos turmatim divlſos, diſceſſere, ambiguæ fidei cives in officio confirmaturi Aberant adhuc illo loci & horæ Palatini, Conſiliarij, & Nobilitas Pruſſiæ, ac Internuntij Gedanenſis, Thorunenſis, Elbingenſis civitatum præter Stanislaum Działinium Palatinum Mariæburgenſem cum fratribus Joanne Pokriwnicenſi, & Michaële Kiſſovienſi Capitaneis, ac vix decem e Nobilitate Pruſſiæ, quibus cum Procancellarius prudenti conſilio (quod abſentes pro Neoburgico apertè, & magnâ vi niterentur) in proximum tentorium Szopa ſeceſſit, illic locum ſuffragijs Pruſſorum induxit, neque valli circulum egredi conſultum duxit. Muſſitabant Campeſtres Pruſſi jam trecenti ferme congregati ad Procancellarium, & Działinios tentorio inſidentes. Venirent in campum, Præſidem Provinciæ Stephanum Widżga Epiſcopum Varmienſem, Palatinos Culmenſem, & Pomeraniæ, omnes ferme dignitarios Pruſſiæ Internuntios Majorum civitatum uno jam loco agere, æquius videri, ut pauciores plurimos accedant. Acceptæ cum honore verborum trinæ legationes, ſed rationum, & reſponſi per Procancellarium vis fuit: ſe priores cæteris adhuc abſentibus locum occupâſſe, & ſuffragiis, ferendis bono jure deſignâſſe, meminerint paucos ante dies in conſilio Pruthenico ita conditum, ut quoties neceſſitas ferret intra vallum conſilia, & actus omnes expedirentur, aliorum Palatinatuum Regni diverſam ſortem, qui militiæ inſtar ad Electionem veniſſent, Pruſſos bellicarum expeditionum immunes, & non ultra Drewantiam conterminum flumen progredi in ar-

A. C. 1669 mis solitos, ire in campum sine jurium suorum diminutione nequaquam posse. Proinde accederent parti, quam non numerus, sed loci & causæ rationes potiorem facerent. Crebescebant interim ad Procancellarium Nuntij, ière vota & voces Nobilitatis in Pastum. Res insperata adeoque incredibilis visa, sed cum septem Palatinatus jam suffragiorum concordiâ velut conspirasse auditum, monuit Procancellarius Silnicium hastatorum Ducis Demetrij Wisniowiecij Præfectum, animaret Ducem, ut fortunam Michaelis patruelis sui adjutum iret, & Palatinatibus adequitando stimulum, etiam currentibus adderet, ac ne Piasti vocabulum diversos denotaret, & populum Electorem in studia scinderet (erant enim in sermonibus aliqui e Nobilitate) multitudinem per vallum stantem, & confertam, Michaelē pro Rege acclamaret, accendit animavitq;. Tum facilè MICHAELIS WISNIOVIECIJ nomen per turmas Palatinatuum insonuit, magnoque, & indefesso ardore: *Vivat Michaël Rex* acclamatum est. Dubitabant adhuc nonnulli Lotharingo addicti, & Procancellarium adibant, optarétne & suaderet Lotharingium sustineri, sed Procancellarius abrumpi externorum partes, & Patriotæ DEo auspice sceptrum deferri libens, lætusq; consuluit. Cùm inter Prussos Nuntiis, & responsis utrinq; diu certaretur, abrumpendam cunctationem ratus Procancellarius sententias de Rege, quem Michaelem ipse dixit, interrogavit. Secuti Domini Działinij, alijq; præsentes Prussi vocem Procancellarij, MICHAELI Duci Visnioviecio suffragia contulêre. Missus subinde Stanislaus Bużenius Canonicus Varmiensis, ad campum consensum in Michaelem Episcopo Principi Varmiensi, & circumfusis Senatorij, & Equestris Ordinis declaravit. Hæserant alij attoniti, & indignantes, Varmiensis prudens, & æquanimis, actum esse, tempori, & consensui fratrum accedendum, ad concilium publicum eundum intulit, cujus sermone renitentes, nobilitas prompta & læta Culmensis, & Pomeraniæ Palatinatus intra vallum, tardiùs licet, & jam post datam à Procancellario nomine Palatinatûs Culmensis publicam declarationem advenêre. Maximū periculum fuit in cunctatione Litvanorum, qui consilio Gentis intra vallum habito (non enim militari more advenerant) alterum in diem protracturi electionem videbantur. Juvit prudentia & dexteritas Procancellarij non à quoquam geri possint, quæ ille præstitit, cura enim una, & unum erat studium sibi, nam in arena sumpto consilio non propriæ laudis, sed publicæ utilitati serviens, legationis publicæ speciem formavit, accitisque fortè obviis Episcopo Plocensi Joanne Gembicio, Tarlone Palatino Sendomirienſi comite de Tarnow Castellano Sendomiriæ, unà cum illis in Litvanorum consessum perrupit, ac Legatos se venire à Senatu & Gente Polona affirmantes, rei novitate confusos Litvanos gravi oratione allocutus, ætate venerandus, & dignitate prior Gembicius memoravit, quàm feliciter Polona, & Litvana Nationes à trecentis jam annis in unum Gentis, & Reipub: corpus concreverint, eorum bona, malaque perinde haberi, communem utriusq; felicitatem in hac electione verti, proinde MICHAELEM Wisnioviecium fortissimi, meritissimi Patris filium, jam à Proceribus & Nobilitate Polona per Palatinatus designatum, ipsum quoque Regem dicere, & abruptâ morâ in circulum ad declaranda publicè suffragia venire ne tardarent, quia quod moræ datur, jacturæ accrescit, ecce ratio necessitatis, cui parere sapientis est semper habitum, quærunt bonum, & non malum, probent quod bonum est & teneant, ipse autem DEus pacis sanctificabit nos per omnia. Multùm ea res turbavit animos, & vultus primorum præcipuè Radzivillionum Principum

Vox in Pastum.

Michaël Wisnioviecius suggeritur.

Stan. Bużenius Canon. Varm. in eo juvat.

Litvani astutè inducuntur.

cipum, & Paciorum, palámq; dubitare Cancellarius, quòd diversa re- *A.C.1669*
cens ex Palatinatu Cracoviensi afferri, neq; in aliis cohærere adhuc suffragia accepissent, & reniti videbatur. Sed Nobilitas Litvana gratè, & cum fide legatione acceptâ, solvendum esse confessum, atq; ad publicum Polonorum qui longius jam progressi tunc, quàm ut regredi possent Consilium desiderandum conclamavit, simulq; ruere omnes ductu Procancellarij, quem prehensâ Generalis Pacius manu cur non illicum de eligendo Piasto quidpiam communicâsset, ac vel abhinc unâ horâ pro amicitiæ, & societatis fide eos præmonuisset, rogavit. Ad hæc Procancellarius verissimè inexpectatum id sibi, neq; ante horas præcitum fuisse, DEi consilio factum, ne suo quisq; Candidato tenderent, & re deliberatâ diversis animis studiisque distraherentur, proinde fatali rerum ordini & voci populi, quæ vox DEi non temere audit, obtemperandum, eo addito: augete famam laudesq; bonorum. Acquievit optimus, & publicæ tranquillitatis cupidissimus Senator, nec rem distulit, nec consilium abjecit, Regiæq; MICHAELIS fortunæ summo studio vocem, & auctoritatem admovit. Ægrius id fuit Cancellario PACIO, qui spem magis ostenderat auxilij, quam opem ferebat (cui paucos ab Electione post dies legationē illam nullo scitu, aut mandato Senatûs instructam Procancellarius multùm admiranti amicè retulit) & si id peccare est, fatebatur id quoque, etiam in medio suffragiorum cursu retinere MICHAELEM auso, fluxa populi studia omitteret, & gloriâ ac nomine Candidati contentus, Coronam Regiam ne acceptaret, plerlq; ex demissâ valle periculosè ad summos eluctantur apices cum casu, an fortuna elati, ubi vertiginem capitis patiuntur, graviore decidunt casu. Interim Procancellarius post aliquot Nuntios ad Primatem Regni in Arce hærentem, & anxium, suisq; demum omnibus deceptum consiliis serò sapere, & illa, quæ impenderent ipsi mala ægro animo providere incipientem, (ex itineris cursu cum Mareschalco supremo Exercituum Poloniæ Duce Sobiescio, aliisq; magnis viris Neoburgicarum partium redierat) postremò Stanislaum Lipscium Regentem Cancellariæ suæ misit, monuitq; amicè electionem Ducis Visniovieccii, indubiam, & hodiernam fore non dubitaret, veniret propere, neque decus & jus Primatiale in nominando Rege amitteret. Episcopum Vladislavienſem Karnkoviano olim exemplo ad suffragia indicenda, & publicè ferenda jam jam accessurum. Erat Primas aliique, ut sæpè accidit, cum dubiis periculosisque consiliis agitamur, veluti in supremo rerum casu vehementer animo consternatus, & tandem audita ejus coram Lipscio vox: digitus DEi hæc fecit, quam Mareschalcus velut emendans: Censura hæc fecit, subintulit, non dicamus nobis, non prædictum. Interim tamen non peccemus in multitudinem nobilitatis eligentis, nec contrarij simus populo.

Proruperant in medium consilij Zamoscij fratres, si quæ compassionis viscera, assistentiam invocantes lachrymis questuque rogabant, ut impleret Respublica petitiones eorum, dolor non invito de pectore voces eliciebat, nam causæ suæ de Hæreditate Zamoscensi Regis electi potentiâ metuentes, accesseruntque Procancellarium, contradictionem parare innuentes, quos Ille unà ac Episcopus Vladislavienſis bono animo esse, fortunam Regiam privatæ renunciaturam, facilius illos ultrò à Regis Clementia obtenturos, quod judicij alea contra dare posset, dixerunt, persvaseruntque. Nec defuit ultra Procancellarius versis in eum oculis, & animis gratantis, & laudantis populi monere proximos, ut tesserâ velut datâ, hodie, hodie vulgo dziś dziś acclamarent, quæ res favorem, & studia incredibile, quan- *Zamoscienſium querelæ.*

A.C.1669 quantum excitarit, promoveritque, & ita is præoccupavit metam, qui nec de curſu cogitavit. Invitatus poſt hæc ab Archiepiſcopo Princeps ad rhedam, ad Arcem deductus, multis Senatorum eum in aree præſtolantibus.

In craſtino erat feſtivitas Corporis Chriſti audientijs matutinum tempus abſumptum, Nuntij Apoſtolici, Cæſaris, & Sveciæ Regis Legatorum. Horâ decimâ egreſſus eſt Rex ad templum præſtolante cum ſacrificio Loci-Ordinario, multis eum perſonis Illuſtribus anteeuntibus, deferente ſcipionem Regni Cancellario. Templum foribus ab aree ſituatis ingreſſus eſt, regalique ad dexteram altaris conſedit ſede, quod ingens hominum multitudo adeo oppleverat, ut nonnulli anxietas deliquij cauſa fuerit. Peractâ mitsâ ſaeram Concionem habuit Illuſtris Orator Poplavius, quâ finitâ proceſſionaliter venerabile comitans ad templum novæ civitatis matris Auguſtiſſimæ proceſſit. Reverſusque Cancellarium cum Procancellario Regni tempeſtivis epulis adhibuit. Indultum lætitiæ ad horam quartam, cum ſol tepeſcere cœpit, multumque jam de rigore æſtûs illius diei remiſſum fuerat. Nobilitas armata in campis Regem expectabat, Rex verò non priùs ſolium Majeſtate, quàm Subditorum animos occupare volens benevolentiâ, talem ſe civibus Regem præſtare incipiens, & laborans, qualem civis optabat non malis meliorem, ſed optimis parem, facilèque verum futurum credimus Patrem Patriæ, quia verus ante filius extitit. Itaque gratias acturus Nobilitati pro ſuffragijs liberaliter in ſe collatis, griſei coloris aſcendit equm, comitante eum Equite Procancellario: duo Raitarorum vexilla antecedebant, tum ingens numerus Calvacatæ ante equitabat, & ſequebatur. Stabat cujuſcunque Palatinatûs diſpoſita per acies nobilitas à Szopa verſus Vjaſtow ingentem camporum occupans planiciem: Magnatum ſumptuoſa ſatellitia ſuis quæque Palatinatibus aſſiſtebant, egregiè ordinatæ acies, diſtincti per gentes Exercitus, inſtructus optimè armis eques, probè veſtitus pedeſtris miles, generoſi equi, inſignis tubarum ubique concentus, tympanorum ſtrepitus, fulgentia ſigna, latè expanſa vexilla ſplendore & ferro terribilis miles, in ipſa pace atrox belli facies, nonaginta millia inſtructi Exercitûs augebant ſpectantium animos, terrebantque gloriam debitam nomini reddentes Regis, ubique acclamando VIVAT MICHAEL, perque annos diuturnus eat. Rex, ut quamque acceſſerat nobilitatis armatæ turmâ Palatinis Ducibus grates referebat, cæteros in tecto capite, & reclini venerabatur. Ubi præterijſſet, in triumphum ab univerſis bombardæ explodebantur, eum honoratum volunt ſinguli, quem ſingulos honorantem ſunt experti. Quatuor plus ultra horarum ſpatium luſtratio robuſtiſſimi Exertitus abſumpſit: quem nemo Regum, aut Principum in orbe univerſo, nullo penitus fortunarum ſuarum, aut publicarum opum diſpendio, ne obulo quidem erogato, (cùm apud Orientales nationes, cæteroſque Principes, qui latè orbi imperant ſummo imperio Timarrorum quoque exercitus magno ejs conſtare ſoleat) facilius comparare, & habere poteſt exercitum, armis optimè inſtructum, militiæ peritum, ad bella expeditum, præliorum avidũ.

Conventum in craſtino, ut pacta conventa per Deputatos in arce tractarentur in conclavi Reginalis Majeſtatis. Aſſignati à Primate ex Senatu tres Epiſcopi, totidem Palatini, & Caſtellani ſingulis ex gentibus à Mareſchalco Equeſtri, bini ex ſingulis Palatinatibus, ſinguli ex terris.

Deputatorum ad pacta conventa Regis nomine primus fuit Epiſcopus Cujavienſis, qui palàm dixit, nullos equidem Reipub. offerre Sereniſſimum Regem milliones, omnia tamen daturum, ſi pacem dederit.

Zamoiſcij proteſtatio Jam certa ſpes erat definiendorum Reipub. conſiliorum, cùm Zamoiſcius impetratâ voce acriter conqueſtus, quòd in æquali Repub. non flere, non ſupplicare, judicio demum finiendi litem facultas miſero non daretur,

tur, proteſtatione ſolenniter factâ contra totum Electionis actum, pactorum conventorum definitionem, & præſtando ſuper ea Electi Regis juramento, erumpens, ex Rota diſceſſit non tam id multi mirabantur pro temporum injuria & ſtudijs partium, ſed certis virls, qui id fomentabant ſuccenſuêre, nam hi cupiditate ducti, ut alteri noceant, ſuî fuerunt negligentes, ita non poteſt lux fieri, niſi & tenebræ fiant, quia nec ſuperum poteſt eſſe ſine infero, nec Oriens ſine Occidente, nec calidum ſine frigido, nec molle ſine duro. Leviter primo & contemptim à Nuntijs Palatinatûs Sendomirienſis nimio amore antiqui moris ſtudium ſuum extollere viſis habita ea proteſtatio, tanquam unus illorum infamiæ pœna innodatus, aiter cõplicitatis reus, impedire activitatem totius Rotæ non poſſent. Diverſum ad hæc naturam comitiorum Electionis, à cæteris Regni Comitijs cauſabant, nec mittere ex Rota ad revocandos, cùm re ipſa non admoneri ſolùm deberent, ſed & emendari. Sed tamen cùm multi ſvaſiſſent, urſiſſentque, permiſerunt vix conſentientes, ut Director Equeſtris Rotæ nomine ſuo ad illos privatim expediret, quorum legatio ſucceſsûs vacua fuit, ſed póſtquam Mareſchalcum Regni, qui protunc liberis vocibus præſidebat, poſuiſſe Scipionem adverterunt & facultati liberarum activitatem vocum diſpenſandi renunciaſſe; pro libitu prout cuique affectus & ingenium ſuppeditabat, diſſeruêre. Inter cæteros judex Sendomirienſis cenſuit, ut à Majoribus præſcriptum, & conceſſum arriperent exemplum, honeſta, & ſalubria latebroſis artibus non egent, qui in ſimilibus Electionis caſibus, quatuor, aut plures ſelectos è Repub. viros deputabant, qui contra hujuſmodi convulſores Reipub. ſancitorum ſolennem nomine Reipub. facerent proteſtationem, ne Reipub. ſecuritas, ne Statuum tranquillitas confunderetur, hoc tamen medium eventu irritum fuit, ſuſpicante Repub. illum caſum non factionis malevolentiâ ſed juſto dolore afflicti civis eveniſſe. Nec multò poſt ex Rota Equeſtri diſceſſum eſt. *A.C.1669*

Sexta Julij jam ceſſante alio menſe, atq; alio incipiente frequentiſſimo ſenatu conſultatum, quâ ratione Zamoiſcij revocari poſſent. Tandem ut in motu evenire ſolet ac Reipub: periculo citius, quam pro more cum deformatis corruptiſſimæ Reipub: inſtitutis, illud quoq; crudi moris irreplit inconveniens, minimas etiam materias infinitis imprægnandi diſcurſibus diverſarum obtruſu materiarum, diſſonas prolificare voces, non rebus, ſed verbis ſtudere, plus loqui, quàm ſentire, agendi tempora conſulendo extrahere, orationem verbis ornare, Rempub: detrimento temporis, jejunam conſilij, velut diætâ afficere, non ſanare, cõmuni ſenſu approbatũ illud medium, ut ad illos Mareſchalcus Equeſtris ordinis mitteret Legatum è medio Rotæ publico nomine, rogando, orando, obſecrando, ut activitatem reſtituant, & cunctando ambiguum ex certo non reddant proponendo illis Reipub: facilitatem, quæ illos conſtitutionis fide aſſecurare intenderet, definiendæ eorum cauſæ in Comitiis Coronationis, judicandæ per Deputatos 12 ex ſingulis Gentibus: Miſſuſq; ad eos Suecamerarius Breſtenſis Cujavienſis cum hac declaratione, paulò poſt regreſſus eſt irrito conatu, nam illi hoc medio malè contenti, Deputatorum tam grandem numerum pertimeſcebant, quorum ambitus ut vitari non poſſet, ita eorum cauſæ ſummum adferret diſcrimen. Allegabant illi quædam remedia graviora ipſis periculis, & ſuum projectum Reipub: miſerunt, ubi non modò judicium petebant à Repub: verùm etiam ne ordinatio Majorum ſuorum circa Bona Zamoyſciana periclitaretur, poſtulabant. Id reſcriptum apud plurimos ſummæ indignationis motivum fuit, verſiq; ad conſilia univerſi, vana rationum monumenta afferebant, ut Sereniſſimo Principi electo, quoniam Zamoyſcius

A. C. 1669 lens contra firmata præsenti consensu pacta conventa protestatus esset, Casimiriana pacta conventa proponerentur, moderna autem, & quidquid Respub sub tempus Coronationis offerret, Rex sub nexu præsentis juramenti se rursum alio juramento firmaturum sponderet. Jamq; hoc medium omnium consentum inveniisse videbatur, sed Episcopus Cracovienſis contra dixerit, id sibi penitus placere non posse, cum multa inveniantur in pactis Casimirianis, quæ Rex nullâ ratione sine læsione conscientiæ, & perjurij periculo juratâ fide firmare posset, nec præsentē Principem deceat. Tum progressus dubij de protestationibus contra Zamoyscium faciendis publico nomine differuere, eum pro hoste Patriæ declarando: Alij recurrendum esse censebant ad Confœderationem super turbatores Reipub: & scissionis fomentatores ineundam, ex vi Confœderationis proponendos Principi Articulos, super quos juraret. Ad retinenda præsentia pacta conventa inclinatos jam animos validius impulit PAC Magnus Cancellarius M. D. Litvaniæ asserendo cautionem præcipuam prudentiæ partem, ac proinde super pacta Casimiriana nullâ ratione consentire posse, nam si activitatem Respub: habere non potest, quomodo in asserendis Regi pactis conventis Casimirianis novam legem formare possit? Satius esse, & honestius, ut Princeps electus juramento firmet præsentia pacta conventa, in quæ tota Respub: & ipsi Protestantes consensissent. Conversa proinde omnium vota, an activitatem Respub: sibi restituere posset? Primas egregiè servatâ in sua sententia mediocritate, assecuranda esse illis per constitutionem judicia censuit, eo adjecto Rempublicam omnia eis concessuram, quæ antea ab ipsa petiissent, tum deinde libere ad felicem consiliorum coronidem condescendi posse. At Judex Sendomirienſis impetum assumendo, rationem abjiciendo, acriter invectus in Zamoscios, qui à vijs suis non sunt reversi, quos excæcaverat malevolentia, usquequo? & quousque? inclamitavit. Quid miserius accidere potest, quàm is status in libertate, quem cæteri vix ferunt in servitute, contendebat ille, Reipub. activitati nihil derogatum esse per protestationem à Zamoiscio factam, qui cùm contra totum actum Electionis protestatus sit, pariterque contra pacta conventa, in quæ ultro consenserat: proinde eam protestationem enervem & irritam esse concludendo his verbis; porrò hæc ad utilitatem Vestram dico, non ut laqueos vobis injiciam, sed id, quod omninò necessarium, & honestum est. His igitur alijsque rationibus exstimulati, quod cogere se putabant posse, rogare non sustinebant, & ingenij simul doloriſque velis latissimè vehebantur, & ne Reipub. salutem in discrimen adducerent, propositiones Zamoiscianas rejiciebant. Recentia verò pacta conventa placuêre, utpote quæ multum præsenti Reipub. Statui conducere præsumebantur. Ut verò exorbitantias sub nexu ejusdem juramenti, Rex in futura Coronatione (statim post actū solennitatis tractari deberent) se firmaturum polliceatur, illæ nihilominus exorbitantiæ, quæ in Comitijs præsentibus Electionis publicâ concordia convaluissent, actis publicis ingrossarentur, quarum extractum Marescalcus Equestris Ordinis futuro Directori Comitiorum Coronationis, pro informatione Reipub. & felicibus consiliorum auspicijs, offerret. Reliqua autem DEI Optimi Maximi beneficio omnia felicissimo cursu eventura sperabant, multumque in eo spei erat, ac proinde nihil deesse ad coronidem videbatur, cum Cancellarius M. D. Litvaniæ differuit diem jam deficere. Juramentum Regis Electi nondum lectum esse à Marescalco Equestris Ordinis, materiam M. D. Litvaniæ dimittendi Exercitus, qui sine exolutione stipendiorum in confœderationem potius abiret: quàm se demitti pateretur, exsolutionem sine tributis contingere non posse. Proinde concede-

Andreas Trzebicki.

rent

rent M. D. Litvaniæ brevem moram, ut saltem craſtinâ die tantum negotium Inito in arce consilio modificare posset. Restabant adhuc expediendarum Sveciæ, aliorumque Principum Legationum materiæ, sed de his nihil tractari poterat sequenti die sine præsentia Nuntiorum M. D. Litvaniæ, qui per binos dies materiam suam felicitare non poterant, frequentante nihilominus Rotam Mareschalco Equestri, ac concessa publicis consilijs directione temporis, non tædiosa Sessio solvebatur. *A.C.* 1669

Dies Saturni Comitialis operis finem, aut consiliorum confusionem expectabat. Cùm horâ tertiâ pomeridianâ universus Senatus, & Eques, intentus quisque, prout cuique mens, & affectus prosperis, aut adversis votis suis in Rota affuit, Magnus Ducatûs Litvaniæ, per Deputatos tantùm ex consensu suo Reip. negotia juvit, nam eâ die ex arce ad Szopam Sessionem suam transtulerunt, cùm intra tres dies dimittendi Exercitus adæquatas non potuissent invenire rationes, hujus tandem negotij decisionem ad futura Coronationis Comitia rejicere necesse habuerunt. Zamoiscionum quorum contradictio timebatur in ipsa securitate, causa rursùm controversiarum materies, agendorum consiliorum mora, qui cum in suis desiderijs paulò ante acriter persisterent, jam videntes quod sperare, aut expectare expediat insperatâ mutatione (qui pridie Rempub. terruerant, trepidabant) varijs in Rota exceepti vocibus, ac penè pro hostibus Patriæ à nonnullis declarati, & proclamati, & qui prius spiritu feroces, & adversus omne remedium contumaces suæ causæ leges dabant, Reipub. Majestatem reverici, quieti, mœstique mandato Imperatricis fortunæ, & fatis submisêre animos.

Deerat jam justa litibus materia. Unde non habendo quod amplius laboraretur, cùm satis jam verborum factum esset. Coronationis Comitiorum tempus 29 7bris celebrandum Cracoviæ, particularium in Palatinatibus & Districtibus Comitiorum præfixio intra sex septimanas à conclusione Comitiorum Electionis ab Illustrissimo Primate declarata est. Iam tol diem deferebat, cum à Mareschalco Equestris Ordinis Rota juramenti Electo Regi exhibenda, super quam postero die juraret, præsentata est. Tum ubi consiliorum finis aderat, Director Equestris insigne officij sui, Scipionem ponens, gratias egit pro beneficio favoris liberaliter in se collato Equestri Ordini, cui pro ingenti labore, & continuò, pro exantlatis pro Repub. curis, pari officiorum testificatione Equestris Ordo magnificè reclamavit. Ijs diebus advenerant Cosacorum Nuntij pactorum Hadziacensium confirmationem à Repub. & Electo Principe petituri, obedientiam Reipub. & patriæ amorem, ut quondam, antequam bello servili per summam injuriam, & oppressionem Statûs sui miscerentur, promittentes, ac fideliter se Dominio Reipub. ac Principis Imperio parituros, si paterno affectu in posterum haberentur, & justo regerentur imperio.

Septimâ Julij Rex Electus ad templum progressus est non capiente sacrâ æde, quamvis non angusto spatio, populi multitudinem. Reverendissimo Archiepiscopo ad Magnum altare sacrum celebrante, stabant à dextris Archiepiscopalis Eminentiæ, à sinistris Episcopalis dignitatis insignia, ipse Ipecie Magnificus, ore, verbis, adspectu, motu denique ad elegantiam compositus, illustrem ejus diei actum oneraverat, ac ornaverat magnificentia, peracto sacrificio, stabat Primas in eo ornatu, quem induerat in gradibus altaris, tenens manibus Evangelium, super quo Rex jurejurando firmaret pacta conventa, ad quem Princeps pietatis manifestus procedens, flexo genu, exhibente ei Rotam Archiepiscopo, de more juramentum præstitit. Tum Primas, Senatûs, Mareschalcus Equestris Ordinis nomine grati animi testificationem suæ quisque commisit svadæ, uterque concludendo con-

fugisse

A.C.1669 fugisse in sinum Regis concussam Rempub. & omnia Senatûs & Equestris Ordinis vota jure merito in victimam offerebant, cum ad illud centrum ut omnes colliment votorum lineæ, necesse est. Principis ore gratiarum actionem Joannes Gninscius Palatinus Culmensis reddidit. Transactis ceremonijs Mareschaleus Curiæ clarâ voce publicavit: Polonos jam justum Regem habere. Copiam sermonis Palatini tibi adnecto &c.

GRATIARUM ACTIO JOANNIS GNINSKI PALATINI CULmensis nomine Regis pro Diplomate liberæ electionis, dicta in Collegiata S. Joannis. Varsaviæ 7. Julij.

PRimam vocem ad charam Patriam, inclytam Polonam gentem, & Magnum D. L. Filius & Pater, os de ossibus nostris, ex Concive Dominus & Monarcha, Michaël KORYBUTH DEi gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ orditur ab Eucharistica, has inter aras, dilectione, in quibus, sub speciebus panis, DEum & Creatorem glorificat, à Domino id esse factum agnoscens, quod triumphali applausu, & utinam perenni Vivat, sub nomine Filij, Piastus audit; scilicet Dominus, Pater, & nostrarum Sator libertatum. Quomodo Dominus, si non Filius? aurei oris hæc nuper dubitatio fuit Ecclesiastæ, dubium depenat est necesse, ubi Filium jam factum Patrem, Matri Patriæ loquentem audit; qui post DEum neminl, nisi liberis inclytæ gentis vocibus, amoriq; Equestris Ordinis, Thronum se debere fatetur & Purpuram. Constitutam in plenilunio gloriæ Gentilitium decus, suum in illud Cruce refundente fulgorem, eum eo, charæ Patriæ, pridem extraneos probantis, at non approbantis, spiritus, emolumento & solatio; quod non amplius Alienigenam, sed Polonum, Fautorem sui, in sinu foveat. Cedat ergo delicatum illud; in cunis Throno, in fasciis, purpureis paludamentis authorisans Monarchas; DEi Gratia, ubi Respubl, obstructâ licitationi viâ, confusâ ambitione, repudiata æmulatione, extinctis dissidentijs, pulso probroso de Repub: quæstu, eo dirigit Purpuram; quotquot personas, tot Heroes, propriuni sangvinem animosè pro sua hodie dignitate; olim verò contra Tamerlanem (ubi tres Principes Wisnioviecij victimæ pro salute Patriæ ceciderunt) fundentes numerat; illiq; vulnera curanda committit, quem suo lactavit ubere; illi ad triumphale proferendum vivat, suas exerit vires, cujus cognatas acies & amica cominus arma habuit pro præsidio; ut ille Princeps dominetur Patriæ, cujus, immortali dignus memoria Genitor, decus gentis, columen labentis Reipub, pro fide, Ecclesiis, integritate Patriæ, se immolans in holocaustum occubuit: ut illum liberæ inclyti Senatûs & Equestris Ordinis voces, ad Thronum sublimarent, cujus magnum Parentem pro Patria & libertatibus, mortuali feretro repositum, Heroum humeri castris extulerunt; qui propriis liberaliter fusis sumptibus fovens exercitus, illisq; propugnans Rempub: terror Tartarorum, Moschorum Domitor, pullulantium rebellionum meruit audire Triumphator. Non potuit itaq; angustioris suæ Macedoniæ terminis nostri Sarmatici Alexandri augusta ampliùs arctari virtus; quem, fortunatius quàm Aristipum, omnis, adeoq; etiam purpureus decuit color non ante interregnum modo, verum etiam ante sæcula. Enim verò prænuntiârunt eum nobis retroacta tempora in sanctissimo illo Jagellone, à cujus Germano Fratre Electus noster illo inquam descendit magno Demetrio Korybuth, qui Principatum Sieverienscm, aliosq; fortunato Reipubl: subegit bello; ejusque

, jusq; Filio Sigismundo Korybuth Dymitrowicz, qui Moraviâ, Silesiâq; *A.C.1669*
, triumphata, gloriosè Bohemicum moderabatur sceptrum; ut hodie Se-
, renissimus eorum Pronepos, eas nationes, Diœceses, Provincias ampli-
, tudine loci infinitas, multitudine innumerabiles, heroâ dexterâ in com-
, pagem reduceret, quas à piissimo Jagiellone fundatas, lumine fidei il-
, lustratas, inimica fata eripuerunt; ut malè fausto orientem semper
, fortunis & libertatibus nostris, tristis occasûs pericula minitantem, vel
, ipsa noti jam illii nominis fama percelleret, qui toties ab Avo Electi No-
, stri, Campestrisq; Ducis Palatini Belzensis, magni Reipub: Athlantis,
, tanto tempore propriis sumptibus cum Turcarum Imperatore bel an-
, tis, toties profligatus, fugâ suæ, suorumq; saluti consulere est coactus.
, Præmonstravit hunc nobis Monarcham Deus, in magno joanne Za-
, moyski, quem, non minus justus, quàm bellicosus Rex Stephanus, ideo
, in conjunctionem Regij adlegit sangvinis, ut ostenderet Superûm pro-
, videntiâ ex eodem sangvine nostris temporibus Monarcham ad Regnũ
, præparari; Illo inquam in Zamoyscio, qui Sarmaticum nomen non tan-
, tùm ultra Moschoviticos, Valachicosq; limites, verùm toti late orbi, Vi-
, ctor præsertim domûs æmulæ orbis, fecit gloriosum: Simulque colla-
, psam libertatem, sciscam electionem, conculeatam liberam vocem pru-
, denti consilio validaq; manu erexit; ut eadem Electio in recompensam
, beneficij sui instauratorem Regni in posteris diademate coronaret.
, Præsignârunt Monarcham nostrũ antiqua secula, Ducali sangvine Prin-
, cipum Ostrogiensium, colligatione Ducis Russiæ, & Orientis tangenti-
, um Imperatores. Præsignârunt in sangvine Ducum Mazoviæ, hæredi-
, tatem Majestatum Poloniæ, in Serenissimam domum Genitricis Electi
, nostri, eum fortunato hodierni throni augurio inducentium. Cœlo il-
, lum precibus nobis advocavit Ductor, & Advocatus noster, ac totius
, Christianitatis sub Choeimo, B. Stanislaus Kostka novum illud Sarma-
, tiæ sidus, proximo suo præluceus ad thronum sangvini, ad sceptrum
, Reipub: adhuc ante Stephanum destinato, hodie fortunatè ex millibus
, variarum gentium lecto & evecto. Indicârunt nobis hunc Princi,em
, cœli raris dignisq; throno virtutibus, beneficentiâ, fortitudine, affabilita-
, te ineffabili, congenita magnanimitate, pacis amicâ sapientiâ; quæ id
, in Regia Majestate efficiunt; ut in una ejus persona, pulicos & audaces
, Boleslaos, magnos & sanctos Casimiros, sapientes & fortunatos Vladi-
, slaos, miremur, & adoremus. Præparârunt illum nobis superi, in edu-
, catione data primum ab ea Matre, quæ ante omnium Matronarum ævi
, sui decus, grandium virtutum exemplar appellata nunc jam Mater Pa-
, triæ nostræ, diei meruit; postquam, tam beneficum sidus in Horizon-
, te Polono edidisset; deinde in educatione paternâq; tutela Caroli Regij
, Principis, iterumq; in Materna Ludovicæ Reginæ, singularis sapientiæ
, dono per orbem celebris, primæ sine exemplo imò unicæ Augustæ no-
, stræ, quæ Regio toties ore, magnis Principis nostri virtutibus, hunc
, toties prædixit thronum, quem hodie liberis consecutus suffragiis, cujo
, fortunatum, sapiens, legibusq; conforme futurum gubernium spondet
, & augurat, cælestis Hierarchiæ Princeps, Divinissimus Electi nostri Tu-
, telaris jam Patriæ Tutor, & Protector. Ominatur fortunatus Horosco-
, pus, qui eodem, quo in lucem edidit mense, ad Regium sublimavit thro-
, num, Michaëlem. Ominatur columba illa, Electorali campo, campe-
, stri illi Senatorum receptaculo (sopa) vallibusq;, cum ramo Olivæ,
, pacis tessera, pertinaciter supervolitans. Ominatur alba Aquila, super
, acies Electoris populi imperterrito volatu remigans. Ominantur illa

Omina fortunati imperij in electione Michaëlis.

S. Michaëlis favor.

Eodē mense quo natus est, eligitur in Regem.

Colūba sub tempus electionis ju-

A.C.1669 per Electores volans. Item Aquila alba. Examen rerum.

, examina Apum, quæ nuper supra manum sufragatorũ sine aculeo re-
, sederunt; ejus nobis prænuntia felicitatis; ut sub fortunatis Electi im-
, perijs, mellea Reipub: fluant tempora, redeatq; sæculi Jagiellonici in-
, nocentia sub libertatis Alumno, quem ideo DEus suscitavit, ut illius do-
, mûs sureulus nostras moderaretur libertates, & gubernaret, à qua auctæ
, sunt, & ampliatæ: Ipsum ominatur cœlum, nostrarum obligationum &
, jurameutorũ sacramenta nolens esse inania. Ominatur deniq; prodigio
, suppar temporum incidentia: Eadem enim die & hora, supremus Ec-
, clesiæ DEi Moderator & Pastor, feliciter nunc orbi imperans, ante de-
, cursum biennij, Divino dirigente spiritu, electus Romæ; qua die & ho-
, ra, eodem adunante Electorum corda, Electus noster, Monarchiæ An-
, temuralis Christianitatis Princeps est nominatus. Eâ planè die, injun-
, ctæ à Sede Apostolica, per totam Europam, ac præsertim Romæ, & in
, Polonia, pro felici nostræ electionis successu, quasi jam à superis, exau-
, ditæ exspirârunt supplicationes, qua die, post fortunatam Regiæ Maje-
, statis electionem, chara Patria in manibus filij, jam Patris, afflicta
, Respub: in sinu Poloni respirare, meliusq; sperare cœpit.

Ante biennium electo eademdie& bonis Sumus Pontifex.

Eo die expirarunt tempo supplicationum.

, In hunc itaq; quem elegisti, orientem solem oculos, spesq; tuas in-
, tende, inclyta Sarmatica natio. Ex hoc clementiæ, & bonitatis fonte,
, rorem cœli, adipemq; frumenti, colonus & miles hauriet. Ab hoc nu-
, mine pacem speret, non fulmina Senatus timeat, cui cæterisq; omni-
, bus, pro tanto in se amore iteratas referens grates; mutuũ singulis af-
, fectum policetur, ostensurus orbi; quàm bene conveniant, & in una
, sede morentur, Majestas & amor; propensionem eam, quam ab omnibus
, experitur, rependet singulis: Patriam pro matre agnoscens, pro ea vi-
, vere & mori, paratum se esse profitetur: & quia parere didicit, rectè
, imperabit.

PROJECTUM DE PIASTO AB ANDREA OLSZOWSKI EPISCOPO CULMENSI PROCANCELLARIO REGNI IN LIBRO CENSURA DICTO SEPTEM MENSES ANTE ELECTIONEM TYPIS MANDATUM

Piastum ego non amo duntaxat, sed depereo, blandiente ipso nomi-
nis omine, Piastunũ seu gestatorem, qui concussam & vacillantem hanc
Patriam, bonam matrem sinu, & ulnis velut gestet. Ducem amoris
, mei habeo divinæ vocis scripruram ad Moysen: Non poteris alterius gen-
, tis hominem facere Regem, qui non sit frater tuus. Pro Ducibus, & au-
, ctoribus secundis natura, & quod ex natura ortum ducit, jus, mosque gen-
, tium, & utriusque progenies, leges, exempla, animalium greges, & avi-
, um turmæ non à dispari regunrur, generis sui Ductorem comitantur. I-
, táne Poloni velut à natura in sortem subjectionis damnati Alienigenæ
, imperium semper patiemur? nunquam à Patriota regnabimur? invidebi-
, mus capiti nostro Diadema, quo orbis rectè superbit, quo usus & exem-
, pla gentium sangvinis sui Reges coronant? Roma quamdiu serviens e-
, rat, à peregrinis, nullo discrimine Reges sumebat. Pulsis Tarquinijs ultimis
, externorum libertate fundatâ non aliis, nisi Romanis civibus fasces per-
, mittebat, fundamentum libertatis erat, ab indigetibus imperari, Medorũ
, Græcorum, Persarum imperia nativis Regibus habebantur. Imperatores
, præfici imperio Romano non possunt, nisi Germani; ratio aureæ Bullæ,
, ne decus Coronæ ad exteros transferatur. Gallia lege Salicâ arcet thro-
, no suo externos, & cardinali hoc tanquam scuto retundit. Lusitanorum

antiquas

, antiquarium ſtatutum ait: Nunquam volumus Regnum noſtrum ire foris, *A.C.1669*
, de Portugallis; ipſa ſacra urbis, & orbis Sedes clauſa eſt Ultramonta-
, nis. Piaſtidæ fuerunt Reges noſtri, qui à primo Catholicæ veritatis ac-
, cepto lumine Epiſcopatus, Abbatias, Baſilicas fundârunt, qui bellicæ virtutis
, inclytâ famâ hoſtes terruerunt, orbem impleverunt, Religionem & Regio-
, nem plus ultra protulerunt, ferreas columnas Marti, Gradivo trophæa ad
, Tyram, & Boryſthenem, ad Albim, Salam, Balthicum erexerunt, trium-
, phatis Portis, Regiâ victrice dexterâ, acinaces ſuos Szerbicios inter tri-
, umphalia veterum Regum monumenta Cracovienſi arce aſſervatos in-
, fixerunt à Primo Piaſto ad Caſimirum uſque Magnum, nullo juramenti,
, & pactorum, ſed amoris duntaxat vinculo obſtricti, religiose, juſte, for-
, titer, nobis Imperitârunt; non ſubditos & ſervitutem, ſed cives & liber-
, tatem cogitârunt.

, Piaſtus enatus, nutrituſq; in ſinu noſtræ libertatis, illam, tanquam
, verus Aluinnus adamabit, gnarus candoris Poloni, integram fiduciam
, in nobis reponet, liberam vocem, quam privatus pro Repub: protulit,
, non ægrè Princeps audiet, regnabit, tanquam legibus rationem reddi-
, turus, non pœnitebit eum veteris Reipublicæ, non iraſcetur miniſtro-
, rum Statui, exactæ legum cuſtodiæ, & Senatoriæ libertati, ac tribu-
, nitio illi: Intercedo; bonos prudenteſque monitores feret, vir viris le-
, ctus, viros, & virtutes diſcernet, propria & avita cujuſcunque decora
, rectè æſtimabit, perſonata, & neoterica nomina, titulares Principatus,
, Marchionatus, comitatus (meros Servitoratus) nihil morabitur, Nobi-
, litatis Avito titulo, Præſulum, Palatinatuum, Caſtellanorum, id eſt ſta-
, tuti, auctoritate Ducum, Comitum, Baronum veris in Polonia ſplen-
, doribus decus omne cenſebit, exoticos mores, modoſq; non invehet, ſe-
, veram & antiqui moris Poloniam reducet, nullis actionibus externis in- *Sigillum Camera*
, ſervviet, procul Regiâ ſuâ externos advenas, veſpiliones Reipub: habe-
, bit. Abſtinebit ſigillo Cameræ, multa mala in Repub: patrante, & le-
, gibus fruſtra prohibito, quod AUGUSTUS Rex (ſi Varſivicio fides) pri-
, mum introduxit, quo Lutheranæ hæreſis ad modicum tempus toleran-
, tia (in cauſa templaria Thorunenſi vidimus, legimuſque) obſignata
, eſt; cujus ſe miniſtrum quidam nuper apud externos Principes vanè
, jactavit; Scribas literarum peregrini ſermonis, interpore admiſſione ex-
, cludet, qui Cameræ Regiæ, & Secretorum intimi, ac Transactores,
, Rempub, uti rem non ſuam, ſus, deq; habere, novare, contundere, nec
, verecundiæ, nec Religioni ducunt.

, De ſcribis externis extra lineam fortè, ſed utiliter in publicum hic
, adnoto; me legiſſe memini in pactis conventis Imperialibo (capitulationē *Secretarij externi*
, vocant) obligari Imperatorem, ne ſcribendis epiſtolis, aliâ, quàm lati-
, nâ, aut vernaculâ lingvâ utatur. Idem omnino cupiam Regi Poloniæ
, pactis præſcribi; nam prætextu literarum Italicarum, Gallicarum,
, Germanicarum, intrudunt ſe Cameræ Regiæ extranei, arcana inveſti-
, gant. Regiam dignitatem in titulis, & ſcriptionum formulis minuunt,
, neque penſi habent, prærogativam quandam officij nudius tertius nati
, (Reges Poloniæ, ad extrema uſq; tempora SIGISMUNDI III. Secre-
, tariis peregrinis caruerunt) ſibi affectant. Grave exorbitans eſt, nomi-
, nationes Cardinalium lingvâ Italicâ ſcribi (errorem contra ſtylum no-
, minationis nuperrimè Curia Romana, poſtpoſito Regis Polonlæ ad Car-
, dinalatum nominato Epiſcopo Bieterenſi cauſata eſt) juſq; hoc à Secre-
, tariis Italicis clanculum uſurpari. Curam Neapolitanarum Reipub: hæ-
, reditariarum ſummarum: directionem fundationis Romano-Brigitta-

A.C. 1669 ,næ: Legationis Hispanicæ: Internuntiaturæ Neapolitanæ; cum Cardi-
,nalibus Protectoribus, & Principibus Italiæ correspondentias, omni-
,umq; in Romana curia Polonicorum negotiorum, velut arbitrium, in-
,consiliis atq; insciis Cancellariis Poloniæ, quorum id muneris est, ab
,iliis usurpari. Procurationem postæ Italis non eximo, quibus nemo accu-
,ratiùs id negotium exercere possit, quodq, constitutione Regni, & Pri-
,vilegiis tanquam boni inventores justè nitantur. Redeo ad Piastum.

,Sed Piastus re domi angustâ milliones nullos repræsentabit. Quis spon-
,sor? etiam de istis, qui magnificè promittunt, an certius fortè illud Gal-
,lieum Henrico III inscriptum, nihil. Aut si aliquid, si facta dictis adjice-
,re curent, an fortunas omnes in casum daturi, tanti tamque immensi ad-
,vitalitium sceptrum comparabunt. Hæreditas Regni nec toto auro vena-
,lis, nulli unquam libertatem, nostram venum, aut donum facere certum
,est, vetus verbum est; Qui emit, vendat oportet, pecuniæ suæ, non af-
,fectui nostro Regnum emptor imputabit, & cariùs addictis, tanquam de-
,bitoribus plus imponet, Lacunam proprij æris, & patrimonij mundinatio-
,ne vacantium beneficiorum, aut quovis quæstu, vel indignâ parcitate ex-
,plebit. Sed cedo? tot olim larga, & vasta promissa pactis conventis, spon-
,sionibus, diplomatibus, juramentis donec eligerentur; roborata, ecquis Prin-
,cipum implevit, dum electus est? quis opulentiam externam in Poloniã
,advexit; nónne Thesaurarius Regni, excipiendis, Henrico, Stephano, Si-
,gismundo, obviam præ finibus ivit, & publicis ærarij nostri impendijs
,iter, ingressus, coronatio stetêrunt.

,Piasti certior fides, certiores divitiæ, & mansuræ: hoc inferet quod non
,efferet, non efferetur ex Polonia pecuniarum vis, quam splendidæ legati-
,ones, magnifici ingressus, procerum pompa, decorisque certamina, more
,gentis, & studio erga novum Principem absumpturi sint. Neque Polonia
,externarum opum adeo egens, ut proprijs non plus satis abundet. O Po-
,loniam ad invidiam felicem! Si bona sua intelligat, si bono libertatis bene
,utatur, militem frænet, leges exerceat, & publici sanctiore diligentiâ, pri-
,vatum intra mediocritatem definiat. Casimirus olim Magnus, angustiore
,tunc Republicâ (Litvania, Masovia, Prussia necdum Regno accesserant)
,centenas civitates, arces, Ecclesias muro struxit, ex lignea, lateritiam Po-
,loniam reliquit, simul Imperatorem, quinque Reges, plurimos Dynastas
,celeberrimis suæ Neptis nuptijs viginti per dies Cracoviæ hospitio excepit,
,lautissimè habuit, abeuntes Regio sumptu ad fines usque deduxit, moriens
,opulentam gazam reliquit. In promptu causa; centrum illi Polonia fuit; hic
,nidus, domus, hic cor, hic thesaurus.

,Peregrini Reges à Republica condita, tot sæculis vix quatuor; Vla-
,dislaus Bohemus, Ludovicus Hungarus, Henricus Gallus, Stephanus Tran-
,sylvanus omnes sterilitate, ac vitio vel infortunio regnandi Polonis pœni-
,tendi fuêre. Stephanus ob fundatum judiciorum tribunal, ob res bello in
,Moschum gestas sanè egregius, sed tamen amoris publici, & laudis non
,integer, quibus intentatæ Archiepiscopo minæ, bellum Gedanense, Cu-
,ratoriæ ad Ducatum Prussiæ, malè provida Feudi ejusdem Ducatus jam ex-
,tincti pertinax innovatio, Zboroviorum proscriptio, in Dębinium, & Mie-
,leccium summos viros, quorum ille Cancellariatu, hic præfecturâ bellica
,evolutus fuit, dedignatio, erga Hungaros nimius favor, in judicando re-
,tinentior sui beneplaciti sententia; Armenorum advenarum nativis civi-
,bus Leopolienses exæquatio, diuturnior in Litvania, & meliùs affecta
,residentia, belli Turcici meditamenta, Comitiorum neglecta muitos per
,annos indictio; quodque gravior Imperio fuerit, quàm in Polonos conve-
,nitet, non leviter detraxerunt. Jagiellonum, & Sigismundum III nostri

, generis extra peregrinos pono, atque Indigenis Regibus jure accenſeo. A.C.1669

, Antiquis, & novellis legibus noſtris ſanctè cavetur, ne externi ad of-
, ficia admittantur; præfecturas, & beneficia Reipubl. illis obtinere inter-
, dictum, cur non magis æqvum foret, Rempublicam nosque omnes ex-
, terno non ſubmitti, noſtri potiùs, quàm exotici ſangvinis Principem tole-
, rari. Majorine, & fidiore affectu nos amplectetur, infectus alimonio, ſer-
, vitio, cultu, omnibus externis, Patriâ, moribus, lingvâ, inſtitutis diverſus,
, quàm noſtra, hiſce omnibus connexus? majori curâ habebit advitalitium
, Regnum, præ hæreditario Principatu? Ille ne dominabitur nobis tanquã
, pater filijs, qui ſubditis natis imperat, tanquam herus ſervis?

, Externus Princeps novitiâ adhuc Dominatione, bonis artibus noteſcere
, cupiens, aut Cancellarij, Vice-Cancellarij, Miniſtrorum Statûs auctorita-
, te conſilióque rem aget, hinc æmulatio inter pares, ambitio, diſcordia,
, Reipub. venena, grave etiam Miniſtris, improſpera vel non omnia omni-
, bus allubentia, illis imputari, offenſionum, & invidiæ telis exponi, vel pa-
, rendi, imperandique externam rationem doctus, & pericitans ſuo velut
, remigio, gubernabit. Hinc querelæ, ambigui ſermones, periculum deni-
, que, ne ad ſcopulos offendat, an & conveniet illud expectationi non re-
, ſpondentem majora credi de abſentibus, vel Miniſtrorum faſtidio, exter-
, nis intruſoribus, quibus Reges plurimum fidunt, indulgentque ſeu dome-
, ſticis Cameræ ſuſurronibus, pravis Magiſtris, quorum de facili apud no-
, vum Regnantem interior admiſſio, aures, animumque concedet; id verò
, deterrimum, & Reipub. maximè exitioſum erit.

, Polonus juris, moriſque Quiritum peritus, Miniſtrorum obſervans,
, externorum, & ſuſurronum contemptor, Regiâ plane viâ intra orbitam
, æqui & juſti feliciter Syrtes, & devia enavigabit, & ſalvâ Reipublicæ na-
, ve portum ſalutis publicæ ovans tenebit.

, Candidati externi quicunque ſponſam hanc procantur, & de aureo
, Regni pomo decertant, injuriam repudij altiori mente reponent, nec in-
, ultam, cùm occaſio tulerit, ire patientur. Unius ejectionem alius & ali-
, us in ſui detrimentum, & dedecus interpretabitur. Præferri adoleſcentem
, ſenectæ ſuæ, impatiens dolebit, ſolius Piaſti electio nemini injuriæ ac læ-
, ſioni erit. Excluſio omnium ſorte pari, nemini indignè tolerabitur, ſi quis
, noſtratum huic vel alteri fidem, affectum, verbum obligâſſet, gratè ab-
, ſolvent, benignè cedent excuſabuntque, DEO, naturâ, uſu gentium
, nixam, & rectiſſimam electionem, commune infortunium ſolabitur æqua-
, litas.

, Quiſquis ille externus eligetur non falló, Magnatum potior electio
, erit, qui gratuita ſuffragia vix præſtabunt, ſpe, pacto, utilitate, conditi-
, onibus ducentur. Piaſti Electio vera, & unica Nobilium erit, quam non
, privata utilitas, non ab imparato, inope, metuente ſpes vel pactio con-
, ciliabit, virtuti tribuetur. Libertatis noſtræ dos, decuſque maximum eſt,
, vocis pro Republica libertas, vereor, ne vox tantùm ſit dominante ex-
, terno. Certè parùm firma, nec ſatis efficax erit, cùm Principem non
, intelligentem, aut effugiet, aut per Interpretem aliter ſonabit, ut per
, canales deducta aqua limo fermè miſcetur, nec lucidum illud nativi fon-
, tis integre ſervat, ita per Interpretem ſermo non purè nec feliciter ad
, aures Principis feretur. Hiſce ego auribus audivi, quendam intimiorem
, Gallicæ lingvæ interpretem, Reginam Ludovicam inter, & Senatorem
, inſignem diverſâ interpretatione luſiſſe, ac ſerviendi auribus adulatorio ſtu-
, dio, longè Veronâ, Placentiam deviâſſe, prægrave omnino erit non in-
, telligere, non intelligi, alienis auribus audire, latinoribus etiam ſolæciſa-
, re, aut è Cnapio & Calepino verba emendicare continget. Qualis illa

A.C.1669 , facies erit Comitiorum, consiliorum, judiciorum, quæ hallucinatio verbo-
, rum & sensuum, & quantitatis non ad leges Prosodiæ observatæ, in pu-
, blico deformitas, quàm difficilis instruendi, de legibus, moribusque, &
, planè abecedaria molestia.

, At qui in Polona Nobilitate, omnes pari jure agimus, pari sangvi-
, ne censemur. Principes pleræque familiæ, avitam magnitudinem, & à
, Regibus deductum sangvinem Nobilitati Polonæ ultrò æquavêre, mis-
, cueruntq;. Quonam ergo modo Majestatem Regis Nobilis impleverit?
, Eo sanè, quo magni Imperatores, Reges, Dynastæ media de turba Qui-
, ritum lecti, & rerum fastigio impositi. Joannes Basilius non Regium
, sangvinem Stephano nostro stolidè exprobravit, cui animosè ille; Cla-
, rior, inquit, ego sum, quem virtus, quàm quem venter matris fecit Re-
, gem; Austriaca terris, adorata cœlo proxima domo, Comiti Habsburgico
, Rudolpho sua primordia debet, qui primus Imperatorio nomine affulsit.
, Memini Wilhelmi ex Hollandia, Adolphi ex Nassovica, Guntheri ex
, Schwartzenburgica, privatis domibus, ad imperij Augustum diadema,
, electorum; Romani Pontificis, non à majorum ceris, & avitis imagi-
, nibus: Duces Venetiarum ex concivibus leguntur; In Polonia Equestris
, Ordo Seminarium Senatûs est; inde ad Primatialem crucem, Cancella-
, rij sigillum, scipionem Marescalci, clavam belli, ad tiaras, cuculesque
, evectos submisso capite, & de genu populus veneratur. Magni eorum
, animi magnis honoribus fiunt. Judices Generales supremum ad Regni
, Tribunal è media Nobilitate deligimus, qui Majestate ferè Regiâ de-
, cernunt, venerationi sunt, &, quos Prætores fecimus, miramur.

, Angit plerosque, ne Piastus nimium tollendæ, fortunis, honoribus,
, potentiâ domui suæ curam, & publicas opes impendat. Quid intole-
, rabilius, quàm Principem in externos suos spargere & profundere Rem-
, publicam; Quidquid Polono accedet, illi hodie, mihi cras. Nostro so-
, latio Fratres nostri quæsitis fruentur, Generositas Polona non ar-
, câ insepultas flagellat opes, sed splendidè insumit, tenuioribus derivat,
, divitias usu metitur. Legis deniq; sanctione beneficentiæ Piastianæ mo-
, dus in populares cognatos circumscribi poterit, quem Rex alienigena
, in sangvine propinquo junctos, titulis tumidos, & immodica spirantes
, non facilè servaverit.

, Sed æmulatio inter partes Piastum excludit, tot viri Illustres, sua
, quisq; decora ferentes, unus alteri palmam de Regno, vix, ac ne vix por-
, rigit. Lithvanus Polono, Polonus Lithvano gradu non cedet; præver-
, tere alius alium ad coronam ægrè patietur. Paulus Piasteclus Episcopus
, Premisliensis vir scribendis temporibus suis verus, & fortis. Inviden-
, tiæ, inquit, vitio isti populi maximè indulgent, circa electionem Re-
, gis, ut eum propterea externum esse malint, quàm suum; quid ego
, hic opponam? nisi heroicum animum? & In Patriam, charitatem? Ma-
, gnus civis omnia infra Rempublicam ponit, omnia Patriæ vincit
, amor cui concedere boni viri debemus, si Patriam non commoda no-
, stra fluxa, & mutatu levia, atque ad posteros non itura seriò amamus,
, Magnates temporaneos, Rempub: æviternam oraculi sit. Concordiam,
, unionem, sacra nomina, quod egregios de re ipsa libenter præstemus.
, Majores nostri, Craco, Lesco, Piasto protelariis civibo suffragia ultrò de-
, tulêre. Avi nostri Teciniũ, Kostkam ornamenta Senatûs ad coronã voca-
, bant; nisi civili animi moderatione alter alteri cedentes, mox discor-
, dante Republica (quod in volumine legum memoratur) privati age-
, re non maluissent.

Sed

„Sed in proclivi erit, ut cognati Piasti comitia, conventus turbent *A. C. 1669*
„& permisti nobis populari arrhâ, Regis potentiæ, & licentiæ velincen-
„tur. Quod ego penitus non abnuo, neq; tamen prudentior aliquis abnu-
„uerit, posse nisdem velut pararijs, mediatoribus, oblidibus Regem po-
„pulo, populum Regi arctius obligari, imò Piastanos cognatos metu pu-
„blici odij, atq; curâ conservandæ Regiæ dignitatis modeste acturos, ac
„posse coerceri facilius speretur.

„Ultimum adverto; à Repub: condita nunquam pleniore jure, &
„absolutâ magis libertate electioni locum fuisse, quam nunc videtur. Pia-
„stidas, Ludovicos, Jagiellonidas fata extingvebant, leintillæ tamen
„aliquæ Regij Nominis præ oculis Polonorum micabant. Superabant à
„morte Patrum Filiæ, vel Sororini; Valuit Regiæ stirpis amor, ne sexus
„etiam, vel gradus inferior throno majorum penitus exturbaretur. Hed-
„vigis Regia Princeps toro simul, & throno Jagiellonem excepit. Hen-
„ricus, & Stephanus quæsiti, qui cum diademate Regio, Annæ Jagielio-
„niæ matrimonio dotarentur. Hodie primùm inexpectatam occasionem
„fata nobis expeditis omni nexu præbuêre, de Regno nostro statuendi; cur
„non faciamus, non probemus orbi, & posteritati, an rectè Polonus Re-
„gem eligat, recténe morem, legesque regnandi præscribat, si rectè ele-
„ctus regnare noverit.

„Concludo verbis disertî olim Oratoris ad Equites Polonos: per DE-
„um immortalem vos rogo, & obtestor Equites, ne id unquam in animum
„inducatis, ut externum, quàm vestræ gentis Principem malitis. Intole-
„rabile est mihi, credite, externi hominis imperium, præsertim, quo cum
„neque lingva, neque mores, neque studia, aut voluntates nobis iunt cõ-
„munes, aut pares, qui etiam, si quid rectè & præclarè fecerit, non no-
„bis, sed sibi, & nationi suæ laudem quæret, & parabit.

„Ecquis ergo tandem ille Piastus, fileam, an denotem? censuram cen-
„suræ subvereor, veruntamen ego mihi judico, mihi erro. Michaelem Ko-
„ributhum Ducem Visniovieccium præ multis videri. Princeps à stirpe Vi-
„sniovieccia domûs, & Koributhi Jagiellonibus agnati. Parens illius heros
„Palatinus Russiæ, amor gentis, Pater legionum, bellorum, & victoriæ
„Berestecensis suis immortuus, castrisque lugubribus totius exercit.s hu-
„meris elatus, & lachrymis defletus. Aula paterna Polonæ juventutis, &
„fortium virorum tyrocinium fuit, mater prisci, & Religioii moris. Ipse
„Caroli Poloniæ Principis, dehinc ab ejus morte Ludovicæ Reginæ Nutri-
„tius, ejusdem augusto ore, & propensione privatâ non posthabendus ice-
„ptro visus. Iuvenis eminenti virtute, probitate, moderatione, prudens, li-
„teratus, lingvarum externarum gnarus, inter angustias mutatæ fortunæ
„exercitus, animo ad rem militarem Patri fortissimo non degener, quod
„campo Regio ultra Borysthenem monstravit; numerosâ cognatione (do-
„mus Visniovieccia ad triumviros redijt) non onerosus. De Regione ultra
„Borysthenem magnam partem suâ cum curâ agitaret, vastum illud patri-
„monium fortibus, & militiæ claris dispensaret, litem Zamoscensis hære-
„ditatis turbidam, & Reipublicæ molestâ expediret, latus ingereret. Deni-
„que pro regula regnandi, animo fixum teneret, quid aut voluerit sub alio
„Principe, aut noluerit.

„Aut ergo iste aut certè non deficit alter. Cæterum quæ candidè
„scripsi, si Respublica Domina campi Electoralis aliter censeat, deleo, &
„intellectum meum in obsequium publicæ concordiæ libens captivo.

ANDREÆ

A.C.1669 , facies erit Comitiorum, consiliorum, judiciorum, quæ hallucinatio verbo-
, rum & sensuum, & quantitatis non ad leges Prosodiæ observatæ, in pu-
, blico deformitas, quam difficilis instruendi, de legibus, moribusque, &
, planè abecedaria molestia.

, At qui in Polona Nobilitate, omnes pari jure agimus, pari sangvi-
, ne censemur. Principes pleræque familiæ, avitam magnitudinem, & à
, Regibus deductum sangvinem Nobilitati Polonæ ultrò æquavêre, mis-
, cueruntq;. Quonam ergo modo Majestatem Regis Nobilis impleverit?
, Eo sanè, quò magni Imperatores, Reges, Dynastæ media de turba Qui-
, ritum lecti, & rerum fastigio impositi. Joannes Basilius non Reglum
, sangvinem Stephano nostro stolidè exprobravit, cui animosè ille; Cla-
, rior, inquit, ego sum, quem virtus, quam quem venter matris fecit Re-
, gem; Austriaca terris, adorata cœlo proxima domo, Comiti Habsburgico
, Rudolpho sua primordia debet, qui primus Imperatorio nomine affulsit.
, Memini Wilhelmi ex Hollandia, Adolphi ex Nassovica, Guntheri ex
, Schwartzenburgica, privatis domibus, ad imperij Augustum diadema,
, electorum; Romani Pontificis, non à majorum ceris, & avitis imagi-
, nibus: Duces Venetiarum ex concivibus leguntur; In Polonia Equestris
, Ordo Seminarium Senatûs est; inde ad Primatialem crucem, Cancella-
, rij sigillum, scipionem Marescbalci, clavam belli, ad tiaras, curulesque
, evectos submisso capite, & de genu populus veneratur. Magni eorum
, animi magnis honoribus fiunt. Judices Generales supremum ad Regni
, Tribunal è media Nobilitate deligimus, qui Majestate ferè Regiâ de-
, cernunt, venerationi sunt, &, quos Prætores fecimus; miramur.

, Angit plerosque, ne Piastus nimium tollendæ, fortunis, honoribus,
, potentiâ domui suæ curam, & publicas opes impendat. Quid intole-
, rabilius, quam Principem in externos suos spargere & profundere Rem-
, publicam; Quidquid Polono accedet; Illi hodie, mihi cras. Nostro so-
, latio Fratres nostri quæsitis fruentur, Generositas Polona non ar-
, câ insepultas flagellat opes, sed splendidè insumit, tenuioribus derivat;
, divitias usu metitur. Legis deniq; sanctione beneficentiæ Piastianæ mo-
, dus in populares cognatos circumscribi poterit, quem Rex alienigena
, in sangvine propinquo junctos, titulis tumidos, & immodica spirantes
, non facile servaverit.

, Sed æmulatio inter partes Piastum excludit, tot viri Illustres, suæ
, quisq; decora ferentes, unus alteri palmam de Regno, vix, ac ne vix por-
, rigit. Lithvanus Polono, Polonus Lithvano gradu non cedet; præver-
, tere alius alium ad coronam ægre patietur. Paulus Plasseclus Episcopus
, Præmisliensis vir scribendis temporibus suis verus, & fortis. Inviden-
, tiæ, inquit, vitio isti populi maximè indulgent, circa electionem Re-
, gis, ut eum propterea externum esse malint, quàm suum; quid ego
, hic opponam? nisi heroicum animum? & in Patriam, charitatem? Ma-
, gnus civis omnia infra Rempublicam ponit, omnia Patriæ vincit
, amor cui concedere boni viri debemus, si Patriam non commoda no-
, stra fluxa, & mutatu levia, atque ad posteros non itura seriò amamus,
, Magnates temporaneos, Rempub: æviternam oraculi sit. Concordiam,
, unionem, sacra nomina, quod egregios de re ipsa libenter præstemus.
, Majores nostri, Craco, Lesco, Piasto protelariis civibo suffragia ultrò de-
, tulêre. Avi nostri Teciniũ, Kostkam ornamenta Senatûs ad coronã voca-
, bant; nisi civili animi moderatione alter alteri cedentes, mox discor-
, dante Republica (quod in volumine legum memoratur) privati age-
, re non maluissent.

Sed

» Sed in proclivi erit, ut cognati Piasti comitia, conventus turbent A. C. 1669
» & permisti nobis populari arrhâ, Regis potentiæ, & licentiæ velincen-
» tur. Quod ego penitus non abnuo, neq; tamen prudentior aliquis abnu-
» nuerit, posse iisdem velut parariis, mediatoribus, obsidibus Regem po-
» pulo, populum Regi arctius obligari, imò Piastanos cognatos metu pu-
» blici odij, atq; curâ conservandæ Regiæ dignitatis modeste acturos, ac
» polle coerceri facilius speretur.

» Ultimum adverto; à Repub: condita nunquam pleniore jure, &
» absolutâ magis libertate electioni locum fuisse, quam nunc videtur. Pia-
» stidas, Ludovicos, Jagiellonidas fata extingvebant, scintillæ tamen
» aliquæ Regij Nominis præ oculis Polonorum micabant. Superabant à
» morte Patrum Filiæ, vel Sororini; Valuit Regiæ stirpis amor, ne sexus
» etiam, vel gradus inferior throno majorum penitus exturbaretur. Hed-
» vigis Regia Princeps toro simul, & throno Jagiellonem excepit. Hen-
» ricus, & Stephanus quæsiti, qui cum diademate Regio, Annæ Jagiello-
» niæ matrimonio dotarentur. Hodie primùm inexpectatam occasionem
» fata nobis expeditis omni nexu præbuêre, de Regno nostro statuendi; cui
» non faciamus, non probemus orbi, & posteritati, an rectè Polonus Re-
» gem eligat, recténe morem, legesque regnandi præscribat, si rectè ele-
» ctus regnare noverit.

» Concludo verbis diserti olim Oratoris ad Equites Polonos: per DE-
» um immortalem vos rogo, & obtestor Equites, ne id unquam in animum
» inducatis, ut externum, quàm vestræ gentis Principem malitis. Intole-
» rabile est mihi, credite, externi hominis imperium, præsertim, quo cum
» neque lingva, neque mores, neque studia, aut voluntates nobis sunt cō-
» munes, aut pares, qui etiam, si quid rectè & præclarè fecerit, non no-
» bis, sed sibi, & nationi suæ laudem quæret, & parabit.

» Ecquis ergo tandem ille Piastus, fileam, an denotem? censuram cen-
» suræ subvereor, veruntamen ego mihi judico, mihi erro. Michaelem Ko-
» ributhum Ducem Visniovieccium præ multis videri, Princeps à stirpe Vi-
» sniovieccia domûs, & Koributhi Jagiellonibus agnati. Parens illius heros
» Palatinus Russiæ, amor gentis, Pater legionum, bellorum, & victoriæ
» Berestecensis suis immortuus, castrisque lugubribus totius exercitus hu-
» meris elatus, & lachrymis defletus. Aula paterna Polonæ juventutis, &
» fortium virorum tyrocinium fuit, mater prisci, & Religiosi moris. Ipse
» Caroli Poloniæ Principis, dehinc ab ejus morte Ludovicæ Reginæ Nutri-
» tiis, ejusdem augusto ore, & propensione privatâ non posthabendus sce-
» ptro visus. Iuvenis eminenti virtute, probitate, moderatione, prudens, li-
» teratus, lingvarum externarum gnarus, inter angustias mutatæ fortunæ
» exercitus, animo ad rem militarem Patri fortissimo non degener, quod
» campo Regio ultra Borysthenem monstravit; numerosâ cognatione (do-
» mus Visniovieccia ad triumviros redijt) non onerosus. De Regione ultra
» Borysthenem magnam partem suâ cùm curâ agitaret, vastum illud patri-
» monium fortibus, & militiæ claris dispensaret, litem Zamoscensis hære-
» ditatis turbidam, & Reipublicæ molestâ expediret, latus ingereret. Deni-
» que pro regula regnandi, animo fixum teneret, quid aut voluerit sub alio
» Principe, aut noluerit.

» Aut ergo iste aut certè non deficit alter. Cæterum quæ candidè
» scripsi, si Respublica Domina campi Electoralis aliter censeat, deleo, &
» intellectum meum in obsequium publicæ concordiæ libens captivo.

ANDREÆ

A. C. 1669

ANDREÆ OLSZOWSKI PROCANCELLARII REGNI, AD REGEM CASIMIRUM. Varsaviæ 9. Augusti.

EXtingui nunquam poterit grata in corde meo beneficiorum Majestatis Vestræ recordatio; nec per loci distantiam, imatâ mutari observantia; qua, ut Majestatem Regnantis sanctè reverebar, sic, licet spontanea abdicatione, à subjectione absolutus, gero tamen indelebilem, fidelis & obsequentissimi Majestati Vestræ, characterem servitoris: fateor tamen cum Apostolo, me esse servum inutilem, cum præsertim in interesse, ratione provisionis, aliisque mihi propositis, plenè ad mentem Majestatis Vestræ non inserviverim; sufficienti licet cura & conatu ex parte mea adhibito. Tenet non dubito memoriâ Majestas Vestra, fidele meum consilium, quo non sine invidia populi, dissuadebam Majestati Vestræ, Regio decedere throno, nisi prius privatis rebus compositis, præsertim firmiter justâ provisione stabilita: Non ex me culpa, quod etiamnum prævalucrit iniquorum contradictio, gratiarum Majestatis Vestræ oblitorum. De titulo Regni Poloniæ certatum acriter in senatus consilio, locum non invenerunt justæ rationes contra articulos Comitiolorum, & obtentum Reipub: videbatur post publicum consilium in conclavi faventioribus Majestati Vestræ terminus moderatior; sed quia Majestas V. ponit illum sibi in diminutionem, assecuro quòd, sicut fui, sic ero motor Regnanti Principi, ad filialem Majestatis Vestræ observantiam, nec huic deero causæ, ut cum pleno titulo litera ad Majestatem Vestram expediantur, præsertim cum sigillo Conclavis, & in iis quæ ex mea Cancellaria dabuntur, nunquam dignitati Vestræ Majestatis derogabo; cujus nunc, cum debita submissione Regiam exosculor dexteram.

Provisio annua.

P. S. *Terrores à Tartaris & Cosacis percellunt Poloniam, vix non recidente infortunio, quale sub tempus funeris S. M. Reginæ acciderat. Nuntiat Supremus Regni Mareschalcus, Dux Exercituum Nuradinum Soltanum, conjuncto robore cum Cosacis, constituisse, Tartaros aut ad prædandum dimittere, aut nostrum aggredi Exercitum. Incertum id quidem adhuc, sed quia rarò apud nos falsificantur mala, magna est motus hostilis probabilitas: Ad actum Coronationis, prodeunt literæ Restium pro communi motu, nescio utrum tanta promptitudo sit futura, quanta fuit sub Varsaviam, quomodove illa suscipiet nobilitas, quæ sperabat pacificandos per electionem Cosacos, extra-Boristhenenses. Declaravit Majestas Regia per universalia, malle se differre Coronationem, quàm tristi Reipublicæ tempore, triumphare.*

Terrores à Tartaris.

COPIA LITERARUM AD LEGATUM GALLIÆ A PRIMATE 30 Januarij.

TArdius Excellentiæ vestræ literis Lutetiæ Parisiorum ad diem 9 Octobris datis respondeo, moram hanc Generalis Statuum Regni convocatio, solito protractior interjecit, quo consilia sua in quintam usque

» usque hebdomodam produxit, quorum cum non postremum circa delibe- A.C.1669
» rationem de admittendis sub tempus interregni externorum Principum Le-
» gatis verteretur, differendum omnino fuit responsum, ne citra intentio-
» nem ordinationis Statuum à me daretur. Postquam itaque ijsdem Sta-
» tibus futuræ Electionis diem 2dam Maji dicere placuit; interveniен-
» tium quoque Legatorum præsentia, eo usque differenda venit, quibus ut
» tempore Comitia Electionis proximè antecedente, tam literis passus, quàm
» etiam hospitij ab Electionis loco, cui Varsavia destinata est competenti
» distantia separato provideam, publicâ authoritate injunctum habeo; quâ
» equidem in re officium meum Excellentiæ vestræ desiderari non patiar,
» scilicet ut vicino Electioni tempore, cùm de literis passus, tum etiam ho-
» spitij commoditate, eidem sit prospectum, quatenus Excellentiæ vestræ con-
» stare possit, quanti semper fuerit, ac sit apud Polonam gentem Christia-
» nissimi Regis Majestas, eaque omnia quæ ad exhibitionem devotissimi
» cultus, ac venerationis nostræ, erga ejus Majestatem quoquo modo spe-
» ctare possunt. Promptissima interim studia, & officia mea Excellentiæ
» vestræ defero Datum Varsaviæ.

COPIA LITERARUM AD S. PRINCIPEM LOTHARINGIÆ.

EA, quæ mihi oretenus Reverendus Pater Richard Societatis JESU Serenitatis vestræ à Sacris Confessionibus ejus nomine detulit, lubens accepi, nec invitus postulatis ejusdem satisfacere adnitar, ut cum
» futuræ Electionis novi Regis terminus approximaverit (utpote cui secun-
» da Maji dies publicorum comitiorum placito præfixa) tam de literis li-
» beri passûs, quàm de commoditate hospitij à loco Electionis non adeo
» diffiti Serenitatis vestræ Legato prospiciatur, cujus magnis conatibus ut
» cœli induigentia faventer adspiret, voveo, unaque propensissimorum ser-
» vitiorum meorum officia Serenitati Vestræ defero. Datum Varsaviæ

XVIII.

JOANNI DE GELBEN CAMERÆ STIRIENSIS ASSESSORI, J. U. DOCTORI, & IMPERATORIS AUGUTISSIMI INTIMO CONSILIARIO, ANDREAS CHRYSOSTOMUS ZALUSKI.

Varsaviâ 21. Junij.

REquiris à me, sive jure tuo imperas vir doctissime, ut tibi aliquid de rebus Polonicis nunciem, quod & obligatio mea (quam tibi profiteor per novem menses in domo tua manens) requirit, & materia ipsa tam perampla satis argumenti suppeditat.

Quàm mœsta & dolenda orbitas Patriæ nostræ Regio capite diminutæ nuperrimè fuit, tam læta exorta est facies die decimâ nonâ Junij cùm Serenissimum Principem ac D. MICHAELEM Korybutum Ducem Wisniowiecium è gremio Nobilitatis Polonæ favor populiaris assumpsit, & Augusto Regio Throno imposuit. Regem profectò nacti sumus, claritudine agnati Jagiellonibus sangvinis, ac incredibili probitate, prudentiâ, & virtutibus inclytum, quem non ambitus ullus, sed Divina sola prudentia eò Majestatis evexit. Ut verò rem, uti acta est, scias, fusius tibi id ipsum exprimo.

EPHE-

A. C. 1669

EPHEMERIS ELECTIONIS SERENISSIMI PRINCIPIS MICHAELIS, DEI GRATIA REGIS POLONIÆ.

NOvo, & ante hac inaudito, in noſtro prælertim Septemtrione exemplo, ſceptrum & Regni Coronam JOANNE CASIMIRO 16 Septembris anno 1668 abdicante nemo non ſperabat viduam Poloniam, Regéque orbam ingentibus fore obnoxiam turbis, indeque enatis periculis. Sciſſa erat, & in partes diſtracta Reſpublica. Non deerant, qui ſpargendis per haſce terras turbarum facibus, venalem præſtabant operam. Neque ita pridem motu civili concuſſa ob proſcriptionem magni civis Georgij Lubomirſcij, Gallis ad eam flammam fomenta· miniſtrantibus, credebatur quidpiam interventurum quieti, tranquillitati adverſum. Evenit enimverò ſumma, & omnibus memoranda ſæculis, non abſque aperto divinæ benignitatis favore, tanta malacia, tam tranquillus, pacatuſque Regni, annexarumque Provinciarum ſtatus, ut qui hæc accuratiùs literis conſignabunt, trahent ſecuturam poſteritatem in admirationem, gentem libertari innutritam, etiam extra illius orbitam inſolentius aliquando prorumpentem, præfervidis Gallicarum partium ſtudijs irritatam, anno interno externiſque vacuam turbamentis, abſque Rege, ſolarum legum præſcriptis parentem, meritiſſima Alcyonia agitâſſe. Seu metus, qui lictor legum, ſeu naturæ manſvetioris genius, nec inſveta genti Polonæ moderatio præſtiterit, alij expendant. Arma externa nihil hoſtile moliebantur, dempta Drahimi deoccupatione ab Electore Brandeburgico. Regia hæc Præfectura Demetrij Ducis Wiſnioviecčij Belſenſis Palatini, Campeſtris militiæ Præfecti juris erat. Eam in Pactis Brandeburgenſibus certo titulo ſibi deſtinatam Elector Brandeburgicus inſperato invaſit, ſuiſque adſcripſit titulis, docuitque eum tranſitum rerum ſibi per opportunum, idque æquius, quod validius, & ſubinde jus Principum in armis. Convocatio Ordinum Regni indicta, à Regni Primate Nicolao Prazmovio, Archiepiſcopo Gneſnenſi, haud diſcordibus Procerum, Nuntiorum terreſtrium, expedita ſententijs in anno ſequenti conventui Electionis diem indixit *2dam* Maji. Confluxit non infrequens Senatus, Equeſtris Ordo in hoc publici conſilij theatrum, vota, ſtudia diſparaverant Candidati. Complures quidem ij numerabantur, verùm duo inter illos eminebant Principes Neoburgicus, & Lotharingicus, indolem, mentem tantæ molis capacem dum utriuſque penſant Regni Status, operoſum videbatur decernere, quiſnam horum thronum, & ſceptrum capeſſeret. Validior, potentior Senatus pars, quæ Condæo adhærebat, Eodem excluſo cum Gallia, ſtudia ſua addixerat Neoburgico. Lotharingum Nobilitas, & pars Senatûs, fidei, amoriſque in Patriam gnara impenſiùs præoptabant. Advenerat interim, & propè Varſaviam conſtiterat Nobilitas Palatinatuum Regni vocata, ad expeditionem bellicam Generalem eorum Palatinatuum, qui Varſaviæ propiores; utriuſque Poloniæ Majoris & minoris. Palatinatus Ruſſiæ, & alij eidem confines ultra Viſtulam hærebant, biduo, aut quatriduo ante 19nam Maji circa Varſaviam una, & alia leuca caſtra metati. Tantum temporis inſumptum nullo operæ pretio, impotentiùs ferebant. Nonnullorum populari voce acriùs carpebantur proniores affectus in partes Gallicas, & quæ locum implebant, Neoburgicas, Lotharingum paſſim ſpirabat potior pars nobilitatis. Dies tandem 19. Junij ſupervenit Sacra octavæ S. Antonij ad recuperanda deperdita ſingularis Patroni in eandem inciderat, per vigiliam SSmi Corporis Chriſti Stephanus Wierzbovius Epiſcopus vigilans, & circa publicam integritatem, ſolicitus Paſtor, per omnes Eccleſias civitatis Varſavienſis publicas indixerat ſupplica-

Drahimi occupatio

Candidati duo

supplicationes, matutina *imo* omnia ejus diei missæ sacrificia, negotio tanti momenti addixerat. Verbi etiam DEi Prædicatoribus mandaverat, ut tam gravem, & tanti momenti consultationem, in qua publicæ salutis vertebantur cardines, populo ardentius recommendarent. Fatuit certè affectus Catholicæ pietatis, & misericordiæ Domini multæ præsentissimum interitum à re Polona depulerunt. Sacram scribentibus historiam uberior ingeretur materies quantum valeat, quamq; sit efficax in omni discrimine justorum oratio. Eâ igitur die 19. Junij circa octavam antemeridianam proficiscuntur in campum aliqui ex Senatoribus, & Equestri ordine haud frequentes. Ii præcipui comparuerunt Stephanus Wierzbovius Episcopus Posnanienſis, Andreas Olizovius Culmensis, Regni Procancellarius, Casimirus Pacius, Episcopus Samogitiæ. Hi erant Ordinis Sacri. Ex Senatu profano ij visebantur præcipui, Michaël Pacius Castellanus Vilnensis Supremus militiæ in M. L. Ducatu Præfectus. Demetrius Dux Wisnioviecius, Belzensis Palatinus, Magister Equitum, seu campestris militiæ in Regno Præfectus. Hiq; præcipui, aliis recensendis supersedeo. Equestris Ordo frequentior advenerat, nec diu morati compellant Potoccium Subdapiferum Regni, Directorem seu Mareschalcum Equestris Ordinis, ut Sessionem auspicaretur. Consedit ille in sua equestri sella, indictoq; silentio proposuit, ac petit, exorbitantias legum, jurium Regni vix inchoatas continuari. Major potiorque pars in eam ivit sententiam, seponendam eam feliciori tempori materiam. Unum duntaxat superesse, & quàm celerrimè, utinam & felliciter aggrediendum, Regis electionē, obtestatiq; nullatenus ex campo se hodie discessuros, nisi dicto electo Rege. Palatinatus interim Cracovienſis, Sandomirienſis, Posnanienſis, Calisienſis, Siradienſis, Lencicienſis, Cujavienſis, Mazoviæ, non longe aberant, & in suis circulis consilia agitabant de Candidatis ambientibus, acie instructâ, more militari ad campum actui designatum propius adventabant: seu langvore aliquo, seu stimulatione privatâ attinebatur in palatio Regio Varsavienſi, Gnesnenſis Archiepiscopus. Illius nempe muneris consiliis omnibus, vacante Regno præesse: Hæc illi ab antiquo prærogativa, & si ille absit, aut aliquo arctetur impedimento, Cujavienſis Episcopus ipsius supplet vices; neque is tum aderat præsens. Res deliberationi subjecta, quinam cælestis Spiritus Regni Ordinibus tam arduo muneri se accingentibus, Archiepiscopo absente imploraret auxilium. Solers, & prompta Andreæ Olizovij prudentia suggessit medium. Episcopum Posnanienſem loci Pastorem percommodè id muneris expleturum. Neq; is cunctatus processit ad medium circuli, flexisque reverenter in sabulo genibus, quod illi loco copiosum inerat, orsus S. Spiritus invocationem ritu Ecclesiæ Catholicæ usitato. Pastorem grex secutus, omnes quotquot aderant Senatorij ordinis procederunt in genua; tanti momenti consultationi prosperè inchoandæ, feliciùs perficiendæ cælestem implorarunt opem. Hisce peractis Pontificalem benedictionem omnibus elargitus, actuiq; bene precatus. Episcopus Posnanienſis solvit sessionem. Nobilitas quæ sub signis militaribus ad generalem vocata expeditionem advenerat ad suos Palatinatus, mancipia dilapsa, Litvani, Rutheni, & aliqui ex Russiæ Palatinatibus, qui necdum cum suis comparebant legionibus in fossa subsiterant, de novo Principe consultaturi. Sparso, diffusoq; per adjacentes fossæ campos Equestri Ordine, duo Candidati, Neoburgus & Lotharingus studia, vota fatigabant. Nec erat Palatinatus, qui in unum inclinaret Candidatum. Illis placebat Neoburgus, hi

A.C.1669

Lotha-

A. C. 1669 , Lotharingum præferebant. Ad ipsum meridiem trahitur consultatio, , & imminentes Dominos vario sensu differunt. In Palatinatu Calissien- , si Joannes Opalenius Palatinus pro Neoburgo ferventius intervenit, fa- , ventioresque eidem nobilitatis conciliat calculos. Principem senectâ , debilitate pedum fractum, prole numerosâ auctum, dum non omnes , probant, imò ut Romanæ olim Legiones Galbam fastidiunt; Stanislaus , Cricius Succamerarius Calissiensis enodandæ difficultati medium sug- , gerit, nimirum postposito utroq; Candidatorum eligant 3tium. Quem- , nam Illum inquirentibus? Piastum Principem popularem Michàelem

Michàel proponitur ut Calissiensi Palatinatus.

, Ducem Wisniovieciun sceptro, throno Regio dignum, qui succedat, sua- , sit: excepta sententia eventu prospero. Incurrit omnium oculis, animis , Princeps juventutis Polonæ decora, florenti juventa. Adesse illi vigo- , rem maximis quibusq; parem, morum animi celebratam moderatio- , nem oris, fortitudinis paternæ vivam radiare effigiem. Licuit illi dum , infesta & sæva gallizantis aulæ probos elves urgerent fata, inter abru- , ptam contumaciam, & deforme obsequium pergere iter, periculis & , ambitione vacuum. Crediderim Andreæ Olszovij summæ integritatis , Antistitis, & civilis prudentiæ conspicui Censuram seu judicium de Can- , didatis publici juris factum multum attulisse momenti, popularis Prin- , cipis electioni. Lectum illud opus à multis rectum indidit sensum, & , probissimè dixerim, Polonam fundavit felicitatem. Ubi innotuit cæte- , ris Palatinatibus Calissiensem nobilitatem, in Principem popularē con- , tulisse suffragia, non diu morati Principem Wisniovieciun Regem Po-

Accedunt alij Palatinatus.

, loniæ proclamant. Aderat præsens in campo Serenissimus jam noster, , Nobilitati Palatinatus Sendomirienſis immistus, de eligendo Principe , consultabat; & præter spem & vota, parem cum Magno Theodosio a- , gnoscit sortem:

Digna legi virtus ultro se purpura supplex
Obtulit, & solus meruit regnare rogatus.

, Cæterorum Palatinatuum Nobilitas ijsdem votis, studijs in Principem , Michàelem conspiravit, passimque circa vallum, fossam, gregariæ multi- , tudinis voces resonabant: *Vivat Rex Michàel.* Litvani in fossa itidem de

Litvani ambigui.

, eligendo Principe consultabant, cumque allabantes crebri Nuntij signifi- , carent Principem Michàelem electum à Polona Nobilitate Regem, ambi- , gebant, num Polonis accederent, novitas quæpiam videbatur, & mori , Patrio injuria, Principem legere intermissis solennitatibus. Oratores duorū , Candidatorum pro suis perorarunt Principibus, causamque egerunt; Prin- , cipis MICHAELIS, causæ Patronus nemo comparet. Ubi hoc Regni Pro- , cancellario innotuit, capit in arena consilium, & pro ea, quæ optimo An- , tistiti exacta rerum civilium peritia, init modum conficiendi negotij. Rem , communicat cum Joanne Gembicio Episcopo Plocensi, edocet hærere

à Regni Procancellario inducti accedunt.

, Litvanos in vado, cunctari circa Regis electionem, quandoquidem nul- , la compareat, uti moris, legatio à Principe candidato. Suasit efficaciter , Procancellarius, sumptâ personâ Legatorum Principis Michàelis ad cir- , culum eorum accessere. Prælocutus uti gradu superior Episcopus Plocen- , sis, tum pòst Regni Procancellarius. Rem ex animi sententia confecêre. , Litvani cum Polonis pro ea necessitudine, quæ utrisque inter se inter- , cedit, perlibenter sociavêre suffragia; Rutheni disjuncti electionem pe- , regerunt. Par infossa cum Regni Procancellario; Dzialinij aliqui ex , Culmensi, Mariæburgensi Nobilitate deliberationi de eligendo Principe

Culmensis Palatinatus

, insistebant. Pars in campo ultra fossam ad æmulationem cum Regni No- , bilitate, seu aliquâ interveniente simultate, Equestres consultabant. Ade-

, rant

, rant Palatini, Culmenſis, Joannes Gninſki, Pomeraniæ, Joannes Bąkowski, *A.C.* 1669
, nec infrequens ijs adhæſerat nobilitas. Joannes Wyzdga Varmienſis E-
, piſcopus Pruſſiæ Terrarum Præſes fortuitò ut aſſerebat, ad hoc ſuper-
, venerat conſilium. Rheda vectus ſubſtiterat in eaque ſedens illos Eque-
, ſtres alloquebatur, Procancellarius Regni ex aliorum ſenſu, Vilczevium
, Notarium Mariæburgenſem, miſit invitatum illos ad foſſam, nainimè e-
, nim decere, ut Equeſtres in campo conſultent, qui ſine militaribus ſignis
, venêre Varſaviam, Litvanos in foſſa cœptam conſultationem terminare,
, quidni & idem faciant. Reponebant illi numerum minorem majori ag-
, gregandum, & cùm pauci ſubſtiterint in foſſa, ſatius adjungant ſe illis
, numeri plenioris. Iterum iterumque miſſi aliqui à Regni Procancellario,
, nullo fructu redière. Denunciari tandem illis curat Procancellarius Re-
, gem electum, indigenam Principem MICHAELEM. Vix creditum ab il-
, lis riſuque Nuncius exceptus. Varmienſis Epiſcopus his auditis ſuaſit ad
, foſſam profectionem, illudque tacitè inſeruit, ubi vis imperij valet, ina-
, nia tranſmittantur. Dies jam urgebat in occaſum, Nobilitas quæ cum
, Senatoribus foſſam implebat, urgebat colligi, publicarique ſuffragia, actũ-
, que electionis terminari. Aberat Gneſnenſis Archiepiſcopus, neque ſpera-
, batur in campum venturus Mareſchalcus Major Regni Sobieſcius, neq;
, is in foſſa viſebatur. Potocius circuli Equeſtris Moderator aberat. Eorum
, abſentia ne actum protraheret, concluſum; Mareſchalci Equeſtris, uti an-
, te factum, ſuppleat vices Stanislaus Lubomirſcius Capitaneus Scepucien-
, ſis par muneri. Minor Mareſchalcus Joannes Branicius ſupervenerat. Cu-
, javienſis Epiſcopus vetere lege Archiepp. abſentis in nominatione, coro-
, natione Principum, uti à Karnkovio factum obit munus. Seſſione incho-
, atâ ſubſtitutus Equeſtris circuli Director proponit, poſtulatque vota, ſuf-
, fragia electi Principis declarent, actumque hunc feliciter concludant. A-
, derat Princeps MICHAEL, præſens conſederat inter Senatores, & Equi-
, tes Palatinatûs Cracovienſis. Lex illa ne Candidatus interſit electioni,
, nec quidquam obfuit. Rutheni etiam ſupervenerunt Senatorij & Eque-
, ſtris Ordinis Campeſtres, ingenti cum applauſu ſinguli Palatinatus ſua
, explicabant ſuffragia. Populus, qui intra, & extra in magna aderat fre-
, quentia, ad cujusvis Palatinatûs declarata ſuffragia proclamabat: *Vivat*
, *Rex*: Properabat jam Electio ad exitum, cum nunciatur adventare Ar-
, chiepiſcopum unà cum Mareſchalco Regni Sobieſcio. Is uterque in Neo-
, burgicum pronior ferebatur ægreque forſan illis erat, ſua non provenire
, deſtinata. Cum illis etiam ſupervenit Potocius Equeſtris Ordinis Mare-
, ſchalcus. Fama ferebat Sobieſcium ſuaſiſſe Archiepiſcopo, ne ad foſſam
, properaret. Dum tamen crebri accurrunt Nuntij confirmantque brevi
, Regem ab Epiſcopo Cujaviæ nominandum, paucorum Palatinatuum ſu-
, pereſſe publicanda ſuffragia, velociori curſu adactis equis advolat Archi-
, epiſcopus. Benè memini Braslavienſis Palatinus ſua denuntiabat ſuffragia.
, Potocius moleſtè tulit, ſuam ab alio uſurpari provinciam, jamque prope
, metam operi conſiſtenti acceſſit. Et circa nonam à meridie actus feliciſſi-
, mo conſummatur eventu. Nominavit Archiepiſcopus Gneſnenſis ſine pro-
, lixa, & longiori prolocutione Sereniſſimum Principem MICHAELEM
, Mareſchalcos utriuſque gentis compellavit, ut nominationem hanc pro
, munere ſuo publicam facerent. Aberat uterque Litvanus, Duo Regni a-
, derant, Major aſſumendo, altiori voce denunciavit electum concordibus
, votis Sereniſſimum Principem MICHAELEM nominatum ab Archiepi- *Michael Rex nomi-*
, ſcopo Gneſnenſi, eumque pro Rege vero, ac debitè electo, nominato ab *natur*
, omnibus debere recognoſci. His actis Archiepiſcopus gratiarum actoriũ
, inchoavit hymnum quò ardentiſſimè à Senatu, Equitum Ordine turbaque

A.C. 1669 , decantato, Serenissimus Princeps ad rhedam ab Archiepiscopo invitatus, de-
, ductus ad Palatium Urbanum Varsaviense. Nobilitas, quæ campos opple-
, verat, propiorque fossæ aderat, fistulis ferreis sæpius displosis, more mi-
, litis bene exercitati publico ancillabatur gaudio. Machinæ interim belli-
, eæ fere totâ nocte detonantes longè lateque publicæ lætitiæ porrigebant
, sensum. Porrò omina, & quæ augustam hanc præcesserunt electionem,
, alij jam satis memorant, ego strictim attingo. Aquilâ supervolantem fossæ,

Omina in electione

, ædificioque ubi Senatus consultabat, multi conspexere, candidam colum-
, bam, eidem insidentem ædificio narratum à pleriſque. Optimum Pontificẽ
, Clementem IX, eadem die Junij electum Reique Christianæ felicissi-
, mum profuisse, nimis quàm notum, supplicationes ab eodem Sanctissimo
, pro Statu Regni Poloniæ, Romæ, Varsaviæ indictas, eâdem die electio-
, nis desiisse prosperi ominis loco habetur, quasi jam propitium, & beni-
, gnum Numen exauditis orationibus, voti ream, voti compotem absolve-
, ret Poloniam. Examen apum, quod à viris nobilibus Lencicien. Palatina-

Apes felicis gubernationis nuntiæ

, tûs accepi, ante illorum aciem provolasse, & conatu abactum cecidisse,
, feliciorum temporum sub novo Principe, non vanum crediderim præsa-
, gium, virgineas hasce volucres multorum prænunciasse felicitatem com-

In statuis Antonini Pij

, plura possunt recensèri exempla. Memorat Julius Capitolinus Antonini Pij
, Statuas illi excitatas apum examina repleviſſe. Occurrit mihi & illud pro-
, digium, quod Annalium Eccle: Illustris scriptor Baronius ad annum 672
, memorat, de Wamba, seu Jamba Hispaniarum Rege, è vertice ejus cum
, sacro ungeretur Chrismate, à Quirico Toletano Archipræsule Apis egre-

In Jamba Hispaniarũ Rege

, di visa in sublime evolavit, tanquam prænuntia ipsius suavissimæ guber
, nationis. Hoc idem nobis portendi, cur desperemus? miti juxta ac placi-
, do regimine quassatum tot procellis recreabit Regnum. Princeps noster
, concussæ ac laceræ Reip. in sinum suum confugienti, imò colatæ à DEO
, hominibusque (utor Christianis Stoani Sophi verbis) sed in sinum & ut
, foveatur sollicitam intendet curam, suscepit imperiũ, postquam alium su-
, scepti pœnitebat. Justus, & legitimus Princeps in eo summo fastigio non
, magnus magis, quàm bonus audire desiderabit duasque res diversissimas
, potentiam, & modestiam miscebit. Populus per tot annos haud molliter
, habitum non audebit ad duriora vertere, verùm hæc debitus, & reverens
, uti subditi erga Principem exprimit cultus. Narrationem continuo. Com-
, pertum mihi relatumque à Religioso Patre Cypriano sodalitij nudipedum
, S. Francisci Presbytero die electionis venisse ad templum ejus Ordinis
, Serenissimum Principem MICHAELEM, rem divinam faciebat idem Pa-
, ter ad aram B. Antonij, prope rem sacram audiebat Serenissimus Prin-
, ceps (qua finita) uti mandatum erat ab Episcopo Posnanensi brevi ser-
, mone populum commonefecit ferventioris per diem hodiernam devotio-
, nis. Instare nimirum diem dicendo, eligendo Principi, periclitari publicã
, integritatem, illaque addidit Sacræ Scripturæ verba. Deuteron: XVII n.
, XV. *Cum constitues Regem, quem Dominus DEus tuus elegerit de numero*
, *fratrum tuorum, non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non*
, *sit frater tuus.* Hæc præsciâ voce ab eo dicta Patre haud ambigo, & ip-
, semet confirmat eventus. Sed hæc, & alia sat jam eruditorum notata
, calamis, qui tot gratulationibus initi Regni fatigârunt præla, ut retro
, acta tempora volventi, nihil simile superiores viderint Principes. A 21ma
, Junij ad 7mam Julij protractum Regij juramenti tempus, & traditio
, nomine Ordinum diplomatis, ac illud nomine Ordinum Regni offerebat
, Potocius; Respondit Regis electi nomine Joannes Gninski Palatinus Cul-
, mensis.

COPIA

COPIA LITERARUM AD SANCTISSIMUM PATREM.

Varſaviâ die 8. Menſis Julij. 1.C.1669

MICHAEL DEI GRATIA REX POLONIÆ &c.

POſt oſcula beatorum pedum Sanctitatis Veſtræ, mei, Regnique mei hamillimam commendationem. Ad anxias Sntis V. curas, quarum non minor pars Regni Poloniæ orbitas Sanctitatem V. exercebat, cenſui pertinere Sanctitati V. cum differre Nuntium, me totius liberæ Gentis concordibus ſuffragiis, ad Thronum Regni Poloniæ 19 Junij electum tandem heſterna 7. Julij die poſt capitulationem concluſam, & juramentum religiosè peractum, ſceptrum Polonum maximis ſtudiis, & votis externorum Principum petitum feliciter capeſſiviſſe. Mirabitur orbis me Regni indigenam, nullis fultum exterorum commendationibus, ab omni remotum ambitu, concordi Ordinum Regni voce ad onus regendi, regnandiq; in Polonia aſſumptum, manus Domini fecit hæc, & opus ſolius dexteræ Excelſi. Atque, dum humeros impares licet tantæ ſuppono moli, Sanctitatem V. amantiſſimum Chriſtiani Orbis, & Poloniæ Parentem demiſſo cultu, & filiali obſequio veneror, beatiſſimisq; ejusdem advolutus pedibus, paternam ſupplex flagito benedictionem. Minimo filiorum ſuorum Sanctitas V. eam non gravetur impertiri. Benedicat mihi Anima Tua, ut Polonæ Aquilæ juventus meis ſub auſpiciis renovetur, Religio Catholica per Regnum, annexasq; provincias, & major gloria DEi proferatur, validum hoc Chriſtianitatis antemurale terrori ſit, & formidini iis hoſtibus, cum quibus à tot annis gravi & ancipiti dimicat bello. Hæc Sanctitati V. nuntiare ſuadet, & erga Sanctitatem V. mea ſumma devotio, tum & Anteceſſorum meorum erga Sanctam Sedem conſtans, & pervetuſta reverentia. Ejus impulſu, dum hæc ſcribo, me Regnumq; meum Sanctiſſimis orationibus, tum & Paternæ Sanctitatis V. protectioni diligenter commendo.

COPIA LITERARUM AD AUGUSTISS: IMPERATOREM.

Varſaviâ 20. Julij.

MICHAEL DEi gratiâ Electus Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ &c. ſalutem, & fraterni amoris continuum incrementum. Pro eo benevoli animi ſtudio, quo in vicinum ſibi Poloniæ Regnum Majeſtas V. Cæſarea propendet, non ingratum exiſtimamus Majeſtati V. accidiſſe Nuntium, de noſtra ad thronum Regium evectione. Quod licet famâ ipſâ notum, movemur tamen officij noſtri ratione, & ſummo erga amiciſſimum, & inclytum Principem reſpectu, ut ex nobis etiam Mti V. innoteſcat, nos in campo libertatis Polonæ conſenſu omnium Ordinum die 19na Junij in Regem acclamatos tandem die 7ma Junij poſt Capitulationem concluſam, & juramentum religiosè præſtitum, ſceptrum feliciter

A.C.1669 *fuisse, non humanæ industriæ opus, non solers, & ingeniosa prensatio eum nobis struxit gradum, solius Domini est assumptio nostra, inter prodigia orbis jure recensenda. Porrò quo affectu Regnum hoc, nostrosque Antecessores Mtas V. in tam propinqua vicinia complectebatur, eundem erga nos velit continuare, enixius optamus. Non desiderabit in Nobis Mtas V. Cæsarea parem officij, bonæ vicinitatis, & optimæ correspondentiæ vicissitudinem. Contendemus exemplo Majorum nostrorum, olim & nuper regnantium eam amicitiam, & fœderum religionem sanctè observare, quam non annorum, sed sæculorum diuturnitas, & constans ac illibata observantia cum Serenissima Domo Austriaca validissimè firmavit. Interim Mti V. Cæsareæ cum longæva incolumitate felix & tranquillum imperium ex animo vovemus.*

COPIA LITERARUM AD PRINCIPEM LOTHARINGIÆ A PROCANCELLARIO REGNI VARSAVIA 17 Julij

Magni & invicti animi documentum est, quod Serenitas V. Regiæ fortunæ spe, & proximo rerum fastigio excidens tamen in gradu persistat, neque in dolorē & querelas victa erūpat, constanter toleret, quidquid Divini arbitrij ineluctabilis necessitas præter spem & vota decrevit. Euripum jure aliquis appellavit Comitiorum & populi favorem; sanè hic mirus fuit erga Serenitatem V. nisi obstinata Candidati æmulatio, tertio nec opinanti facilem viam aperuisset. Factum est, & quod infectum reddi nequit, fortiter ferendum. Confidat Serenitas V. me seriò à partibus ejus fuisse, nullo privato commodo, sed laudatissimis ejus virtutibus fuisse addictum. DEUM precor, felicitate & ornamentis omnibus cumulatam reddat Serenitatem V. cujus ego memoriam non priùs nisi cum vita dimittam, ac maneo.

COPIA LITERARUM A SUMMO PONTIFICE AD SERENISSIMUM REGEM POLONIÆ MICHAELEM

Carissime in Christo Fili noster salutem & Apostolicam benedictionem. Ingenti sanè gaudio Paternum animum nostrum compleverat Venerabilis Fratris Archiepiscopi Corinthi Nuntij Apostolici relatio de Mtis Tua persona concordibus Comitiorum votis in Poloniæ Regem evecta, deque summa expectatione, quam eximiæ virtutes, quibus eadem speciali DEi munere spectatè insignis tur, & imprimis ardens Religionis Catholicæ zelus excitaverant. Hujusmodi verò lætitia, & spes nunc etiam nobis confirmatur, & augetur ex literis tuis, suscepto statim Regni sceptro, summa cum filialis erga Nos, & hanc Sanctam Sedem pietatis, & obsequij significatione perscriptis. Etenim rectè, ac sapienter Mtas Tua primordia Principatûs à cœlo auspicatur, & Regimina populorum ab ejus Sedis veneratione, cui Christus JEsus universas oves suas regendas commisit.

Initi-

Initium profectò sapientiæ est timor Domini, nec ipse rerum ordo finit, A. C. 1669
ut benè nō imperet hominib9 qui bene non paret Deo. Itaq; pro certo habem9 egregiā animi præcelsi tui magnitudinē, quò magis agnoscit in sui electione conspicuè, ac mirabiliter Altissimi dexterā adfuisse, eò certè confidentiùs, & enixiùs incumbere velle totis viribus, ut beneficij tanti largitori se gratum, & obsequentē præbeat, omnibus Regis optimi partibus implendis, ac potissimum S. Religionis Orthodoxæ, cui etiam istius præclarissimi Regni, fundamentales leges maximè innituntur, rebus, & rationibus universis omni studio tuendis, & provehendis, cumq; non sinè magno mentis nostræ gaudio intellexerimus, nonnulla haud parvi momenti commoda, & lucra, in istis Electionis Tuæ Comitijs adversus Hæreticos Religionis Catholicæ bono quæsita esse; vehementer à Te petimus, ut ea etiam, quantum maximè poteris, extenta, & ampliata penitus executioni demandentur. Utq; præterea vel imprimis Acatholicis omnis aditus ad quascunq; dignitates, & officia Regni præcludatur. Etsi verò cuncta hæc, te pro spectatâ pietate tuâ, zeloque Regio sponte effecturum fuisse non dubitamus, tamen, ut id à Te rursus etiam atque etiam efflagitemus, cùm rei gravitas, tum etiam muneris nostri debitum à nobis exigit. Nos utiq; charitatis Apostolicæ documenta insigniora quæque inclyto Religiosissimæ, ac fortissimæ Gentis Moderatori debita, semper prolixè cumulateque præstabimus Mti Tuæ, cujus expectatissimæ virtuti, & gubernio felices successus à Rege Regum DEo, toto ex corde peroptamus, Apostolicamq; benedictionem, quantum pietatis studio postolas, tanto benevolentissimi cordis affectu impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, Die 10 Augusti.

XIX.

CARDINALI URSINI PROTECTORI REGNI POLONIÆ, ANDREAS CHRYSOSTOMUS ZALUSKI.

Varsaviæ 2. Augusti.

De Actis circa abdicationem Regis.

JAm in procinctu itineris mei in Hollandiam, Belgium, & Galliam, veniunt in manus benignissimæ tuæ, quibus multum, & supra merita mea tribuis, laudis, & tandem gratanter acceptâ comitiorum Electionis relatione tu petis, ego mandatum vice legis observare volo. Vis scilicet scire initium, à quo processit, cursum, quibus modis continuabatur, finem, ad quem non pervenerint magnæ illius cogitationis de Successore ad Poloniæ sceptrum, vivente Rege, formando. Desideras informari de causis Abdicationis, & de modo, quomodo tandem perfecta & quid intra id tempus, & pòst subsecutum fuerit; sufficit tibi imperâsse, gloriâ obsequij mihi relictâ. In hoc interim securum te Eminentissime Princeps reddo, quòd nihil, nisi id, quod compertum ex bonis Auctoribus, & possum dicere, scenæ hujus Actoribus habui, sine cura verborum, rem, ut se habuit, scribo.

Morte Reginæ Ludovicæ, quæ durantibus Regni comitijs roma Majâ evenerat, omnium ferme opinio erat Reipublicæ fortunam hactenus turbidam, ac deteriorem in melius mutatum iri. Nam plerique ipsâ persvasione

A.C.1669 imputabant omnem infelicitatē Matrimonio Regio, quòd Viduam fratris uxorem ducere veritus non fuerit, exempla talis Matrimonij perrara ac tristia eventu, & mutatione Reipublicæ in Principibus familijs est obſervare. Funeſtum Eccleſiæ Angliæ Matrimonium, quo Rex Henricus VIII. derelictam fratris ſui uxorem Catholicam, Caroli V. Materteram matrimonio ſibi copulavit. Par infelicitas, ac imitatio in Regno Arragoniæ, à Rege quondam ſimili matrimonio cum Vidua fratris inito, quod fatalis mutatio, ac poſtremò ereptio illius Regni conſecuta eſt. Nihil ego hic imminutum iverim ſupremæ authoritati Sedis Apoſtolicæ, eū dicatur diſpenſaſſe in tali Matrimonio Innocentio X. petitioni Regiæ indulgendo neſcio tamē quâ verecundia id aſſerant. Populo Polono, talia matrimonia nullateno probat, licet palàm obnuntiare non audeat. Non ignotū eſt parentū memoriæ nuptias Sigiſmundi cum Conſtantia altera ſorore pro inceſtu habitas, quibus magni & incorrupti Senatores obnuntiare auſi, ſcripto ad Pontificem Clementem octavum, talem conjunctionem etiam in gregibus equarum, Polonis turpem, & abominabilem videri, nec niſi eo vitâ functo diſpenſatio obtineri poterat, improſpero tamen ſucceſſu, & Matrimonij fructu, nam contemptus exinde Regis, & accreſcentibus alijs cauſis arma in eum ſuſcepta, & numeroſa proles, quæ in ſæculum ferri per naturam videbatur, ſterilis effecta Regiam ſtirpem finivit, an, & cùm uxore natam felicitatem Ioannis Caſimiri Regis eidem inauſpicato matrimonio attribuant? ſcio ego quoque Georgij Oſſolinij Cancellarij motu tractatum fuiſſe, cujus authoritate Senatus conſenſerat, literaſque ad Reginam dederat, ne maritum Regem abnueret, ſed res inſtructa fuit ambitione Reginæ, quæ Regi nubere non tantùm percupiebat, ſed multâ pecuniarum vi ſuſtentandæ Regiæ Electioni facta erat, juratamque fidem à Caſimiro expoposcerat, ubi ſceptri potitus fuiſſet, ſe non aliam in uxorem ducturum. Meminit quidam conſilio Senatûs ſe interfuiſſe, omniúmve ex compoſito, votis conſentientibus, ſolùm duntaxat Paulum Piaſſecium Epiſcopum Premislienſem, Annalium ſui ævi ſcriptorem contrariam ſententiam dixiſſe, & vatem non vanum fuiſſe, eique tale matrimonium infelix fututum, familiamque Regiam extinctum iri, præcipuum Authori finem eſſe debere, ut prole ſuſcepta domus Regia fundetur, & ſermonibus privatis re agitata inter cauſas cladium publicarum referre mihi viſum, primario. Altera cauſa malorum ambitio Reginæ Succeſſorem Regno admovere, bonis, maliſque conſilijs, & artibus molientis, cujus rei originem pertexo. Boguslaus Leſczynius Theſaurarius Regni, vir ingenij, & facundiæ Princeps, & animum, conſiliúmque Reginæ penetrans infinuaverat Reginæ, quaſi interrogaret primum, cur non Rege laboribus fracto, & ad ſenectutem vergente, de Succeſſore deliberaretur? Reginæque ſpem injecerat, facilè fieri poſſe, ut neptis ejus & qui neptem duxiſſet, vel adoptione, vel poſt Regiam mortem proximè ad coronam admoveretur, neque rem eam difficilem factu oſtendebat, quòd in conſilio Reipublicæ jam ſtetiſſet, deſperatis nunc Poloniæ rebus, ut Moſchoviæ Ducis filius, ac deinde Rakocij Principis Tranſylvaniæ ſpes oſtentaretur; pergratus is ſermo Reginæ atque Theſaurario ad potentiam, & gratiam valido, qui partibus Sveticis dato nomine, non tantùm gradum honoris deſiderat, ſed quæſito favore Reginæ adeo evectus erat, ut potentiâ & gratiâ plurimum in Aula valeret, nihilque ei roganti negaretur, pro domo ſua, pro amicis, & clientibus, is demum, qui illum obtineret, quanquam Rege adeo difficili, & Reginæ, cui omnia permiſcebat, id unum neganti obfirmaverat Regem moniti ſui, præcipuè Cardinalis Vidonus, Legatum Pontificium agens, quod Leſczynius ex Calvino Sectario Catholicus malè pius habebatur, expugnavit Regina lachrymis & blanditijs Regem, qui Legato, & Epiſcopis in eo tamen favit, ut magis

Matrimonia funeſta

Ambitiosa horum cauſa

magis Prazmovio Eccleſiaſtico crederet, Leſczynius tamen cœptum conſilium impigre exequitur, & Epiſcopo, ac Palatino Poſnanienſi in partes tracto, Lubomirſcium jam præoccupaverat impetratio armorum, minore Præfectura morte Lanckoronij vacante, non ſine injuria Czarnecij, qui fortiſſimè geſſit rē contra Svecos, virtute id meruerat, & activitatem contraxerat, elocatâ filiâ Leſczynio Inciſori Regni, ſed Lubomierſcius magno præmio alliciendus, & obtinendus Reginæ videbatur facilior Czarnecio militari viro, qui Reginæ fidem, & civium ſervitio paratus, ſervitium addixerat. Invidit præmatura mors Pro-Cancellario Leſczynio, ne cœptam telam pertexeret Parca, vitam ejus, ſimul & curam celeriore fato præcidente; non tamen abrupta cura, & conſilium pòſt inauſpicatè à Nepote cœptum, pari ſtudio, & valido conatu Venceslaus Archi-Epiſcopus Gnelnenſis, alijque promovēre, ſcriptoque concepto, allaborante Andrea Morſztyn Referendario Regni, cujus ingenio, & fide Regina utebatur, illud manibus ſuis, & juramento firmabat, ignaro penitus Rege, quod planè compertum habuit Andreas Olſzowski nunc Pro-Cancellarius Regni. nam cùm tractatu pacis ad Olivam, præſens Gedani ageret, à Cancellario Prazmovio invitatus fuit, qui illum uno arbitro Palatino Siradienſi, primum cum honore allocutus, prudentiam, & dexteritatem ejus Regnantibus placere, dignumque videri, cui magnorū negotiorū arcana, & curæ concrederentur, poſſe dari caſū Legationis mittendæ, quam ille ex fide, & cōmodo Reip. ſubiret, gratū duceret, ac virtute ejo magni arcani, & conſcientia ſe ligari, ſimulq; producto ſcripto illud legendū exhibuit, quod ſubſcriptione firmari, & juramento, verbis conceptis, exēplis tantorū virorū non abnueret, monuit; verùm percurrens ille ſtrictim lectione, reſpondit de ſe modeſtè, privatū ſe agere, nec ullo in Rep. gradu magno honori æſtimare regnantiū, & Miniſtrorū Regni conceptam fiduciam, tamen reverentiâ notarum legum deterreri ſe, quominus ſcripto ac juramento fidem obliget, ſervaturum tamen ſecretum. Ad ea Cancellarius non indignam moram alicujus diei, nec roganti illi permiſit. Sed cùm difficultas ab illo injecta ſuſpicioni locum daret, ac vereri cœpiſſent Miniſtri, ne Regi, cui tunc ab epiſtolis, & alijs tractatuum curis interiori admiſſione erat, rem totam detegeret, commotior ad hæc Regina Cancellarium ſuum, & illum advocari jubet, & quænam, iſtud, hæc temeritas? te unum contra Inſurgere, Improbare, quod prima nomina, Senatusconſultum, & ſaluti publicæ percommodum ducant, atq; ea fortè cauſa fuit, ne ſcena detegeretur, reſq; in deterius apud facilem primò occupanti Principem abiret, ut illi per Senatores Regina mentionem de Succeſſore faceret, & ubi concedentem quærit; ſcriptum illud non ſanè nocivum Regi, aut Reipub: præſentaret, agitatum deinde quonam potiore modo Ordinum Regni conſenſus obtineretur, Majoris Poloniæ Senatores, ac præcipuos Nobilitatis, Rex & Regina Częſtochoviam evocant, cunctiq; ad obſequium ruentes, ſcripto illi nomina, & juratam ex formula fidem dederunt. Alterum huic Germanum ſcriptum Lubomirſcius trahendis in conſenſum, & ſubſcriptionem Cracovienſibus Minoris Poloniæ nobilibus acceperat, non irriti ſtudijs, certatim ſubſcribentibus, & authoritatem, & gratiam ejus ſequebantur. Eâdem diligentiâ actum Samborio à Regina in captandis nominibus, & juramentis nobilium, atq; hoc vel fundamento jacto, res in Conventibus Palatinatuum Terrarum propoſitum; Indictiſq; publicis comitiis Ordinum Regni, decreto ſucceſſionem ſtabilire viſum, neq, alienis auribus, & animis multis in Conventibus propoſitio hæc acceptata fuit, nec annuebant rectis & prudentibus Civibus Rempub: ſterilitate Regiâ in caſum dari, quam ſub inter-

A.C.1669

A. C. 1669 interregno vicini Principes studiis, aut potentiâ distracturi essent, aut irruptionibus Barbari, juratiq; hostes, simul cives maiè concordes æmulatione, aut externorum corruptelis, distracturi præsumebantur; valuit etiam dexteritas Ministrorum Regis, & Reginæ, prout quis impigrè, aut langvidè bonis artibus, & famâ virtutis gratus, aut maiè in populo acceptus negotium promovebat, destruebátve. Multi non improsperè rem gesserunt apud populares suos, sed privato more Conventu Szadkovienſi propositioni adversos, validis rationibus, & propitiis flectendo, ut in sententiam irent, & articulos Palatinatuum, Consilium eligendi successoris vivente Rege probarent. Sed in Conventibus aliorum Palatinatuum inversa res agitata fuit, præsertim Sredæ præcipuo turbatore consilij, qui nomine Staniſlai Potoccij Palatini Cracovienſis dira quævis imprecabatur, ejusmodi materiam electionis libertati adversam a Palatino judicari asserebat, ex Gallicis, atq; aulæ factionibus; subsecuta dein Comitia Varsavienſia, quæ Condæana, vulgus, indiscreto, Patris, Filiique nomine appellavit, quibus nihil non actũ, pro admittenda, & consensu publico firmanda Successoris electione, Rex ipse frequentissimi Senatus consilio habito, omnium animis priùs dispositis, primus locutus est; Finito Regio sermone, primus sententiam dixit Venceslaus Leszczynski Archi-Episcopus Gnesnenſis, quem secuti Senatores, effusi in laudes, & grates, Regem Patrem Patriæ vocantes, affectum ejus verè Jagiellonicum ad sidera tollentes, omnes in sententiam ivêre, proponendum Equestri Ordini, atq; his Comitiis consilium maturandum; solus Thomas Leszczynski Episcopus Cheimenſis collaudato Rege eò flexit, ut consuleret, tantum negotium tantisper differendum, donec Reip: pax & securitas, præsertim à Moschis undiq; stabiliretur. Hæc res magnæ invidiæ Episcopo fuit, tanquam omnibus exprobrantl, quod unus ab universo Senatu dissentiret. Interea Comitiis ferventibus omnia negotia publica posthaberi, solâ materiâ Electionis in conclavi Nuntiorum fervere, studia in contraria Rempub: scindi, aliis pulcherrimum, aliis deterrimum consilium videri, pulsare ubique Reginæ emissarios, nocte, dieq; limina Palatii, honoribus, pecuniâ, spe, blandimentis, minis, prout opportunior quisque videbatur, pertrahi, ut Condæanis actibus commendaret promovendæ electionis operam, amicos pararet, firmaretq;, adversarios retunderet, aut partibus lucraretur, Lubomirscius toto Comitiorum cursu silentium tenuit, ac ne verbo Successoris electionem, quam initio strenuè fovebat, auxitq;, amicorum operâ juvit, sive re desperatâ, authoritatem suam in discrimen mittere, & periculum facere dignitatis noluerit, sive aliqua offensio in Reginam, animum ejus mutaverit. Compertum habeo Staniſlaum Kobierzycium Palatinum Pomeraniæ suspicacem animum Lubomierscij percurrisse, quo cum habito sermone de consiliis Reginæ, affirmavit, supremam Exercitûs præfecturam Czerneccio pro Lubomierscio, sibi verò gubernationem Aulæ, & Cameræ destinatam esse, quando Dux Ambianus rerum Poloniæ potietur, idq; sibi fidâ relatione Czarneccij optimè constare, quæ relatio adeo Lubomirscij animo hæsit, ut Reginæ dubiam, imò falsam fidem reputans, amicos suos intueri, nec ullatenus hisce Comitijs, electionis consensum præbere voluerit, remittebant etiam boni plerique cives de studio partium, & consiliorum Reginæ, seu pravâ accommodatione; displicebat multis, rem non rectè, nec ordinariè tractari, paucos eligendi Regis authoritatem affectare, etiam leviores homines; illos teneriori admissione haberi, pecuniâ, honoribus, augeri, alios præstantiores inferius duci, Gallicam factionem rerum potiri, impetu,

Comitia de successore vivente Rege.

petu, non consilio rem agi, salutem, & decus Patriæ nihilli æstimari, imò aperto discrimine involvi, Cælum, & Tartara misceri, nec frustra suspicio fuit; nam eodem tempore cœpit inter Gallos, atq; Svecos tractatus, & conclusum fuit, ut Sveci duodecim millia militum ære Gallico auctorarent, ad juvandas in Polonia electionis partes, quas Rex, & major pars Senatus sustineret, seditio etiam exercitus Polonici id temporis coorta, non tantùm penitus neglecta fuit, sed in prosperis ducebatur, quasi rebus Gallicis promovendis opportunè eveniret, nam turbatâ Republica & confusâ, creditum fuit, electionem pro remedio acceptatum iri; Remp: in summis angustiis quærendo ex Gallia subsidio acquieturam, & militem jus imperij facilè concessurum, si pecuniam largâ manu numeraret, sed res longè aliter accidit, nam rigidus stipendiorum exactor Lubomirscius, an potius aliorũ Civiũ instinctu, quàm aliarum factionũ odio, nihil magis, quàm electionem Successoris impugnare, ad speciem tuendæ libertatis inducere, denique ferociâ, ac minis, ac Reipublicæ periculis id efficere cœpit, ut promotio Successoris, vivente Rege, lege publicâ damnaretur, hostiumque loco essent, qui moliri ultra pro Galio ad Coronam evehendo minimum auderent, neque tamen destitêre à consilio, quibus promotio Condæi, favori apud Reginam, & incremento dignitatum fuit, illi iterum bono animo Reginam esse, constantia, & conatu, præmijs, pecuniâque omnia superari, cæteraque grata auribus loquebantur, & quia unus præcipuè Lubomirscius, in Comitijs negotium corrupisset, ex quo obniti Reginæ partib9 intelligebatur, cùm beneficijs summis in eum, Domumq;, ac Clientes ejus collatis, nihil profectum esset, aliâ viâ eum adoriri, ac criminibus objectis, judicioque subvertere magnum civem, & labefactare svaserunt. Ergo quæsitæ juris causæ, verba pro crimine accepta, comparata accusatio, læsæ Mtis crimini dies dicta, comitijs Generalibus proscriptionis sententia lata, & publicata, exinde quid turbarum & tumultuum secutum sit, quæ vastitas, quæ cædes, & quantum malorum ille tumultus invexerit, notius est, quàm ut recenseam. Composito tandem domestico tumultu, & Lubomirscio in gratiam avellere cœpto, Regina Lubomirscium adversis, uti existimabat, & magno casu fractum, ac potentiæ suæ vim expertum, iterum pertentat, viamque hanc unicam reparandæ gratiæ, & dignitatis habiturum, neq; ille abnuerat, quòd viro magno, summisq; in Polonia honoribus claro, qui bello & factione, & Mareschalcatus, & Præfecturæ exercitus ereptas dignitates minimè dubitaverat, privati nomen & fortuna ægrè tolerabatur, neque sperare eminentem in Patria locum poterat, nisi beneficio Reginæ, cujus arbitrio totus Rex regebatur, ergo subjicere animum fortunæ, & Reginæ obsecundare certus, illis tantùm proposuit, ut novis Ambiani Ducis Pater, & Princeps Condæus studijs ad Coronam Poloniæ promoveretur, sive claritudinem viri bellici respiciebat, sive ne Reginæ concederet, tanquâ victus, & coactus, ac ne destrueret fidem apud populares, favori Reginæ tribuens, quæ Condæano Principe, dominandi avida, Condæum veterem, ætatis, & experientiæ non facilem ab obsequio habitura credebatur, jam proposito à Lubomirscio Condæo Regina acquiescebat, Lubomirscium magni facere, & firmandæ ejus pro Condæo constantiæ, fideique ergo, Andream Morsztynum Referendarium Regni sibi addictum, atque dexteritate, & confidentiâ in animo Lubomirscij validum, quem, rogandorum auxiliorum ergo, in Galliam ablegaverat, Vratislaviam iter flectere jussit, sed adventante Morsztyno, gravi morbo correptus, ac paucis horis vix superstes vivere simul, & negotia vitæ curare desijt, cujus morte resurgere iterum res Gallicæ, & remoto illo, tanquam obice, largiorem animum sumere cœperunt, jamque notis artibus Reginæ blandiri, spem fovere pronam, & in proclivi

A.C. 1669

Lubomirscius impugnat electionẽ Successoris vivente Rege.

Læsæ Majestatis reus accusatur

A.C.1669 proclivi viam promotioni Condæi ostendere, cum brevi interjecto tempo-
ris quinque mensium spatio interjecto, vis statim Lubomirscij Reginam tra-
xit, eidem cogitationi & curæ planè immortuam, quæ mihi altius repe-
tenda videbantur, ut causam melioris spei de Republica exponerem, prius
à fonte ipso cursū & peracrē finē abdicationis ordiendo. Vix enim una vel al-
tera hora à morte Reginæ ablêrat, Rex luctu recens & gravis Legato Gal-
Origo abdi-cationis lico declaravit, abiturum se Regno adstantibus plurimis; Nicolao Prazmo-
vio Archi Episcopo Gnesnensi, Pro-Cancellario Regni Christophoro Pacio
Cancellario Litvaniæ, qui omnes in lachrymas effusi Regem ad retinen-
dum imperium, nec nisi cum vita finiendum cohortabantur. Proximo die
à morte Reginæ, Rex verborum solatia nomine Senatûs, & Equestris Or-
dinis admisit, ac Reipublicæ curas comitijs præfert, ne quis recentis luctûs,
& Reginæ mentionem dicendo faceret, doloremque importuno solatio ma-
gis irritaret Comitia demum quinque anterioribus abruptis felicem finem
habuêre, quibus peractis vacuus curarum Princeps, exequendis, quæ Re-
gina mandaverat, suâ, & Executorum, diligentiâ intendebat, jacere de-
hinc sermones nonnulli de Matrimonio, seu amores erga Principem, & cu-
ras Reipublicæ, & totâ Europâ Matrimonia ostentare, Principes fœminas
in ore habere cœperunt, Rege adeo facili, difficiliq; ut pictos vultus unius
alteriúsve Principis fœminæ non respueret, imò parietibus appendi palàm ju-
beret; secretiq tamen, ac certiori fide, consortē qualemcunq; proscriberet, & se
cælibi vitæ obligaret, neq; hæc privatis duntaxat modis, summis etiam
Rex venuit transire ad alias nupti as Principibus, per Ministros suos Matrimonium suadentibus, negando re-
spondit; neq; ipsiq Sūmi Pontificis literæ die accepti Pontificatq manu pro-
priâ paternè scriptæ monuerunt Regem, adeo à Matrimonio alienū, ut
liberior ageret, tentariq; frustra desineret, Præfecturas omnes vul-
gò Oeconomias futuræ Reginæ paratas, præcipiti largitione, nec sinè
dispendio rerum suarum (poterat enim privatis rationibus, earum reten-
tioni consulere) dispensavit, donavitq;; Scripto etiam viginti rationes
composuit, quibus evinceret Matrimonium neq; sibi, neq; Reipublicæ ex
usu commodo futurum; quod ubi firmum, fixumq; in animo Regis Le-
gatus Gallicus intellexit, frustra proposito Matrimonio cum Ducis Neo-
burgici filia admodum juveni, acceptis novis à Rege Christianissimo man-
datis declaravit, Regi, & Ministris Regni, Galliam à promovendo ad Co-
ronam Condæo Principe jam ex nunc penitus desistere, ac omne studi-
Neoburgicq commenda-ret um, conatum, & favorem in Neoburgicum transferre, eundem affinita-
tis nomine, & non ignotis Poloniæ decoribus, dotibusq; sceptris dignis
impensè commendare. Datum id à Rege Christianissimo amicitiæ Elec-
toris Brandeburgici, pro Neoburgico Principe mittentis, quo Electorem
à partibus sibi adversis averteret, à Belgicis suis rebus ex voto succeden-
tibus irruptione subitâ validas Civitates, Arcesque occupaverat, & toto
campo victor volitabat, consociaret; non mediocriter ea propositio Au-
lam permovit, hactenus de Neoburgico intactam, silentemq;, sed vacu-
um non fuit, studia, & artes offerre Regi, ac præcipuus Aulæ, funeri
Reginali intendentibus; cui 12 Septembris dies Cracoviæ indicta fuit, si-
mul terror longè sparsus irruptionis Tartaricæ cogitationem omnem in
se verterat, occupabatque; quippe Soltanus Galga dictus Frater Tarta-
rorum Chami, & belli Ducis, postquam tres per menses in Vkrayna
moratus, Tartaros suos refeciſſet Authore & socio Dorosżynko Cosaco-
rum Ductore, in Russiam Præsidio vacuam impetum fecit, nactâ occasio-
ne, quòd miles numerandis stipendiis Leopolim commeans castra negle-
ctui haberet, ac relinqueret, præcipui autem militiæ specie officij su-
premi

premi erga Reginam obtentu literarum, quibus pro more Cancellariæ, senatoria dignitate, aut officiis civilibus, bellicisque insigniores vocabantur, Cracoviam discesserunt, quorum tamen importunam, nec tempestivam pietatem Rex ingrato vultu excepit, reprehenditque, conflat Supremum Regni Mareschalcum, armorumq; Præfectum (minor præfectura armorum nondum collata erat, cujus impetrandæ ergo Princeps Demetrius Visnioviecceius Cracoviam itidem advenerat) nullium Tribunum, ac ne Centurionem, vix tres vice-Centuriones, dilapsoq; præstantiori milite, parvam manum, & rara signa in castris deprehendisse. Tam gravi, nec opinato periculo consilij fuit, castris militem non continere, ne ab ingenti hostium numero cingeretur, & re militari, annonaq; imparatus, ruinæ exponeretur, sed potius per castella, locaque opportuna distribui, imponique, quo facilius numerosi hostis impetus eludi, ac incautorum Scytharum terga, ac latera carpi possent. ipse Sobiescius belli Dux, lectâ trium millium manu versùs Cameneciam flexit, retrahendo à longioribus in viscera Regni incursionibus hostem, simul ostentando terrori, aliis Tartaris, Vallachis, Turcisq;, ne major belli moles cresceret auxiliis Soltano, & Dorolzynko affluentibus, quæ iama felicium rerum de facili excire poterat, atq, id consilij vanè per Poloniam agitatum eventu salutare fuit. Nam Tartarus incertus quid ageret, quò tenderet, Castella, ac munimenta adoriri non ausus, ac ubicunque prædabundus nostris maiè militantibus in Sobiescium à tergo minantem, iram, vimq; totam convertit, quem Podajeccius oppido copiis omnibus instructo operiri, atq; obsidione frangere visum, juvit & natura loci, & fortuna Polona, ut pauci ingentem multitudinem hostium sustinerent, prosperisq; eruptionibus adeo fatigarent, ut pacem ultrò victus inopiâ commeatûs offerret, itum facilè in conditiones pacis, quæ summâ authoritate, & honore Poloniæ sunt conclusæ, abolitis omnibus, quæ inimica intervenerant, fidem, & societatem à Polonis Tartari petiêre, mutuoque Sobiesclus, & Suitanus pacta juramento sacraverunt, eâdem facilitate ac subjectione subditorum in morem Cosaci præstitêre, & post eorum satisfactionem prætervecto Sobiescio, festivâ tormentorum, & bombardarû explosione applausérunt. Ubi parentatû Reginæ honori, solenni diem proximam consilio Rex Senatoribus designavit, aderat frequens, & lectissimus Senatus magnâ expectatione anxius, & secum diversa volutans, vivifica fama, non intra tantùm Poloniam, sed per vicinas Gentes grande aliquid agitatum iri, nec sinè cura habuit Cæsar delatum rumorem hunc, qui per Legatum suum Comitem Szawgouz, & per literas compellavit præcipuos Senatores, viderintne quid hæc Respub, ac bona Vicinia incommodi pateretur? Præbuit materiem, & causâm suspicandi fama, Regem Cracoviæ ex Regio Throno in privati sortem iturum, suâq; Abdicatione Condæo facile, & planum iter facturum; Hæc res consilio avidas omnium aures elusit, neq; amplius retulit ad Senatum, quàm de periculo à Tartaris, & de tempore Comitiorum habendorum. Itum in sententias, ut Comitia mense Aprili celebrarentur, ac grassantibus Tartaris motæ universæ Nobilitatis vires opponerentur, de Comitiis habendis non difficile assensit Rex, tanquam ultra ea distulerit, commoveri Nobilitatem formidini fuit, ne nimium coacta gravior in Regem, & Aulâ, suspicionû invidiæq; plenâ quàm in hostê incumbat; Victus tamen Rex consensu multorum nihil aliud quæsivit, nisi in Nobilitate reponere periclitantem Rempub, deseri Russiæ oras, campos vastari, turbam Agricolarum servituti barbaræ exponi, clamitantium edictum jam in itinere

A.C.1669

Sobiescius Dux Tartaros vincit.

A. C. 1669 tinere subſtituſt, ac omnes Palatinatus ſub præſidio Reipub, ex lege armati accurrerunt, ſed jam tranſactione, quam memoravi, Pohayecenſi, cura omnis, metuſq; belli evanuit, & Rex magnarum curarum vacuus, per leviora otij, ac venatus hyemem traxit. Secuta interim comitia ſunt, plena diſſidij, turbarumq;, & acerbiùs in factiones Gallicas, in Legatum Gallicum toto comitiorum tempore, cum à multis, tum præcipuè à Martino Dębiecio Vexillifero Sendomirienſi homine, audacis, & ob laterum firmitatem, robuſtumq; os, validi inter Populares eloquij, quem ſpecie, curâvè Reipublicæ, propria cauſa, & offenſio ſtimulabat, quod læſionem quandam ex contractu cum Regina de arenda Præfecturæ Wiſlicenſis ante irruptionẽ Sueticam prætendens ſatisfieri ſibi numeratâ decem millium pecuniâ, dum obtinuiſſet, cauſam Legato imputaret, hinc ille vehementiùs inſtare, urgere, concitare, peſtem Patriæ aliiſq; probris compellare, orare, terrereq; Regem, Senatum, ut ſeclusâ morâ ab Aula Regia dimoveretur; Rex contra reſpondere cœpit, jus ſibi in Legatos Principũ eſſe, ſi à Dominorũ ſuorum mandatis, nutuq; duntaxat penderent, obtendere amicitiam, & officia Regis Galliæ, dignitatem ſuam, ſecuritatem Regni in eo verti, ne ſcribendo facilem ſe declararet, ne partem dedecoris in ſe recipiat, tanquam juris Gentium minùs gnarus, inobſervanſq;, ac ob periculum negationis, ac ne Legatum nullius tacti contra Regem, contra ſe, contra Rempubl: compertum delatione, minus æquâ, ac invidioſâ prægravaret, præbuit tamen aliquid occaſionis Legatus, minimè tempori ſerviendo, qui flagrante invidiâ palàm ventitare, intenſorumq; Nuntiorum oculos verſando in Camera Regis, chartarum ludo in ſeram noctem exercendo everberare, ac velut provocare odium, ſermoneſq; veritus non fuit, ita per certamina verborum ſex ſeptimanis fruſtra tritis, Nuntiis relegationem legati, & generalem Nobilitatis evocationem inſolentiùs poſtulantibus, Rege contra obnitente, neganteque Comitia diffluxêre, & malè affectis animis diſceſſum eſt, arripuit augendæ invidiæ occaſionem Dębiecius ex Principis Neoburgici Legato viſo, qui ſerâ nocte Dębiecium famâ clarum adeundo, Principem ſuum Regno per abdicationem vacaturo, impenſiùs, incautiuſq; jam ſolutis Comitiis commendaverat, quod Dębiecium acrem virum magis accendit, Regemque ipſum malè habuit, evulgatum arcanum, quod tam Legatus partim negando, partim aliter interpretando, ſcripto apud Regem excuſavit. Hoc principio latè emanavit fama, Regem Regno abdicaturum, quod Dębiecius publico ſuo coram actis Radomienſibus Manifeſto, ac Relatione affirmavit; Sed Rex abdicandi certus, adeo ſecretum coluit, aliàs dictorum, factorumq; apertior, ut nulli etiam fidiſſimorum cogitationẽ ſuam palàm faceret, ſuſpenſoſq; intimorum animos teneret, nam quædam neglectui oſtendebat, tanquam coronam poſiturus, quædam in ſpeciem æternùm manſuri, comparando, fabricando, diligentiùs longè curabat, crebreſcente undique famâ abdicationis Pro-Cancellarius nactus occaſionem diſceſſûs fui in Epiſcopatum, cùm Rex Bialam ad Principem Radziwillum, Palatinum Vilnenſem, mox Pro Cancellarium, Grodnam diſceſſionem pararet, ad exercendam venationem, quæſitâq; à Rege licentiâ Regi expoſuit, rumorem valeſcere abdicationis, literas undiq; afferri, ſibi neceſſitatem eſſe, ut compellantibus reſpondeat, ignorari penitus, negariq; omnia ſinè rubore, ac bonæ fidei periculo non poſſe, non curioſâ levitate arcana ſcrutandi, ſed ne ultimus ſit, qui neſciat, quem ſcire penitus in Magiſtratu poſitum, lex, moſq; Patrius jubeant, ſimul ut Regi viſum conſilium miniſtret, orare ſupplicem, ut firmum, an variũ, va-

Dębiecius contra Legatum agit

vanumq; potſus ſit de abdicando Regno conſiliũ, verbo innuat obligare *A. C. 1669*
fidem juratam illibente Rege, nemini ſe magnitudinem ſecreti revelaturum, adeo Rex perbenignè Pro-Cancellarium amplectens, deq; in ſe ejus amore, & fide egregiè judicans nihil aliud repoſuit, niſi ut in deſtinatam diem Maji Varſaviam rediret, conſilium quoddam ſecum, juxta ac cum fidiſſimis, Primariiſque Senatûs eò temporis habiturus, aderat in diem frequens Senatus ægrè ſilentium tolerans, quod præcocior fama, ſermoneſque vulgi rumpebant, abdicationem parare, horam vix ante vocato Pro-Cancellario, quid proponendum eſſet ſecretius intimavit, confuſoq; rei novitate, & ſorti ſuæ indolente, & præſente Pro-Cancellario tam infelicis vocis miniſterio præberetur, bono animo rem exequi juſſit, circumſteterat interim Cameram Regiam Senatus & Aulæ expectatio, magni ſecreti impatiens, intentiq; in vultum Pro-Cancellarij altæ & ſubitæ cogitationis manifeſtum obſervabant, quem ſimul multorum interrogatio, & promiſſi ſecreti fides, ſimul præmeditandi ſermonis cura ægrè habebant, utque ſecreto propiori ſcandalo ſimul conſuleret, res & tempus ſuaſit, progrediente in publicum Rege, factoq; Senatu Rex Pro-Cancellarium voce appellavit, eumq; curuli accedentem in aurem monuit, imperata exponeret, quoque certiori fide, & memoriâ exequeretur, ac ne in ſuſpicionem malè obſervatæ legis veniret, quæ Electionis, vivente Rege, conatum, & conſilium, quocunque colore ſeverè interdixit, ſcriptum conceptum in manus eidem tradidit, ergo Pro-Cancellarius de Regis in Senatum amore & fiducia, de Senatûs erga Regem conſtanti fide & obſequio, arduis, extremiſq; rebus teſtato, collecto animo ſimul magnum hunc diem, qualis à condita Polonia nondũ illuxit, appellans, quæq; alia pro tempore, & cauſa locutus in lectionem ſe dedit.

Proponitur intentio Regis de Abdicatione.

Auditâ propoſitione Regiâ Senatus omnis, Epiſcopi, Palatini Caſtellanique, & Regni Officiales à lachrymis non tenuêre, ac verſi ad Archi-Epiſcopum Primatem, qui ore omnium loqueretur, ac triſte, & inauditũm facinus diſſvadere verbis, nutuque indicãt; locutus ille magnâ gravitate; poſtremò fletu verba præpediente, è curuli prorumpens, atque ad genua Regis flexus orabat, Rempublicam tot malis afflictam poſtremo malorum ne puniret, ne gentem toties ſangvinis pro ſua Mte prodigam abjiceret, ne pro inclyto Rege, tot Regum, Cæſarumque progenie vagus, & erro audire mallet, ne tot populos Chriſtianos ſub ictum Barbaris daret, adeſſe præſtantes belli Duces, quibus rem armorum, adeſſe egregios Miniſtros, quibus negotia togæ, ſtatûsque relinqueret, ipſe liberali frueretur otio, ſi conſcientiæ ſtimuli perurgeant, neque ſatis conſilij, aut remedij ex domeſticis Epiſcopis, & Theologis, ſummo ſacrorum Regi, & Chriſti Vicario detegeret, arbitrũque conſcientiæ ab eo ſervandæ ſalutis rationem ediſcere ne gravetur, hæc magno motu, nec minore pietate orantem Archiepiſcopum Senatores, ex Ordine quiſque ſuccedentes, ac genibus nixi veneratione, lachrymis, ac precibus juverunt, ſed immoto adeo Prinelpe, ut diſcedere ad Senatorium locum juſſis, ac imperato ſilentio reſponderet, Regiâ dicendi gravitate, quà in conſilijs utebatur, aliter ſibi æternas rationes conſtare non poſſe, niſi privatis, ſplendidis, & fallacibus nuntium remitteret, Rempublicam in tranquillo protunc eſſe, neque publico detrimento fore, quin magis commodo, ſi fractus, feſſusque ætate, laboribus valido, ac rerum capaci locum relinqueret, ſatis ſibi viginti per annos variâ fortunâ regnatum, atque venturã eſſe horam, ut regnare deſinat, quidni Iponte agat, quod cogente fato ſemper metuendum, ſemel faciendum, multis tædio, ac plerumque per infortunia Reipublicæ regnari, quid ſi mutatio perſonæ res in melius mutet, fortunaque ſub novo Principe poſt tot triſtia rerum lætior arridebit, quem caſum

Motus animorum inde ſecutus.

Rex Senatoribus loquitur de abdicatione.

A.C.1669 sum nunc ego superstes facio, aliquando, ac brevi fortiter moriturus, gravioremque improvisâ morte facerem, nec mihi tam grave linquere solium, quàm solum natale hoc meum, atque hæc verba luctus Regis præciderat, sed modico iterum intervallo orationem ad finem perduxit, memorans, quæ Pater suus, quæ Majores præclara & benefica, quæque ipse bello & togâ ardua fecisset, tulisſetque, postremò dedit spatium unius diei, ut re deliberatâ quem modum, & formam abdicandi servari oporteat, consulant, referant posterâ luce, Senatus Primatem Regni in ædibus propriis adiit, nemo sententiam proferre, sed velut ex composito in id omnes ivêre, ut Rex à præcipiti consilio avocetur, datumque negotium publico nomine, orandi, obtestandi, facta, & fas omne appellandi, ac si frustra verba ederent, postremò declarandi, non posse, neque velle Senatum, quis facto modus consuleret, quod omnimodè infectum cupiat, curetque ac si nec flecti, nec expugnari Rex valeat, rem universi populi ad populum seu Ordinum comitia referri oportet, eâdem mox die Rex vocatis Principum Legatis, illisq; ordine admissis, propositi sui de abdicatione certos esse jussit scribique literas ad Summum Pontificem, Principesque Christianos mandavit. Discessu Senatorum ex consilio Varsaviensi deliberatum à Rege, an per Instructionem publicam, ut solet, propositio abdicationis manu Regiâ subscripta, sigilloque Regni munita, conventibus Palatinatuum, terrarum ante-Comitialibus exponi deberet, an per Archi-Episcopi circularem epistolam referri sufficeret, Cancellarius primæ sententiæ Author fuit, sed vicit posterior Pro-Cancellario svadente, suffecturas Archi-Episcopi literas, sive non licere putabat, ut Electionis materia, quocunque colore adstruente fidem, & robur, sigillo Regni agitaretur, multi enim Senatorum Cancellarios, & Pro-Cancellarios Poloniæ, Litvaniæq; prænonebant, alienum legibus esse ut talis propositio publici sigilli formâ consignaretur, sive, quòd Pro-Cancellarius spem fovebat, posse Regem à proposito dimoveri, remque integram fore nutanti consilio, mansurumque pœnitentiæ & mutandi consilij locum, quod Regiâ manu, & publico sigillo firmantibus integrum non esset, sive ne offensis plerisque, & Regi, parùm æquo duriores articuli, Nuntijs terrarũ, sed mandata cõmitterentur, interdicto præsertim, ne provisioni Regiæ post abdicationem assensum præberent, neve in re nova modus aliquis, & forma præscriberetur de legibus, ac libertate electionis vel minimũ deliberandi; advenêre eodem temporis litteræ, à Clemente IX Pontifice Maximo, aliæ aliæque, quibus solicitè, paterneque Regem in throno attinere nitebatur.

Conferentia Senatorum.

Super hæc secretiori epistolâ manu propriâ Italicè scriptâ Pontifex monebat, ut si internis conscientiæ stimulis, scrupulisque premeretur, Confessarium Romam ablegaret, qui Pontificis Divinâ authoritate medicinam facturus, vulnus, seu morbos mentis detegeret, adjecit momentum Marescotus Nuntius Apostolicus Regi, quà voce, quà scripto summâ contentione svadens, ut gradum à tam præcipiti, & Christianæ Reipublicæ, populisque à DEO creditis gradu revocaret, neque abludebat spes mutationis Regiæ, quòd solitò lætior ageret, negotijs, & judicijs dies impenderet & ædificia aliquot locis aut nova strueret, aut labentia restauraret, Palatium Regium exornaret, rem Oeconomicam diligentius, & tanquam in longum ordinaret; prætorianum militem augeret, suppleretque, celebrandis epulis, & nuptiarum festis intentus, atque ad hilaritatem propensior occuparetur, ac multa alia tanquam regnaturus, imitatione regnandi usurparet, populoque adeo imponeret, ut in spem non abdicandi Regni, propiùs adduceret, comitijs in Augusto inceptis, non modicum certamen fuit, an Marescalcum seu Directorem eligi deceat, an comitia, vel quonam alio nomine dici mereantur, plerique Marescalcum, qui anteriora comitia ultimus direxisset, defungi

fungi munere pertendebant, nulla ad præsens, dicendi, tractandique materies, nisi Rex propositâ abdicatione abstineret, vel, si nihil momenti preces habuerint apud obstirmatum animum, auspicante Primate Archi-Episcopo Gnesnensi omnia in interregno solita, ex legibus præscripta exercerentur; decesserat etiam ambitio honoris recusantibus Marescalcatum, qui potiores videbantur. De nomine Comitiorum an conventûs mota quæstio brevi consedit, & in eventum relata est, obtinuit tamen sententia pro eligendo, ad hunc actum, Marescalco, centientium, eâ præcipuè causâ, ne in Litvani directionem, magnus Electionis actus incideret, moderante enim comitijs istis Majore Polono Ordine, successurus erat convocationi dirigendæ Litvanus, Electioni, è minore Polonia Marescalcus Sarnovius Succamerarius Lencicientis par muneri visus, electusque. Prima salutatio Marescalci, & responsum Regium mutua dissimulatione, mentione abdicationis omissa, admissique pro more ad oseulum dexteræ Regiæ Nuntij, & benignè accepti, mox Pro Cancellarius nomine Regio monuit Nuntios, posterâ die venirent, & propositionem Regiam exciperent, cunctati aliquot dies, attamè flexi in venerationem Regis, orandum Regem statuerunt, ut regnare ad vitam non dubitaret, quod Sarnovius Marescalcus naturali eloquentiâ proposuit. Finitâ oratione Rex vocato Pro-Cancellario, diem unum & alterum in deliberatione insumpsit; ad interim solita Comitijs negotia curare, ad consultandum excipere admonuit, digressi Nuntij otio agere & Reipublicæ curas omnes omittere maluerunt, donec Rex abdicationem in nihilo, vel incerto collocavit. Tertiâ dein die, cùm omnes spe vel metu ambiguos teneret, tandem Rex Pro-Cancellario, cui parandus, habendusque publicæ tantæ expectationis sermo erat, mentem aperuit, imperans, ut secretum religiosè coleret, neque cuipiam nisi à throno Regio palàm faceret, excitat ad famam non tantùm Nuntios; sed ingens multitudo omnis statûs, & Ordinis millia ferme hominum ædem Senatûs complevêre, defixi in vultum, & sermonem Pro-Cancellarij, qui verborum ambiguo, modò spem, modò metum ad libitum intendebat, sed tamen omnino constantem in proposito abdicationis esse concluſit. *A.C.1669*

Sarnovius Marescalcus Comitiorum

Vario affectu, & multâ cogitatione excepta oratio, nec quisquam aut durior aut de Rege malè sentiens fuit, quem non reverentia in Principem, mœror, admiratio, amaritudo misceret, confunderet; multis videbatur, negatâ provisione Regem attinere, specioso juris prætextu, restrictam sibi potestatem concedendi ea, quæ per Conventus Palatinatuum requisita non fuissent, sed Rege tam abruptè loquente, sibi decretum esse abdicare se Regno, vel nullâ provisione inopem, & mendicam vitam toleraturo, urgenteque, venirent, solennia Legationis accepturi, auditurique destitêre omni curâ, qui Regis commodis nitebantur, provisionem, aliaque emolumenta non ultra urgentes, modicæ summæ trecentis millibo florenorum, quinquaginta ex Litvaniæ ærario acquievêre, ita compositio negotio, paratisque diplomatibus, dies abdicationi dicta (Dominica erat,) decimâ sexta Septembris. Deliberatum non nihil de modo, suggerentibus alijs, Basilicam Regiam S. Joannis, dignum tanto spectaculo theatrum, ut quo loco prima auspicia Regni cœpisset, sacramque ad aram, Reipublicæ more Majorum jurâsset, eodem quasi ejuraret, fasceſque deponeret, placitum tamen Regi in Senatoria potiùs camera, sacro Comitiorum loco, extremum actum claudere, & throno Regio decedere, ergo solenni sacrorum praxi operante divinis rebus Stephano Wierzbovio Episcopo Posnanienſi, omnibusque Regium in morem observatis ceremonijs, Rex inter mœrentium, & stupentium objectos vultus firmo animo, nec mutato quidquam vultu progrediens rectâ ad Senatoriam ædem ivit, paulumque moratus, donec diplomata, per Senatores,

A.C.1669 & Nuntios subscriberentur. Pro-Cancellario decretorium ultimæ abdicationis sermonem facere mandavit. At ille in lachrymas fusus, genibusque Regis accliniis (observatum id solùm hac die vestem mutâsse) damnatâ infelicitate suâ, quòd in eum tristis, & deplorandi Ministerij necessitas caderet, tandem benignis verbis à Rege ipso firmatus, collectâque voce loqui debuit eadem, quæ priùs, hoc est, quòd Rex statuerit ea, quæ mutare nec vult, nec potest; Miseranda hæc facies, & imago sibi præmorientis Regis, neminem non in lachrymas resolvit, comploravêre grandes ævo, & dignitate Episcopi, Palatini, cæterique Senatûs, & Equites, veris omnino lachrymis cùm jam causa omnis adulandi finivisset, Archi-Episcopus ultimum nomine Senatûs valedixit.

Abdicatio Regis

Secuta post ultima valedictio nomine Nuntiorum terrestrium, utrisque simul respondit Pro-Cancellarius.

His dictis factisque Ex-Rex servatâ omni Majestate regnantis, flexâ pompâ, & dignitate præeuntibus, scipionesque insignia Mtis altum ferentibus Marescbalcis, ad extremos palatij gradus, ascensisque mox rhedis, & equis ad suburbanum palatium omni honore deductus, Marescbalci in camera Regia demissis tandem Scipionibus à Rege digressi, simulq; comitatus omnis Senatorum, & aulæ benè Regi precati, domos quisq; abiêrunt. Postquam ita ad vice-Regem Archi-Episcopum, Senatumq; redijt Reipublicæ cura, deliberatum, multis adhuc Nuntijs præsentibus de tempore convocationis, de securitate limitum præcustodienda, & Tartari, & Moschi legationibus dimittendis, placuit convocationis Ordinum dies decimaquinta Novembris, moniti rerum edicto Primatiali, Præfecti provinciarum, arciumque, omni diligentiâ fines Regni, & externorum ingressus observarunt, neque tardarunt denuntiare Archi-Episcopo, si quid casus aut periculi in Rempublicam advertissent, Tartaro donativum, an stipendium solvi mandatum est, ex thesauro Regni, quinque per annos retentum, dimidiâ parte decisa, quòd violatâ fide incursionibus Rempublicam offendissent, vastitatem provinciæ feciissent; Moschorum Ablegatus cùm se ad Regem missum, neque nisi à Rege cum responso dimitti posse, neque commercij, aut negotij quidpiam cum Archi-Episcopo & Senatu habere impudenter, magnâ tamen pertinaciâ certâsset, ad oppidum Ravam duodecim milliaribus Varsaviâ submotus, excusato cum Principum omnium Legatis, tum ijmet residendi Varsaviæ immunes; acceptum id fuit Magno Moschoviæ Duci, & laudi Ablegato, quem admissum ad Ex-regem literæ ab eodem acceptæ contentum missumque fecerant, & me, prout gesta sunt, compendia narrantê, jam res, tempusque monet, ut occasionem, causamque abdicati Regni noscere ex fundamento hæc curans edoceam; eâ fide, quam ab his, qui id ab ore ipsius Regis, vel veris relationibus acceperunt, habui. Regina adhuc superstes tanto favori in Condæum, & ambitioni solij Poloni ad Gallos transferendi, indulsit, ut decedere ipsa Regno, Regemque ad privati sortem deducere consilijs duxerit, quo vacuum thronum Successori Condæo aperiret, tuereturque; inde frequens in ore habere publicas curas sibi jam tædio, nec facilè ægro corpore sustinere; claustrum palatio adsitum Gallicarum virginum, vel secretum aliud sibi cordi (sat curis, sat molestijs datum, quæ in deterius caderent, vel à minus gnaris, gratisque acciperentur) eadem Regi paulatim innuere, atque potens, & invicta svadendo animum Mariti ita mollire, flectereque, ut Regis laboribus judiciorum, comitiorum sessionibus, ærumnisque non rarò insonaret, & irasci audiretur; addidit stimulum Legatus Gallicus, promo-

Causa abdicationis

vendæ

movendo Condæo properus, à Gallia liberalem pecuniam, & quamcunque sedem privatæ vitæ delegerit, ostentans, pactoque secreto, pensionum, super certis Abbatiis nomine Regis Galliæ adpromittens. Turbaverat etiam non mediocriter Regem irrita nominatio ad Romanam purpuram, Petri Bonsij Episcopi Biterrensis Legati Gallici, Alexander VII Pontifex proposuit, honoriq; aliorum Regum, & Ducis Venetiarum Cardinales tribuens, Poloniæ Candidatum excluſit, quod tantâ indignatione & amaritudine Rex tulit, ut vocatis Episcopis remedium dolori, & injuriæ posceret, Nuntioq, Apostolico Pinatello aulâ & alloquio suo interdiceret, ibatq; in præceps famosæ ultionis, ni Nuntius mortis Pontificiæ, deterioribus consiliis opportunam medicinam fecisset. Sunt tamen qui meminerunt contemptu suo ad Gentem, Regem id maximè interpretatum, atq; inter causas abdicandi Imperii retulisse, obtentus erat Pontifici non rectè, & contra stylum factam, neq; jus nominandi, quod Reges &c: rigidum, & omnino obligatorium haberi, neq; externas Nationes protendi, quin potius Nationis suæ Eminentes viros, aut personas Pontifici gratas commendare teneantur. Laboravit ingenio Secretarius Italus Mazyni, pro Rege, exemplis, & rationibus certans, copiamq; similem, quando Rex Petrum Vidonum Cardinalem nominaverat, verbo ad verbum respondentem producens, neq; Eminentia Vestra, ut sum informatus, tanquam Protector Poloniæ, in urbe, suo defuit officio, memorans nihil Pontificem contra personam Episcopi Biterrensis oppositisse, sed mors interim Pontificis litem omnem in dies magis gliscentem diremit, ac Successor CLEMENS IX. comiter excusans, alieno facto se non teneri, firmamq; promotionem sibi integram esse, ubi primum nominationi Principum locus detur, Regis Candidati & Poloniæ ejus ratione se habiturũ, securum Regem Poloniæ fecit, ipsis porrò comitiis gravi in Legatum Galliæ odio, & verborum acerbitate Regis animum Nuntij terrestres irritavêre, nec sinè vulnere fuit Ozgi Succamerarii Leopoliensis temulenta dicacitas; triste ejus imperium, nec nisi sine regnandi malorum finem, ac boni publici principium fore in faciem jactavit; sub Divo Augusto nondum hominibus verba sua periculosa erant, sed molesta. Cumulavit offensionem, & dedignatione regnandi, exercitûs per Palatinatus distributio, ne stipendia, ne tributa thesauro inferrentur, neve aliquid miles nisi apud Nobilitatẽ per Palatinatus & terras spectaret, quo consilio exemptum Regi jus militiæ, redactamq; ad ordinẽ potestatem armorũ Germani præcipuè Colonelli interdicebant, dolore, aboliti moris, cum Regis nomine & literarũ Cancellariæ præsidio, impune ad hunc diem tota Polonia oberraret, pecuniâ corraderet, quidvis impune faceret, licentia pro jure erat, ac primi numerandis stipendijs Regis favore imperio per dona, & corruptelas adnitebantur, nec multo temporis excrescentibus stipendijs, fraudatoque gregario milite Colonelli ingentes summas lucri faciebant; constat Collonelli Butleri Successores ultra millionem prætensione, alios paulo minoribus summis thesaurum exhausisse, tantumque abusus profecisse, ut neminem Svecis militantem servitij Polonici mercedem accepisse inter exempla fuerit, dolori Regi fuit, legiones ejus Prætorianas peditum, velitumque Germanicorum quanquam ære suo ad minorem, & æqualem numerum contractas commissione Leopoliensi fuisse, cætera comitiorum turbida, & irreverenter acta, dictaque ruperunt patientiam Regis, ut justo silentio inaudito exemplo (mos enim per Cancellarium, aut vice-Cancellarium loqui) in hæc verba proruperit: domini sermonibus ego vestris hactenus aurem præbui, juvat, ut vos quoque verba mea audiatis, video vos consultò ægre mihi, simul ac Rei- *A.C.1669*

*A.C.*1669 publicæ facere; si vos regnante me, tædio afficimini, mulcò magis me regnandi vobis tædet, pigetque; profertis in publicum, quòd rumpere comitia vultis? si abrumpere vobis illa libet, ocius rumpite, meque meâ jam curâ ipsâ, ac sedentariâ servitute exsolvite, hæc impetu, & irâ locutus molliora precantibus Senatoribus, modum posuit, rumpendi tamen altero die comitia occasionem dedit, animumque à Republica projecisse visus est, sunt qui languido otio mollitum corruptumque existimant; nam à prandio clausо palatio prohibitisque omnibus negotijs, in horto vel vicina domo, oblectamentis, vel ludo, dies, noctesque deterebat, atque eâ dulcedine captus procul publico agere, & secreto clausus solitarius vivere in animum inducebat, auditum id quoque, quòd destinatus primùm sacerdotio, mox Cardinalis, scenâ peractâ epilogum vitæ Sacerdotio claudere, in destinato habet, alij dicunt, ut irretitam conscientiam quietam redderet & securo loco firmaret, sicuti voce, & scripto jactavit, &c.

COPIA LITERARUM REGIARUM, AD SERENISS: PRINCIPEM BRANDEBURGICUM. Varsaviæ 29 Augusti.

HUmanitati & propenso erga nos Seren: Vestræ studio, tributum imus, quòd in præcinctu discessus sui ex Prussia in Marchiam certiores nos facere ea de re Seren: Vestra operæ pretium duxerit: respondemus pari benevolentia nostræ affectu Seren: Vestræ, cui prosperum iter apprecantes sinceram pariter amicitiam, bonam vicinitatem, fœderumq; nobis & Reipub, cum Seren: Vestra intercedentium, illibatam observantiam, ex parte nostra adpromittimus. Cum verò non ignotum sit Seren: Vestræ Ordines Regni Polonia in proximè præteritis Electoralibus Comitiis ita sanxisse nobisq; inter pacta conventa proposuisse, ut exortæ & quæ adhuc exoriri possunt differentiæ, ac mutuæ prætensiones, nos inter ac Serenit: Vestram, amicabilibus mediis sopiantur, & determinentur. Damus id libenter populorum nostrorum desiderio, simulq; retinendæ ac magis promovendæ cum Ser: Vestra bonæ amicitiæ, ac mutuæ confidentiæ studio, ut ad peragendū id negotium Seren: Vestram invitemus, neq; existimamus commodiorem locum, ac tempus proponi posse, quam Cracoviæ sub felicem coronationem nostram, cui solenni ritu celebrandæ diem 29. Septembris indiximus. Certâ spe sumus Seren: Vestram singulari erga nos propensioris animi documento per legationem suam, eundem Coronationis actum exornaturam, quod pergratè habituri paribus officiis vicissim rependemus. Ac interim Seren: Vestræ bonam valetudinem & prosperos rerum successus ex animo precamur. Datum ut suprà.

AD CARDINALEM URSINI, A PROCANCELLARIO REGNI 17. Novembris Varsaviæ.

POst multas tribulationes tandem potior visus est obtinendæ nominationi à S. R. M. ad Cardinalitiam dignitatem Illust: & Rndmus D. Petrus Bonsi Episcopus Biterrensis, qui legatione Gallicâ Extraordinariâ binis vicibus in Polonia fungebatur. Concessum

ſum id præ aliis motivis Seren: Galliarum Regi nimis, nimisq; inſtanti, quo cum bona correſpondentia, & amicitiæ veteris conſervatio Regi Poloniæ, Regnoq; huic ſæpius maximis caſibus laboranti Turcicæ potentiæ expoſito, nec fruſtra poſt triſtem Candiæ deditionem ſibi metuenti perutilis videretur. Dignabitur E. Veſtra validam manum, & operam admovere, ut nominationis Regiæ idem D. Epiſcopus Biterrenſis quàm primum effectu potiatur, gaudeat efficaciori ſtudiorum & benevolentiæ E. Veſtræ documento. Non repeto ea, quæ Regiis literis expreſſa ſunt, addo duntaxat calculum officij, & devotionis meæ erga dictum Illuſt: Epiſcopum Nominatum Regium, ac meorum promptitudinem obſequiorum Eminen. Veſtræ dico, & addico. A.C.16(

CONSIDERATIONES CIRCA MATRIMONIUM REGIUM, ANDREÆ OLSZOWSKI EPISCOPI CULMENSIS PROCANCELLARII REGNI.

CONſiderandum eſt, utrum Inire expediat matrImonium? utrum In domo Auſtriaca? utrum accelerare, an procraſtinare? Expedit Reipub: ut fundetur Regnatrix domus, cùm nihil periculoſius ſit, Prin, cipum orbitate: ſummorum diſcriminum, motuum, turbinum, & factio, num externarum occaſio eſt, improlis Princeps; qui non habens quem , relinquat ſolii ſucceſſorem, remiſſior eſt in amore & cura Reipub: Re, gem Vladislaum ab intentione belli Turcici abduxit reſpectus filii, obte, ſtatio Mareſchalci, ob ſpem regnaturæ prolis, amor ejusdem, & metus, , ne illi per hoc, ad Coronam poſt ſera ſua fata eſſet impedimento. Vtile , eſt pro bono Reipub: cum nihil ſolidius firmet ſecuritatem Regnorum, , & Regnantium, quàm ſacra Matrimonii fœdera: Per hæc ſecuram habemus pacem ab Auſtriacis limitibus, quod Reges Poloniæ Domui huic , ea ſint affinitate colligati, hic reſpectus ſangvinis inter alias cauſas motivo fuit; ut nobis in extremo caſu ſuppeditarent Auſtriaci ſubſidia, ut , nos è faucibus Svetici leonis, aliorumq; hoſtium eriperent, & in liber, tatem aſſererent; redderentq; Cracoviam. Quò verò Regi ſuis colliman, dum ſit intentionibus? inter pares difficilis communiter electio eſt, at , ubi deeſt paritas concurrentiæ, ibi nulla difficultas in eligendo. Pera, gratis mente omnibus Principum Domibus, aut nulla penitus occurrit , candidata, aut nulla par Auſtriacæ, ſi quando, nunc vel maximè neceſ, ſaria eſt amicitia, & ſtricta colligatio cum Domo Auſtriaca; hinc enim , auxilia eſſe poterunt, contra belli Turcici pericula; hinc favorabilis me, diatio ad perpetuum tractatum pacis cum Caro Moſchoviæ. Non me, mini ullis hiſtoriis, malè memoratam fœminam Auſtriacam, innatam , bonitatem, pietatem clementiam, præſertim Cæciliæ omnes celebrant. , Hæc vero Archiducissa prima in Europa Herois, omnium ore laudatur , cui ipſe legatus Galliæ, digna in literis expreſſit elogia. Rex Galliæ au, dita Veſtræ Majeſtatis inclinatione ad Domum Auſtriacam, contentũ , ſe oſtendit; ut id declaravit Miniſter ejus in Aula Cæſarea. Non propo, nit ullam Gallam, ut id ſine fundamento veritatis aſſeritur. Iudico er, go nullum illuſtrius & fortunatius eſſe poſſe matrimonium. Quo ad de, terminationem temporis, id eſt in pleno arbitrio Majeſtatis Veſtræ; nec , pertinet ad Conſilium Senatûs; Utrum, & quando Matrimonium ſit In, eundum ſolumq; ratione Perſonæ ducendæ in connubium, Lex vult, ut

conſu-

A. C. 1669 ,consulatur Senatus: meo tamen sensu, quo citius id fiet, eo melius: Tam ,augustum matrimonium, majorem conciliabit respectũ tam domi, quàm ,apud Externos, præsertim apud Portam Othomanicam, & Carum Mo,schoviæ, cuĩ nomen Imperatorium in reverentia est, & veneratione ,Non est ergo inter Principes Europæ ulla similis fœmina, quæ â Maje,state Vestra in tori & throni consortium expeti possit. De Filia Cari ,inanis foret cogitatio, utpote effectum non sortitura: Id enim Carus ,hactenus dissimulat, tamdiuq; Ablegatum Vestræ Majestatis detinet, ,quem citius procul dubio expediret, si de tradenda nuptui Filia cogi,taret: Vana est spes & opinio, restituendi in vim dotis Smolensci, & ,Cis-Boristenensium; si enim ad Coronam tanto pretio concurrere noluit, ,longè minus possessa dimittet, in gratiã Matrimonij Filiæ. Prodidisset id ,verbo aliquo coram Commissariis, nec tam durè cum illis egisset in tra,ctando. Non deest exemplum in Helena Cari Filia, quæ Religionem ,Catholicam suscipere noluit, & in spem obtinendæ eum Caro paeis in ,Matrimonium ducta, nihil profuit; adeoq; ipsa ab hoc deterret Religio. ,Carus aliquot cum habeat Filios, de conservando eis, augendoq; Impe,rio cogitat, Filias verò minoris æstimat, quæ subditis, & Bojaris tradũ,tur nuptui, nec ullius apud eum vinculum affectûs est, etiam ex pro,xima colligatione, eum etiam paræmia sonet Moschovitica: Carum & ,Deum nullam habere consangvinitatem. Svadeo itaq;, ut Majestas Ve,stra determinet, publicetq; ex hoc Consilio, â se Archiducissam hanc ,non aliam ducendam esse in Matrimonium. Ego de statione mea tan,tam fortunam gratulor, qua tam augustum, facile, & opulentum con,tingit connubium, quod omnino videtur non differendum, ne succedẽ,te aliquâ minus faustâ in Repub: temporum revolutione, interveniant ,difficultates ex parte Imperatoris, si Majestatem Vestram aliquibus ex,positam periculis in lubrico fortunæ gradu viderit consistere. Nemo ad na,turam, non ad opinionem res penetrans, non videt omnes Reipub: corru,ptelas, pejoraq; interna' mala, quæ ad interitum ducunt, & truduntRe,gna, etiam florentissima. Melius itaq; motus, metusq; prævenire, ac res in ,tuto sine mora collocare.

XX.

SERENISSIMO MICHAELI REGI POLONIARUM ANDREAS OLSZOWSKI PROCANCELLARIUS REGNI SUÆ MAJESTATIS LEGATUS EXTRAORDINARIUS Viennâ IOmâ Decembris.

Relatio legationis.

NOn occurrebat quidquam dignum ad deferendum Majestati Vestræ in via, ac proinde bis tantùm scripsi Abbati Szezuka, Nunc post expeditam publicam audientiam defero eodem ipso momento fidelem subjectionem, & devotissima mea Majestati Vestræ obsequia, cujus auspicijs tribuo, quòd hæc Legatio mea cum magno gaudio est acceptata, & supra spem meam grata in oculis Aulæ hujus apparet. Mensura lætitiæ de magnitudine negotij venit, & tanta fit alacritas animi, quanta fuerit & consideratio rei.

Imperator ante ingressum meum ad privatam admisit me audientiam, qui honor rarò aliis indulgetur Legatis. Post hanc primam audientiam immediatè fui apud Imperatricem Viduam, & Archiducissæ me inclinavi. Ingressum publicum in curribus, & equis insigni pompa plus quàm ipse credidissem absolvi. Intra horam post ingressum meum visitavit me incognito

Prin-

Princeps Lopkovicius, ego etiam in crastino noctu circa septimam par *A.C.* 1669
officium retuli. Ceremonialia receptionis meæ, & acta omnia ex dignitate Mtis Vestræ Gentisque meæ describet Abbas Zebrzydovius, & Kochanovius Gubernator Radomiensis. Cras conferentia instat cum Principe Lopkowicz & Imperij Procancellario. Dum mihi quatuor milliaribus ante Viennã occurrerat Chimenes, illud mihi insinuavit in discursu, quòd Imperatrix Mater matrimonialẽ actum libenter videret acceleratũ etiam ante Comitia, & quòd ipsamet reducere filiam intendat Częstochoviam, sed ego sensum meum super id nec verbo uno, neq; Chimenesi, neq; Patri Sylvano aperui, sed me ex integro referebam ad conferentiam publicam cum Delegatis Imperatoriis, & colloquium cum ipsa Imperatrice.

Hoc momento redeo ab Imperatrice, cogitabam, recogitabam meum diligenter, quid in hac materia expediret dicere, tandem apud me concluſi, quòd hoc sit ex dignitate summa, & commodo Mtis V, ut Mater Filiam in limina Mti Vestræ reducat. Alios Legatos hic in uterioribus Ceremoniis non optant, parcendo sumptibus, & tempori, credo proinde sic concludendum, ut Imperatrix cum Archiducissâ moveant versùs Poloniam Viennâ ultimis diebus Januarij, tres septimanas itineri dabunt, Częstochoviæ pro 18 Februarij circiter comparebunt, pro qua die commodum credo fore Mti Vestræ iter ad excipiendam sponsam. Credo quòd per id non lædam gratiam Mtis Vestræ, quòd audeam sine expresso ejus mandato, præsertim cum ad me concurrant literæ ex Polonia, solicitando me, ut id curem, quatenus nuptiæ fieri possint ante Comitia. Optarem tamen, & consulo, ut Majestas Vestra obviam in Silesiã honoris causâ Legatos expediat. Vicinum esset iter Episcopo, & Palatino Cracovienſibus, possent hoc obsequium præstare; in quantũ verò se excusabant hi, & alij, offero ego me ipsum ad ultimum hocce obsequium, quanquam libentiùs quieti me darem. Sed non puto ut aliquis velit obtrectare tam honorificum, & meritorium obsequium apud Mtem V. & futuram Reginam. Tentatus ego hic fui, ut ex integro istud obsequium perficerem, hic diutiùs morarer, & post Reginam conducerem. Facilè me excusavit ministerium meum, cujus præsentia in Regno desideratur præsertim sub tempus Comitiolorum. Relinquam tamen ad obsequium Fratrem meum Hieronymum Olszowski Vielunenſem Capitaneum, & jam stabuli Reginæ Præfectum, & Zebrzydovium tanquam legationis Secretarium, qui speciem habebunt ministrorum, usque ad illud tempus, quando Legati Extraordinarij Mtis V. occurrent.

Ego hinc movebo vigesimâ tertiâ currentis, tres septimanas credo itineri impendam, quamvis cùm non sit extra viam, matrem meam visitare vellem. Nescio quà iter meum promovere debeam, & delibero per Vratislaviam, an per Częstochoviam, post crastinam conferentiam realem rerum concluſionem expediam statim, veredariorum more ad M. V. Dominum SYRI, aut Abbatem CÆSARI.

Imperatrix Vidua summi est judicij, & multùm affecta reverensq; Mtis Vestræ, cum Archiducissâ in Poloniam non venient, nisi una Baroneſſa Mantuana MILIA sine ullo titulo, & quatuor puellæ, inter quas una tantùm insignis erit, Principissa Holstinenſis annorum decem. Ex viris neminem habebit, quatuor tantùm vilioris servitij, Cocus, Credentiarius, supellectilis Conservator &c. Omne servitium debet esse ex Polonis, ne oneri sit, & invidiæ, nam qui genitalis soli relinquit dulcedinem, nobis volet inhærere. Video, & consido, quòd hic nolint impinge-

A.C. 1669 pingere in errores & diffidentias in populo importunas, qui certatim servitia quærunt, expedit negativè Imperatrix, omnia referendo ad voluntatem Majestatis Vestræ.

Archiducissæ infinita pulchritudo calamo exprimi nequit, omnes mecum Comites mei conveniunt, quòd pulchriorem videre sit difficillè. Dexteritas verò in moribus, prudentia in sermone, & omnes qualitates incomparabiles, in ore totius Viennæ nomen & laus ejus, nec eam satis deprædicare queunt.

Princeps Auspergensis sub meum adventum disgratiatus, causa in occulto, ita hic servatur silentium, nam & Nuntius PINATELLI quamquam petierit ab Imperatore, ut sciret, quid Pontifici nuntiare deberet, nihil expiscari potuit. In ore hominum est, quòd ambitio pro nominatione ad Cardinalatum in hoc ipsum induxit præcipitium. Eodem die tristis ejus hinc egressus, & meus triumphalis Viennam erat ingressus. Compatior ex corde casui tam magni viri, sed hic nec condolere licet, gravi ab Imperatore interdicto: dum illi denuntiatum est, ut exiret, addidit hæc propria verba missus, quòd Sua Majestas gratiam ipsi vitæ faceret. Apparet, quod ab Isola Bruxellis, Roma, ex Hungaria insimul planè contra illum venerint documenta. Pluribus non moror, sed manum Majestatis Vestræ exosculor.

CAROLUS DEI GRATIA MAGNÆ BRITANNIÆ FRANCIÆ ET HIBERNIÆ REX, FIDEI DEFENSOR, SEREN: MICHAELI REGI POLONIÆ. 7. Februarij

EX Serenitatis Vestræ literis 15. die Januarij novissimè prateriti scriptis intelligimus Serenitatem Vestram nuptias cum Serenissima Eleonora Archi Ducissa Austriæ contraxisse, easdemq; die secundo Martij jam appropinquantis Varsaviæ celebraturam esse, quod quidem singularis amicitiæ testimonium, à Serenitate Vestra profectum eâ, quâ potuit reciproci affectus lætitiâ accepimus. Utque ex publica ratione Serenitati Vestræ gratulamur, quòd hoc connubio Augustam Cæsaream Domus affinitatem, sibi ac Regno Poloniæ adjunxerit, cujus auxilijs communem Christiani nominis hostem vel facilius repellere, vel fortius sustinere possit; ita privatim Serenitati Vestræ suaque Serenissimæ Sponsæ, omnia fausta ac felicia, auguramur. Deum Optimum Maximum precantes, utrisque Serenitatibus Vestris cum diuturna prosperitate Regiam quoque prolem ex voto concedere velit.

RESPONSUM Varsaviæ.

GRatulationem noviter delati nobis sceptri Polonici, à propenso & fraterno Serenitatis Vestræ affectu profectam læti libenteque accepimus, qua decenter peracta simulq; expeditis, quæ in commissis habuerat Serenitatis Vestræ mandatis redux hinc abijt Generosus Petrus Wyche Ablegatus Extraordinarius, commodam grati animi nostri significationem pro tam luculenta propensæ erga nos voluntatis expressione coram relaturus. Erit vicissim nobis curæ & cordi

di ut mutuâ ſinceri animi & amicitiæ noſtræ conteſtatione Sereniſſimi Vestræ reſpondeamus. Porrò propoſita Nomine Serenitatis Veſtræ de arctiori fœdere cum Sereniſſimo Rege Sveciæ ineundo negotij reſolutio, cum præter Comitiorum Regni noſtri indeterminationem ad præſens ſubſequi non potuerit, neceſſariò ad tempus magis opportunum differri debuit. Nihilominus præfati Generoſi Ablegati extraordinarij dexteritatem ac uti addecebat fidum & diligentem Miniſtrum probatam ſedulitatem & in tractando laudabilem conatum, non poſſumus non proſequi Regiâ noſtrâ apud Serenitatem Veſtram commendatione & benevolum ipſi conciliare reſpectum. Quod reliquum eſt Serenitati Veſtræ optimam valetudinem & læta quæque ex animo apprecamur. A.C.1669

COPIA LITERARUM AD LEGATUM CÆSAREUM, A PROCANCELLARIO REGNI.

BOni augurij duco, quòd vix Poloniæ finibus pedem extuli vix Sileſiam fines Imperij Romani ingreſſus ſum, læta, & amœna hic omnia aſpexi. Sol deterſis nubibus pulchrè lucere, terra lutulenta glacie ſtringi, iter planum, pronumque expediri, nova quaſi omnia fieri cœperunt. Quidni ſperem augurerque negotium, quod ago læto, & ſereno eventu ſucceſſurum, humanitatem, & hoſpitalitatem nullis verbis poſſum exprimere, quibus in Domino, & Arce Pleſzenſi ultra meritum meum afficior, quo nomine ago, debeoque gratiam immortalem Excellentiæ Veſtræ, atque utinam ea felicitas mihi obtingat, ut me verè & realiter gratum erga E. V. pro innumeris ejus favoribus demonſtrem. Sed interim profiteri rependere eſt, quod toto animo facio, ac me meorumque obſequiorum promptitudinem æternum devoveo, & obſtringo.

COPIA LITERARUM MARTINI DEBICKI SUCCAMERARII SENDOMIRIENSIS AD CASTELLANUM SENDOMIRIEN: Cracoviâ 1mâ Decembris.

STatueram, ut meminiſti, poſt peractam Electionem, nullis me immiſcendo publicis, domi fortunam & fatum publicum, imò forſan privatum brevi cum ſenecta imminens, expectare, cum perſuaderi, nequeam, ex hujuſmodi principiis optatum emerſurum eventum: Ut enim verum fatear cardinalia libertatis noſtræ ſublata jura, quandoquidem non ratio ſed impetus, non unanimis conſenſus, ſed armata conſuſio, non delectus, ſed caſus, Dominum nobis impoſuit. Aequieſcebam ego publicis acclamationibus, quæ vocem populi pro voce DEi interpretabantur; fracta jura liberæ contradictionis, ſolabar dignitate ſtatûs nobilitatis, qui videbatur (licet longè aliud in re fuerat) vocibus ſuis ex ſuſpecta Optimatum potentia triumphare, perſonam verò electam intuens, cùm nihil viderem, quod eam ſingularius ſupra alios commendaret, judicavi inſtinctu quòpiam Numinis, corda tantæ multitudinis uno, ſi credere fas eſt, momento ad eam directa eſſe; ut ſine virtutibus, ſic extra vitia illam eſſe judicabam, utpote qui eam antea non noveram,

A. C. 1669 ,veram, uti & magna pars Electorum. Non placuit mihi quidem titu-
,lus Principis, qui aliquomodo videbatur derogare æqualitati ſtatus no-
,bilitatis, quandoquidem hic ſolus præ omnibus dotibus oculis eum po-
,puli propoſuit, verùm fortuna domûs depreſſa, educatio in re tenui, aſ-
,ſuefactio ad ſtrictam vitam, ſupprimebat hanc Principis celſitudinem,
,ad nobilium verò illum videbatur reſtringere mediocritatem. Recurrit
,mihi in memoriam, Patrem ejus primam fuiſſe occaſionem rebellionis
,Coſaticæ nomenq; ejus in ſummo apud eos fuiſſe odio, qui nihil magis
,in omnibus ſuorum tractatuum propoſitionibus, quàm ejus exigebant
,extraditionem; cum tamen in eorum pacificatione non exigua pars cõ-
,ſiſtat ſalutis publicæ; arbitrabar tamen eam rancoris obſtinationem
,ſucceſſu temporis evanuiſſe. Subibat etiam mentem, non unum Regẽ,
,ſed plures Regulos electos eſſe, qui Rempub: interim premant, quan-
,doq; diſtrahant, verùm, cui impar eram, fato permiſi. Super omnia ve-
,rò ſperabam, extinctis diffidentiis, quas in Patriam noſtram, nihil ma-
,gis quàm ambitus Concurrentium ad thronum inducit, non offenſo per
,electionẽ Poloni, ullo externo Principe, communi nos tandem aliquan-
,do fruituros pace, illosve, qui circa Electionem intervenerunt errores,
,ſubſequenti regimine, ſi non corrigendos, ſaltem communi contenta-
,tione tegendos, & abolendos; Verùm non poſt multum temporis, varia
,prodiére ſcandala, quæ me deſperare penè de ſtatu publico coegerunt:
,ſperabamus ſicq; nobiſcum ratiocinabamur circa electionem; (cùm qui-
,dam rectè ſentientes ſuaderent facta prius pro Piaſto conventione, tum
,primùm diſquiſitionem eſſe faciendam, & ſuper omnia, pacta conven-
,ta conſcribenda) hoc ipſo quod ſit Polonus, nullum fore ab eo metum,
,facturumq; omnia quæcunq; voluerimus; & ecce per ſubordinatas per-
,ſonas, notis jam artibus diſtrahendæ Reipub: in perfectam domûs Re-
,giæ circumſcriptionem, conſenſus eſt impeditus, cauſa Zamoyſcienſis
,de ſuo ſtatu delapſa, procuratumq; ut in materia matrimonij, aliiſq;
,punctis Regem concernentibus, pacta conventa ad placitum ſcriberen-
,tur, variiſq; clauſulis circumſcriberentur. Sic in publicis; in privatis
,verò omnia vitia veteris aulæ, at non æquè excuſata. Præterito Regi
,ſors naſcendi in Regnatrice domo, nec unquam agnita privata fortu-
,na plurimum concedebat; quod moderno cavendum erat, cum tamen
,eadem in apricum ſat citò prodeant mancamenta; ſcena tantùm mu-
,tata, nõn fabula; ijdem inſuſurrant Regiis auribus aut pejores priori-
,bus. Quod ita perſtrinxit oculos fratrum, ut tertiâ die poſt electionem
,ex Palatinatu noſtro Sandomirienſi expediti fuerint Nuntij, cum ex-
,poſtulatione, petentes, quatenus Rex ablegaret à latere notas aulæ pe-
,ſtes, quod non tantùm non eſt factum, verùm etiam legatio ad effectũ
,deduci non permiſſa. Conſilium in penetrali tribus duntaxat conſtans
,perſonis dirigit omnes in ſpecie ſenatûs publicos actus ad Optimatum
,ludibrium. Legatus Viennenſis, ut ante Gallicus in Reginæ; in Regis
,conclavi, pernox & perdius. Primariæ dignitatis viri non tantùm à con-
,ſiliis & confidentia excluduntur, verùm etiam ſuſpicionibus onerantur
,imaginabilibꝰ figmentis aggravantur, & odio populi exponuntur: Officia
,ſtaroſtiæ & ſubſellia ſenatoria viventibus Poſſeſſoribus, in alios diſtribuũ-
,tur: Promotiones non per miniſtros ſigillorum, ſed vel per Matrẽ gravẽ
,Reip, vel per pueros & Ephebos, qui primæ admiſſionis locum obtinent, con-
,feruntur. Talia ſcilicet ſunt primordia Regni in incunabulis, nondum ſatis
,maturum ſceptrum nec bene firma poteſtas quid amplius ſperare jubet? ſi
,hæc in viridi, quid in arido? Volueram igitur in mea concluſus caſa, haſce

decli-

declinare tempestates, & si non aures, oculos saltem, velut delicatiores cor- *A.C.1669*
poris partes disgustibus subducere: Congenita tamen hominibus curiositas
traxit me adhuc Cracoviam, ubi infirmam licet, habui tamen spem; quòd scilicet in primis Comitijs authoritas publica pullulantes hasce urticas esset exstirpatura, exorbitantias cohibitura, omniaq; ad formã & præscriptum legum directura: Et ecce pejora nunc fiunt prioribus; ubi enim deliravimus, loco medicinæ venenum hausimus, quo ipsa afflata comitia, quibus deplorandum est instructum funus: Quodq; omnibus commune est erroribus, etiam vestigia non relinquere, propriasve culpas in alios devoluere; nunc quoq; eâdem arte, jam Zamoy sciis, jam alijs; nulla ad id ratione pertinentibus, ruptionem comitiorum imputare. Ego quæ vidi & audivi à viris fide dignis gnarisq; consiliorum, breviter tibi scribo, non fidens memoriæ, insvetæ technis hujusmodi & machinationibus; quæ senio provectas aures impleverunt; ne forte priusquam conferendi tecum detur occasio, elabantur. Quod verò non tam cito domum redeam, insolenti id est factum casu: Iussi mihi submitti curriculos (non enim ut probe nosti plures sexigas habere concessit res angusta domi) & ecce honor illis exhibitus sub Cracovia; ut qui nobilem vecturi erant, in Regios usus intercepti converterentur; nec erat cum quo de repetendis ageretur præter Valachos & Cosacos, apud quos in flagello ratio & in armis. Vectores dimittebantur redemptione factâ, non item nobilium subditi imò & senatorum, (quod mihi solatio erat) trahebantur Varsaviam & Zamostium: Fors levioribus huc sarcinis venerant, quàm redeunt. Deus novit, fietne aliquando, ut eum electione Poloni, redeant antiqua sæcula? an non potius hunc Piastum iterũ nostris vehere cogemur modiolis. At redeo ad propositum. In primo introitu Regis offendit Polonorum oculos exoticus habitus index omnino, (sic enim illum in præteritis interpretabamur Regibus) aversionis à Polona gente. & ad exteros conversionis: Nec huic ipsa occurret natura, cum habitus difficilius frangatur quàm natura. Educatio in Imperio Germanico, nunc inclinatio affectûs ad connubium Austriacum, magis ad illam nationem, quàm ad proprios (sic eos compellare res ipsa jubet) trahit Mecænates. In hoc tamen primo dolore meo, risum mihi fecit quidam Vicinorum nostrorum, qui in electione noluit in Mareschalcũ Equestris circuli nominare Capitaneum Spiscensem, eò, quòd germanicis femoralibus ornatus esset, nunc tamen Regem ijsdem indutum & cum germanico capite Introducebat: Patuit post dies aliquot clarius hæc inclinatio, dum aureum Regis Hispaniarum vellus, Toison appellatum, Rex non tantùm ordinibus non congregatis ad comitia, verùm etiam senatoribus inconsultis susciperet; eum tamen insigne id sit Domûs Austriacæ; nos verò ideo Polonum eligimus, ut indifferens esset inter domus æmulas, utq; infinitis nos bellis non implicaret; ideo Gallum noluimus, ideo ab externis cavimus, inanes tamen conatus nostri, nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. Tuetur se Rex exemplo præteritorum Regum; At etiam illorum errores vitandi potiùs sunt, quàm allegandi. Habuit Sigismundus Austriacam, aureumque vellus, & ideo favebat Austriacis occultasq; submittebat suppetias. Induxerunt hac de causa Galli & Tartaros sub Choscimum. Habuit Casimirus Gallam, favebatq; Galliæ, offensi ideo Austriaci incitârunt Moschum, & pretioso suæ mediationis titulo, tractatum pacis cum Czaro impediverunt. Fecit quoq; Rex suscipiendo hoc germanicum insigne, quoddam juramentum, sed conclave, auscultandi gratia, subintrare non potui, nec ab eis qui aderant, quidquam certi expiscari; eò, quòd vel nõ audierint, vel auditam formam juramenti non intellexerint. An verò expediat, Regem Poloniæ juramento cuipiam, præter Rempub: adstringi, quisquis boni publici amans est, discernat & dijudicet, nisi forte fiat eum re-

A.C.1669 Juramentū cum restrictione à Rege factum.

, strictione ut est factum statibus Regni. Stuporem tibi adferet, fidemq; quod , scribo, superabit; id tamen à primæ dignitatis, in Patria viris percepi refe- , rentibus se ex ore Regis audivisse, quod cum restrictione juraverit. Quam , igitur solutum legibus Dominū nactus quomodo illi vicissim obligati obstri- , ctiq; sumus juramento, quandoquidē illius nullum est juramentum? quæ- , nam hæc sit copula cum Repub: sine voto, altiùs introspicere, operæ pretī- , um judicarem: Dicitur hæc restrictio Regij juramenti fuisse in puncto Dissi- , dentium; Si licet in uno puncto Regi juramentum restringere, licebit & in , altero, consequenter in omnibus. Fatetur se in uno id fecisse, quis scit an , non in pluribus? spectatâ verò eorum observatione, quid sit de eo sentien- , dum, non autim decidere, cum præsertim facilis sit apud Presbyterum Cie- , ciszewski absolutio. Hoc erat, Regem elegisse priùs, quàm agnovisse. Quæ , spes præstandi ab eo sincerè juramenti super servanda jura post electionem , in Regem, qui illa privatus & egens vilipendit, ut tot banizationes & con- , demnatæ in varijs Regni & Wolhiniæ Actis, (licet summo studio conqui- , sitæ eliminentur) testantur. Sordent forsitan jura; sordent, licet sat recentia , pacta conventa, quandoquidem juxta præscriptum electionis in præsentia , senatūs primo die comitiorum lecta non sunt. Fateatur bona fide an ea vel , unicus senator audiverit, & tamen si Princeps esset amans Patriæ, observans , legum, non tantùm illa in principio Comitiorum legi, verùm etiam in con- , clavi, parieti, & vix non propriæ fronti affigi curaret, quotidieq; hunc suæ , decalogum legeret obligationis. Hic jam ordine procedam per articulos pa- , ctorum conventorum.

Regina externa non debet se immiscere negotiu Regni. Austriaca se immiscuit.

, In sequenti titulo, spondet Rex pro futura consorte, quòd se non sit , in negotia statūs intrusura, nec promotiones per fœminas aulicas externas , factura; & tamen licet nondum sit consors, jam Viennæ promissi sunt Ma- , reschalcatus, Cancellariatus, & quod summum est, jam dicitur non nemo, , assecurationem habere Viennā pro sigillo. Gravior forsan erit nobis Vien- , na hæc, quam fuēre non pridem Parisii; facilis enim illinc informatio, , & intra spatium unius septimanæ Varsaviam perveniet resolutio. Bellicæ , œconomiæ promissa erat provisio ex primis vacantibus, narret id Kros- , num, de quo plura mox referam. Nec id obstat, quod exules interceſſe- , rint, sicut enim illi omissi sunt, ita factum cum bellico apparatu: cum e-

Exulibus (forsi) Wolhinensibus contributio dari statuta eximia- rum vacan tiarum re- ditibus.

, xulibus verò quid factum sit, puto te non ignorare: habent diploma co- , mitiis anni 1667 roboratum, pro conferendis sibi in recompensam amisso- , rum bonorum, ex reditibus primarum vacantiarū 30 millium: Devolvitur id , post occisionem Fredro Capitanei Krosinensis ad dispositionem Reginæ, , confertur contra jus Palatino Sandomirienſi. Ignorantia in hoc prætendi , nequit, ministri enim sigillorum prænonebant, apprimere sigillū nolebant, , nec de facto appresserunt: in principio comitiorum Nuntij Palatinatuum , Verainensium exigebant Starostiam Krosinensem: quid aula facit? evul- , gato arcano potestatem tribunitiam à se ipsa tolli, Nuntios contra Nun- , tios incitat, contradictionibus involvit, cameram Nuntiorum totum ferè , sex septimanarum spatium inutiliter extrahit. Interim ne omnino dicatur , otiari, in causa Zamoyscij complanationem instituit. Ut verò id in forma , comitiorum fiat, sessiones peraguntur, quæ, quia ob constantem Zamoy- , sciorum oppositionem non successerunt, tum primùm omnis cura comitio- , rum, quando privata in eis assurgere non poterant: Quia verò directè , non poterat denegari Krosinum; de modo recipiendi & manutenendi, mil- , le inutiles moventur quæstiones, eo prætextu privilegium in Cancellaria , detinetur, ut tandem Nuntius in desperationem non tantùm Krosinensis , causæ, verùm etiam aliarum publicarum, quibus jam tempus non super- , rat, actus cum protestatione abierit. Considera itaque, quisnam inter du-

» os, funem hunc trahentes, comitia ruperit; illéne qui cum protestatione, *A.C. 1669*
» cùm illi satisfactum non esset, abivit; an qui legi noluit satisfacere, tem-
» pusque inutiliter extraxit? videtur quidem fore, ut magno essent emolu-
» mento Regi comitia coronationis, hácque ratione, volunt eum quidam
» excusare; at Regi, ex ruptione eorum nihil incommodi, quando ea
» non obstante; solita (licet ignoro an fundamentaliter) tribunalia, ju-
» dicia in actis reassumpta, Regalia omnia roborata. Commoda verò hæc
» sunt. In pactis conventis plurima summè Reipublicæ necessaria addita
» non sunt; aliis aliter, quàm consensus exigebat sub Varsavia scriptis,
» non interrogatum; quod totum deinceps oblivione & tædio interibit;
» in recenti verò, neglectum non fuisset. Causa Zamoyscensis, cui tamen
» aula diffidit, nec audet recentem authoritatem, cum manifesto jure
» committere; in suspenso remansit, hac forsan spe, quod paulatim suc-
» cessu temporis Zamoyscij aut tædio victi deficient, aut succumbent sum-
» ptibus aut firmatæ authoritati cedent pro exigua aliqua contentatione.
» Quando rumpuntur comitia, summa authoritas gubernandi penes Re-
» gem manet, major incomparabiliter, quàm si legibus stringatur pote-
» stas, præsertim si bella quæpiam, aut turbines, qui jam nostris im-
» minent capitibus, fuerint procurata; recta via est arripiendæ potesta-
» tis absolutæ. Quis scit an non hac intentione, post rupta comitia, da-
» tæ sunt denuntiatoriæ, ut Rex habeat certitudinem dominandi, & o-
» blivioni detur confirmatio jurium Regni, quæ semper simul fiebat; ne
» habeamus securitatem jurium nostrorum ac libertatum: Et hoc est ar-
» canum status, propter quod nunquam Reges ita promovebant con-
» clusionem comitiorum, ac Equestris Ordo, cujus libertatum conserva-
» tio, à comitiis, consiliis, & conclusionibus dependet. Denuq; hæc est
» secreta, & genuina, (ut audivi) ruptorum comitiorum causa; ut con-
» nubium ineatur sine consilio, & consensu Equestris Ordinis; qui id ne-
» gotium ingredi voluit; de quo variorum Palatinatuum, & nostri San-
» domirienſis, fuit articulus. Procedo ulterius, per pacta conventa: *Pa-*
» *cta & fœdera cum externis Principibus & Dominijs, renovare,*
» *pacemq; cum eis inire curabimus.* Summè id mihi suspectum est, quod
» Elector Brandeburgicus ministrum pro actu coronationis non miserit
» juramentum non præstiterit, irritatus, (ut audivi) quibusdam literis,
» non ad contentationem scriptis. Agitur id, privatâ domus Regiæ dis-
» sensione, ratione Capitaneatus Drombinensis, quo vendito Electori Prin-
» ceps Palatinus Belzensis indignatur adhuc, dum de hoc sibi dicitur, li-
» cet eum Hoberbek sub tempus convocationis sat discretè tractaverit;
» publicè & documentaliter illi, quod debuit, deducere nolens civitatum
» Pruthenicarum, discretorum, summéque nobis necessariorum, sub-
» ditorum Nuntios vidi non modicè alteratis vultibus; brevi forsi-
» tan audientur, qua de causa à Comitiis coronationis abierint. Quod ca-
» put rei est; ad Portam, vix tandem notum, quisnam, expeditus; à qui-
» busdam dicitur Wysocki, ab aliis Wieniewski, alias Toroszowicz Ar-
» menus, quod esset cum summo Reipubl: discrimine, nunc præcipuè,
» quando Turcæ, inferendi nobis belli, ansam solummodo ex parte no-
» stra, dandam videntur quærere. Quis spondebit pro Toroszowicz, il-
» lium magis adscriptitiæ, quàm propriæ fauturum Patriæ. Didicit ille
» variis negotiari mercibus; quid, si etiam sangvinem, libertates, & sub-
» stantias nostras, & super omnia, fidem sanctam vendiderit? pro quo li-
» cet plenipotentiam non habeat; sufficiet color illis, qui si artibus non
» potuerint, poterunt id vi extorquere ab Armeno, quem insuper non ut

Emolumentum, quæ Reges cõsequi possunt ex ruptis Comitijs.

Conservatio libertatum Poloniæ pẽdet à Comitijs.

Pacta Regis de non ineundis fœderibus cũ externis Principibus insciis Repub.

A.C.1669

Legatione apud Turcas funguntur homines vilis conditionis.

à Polonis exigunt Legatos viros delectos.

, Legatum, verùm ut subditum, & profugum, tractare poterunt, ille ve-
, rò martyrium fuoire nolet. Offendere quoq; illos poterit personæ vi-
, litas: licet enim Turcæ ipsi nomines vilioris conditionis ad legationes
, adhibeant, faciunt id ex arrogantia, & vilipentione nostri; à nobis ta-
, men exigunt viros, ut eos in pactis vocant, Delectos; Pugnat id ex-
, presse cum singulari articulo Pactorum conventorum: *Id quoq; cavemus*
, *Reipub: quod Legatos ad exteras nationes, non expediemus, nisi nobiles bene pos-*
, *sessionatos utriusq; gentis.* Legatusne hic sit an Ablegatus, sufficit, quod
, in summis Reipub: negotiis sit expeditus, in quibus Legatum expediri
, conveniret, si esset cura salutis publicæ.

Monetæ.

Modum ratione solidorum & tynforum, in futura coronatione
, *efficaciter condicere concedimus.* Pro excusatione sunt rupta comitia,
, ex cujusnam causa jam innui. Res tamen hæc magna indigens præpa-
, ratione, dum crudè in comitiis proponetur, nisi prius modus habe-
, atur, per homines gnaros artis monetariæ, nunquam ad effectum de-
, ducetur. Dicat Thesaurarius; aliquandone Rex cum eo hac in mate-
, ria seriò est locutus? ad quod tamen, si non jura, amor saltem erga Po-
, lonos obligare deberet, quibus per hanc monetam, singulis annis pro-
, ventus minuitur; nisi fortè Viennensi dote ditati fuerimus.

Militem sub suo nomine non foveat.

, *Legiones, cohortes & manipulos militares sub nomine nostro in*
, *exercitibus utriusq; gentis non habebimus.* Si legiones, ergo nec vexilla;
, & tamen retenta sunt omnia vexilla præteriti Regis sub nomine moder-
, ni, ex quibus sat numerosa erit legio. An non ergo totus exercitus, o-
, mniáque vexilla sunt Regia? compertum est, ab ijs vexillis, quæ se Re-
, gis tuentur nomine, omnium insolentiarum, rapinarum, inobedientiarum
, exempla, & contagionem promanare: Non deerant boni cives, qui ratio-
, ne hujus, tractando de pactis conventis, dicerent, id tamen aulæ repres-
, sit, parando sibi ex ijs hominibus peculiarem, non Reipublicæ, in qua bo-
, no Principi præsidium, & spes locanda sunt; sed domui suæ potentiam;
, quæ, in quemnam finem parari deberet; non video, nisi ad oppressionem
, Reipublicæ: Eô forsitan fine campestri Duci evicta regimina; eô auctæ
, gvardiæ, eô Regius antiquus desultorius detentus miles, ut haberetur
, prætoria potentia.

Iis qui sunt nobilitati officia in Rep. concedi non debent usq; ad 3. gene-rationem.

, *Iis, qui creati sunt nobiles, officia & beneficia ad tertiam gene-*
, *rationem, non conferemus, nec eos in legationibus ullis expediemus.*
, Wieniawski ad portam expeditus, alius externus Viennæ Residens.

, *Bona nostra œconomica, nec Staroſtias, salisfodinas, metri-*
, *cas, Regentias regni & M. D. Litvaniæ, secretariatus, notaria-*
, *tus aulæ, notariatus fiscales, & in genere omnes administrationes*
, *lustvartovienses, telonia, cameratus, Emphyteutico jure non conce-*
, *demus:* Et tamen Sambor Wodźicki cum Kotowskijs, jam telonia Regni
, licet sub alieno nomine, Radźicki cameratum, Pinow sigillum Regni, tan-
, quam Secretarius Daniæ, alij alia administrant. Quid dicam, de Secre-
, tarijs Viennensibus, (qui in locum Lambiesorum, Bonziorũ, tanquam legi-
, timi hæredes, vivacius adhuc hanc administrant Provinciã) successerunt.

Publici Ærarij apertio est Regi illicita in scio Reipub.

, *Ærarium aperire etiam ex Senatusconsulto, nemini concedemus,*
, *sinè consensu speciali totius Reipublicæ.* Mittendum quidpiam Viennam
, erat; abdita ærarij patuissent, nisi supremus Regni Cancellarius obstitisset.

, *In judicijs comitialibus, curialibus, omnibúsque alijs, ita ut ju-*
, *xta regestrum, per numerum proponentur, quacunq; die judicabi-*

imus

, *mus, advocare causas ex placito nostro non jubebimus.* Id prorsus nō *A.C.1669*
, observatur; imò causæ assessoriales, & relationis in antiquo disordine,
, in discretione, sæpe indiscretè, consistunt.

, Provisio Regi præterito non solvitur; summa cum ingratitudinis, in *Provisio Regi Casimiro post abdicationem.*
, nostram Patriam nota. Grave id videtur Regi, per oblivionem pristinæ
, fortunæ & beneficiorum Regis; unde Respublica patitur detrimentum,
, Rex enim Casimirus vicissim illi detentos splendores non restituit, qui in-
, comparabiliter superant provisionis hujus pretium. *Promittimus sum-*
, *ptibus nostris fortalitium Camenecense restaurare.* De hoc prorsus
, nihi auditur, timendúmque, (quod Deus avertat) ne illud prius repa-
, ret hostis, quàm nos cogitemus. Revocavit non nemo articulum hunc in
, conclavi: responsum est: conditio impossibilis est nulla. Subtrahamo tan-
, tummodo luxui, pompæ, apparentijs; erit, unde id fiat. Non luxum Re-
, gum, sed virtutes æmulemur; non putemus nos ad thronum evectos, ut
, bene habeamus, sed ut respublica per nos. Recordemur quòd pulchrius
, sit inter hostes, quàm inter cives eminere; & omnia ad votum cedent.
, Ast ubi obliti sumus civis fortunam; ubi nobis adulatores illi; authore
, Satanâ libri, quorum tantum cumulum assentatio, summa aulæ pestis con- *Adulatio.*
, gessit, ut plaustro Cracoviâ evehi debuerint, quæ fuerunt Jagellonica stē-
, mata, hæreditarium quasi jus dominandi, appetitum potestatis absolutæ
, instillârunt; timendum est, qui exaltavit humiles, redeat ad initium ver-
, sus, occinátue: Deposuit potentes de sede. Cùm etiam Austriacum con-
, nubium non aliud, quàm appetitus eminentiæ dulcoravit. De quo jam
, est agendum.

, *Ratione matrimonij, si id nobis prædestinavit Deus, juxta ju-* *Matrimonium inire Regi non licet sine senatus consulto.*
, *ra ex Senatus-consilio nos geremus.* Hic tuam aliorúmve, qui sub
, Varsavia fuerunt, appello fidem, an non punctum id scribendum erat,
, ut Rex ex Ordinum consilio, iniret matrimonium? Quod tamen sit aut cu-
, jus mysterium; quod sit aliter scriptum, penitùs ignoro; vitio id non au-
, sim vertere nostri circuli Marescalco, qui obrutus mole negotiorum, pe-
, néque exhaustus tam longâ fatigatione, non mirum, quòd locum præ-
, buerit subreptioni. Advertit hoc nobilitas, noster præcipuè Palatinatus,
, pulchréque in institutione circumscripsit, demonstrando ex nunc, non te-
, mere, sed cum fundamento rationis, id nobilitatem exigere, his verbis:
, Matrimonia Regum, Monarcharum nostrorum, aut communis utilitas,
, aut universalis calamitas, & interitus comitari solet. Unde ne solus par-
, ticulariter Senatus usurpet sibi moderni Regis, (perpende terminum mo-
, derni, magis enim hic, quàm alij Reges, indulgere debet nobilitati) u-
, xorandi potestatem; verùm ut etiam equestris Ordo, super hoc negotio,
, maturè in comitiolis; néque ministri externi, quidpiam menti publicæ
, contrarium, in aula Regia sibi usurpent, attendent diligenter legati nati.
, Non mirum, eos tantam rem Senatui committere noluisse. Recenti enim
, memoriâ tenebant, eundem, sub Marescalco Lubomirio, Senatū con-
, sulere, qui libertatem nostram condemnavit, & subjectum belli civilis in-
, venit; qui placentia loqui, veritatem verò non nisi involutam, ut non ap-
, pareat, proponere novit. Patuit hujusmodi consilium, etiam in materia
, matrimonij, ubi videndo jam semel conclusum id in mente Principis, u-
, nus non nisi Palatinus Posnanensis, priscæ virtutis Senator, ausus loqui,
, quæ omnes sentiebant, & directè impugnare conjunctionem cum domo
, Austriaca: Reliqui tantùm superficie tenus, dilationem ad conferendum
, cum Republica persvadentes, quod rex arripuit pro assensu: major pars
, nec propriæ servitutis, nec alienæ libertatis modum sustinens accelera-
, re, non permittere nobilitatem, ut se ingerat, ad quæ non pertinet, præ-

A. C. 1669 , venire obstacula, quæ comitiola vel comitia poterunt opponere, ut jure , suo, stabilire sceptrum, (ac si modicum esset præsidium, in amore civiũ) , conjunctione potentis, & vicinæ domûs. Facile devenire potes, quisnam , hujus caput consilij, facilè agnosces ex ungve leonem: Discernes consilia, , quæ nunquam pacem, verùm non unum (quod Deus avertat) bellum, , Patriæque calamitatem adferre possunt. Et quia hæc matrimonij mate- , ria, maximè nunc in amore omnium est, quosnam bonorum sensus in ea , audiverim, explicatiùs tibi describam.

Tria potissimum in puncto Matrimonij Regij in quæstionem veni- , unt. *Imo.* An ineundum? ado. Quando? 3tio. Ubi?

Utrum illi ipsi sit necessarium? ipse lemet Introspiciat; multa e- , nim etiam de hoc sparguntur, id ego non discutio, licet non sit omni- , no contemnendum, ne Viennæ detur ejus occasio; quod inverso ordine , Regi procuratur, ut ex considerationibus, quas infra leges patebit. An , verò sit necessarium Reipub: cùm Polonum elegerimus? Plures cense- , bant; satius illi in cœlibatu manendum esse: Esset id telum minuendæ , domus unius, invidiæ, quæ sæpè, turbarum esse solet occasio, si honor , hic veniret ordine in defectu successoris; Liberior semper esset, majo- *In Conjugiũ Regũ Polo- nia nullae ex- terna venit sine factio- nibus.* , risve Majestatis electio, si paratum jam Electum non respiceret. Su- , spiciones solitæ inter Principem & Rempub: non haberent locum, si , non haberet ad quem, sive se vivente, sive post fata, sceptrum trahe- , ret. Magis amaret Patriam cum majore circa ejus integritatem appli- , catione ageret, si non esset divisus amore. Esset melius expeditus ad , negotia, præsertim bellica; minus esset obrutus sumptibus, distractus , factionibus, sine quibus nulla externa pedem infert in Poloniam.

Videmus nullum firmius, ac sedis Apostolicæ subsistere dominium, , quod hac praxi Principem assumit. Veneti à longo jam tempore, licet *Uxores a- pud Maho- metanos ut mancipia.* , non per legem, sed per usum, cœlibes eligunt Principes. Poni potest in- , ter exempla, Turcica quoq; Monarchia, & quotquot sunt Mahometi , Dominia, quæ diutissimè durant: siquidem ibi extra honorem, & decus , conjugale, ac si non essent uxores, mancipiorum more habentur: sed , de hoc dicendum erat Varsaviæ; ante nominationem Domini; nunc se- , rò de ineundo matrimonio ageretur; tradita jam ad thalamum Virgine.

Ad alteram accedens quæstionem, ubi scilicet matrimonium Regi , ineundum esset? agere nolo Pronubum; sed de peracto jam, differam. , Non nego domûs Austriacæ magnificentiam, splendores, & dignitatem, , In summa mihi semper fuisse veneratione. Verùm, quia plùs Patriæ me- *Conjugium Regis cum Austriaca improbatur* , æ debeo, allud ex sensu mùltorum dicere nequeo; quàm quod mihi in , ea Regis displiceat conjugium. Qui novit Domûs hujus authoritatẽ, , ex ipsis moribus, à facilitate Polona longè diversis, ab ea omnino cave- , re; considerando verò in acquirendis dominijs sagacitatem, quod ipsi , experti sumus, amissione, nescimus quibus modis, Silesiæ, in regendo , severitatem, subditorúmque abjectam servitutem; ad ipsum nomen eo- , horrescere debet. Confirmat me In hoc authoritas Majorum nostro- , rum qui sicut crudam adhuc hauserunt libertatem, ita etiam deli- , catiùs eam fovebant, cautiusq; conservationi ejus prospiciebant. Ut *Cavenda Poloniis tria scilicet: Po- tentia Tur- cica, bellum civile & Au- striaca fa- ctio.* , vero dici, ex Palatini Posnanensis sermone, quem ad cancellariamne, , juxta legis obligationem, porrectum, an à quopiam transcriptum, le- , gisse mihi contigit. Tria Avus moderni Regis, magnus ille Zamoysci- , us, fundator ferè libertatis nobilium, Polonis cavenda esse, dicebat: sci- , licet Turcicam potentiam, domesticum bellum, & Austriacas factio- , nes: Nec immerito; sensimus enim & aliæ gentes, conjunctionem Au-

= striacam

» ſtriacam. Sed ut à domeſticis incipiam. Suo Sigiſmundo III. mittebatur *A.C. 1669*
» citra conſenſum Reipub: ſubſidia in Germaniam, faceſſiveruntq; domi
» negotium, ut non tantùm ex ſuſpicionibus verùm etiam ex probatio- *Conjugium Sigiſmundi cum Auſtriaca, noxium Polonis.*
» nibus manus Regiæ probari videatur, de tradendo Auſtriacis Regno,
» poſt primum matrimonium, in domo Auſtriaca: Quod comitia Anno
» 1592 diſcuſſerunt, & non niſi prævia inquiſitione veniâ indulſerunt. Qui
» everunt non ſtatim, ſed nonniſi poſt annos 14, Auſtriaca molimina: ſuc-
» ceſſerunt iis, conjuratio, ſomesve civilis belli, ex Auſtriaca prodiens *Ex Auſtriaca factione fomes belli civilis.*
» officina. Audivi quondam de ore magni viri Zebrzydovij Palatini Cra-
» covienſis, illum habere domi ſuæ documenta, deducentia, Regem Si-
» giſmundum cum Auſtriacis, de ſucceſſione regni, tractaſſe, alia quæ-
» piam dominia in recompenſam ab illis accipiendo. Hinc agnoſces, quan-
» tum inhiant patriæ noſtræ Auſtriaci, quantumve valent eorum con-
» nubia; per quæ, vix non totius Europæ dominatum poſſederunt? quod
» non tantùm fecerunt, ducendo Hæreditias, verùm etiam tradendo vir-
» gines ſuas, velut eſca hamo ſuperpoſita, piſcabantur imperia. Non
» deeſt tragicum vicini Principis Tranſylvaniæ exemplum, quod non
» pridem in Piaſeccio, per occaſionem legi: Tradiderunt Auſtriaci Ma-
» riam Chriſtinam, Caroli Archi-Ducis Gedzenſis filiam nuptui Sigiſ-
» mundo Duci Tranſylvaniæ, nepoti ex fratre Stephani Batorei Regis
» noſtri: ubi ventum ad conſcribenda pacta matrimonialia, (licet ele-
» ctus Princeps Tranſylvaniæ, ut & Rex noſter plurimum dominij ha-
» buit) cavetur, ut in caſu ſterilis deceſsûs Sigiſmundi, Ducatus Tran-
» ſylvaniæ pertineat ad domum Auſtriacam. Non eſt hic jam quæren- *Ducatus Tranſilvania per matrimonium cum Auſtriaca amittitur.*
» dum, fueritne relicta proles? facilè enim ne eſſet fieri potuit: At nec
» id eratexpectatum; Implicatus eſt Turcico bello, ſpe ſubſidiorum, quæ
» deindè nimis parcè ſuppeditabantur, de induſtria, illum agendo in de-
» ſperationem, & per eam ad transactionem ſecum ipſo; ut pro Ducatu
» Tranſylvaniæ, Opolenſem, & Raciborenſem ſuſciperet in commutati-
» onem. Id non ſatis illis fuerat; obtentu impotentiæ divortium illi cum
» uxore procuratur; dumq; tandem ſerò ſeſe recolligens, Tranſylvaniam
» repetit, velut transfuga & hoſtis comprehenditur; & in carcere Pra-
» gæ, ipſis miſeriis enecatur. De Tranſylvania, velut debita ſibi hæ-
» reditate, quà cum Turcis, quà cum liberis civibus tamdiu decertaba-
» tur, donec tandem in ruinam redacta, ad eum ſtatum deduceretur;
» ut non eſſet, de quo contenderetur: ſicque vacuam, in prædam Tur-
» cis dimiſerunt: Vide ergo Polone, an non juſtè de te mutato nomi-
» ne narratur fabula? Quid illis erit difficile, quando nos vident ad
» ſervitutem paratos? Dominus Marte, illi arte nos conficient. Revo-
» cemus tantummodò nobis, quam ob cauſam Principem Condæum exclu-
» ſerimus, eo ſcilicet ſolùm motu, quòd factiones & potentiam Gallicâ ti-
» muerimus, quæ tamen longiore à nobis diſtabat intervallo, nunc in por-
» ticu alteram conſpicimus, toleramus tamen & ſuſcipimus. Introſpiciamo
» recentia, ut ſupra innui, qua potiſſimum de cauſa Polonum elegimus? ne
» ſcilicet externorum factionibus, colliſionibus Auſtriacæ, Galliæque do-
» mûs, & infinitâ bellorum ſerie implicaremur: In quæ tamen omnia, faci-
» lè nos Regia inducent connubia, quid enim eis noſtra jura oberunt, quæ
» vix nos ipſos ſtringunt. Addo, quod adhuc in bivio, ſit belli Turcici reſo-
» lutio, nobisne, an Hungaris inferendum? Poſt hoc verò matrimonium,
» quomodocunque ſe determinaverit Imperator Turcarum, nos intereſſati Au
» ſtriacis nolentes volentes trahemur, & involvemur.

» Hæc ſunt incommoda & pericula, Reipublicæ & ipſius Regis ex con-

junctio-

A.C.1669 , junctione cum domo Austriaca, quibus id quoq; adjicio, ex ratione ipsius Personæ (si Diis placet) Reginæ nostræ, quod scilicet cum illa infallibiliter veniet Mater, cum Austriaco supercilio, cui à tot annis assuevit: Quod si gravia nobis fuerunt Imperia Ludovicæ, quæ adeo cõfuderunt Rempub, ut hactenus ad ordinem redire nequeat: Non aliud etiam à Nepte, ejusdem cum Amita humoris, sperandum an timendũ sit; fateatur Vienna, quam libenter illam expediet. Inanis est persuasio Regis, si judicat ob personæ suæ, aut Reipub: bonum, Austriacam domum sibi velle conjungi: Regno non Regi providetur conjux, idem manebat Ducem Lotharingiæ, si potuisset potiri Regno.

Quæ verò motiva Rex hujus connubij habeat: si scire cupis? Quatuor potissimum, homines genij Regij gnari, assignant, omnia è diametro pugnantia, cum ratione boni publici ex quatuor fontibus sat impuris promanantia; scilicet, timoris, superbiæ, ambitionis & avaritiæ. Timor inde, quod illi statistæ ejus impleverunt caput, volentes alij firmare suam apud eum confidentiam, alii necessarios se facere, ut illorum nitatur consilijs, (uti hactenus Exercitus Litvanus hoc prætextu detinetur in obsequium unius domûs, quæ totam Litvaniam suis tenet præsidiis) quia cum sint plurimi malè contenti, qui invident Regi dominium, vellentque eum illô privare, comparanda ergo potentia connubio in potente domo, ex qua consilium, subsidium promptum; paratum in omnem casum, refugium haberi potest. Et hæc quidem sunt pestiferorum subjectorum perversa consilia, quæ Domino diffidentiam ad subditos faciendo, illum in majorem inducunt, qua eos, contra quos suspicatur, contemptui habet. Non erunt male contenti; si Rex omnes æqualiter juxta cujusvis prærogativam tractaverit: si non clandestinis, nocturnis, externis muliebribus consilijs acquieverit, si regni in omnibus habuerit curam; si in amore civium, præsidium & securitatem vitæ, regnique sui, potiùs quam in externa potentia constituerit, nam non sic excubiæ, nec circumstantia pila, quàm tutatur amor; ad quod facilis via; si vis amari, ama. Superbia in hoc est, quod splendor Austriacæ domûs perstringat oculos, caligantes adhuc ad purpuram. Melius verò esset cum Agatocle posteriores respicere rotas, suóque se metiri palmo, non sublimia petere, ne Icari Transylvaniæ, supra nominati factum renovemus: rectè ille: Malo Venusinam, quàm te Cornelia Mater Grajorum, si cum magnis virtutibus afferres grande supercilium, & innumeros cum dote triumphos: Ponenda in bilance propria ambitio, cum bono publico, quodnam præponderare debeat? Diversa est fors Regum, à privatis; horum statum proprium beneplacitum, illorum commune bonum conciliare debet, cùm hi, sicut vivere, ita nubere Reipublicæ, non sibi, debeant.

, Ambitio fundatur in orbitate Imperatoris, & successione in tot regna, Bohemiæ, Hungariæ, fortésque spes & vanitates in Italiam, Hispaniam, & Indias extendimus, arbitrantes, ut ambitio est, sic fortunam fore sinè termino: nec mirum; obtigit enim nobis, quod nec cogitationem unquam subierat, cur ergo ampliùs non speremus? At hæc in manu Dei; spes incertæ sunt, & remotæ nimis, incommoda supra innumerata certa & cita. Et quod maximum est; faverit sanè ita nobis, ut ominamur fortuna post decessum Imperatoris & Regis Hispaniæ, improlium, vel Rex pacifice successionem omnium dominiorum occupabit? vel pro ea bellis agendum erit? si primum, actum est de nostra libertate, habendo tantùm pro Rege Monarcham, si secundum, quod est certius? nihil certè Poloni agent, nisi perpetuô proprij sangvinis pretiô, sibi mercabuntur servitutẽ;

Ut ut

„Ut ut ergo ratio hæc pro persona Regis colorem aliquem habere vi- *A. C.* 1669
„deatur, Reipub: penitus est exitialis.

Avaritia apprehendit dotem, cujus millio, aut nescio quantum promittitur: quo ad personam Regis, inveniret hic alibi majorem dotem; „Non est id magnum illicium Regi Poloniæ: Deinde millio ille non erit tanti; ut sufficturus sit sumptibus, & sustentationi Reginæ: In nostra conditione, scimus quantum uxores insumant, licet uno nobiscum „vehantur curru, uno cubent thalamo, ex una eademq; culina sustententur, nec separatam foveant aulam. Quod si Rex in provisione enervatæ Reipub: ponit fiduciam, metuo ne fallatur.

Quod verò Rempub: attinet; altiùs nobis hæc introspicienda do- *Dos Austriaca dari solita flor. 50. millia Germanicâ moneta Polonicâ 100.*
„talitia marsupia. Nemo ignorat gentilitiam domûs Austriacæ legem, „quod propter conservationem dominiorum plus dotis non dent, quam „50 millia florenorum: Germanicâ monetâ, Polonicâ 100 millia; Experta est id Polonia in recenti satis exemplo, Annæ Constantiæ Cæciliæ, „cui ad ultimum candelabrum argenteum, a limitibus Silesiæ omnia „retro sunt recepta; ut ipse memini puer tum apud Palatinum Sandomirienſem non pridem defunctum existens; quanto risu eam expeditionem excipiemus. Unde illis nunc tanta esset liberalitas? cur sacrosanctas domus suæ constitutiones refringerent? Qui novit genium Principum & Monarcharum, qui nunquam pro affectu, sed omnia agunt „pro ratione statûs, judicare debebit, mysterium in hoc grandioris cujuspiam emolumenti latere. Augurari quidem non audeo, ut tamen amans Patriæ filius, timeo malo ejus, ne de ea illis actum sit in „nuptiis: Quis scit, an ibi Neapolitana summa, quam Rex Augustus inscripsit Reipub: quam inscriptionem vidi nunc Cracoviæ, per oblatam „ad acta traditam, aut Patria nostra unà nobiscum, non est vendita? Ut „Sigismundi Transylvania, de quo supra. Dicet quis; Riderent illi ista, „scientes, Regem electum jus non habere in hujusmodi: At ego non rideo, sciens, nec Sigismundum illud in Transylvaniam habuisse, illosq; „id non ignorâsse. Sufficit illis, aliquem fecisse prætextum, ingressum ad „prætensionem habuisse. Non ignoro, Regem quosdam spiritus assentatorios hausisse, per affinitatem de domo Jagellonica, proximam spem „absoluti dominij redolentes. Modicum subinde magna indiget reflexione, ut illud modicum erat, quod nobis bellum Suecicum, totq; clades „induxit, inter pacta conventa in puncto omissa litera, de circumscriptione domûs Regiæ; studióne, an errore typographi, judicet quisq; „prout sentit, modò prius consideret expressa verba: Linea verò è lumbis „nostris directè descendens, iisdem omnibus prærogativis utetur, quibus „Proles præteritorum Sereniſſimorum Regum utebatur. Notandũ quod „sequitur: Salvis juribus circa hanc Rempub: De hoc ne id fuerit, an de „alio, ita tamen in omnibus exemplaribus, quotquot vidi, literáne an „liturâ id factum esset, expresse legi.

„Circa hanc Rempublicam non gratis dictum: Litera occidit; litera „vivificat: Terret me nimiùm, quòd præter morem, contra jus, Procancellarius, minister statûs, arcana Reipub: curæ suæ commissa gerens, ad „roborandum contractum matrimonialem, esset expeditus. Ea quoq; me „percellit circumstantia, quòd propter ejus expeditionem, nescio quodnam „diploma, seu scriptum essentiale Reipub: quod cum insignibus regni asservatur, ex ærario regni accipi voluerunt: In quibus omnibus, utinam sim „falsus vates! errare malo, quàm perire.

Tertia disquisitio est, quandonam Rex matrimonium inire debeat? Placenti-

A.C. 1669 , centini dicunt, quando vult. Libertini, quando placebit Reipub: pri-
, ùs de bello, quàm de uxore cogitandum, de tentorijs, quam de thoro;
, ostendendum a primordijs regni; quid valeant humeri, quid ferre re-
, cusent, repellendi primum a regno hostes, dandum documentum ro-
, boris, ne nobis deliciæ sint impedimento. Deniq; concedenda conten-
, tatio hæc equestri Ordini, differendæ intentiones ad comitia, explo-
, randæ eorum mentes, siquidem denuntiant per articulos, se id velle.
, Quid illi ad hæc? uxor recinget gladium, prius comparanda domi po-
, tentia, quàm de regno cogitandum; habebimus, Deò dante, Austriaca
, subsidia, pro bello Turcico, dedocenda nobilitas, ne se in omnia inge-
, rat negotia. Ad quid Rex & Senatus, quando in omnibus equestris Or-
, do respicitur? quàm hæc impia & vana, nemo non videt. De subsidijs
Subsidia Austriaca obsunt plùs quàm prosunt.
, Austriacis, (ex quibus unicum futurum sit commodum in partem Rei-
, publicæ) id edisseram, quod Transylvaniam & Hungariam perdide-
, rint. Nostri belli Prussici sub Sigismundo otiosi spectatores, & perfidi
, fuerunt adjutores: In ultimo bello Svetico plùs damni, quàm emolu-
, menti attulerunt, de quo testetur Major Polonia, & Palatinatus Cra-
, coviensis: utinam non plus illis solvere cogatur Respub: Hactenus enim
, audio illos quandam super salisfodinas habere obligationem, (quis scit,
, an non ideo tam carò salem eminus?) & licet sint extra possessionem,
, non sine mysterio tamen forsan, malunt habere talem prætensionem,
, quàm eum Repub: (licet id aliquoties propositum esset à Rege Casimi-
, ro) facere calculationem. An non melius esset, si Rex more Virginis,
, cuilibet reverentiam differentis, omnium Monarcharum conservaret
, affectus, haeq; indifferentia, qua illum sibi promittere possent, elice-
, ret subsidia, si eis Respub: pro Turcico bello indiguerit. Verùm surde
, fabula. Serò nimis consulo, frustra etiam Cracoviæ consulebatur; per
, ludibrium tantùm consulti Pontifices: Varsaviæ, post electionem, sta-
, tim non tantùm concelusum matrimonium, verùm etiam (ut mihi cer-
, tò constat) per quendam Maierberk Ablegatum Cæsareum, & quendam
, Sylvanum Camaldulensem, conscriptum. Jam etiam ego hisce valedi-
, co nuptiis.

Sequitur in pactis conventis: *Cunbimus quoq;, ut quantocius Vkraina* , *pacificetur*: Id, DEo dante, fiet post nuptias. Quod si non successerit,
, assvefacti sumus angustiis; sufficiet nobis, ad Vistulam & Savum domi-
, nari. Quod si pejor sors (quod DEus avertat) evenerit Reipub: suffici-
, ent nobis, quæ jam collegimus.

Est punctum de vacantiis, extra tempus Comitiorũ, ad summũ post spa-
, tiũ 6. septiman: à Rege conferendis, juxta constitutiones & statuta. Ex-
, tant jura, ut possessionatis in terris & Palat. conferantur, tamen terra
, Czerscensis ratione Castellani, Palatinatq Sirad. ratione Palatini, & forte
, Kijov. ratione Castellani conqueruntur. Noster tamen Palatinatus justis-
, simè conqueri potest, ratione Castellaniæ Sandomirien sis, homini pos-
, sessionato quidem bonis, at virtutum & meritorum possessione caren-
, ti, collatæ: prætermissis emeritis in Palatinatu nostro concurrentibus,
, scilicet Succamerario, & Vexillifero. Hoc est alienare omnes de Rep:
, bene merentes. Hoc est, præcludere virtuti viam; quando præmia, non
, qui meretur, sed qui nec uti illis potest, accipit. Palatini ex veteri in-
, stituto Reipub, ut ipsa eorum in Polonico idiomate Etymologia sonat,
, sunt belli Duces, seu Chiliarchi, Castellani verò, Colonelli, liben-
, ter viderem novum hunc Ductorem, si foret occasio. Dotes omnes &
, cõmendatio est à Regio sangvine; quanquam etiam interesse licet modi-
, cum sese intermiscuit.

Sua-

Suadeo tibi, ex occaſione, velut fidelis amicus; ut ſi habes elenodia A.C.1669
» Principiſſæ matris in pignus data, reſtituas; cedere id tibi in bonum po-
» terit. Tranſeat id adhuc, maximè ſibi Rex nocet; dum enim indignis
» officia confert, mox ſubit pœnam ab ore vulgi; Aſt hoc nequaquam fe-
» rendum, quod contra jura vivente p. m. Palatino Sandomirienſi, colla-
» to, ſubſcripto ejus officio, fatum generoſi pectoris, viro ſit acceleratum
» licet id artificioſè palliare contendant.

Id quoque factâ cum omnibus ſtatibus cointelligentiâ, in comitijs co-
» *ronationis noſtræ procurabimus, ut militia tam Equeſtris quàm Pedeſtris, ad*
» *ſuum ordinem redigatur*. Sed prius nuptias celebremus, ordinemus
» choros choreaſque, tum demum de exercitu cogitabimus, acieſve diſpo-
» nemus; Promiſſus etiam nobis Viennâ Magiſter, qui nos bellare doceat.

Promittimus præterea nos procuraturos, ut diſciplina militaris vigeat
» *in Exercitu*. Qui vult diſciplinam militarem conſervare, neceſſe eſt,
» ut ſolvat militibus ſtipendium.

Neſcio quænam graveolentia repellat ab aula militem, eum vix a-
» liquis compareat in Palatio. Det DEus meliora ſequenti anno; quem
» tibi quoq; fauſtiorem precor.

ANDREÆ OLSZOWSKI EPISCOPI CULMENSIS PROCANCELLARII REGNI, AD ELECTOREM BRANDEBURGICUM. Varſaviæ 18. Novembris.

Epiſtolam Serenitatis Veſtræ, Regiomontô tertiâ currentis ad me datam, libens & debitâ tanto Principi veneratione accepi, pro cujus honore conteſtatáque erga me benevolentiâ ago, debeóque quàm maximam Serenitati Veſtræ gratiam. Perſcribere dignata eſt Serenitas Veſtra inopinatum eidem accidiſſe, me ſincera Serenitatis Veſtræ toties Reipubl: probata officia, alieniori animô interpretari, ſimúlque actiones ejus Serenitatis reddere ingratas, quod vulgo ſpargitur, & propriâ manu meâ probari poſſe affirmatur. Excuſabat benignè Serenitas Veſtra, ſi fides mea & amor in Patriam ita ſvadet, me impellit ut ea, quibus aliquantum lædi Rempublicam Polonam advertam, tacitus permittere nec poſſim nec debeam. Non potui non indolere poſt tractatus diverſos de rebus Polonicis aut Poloniæ annexis à Serenitate Veſtra nobis inſcijs initos, & concluſos querela gravi, frequentiſſimi Senatus ſub tempus funeris Reginalis, Cracoviam congregati, expreſſóque Primatem regni, doloris publici ſenſu, fruſtra habitis, proximo poſt tempore Serenitatem Veſtram, promotionem ad coronam Poloniæ nominatim Principis Neoburgici pactis firmaſſe, eidem tractatui alios Principes invitatu Serenitatis Veſtræ acceſſiſſe. Rem adeo novam, noſtris liberrimis juribus adverſam & nocivam pro officij mei ratione & juramenti nexu aliquot concivibus viris graviſſimis communicavi: quod jure à me factum quilibet à partium ſtudijs, ab ira & odio vacuus noſtræq; Reipub: nonnihil peritus judicare poterit. Apprehenſio poſſeſſionis præfecturæ Drahimenſis, quod recenti orbitate noſtrâ triſti Reipub: tempore acciderit, quod (intervenientibus mutatio-

A.C.1669 tionibus, & nostris aquis prætensionibus) nulla prævia tractatio, ac ne quidem denuntiatio anteverterit, fateor mœrori mihi, & quam plurimis fuisse; neq; id negaverim, aliquoties à me voce & scripto illatum, quod auxiliares copiæ Serenitatis Vestræ equitum peditumque bis mille novis nostris bellis, Moschovitico, Cosatico, Scythico defuerint, quæq; ad expurgandam hostibus Poloniam ex pactis adhuc debebantur, intra verba steterint. De noviter attentato per Vistulam trajectu, querela frequens est statuum & Ordinum terrarū Prussiæ non ignota opinor Serenitati Vestræ. Pilavienſe vectigal dimidia parte Regi Poloniæ debitum penitùs non extradi, est quod in dispendio censeatur Lemburgi & Bitoviæ titulum pactis nullatenus expressum. Cum eas præfecturas Serenitas Vestra seu datario jure obtineat (dominio directo Regum & regni Poloniæ salvo manente) condonabit Serenitas Vestra me inconsultâ Republicâ, cujus jura & dignitatem tueri, juratâ fide obstrictus sum, tribuere ex Cancellaria regni minimè posse. Atq; hæc fortè sunt, quæ alienioris animi & siniſtræ officiorum in Rempub: Serenitatis Vestræ interpretationis invidiam mihi accumulant. Nullus tamen dubito quod Serenitas Vestra pro sua æquanimitate fervens studium meum pro hac Republica boni consulere ac melius interpretari dignabitur. Deum animitus rogo, talia hæc controversiarum & suspicionum bonis mediis quàm primùm sopiatur, nullâque causa suboriatur invicem conquerendi, quod pridem fortè actum fuisset, si diuturna Serenitatis V. in aula Polona legatio, agere quàm trahere negotiū maluisset. Audeo affirmare submotis Patriæ meæ dispendiis, atq; iis quæ nos territant constantiâ obsequiorum & devotionis erga Serenitatem Vestram neminem ante me futurum. Eadem porrò obsequia sublimi gratiæ Electorali Serenitatis Vestræ humiliter commendo.

PUNCTA PROPOSITA S. R. MAJESTATI CONTRA CIVITATEM GEDANENSEM.

Imo. NOcivum est Reipub: approbare Gedanensibus summam trecentorum quinquaginta millium in Pucko, quam vigore rescriptorum prætendunt, cui contrarium est Decretum Comitiale.

Summa hæc non cadit sub confirmationem, cùm pendeat à calculo Commissariorum Decreto comitiali Deputatorum & renovandorum.

Ex fideli calculo sperandum est potiùs restitui debere, & summam ex proventibus, & tormenta recepta à Gedanensibus.

2do. Nocivum est approbare jus Caducorum in perpetuum, cùm hujusmodi Privilegium in derogationem S. R. M. à Rege præterito emanatum modernum obligare non possit.

Jura Caduca benemeritis conferri debent. Sed civitas est benemerita. Ergo eadem ratio ipsius: sed non in perpetuum, & salvâ appellatione ad judicium Regium per speciale, & novum novi Regis Privilegium non autem per confirmationem.

In novo privilegio si v. g. ad Annos 10. datum fuerit, addendum ut

super

ſuper ſingula incidentia caduca Privilegia obtineant. *A.C.1669*

3tio. Nocivum eſt tolerare Fortalitium *Caput* dictum, & Præſidiũ Gedanenſe ſupra Viſtulam & Szarpavam.

Neque id pertinet ad confirmationem, de hoc jure agendum.

4to. Nocivum obligare Rempub: ad reſtaurationem aggerum Gedanenſium. Non puto aliquod ſuper hoc eſſe Privilegium.

5to. Nocivum tradere illis Szotlantd & fundos ſub Gedano in præjudicium hæredum, quod cupiunt.

Cupere licitum eſt, cùm tamen hoc non ſit obtentum, non pertinet ad confirmationem.

6to. Nocivum approbare Privilegium Nobilitatis inſciâ Republicâ datum.

Jure agi poteſt adhoc reponendum. Magiſtratus quidem eſt in Ordine Conſiliariorum Terrarum Pruſſiæ, cui id debetur: Cæteris præſertim advenis obſtare dicitur laudum Terrarum Pruſſiæ Anni 1635, & lex 1601.

7mo. Cauſas appellabiles tantùm ratione mille florenorum Sereniſſimus Rex præteritus declaravit per Privilegium, quod aggravat Cives tenuiores.

Id quidem videtur eſſe præjudicioſum libertati Civium, & juſtitiæ, cùm tanti ſit unus florenus pauperi, quanti centum millia diviti, & præjudicioſum jurisdictioni Regiæ.

8vo. Nocivum eſt approbare Territorium Szarpaw, quod Rex Sigiſmundus Auguſtus menſæ ſuæ adjudicavit.

Reſtrinxiſſe videtur ex Perſona Regia generiee Repub: Stephanus in Privilegio Portorij, ſed jus integrum Reipub: reliquit, cui Portorij confirmatio non denegat.

Hæc Szarpawa portum habet longè præſtantiorem.

Data Epiſcopo Varmienſi, poſt ſtatutum Alexandrinum empta per Gedanenſes à Perbero Gedanenſi Epiſcopo cum oneribus Reipub.

9no. Gedanenſes jus gladij exercent ſuper nobiles ſine officio Caſtrenſi contra ſtatutum Thorunenſe.

Neque id pertinet ad confirmationem, ſalvum verò jus eſt unicuiq; vindicandi ſuam injuriam.

10mo. Mercatores condictamina, ordinationes pœnales contra ſe ſtatuunt in præjudicium liberorum commerciorum, & damnum nobilitatis Regni.

Fortaſſe ubiq; id faciunt ſine Privilegiis, quod cùm non habent non pertinent ad confirmationem.

PUNCTA ALIA PROPOSITA S. R. MAJESTATI CONTRA CIVITATEM GEDANENSEM.

Imo. NOcivum eſt S. R. M. & Reipub, quòd Civitas Gedanenſis dominium maris Sarmatici, & ejuſdem portus ita ſibi tribuat, ut quamvis municipalis tantum ſit, & ſemper fuerit, liberrimè tamen & abſolutè fœdera non tantùm cum civitatibus, ſed Hollandis aliiſque Principibus ſine ſcitu & conſenſu S. R. M. (quod antea Crucigeris in tempore incorporationis non licuit) inire renovare audeat.

Ratione mercimoniorum non mirandum: Ratione maris, & littorum, & ſtatus non credendum, ſed tamen inquirendum.

2do. Nocivæ ſunt Reipub: admiſſiones Peregrinorum Hollandorum, Anglorum, qui Gedani reſidentias, & depoſitoria ſua habent, ad mercaturam

A.C.1669 turam liberè in Provincia & Regno exercendam, & ad usum fluviorum Regiorum navigabilium, æquali cum Civibus libertate & à teloneis Regni exemptione.

Populositas Civitatum robur Regnorum, deponant, & mercentur quã plurimum libere, tamen telonium fluviale etiam à Terris Prussiæ Anno 1661 sancitum, æqvum est ut juxta Decretum Regni ad effectum deducatur.

3tio. Nociva est Reipub: eorundem Peregrinorum cum jure Civitatis ad possessionem bonorum terrestrium, & ita ad indigenatum admissio.

Qui Cives facti sunt, simul fiunt indigenæ Civitatum, Regalia tamen obstante statuto de externis legitimè possideri non possunt.

4to. Nocivæ sunt Reipub: exactiones antiquæ, & telonia per Privilegium incorporationis abrogata; & jam ab Anno 1579, ita sub aliis nominibus introducta, ut non telonia, sed illæ partes, quæ ad Seren: Regiam Mtem, & Remp: pertinebant cassatæ, & ita totum Civitati Gedanensi concessum esse videatur.

Videtur hic agi de Cusaga, & Accisis, quæ non sine sensu Regni & incorporationis præjudicio currunt, usus & portûs sumptus tolerantur, sed sunt illegalia.

5to. Nocivæ sunt illæ ex Hollandia, & more Hollandorum, introductæ Daciæ pro charta sigillata, sigillo non S. R. M, sed (non sine nota absoluti Dominij) Gedanensi.

Hic modus Daciæ mihi non constat. Videtur tamen Regiam quandam & absolutam in se continere facultatem.

6to. Summè nociva est S. R. absoluta illa maris Sarmatici sine scitu & consensu S. R. M, quem tamen Privilegia requirunt directio, qua mediante etiam jura confiscandi, & cum confiscatis disponendi ita sibi tribuunt ut S. R. Mtem directè, & per indirectũ, non admissis contra jura ad S. R. Mtem appellationibus, plenè, & planè excludere audeant, etiam in omnibus causis maritimis.

Jus maris esse Regium non dubitatur, & jus fisci in eodem expresse cautum. Appellatio extraordinaria salva est, & esse debet unicuiq;.

7mo. Nocivum est Reipub: à Magistratu Gedanensi S. R. M. ereptũ jus, & officium Piscaturæ ad Oeconomiam Marienburgensem pertinens, idq; propter monopolium sturionum, cum hac ereptione introductum, sic ut in aliis fluviis Regiis captos, & coctos sturiones per portum Gedanensem evehere non liceat, & cum erepto officio Piscaturæ, etiam Portorium inde proveniens cesset.

Hoc cum contra jura fiat, jure vindicandum est.

8vo. Nocivum est S. R. M. Reipub: & Provinciæ introducta in Portu Gedanensi accisa pro cerevisiis Lubecensibus, Roslochiensibus, Wismariensibus, Stralsundensibus, Brunsvicensibus, Stolpensi, ex qua civitas singulis Annis ultra centum mille percipit, & quamvis Portorialis sit, nec S. R. M. nec Reipub: nec Provinciæ, quæ in accisa agrariarum loco solvenda defraudatur, quicquam solvit.

Magis puto nocivum esse Braxatoribus Gedanensibus, nisi hi consentirent. Portorium ab iis si non solvitur, agendum cum Deputatis ad Portorium.

9no Summè S. R. M. & Reipub: nocet, cum erepta Scharpavia, & 14. Villis, ac novem fluviis ad eam pertinentibus recentio proventuum, in Contractu cum Rndmo Episcopo Mauritio Ferbero (Patriâ Gedanen-

si)

ſi) ſpecificatorum expreſſis, & diſertis verbis pro S. R. M. & Repub: reſervatorum, & ad hoc uſq; tempus ſummam trecentorum millium florenorum excedentem efficientium. *A. C. 1669*

De Scharpavia ſcriptum à me ſuperiùs, quàm cùm negligatur conſenſus Reipub: repeti debere puto pro Republica.

10mo Nocivus ille S. R. M. & Reipub: novus titulus judicij Scabinalis Gedanenſis ex titulo honorati judicij, in titulum nobilis officij, cum effectu ita mutatus, ut hoc judicium, quod merè civile eſt jam cauſas nobilium, nobileſq; perſonas, cauſasque Regias, & Conſiſtoriales judicare præſumat.

Tituli hoc ſæculo omnium ſtatuum altiores ſunt, quàm noſtrâ etiam fuêre memoriâ. A cauſis fori incompetentis appellationis proſecutio præcludi non debet.

11mo Nociva eſt S. R. M. & Reipub. (cum ceſſante reſtitutione navis, & mercium per ſubditos Regis Pucenſes hoſti interceptarum) detentio tot tormentorum æneorum à D. Vladiſlao ad duo fortalitia Regia Vladiſlaoburgum, & Caſimiropolim comparatorum, & ex Armamentario Pucenſi Gedanum avectorum.

Horum cognitio ad Commiſſarios Pucenſes ſpectabit.

12mo. Nocet Sacræ Regiæ Majeſtati & Reipub: mutata rota juramentorum à Burgrabio Regio, & conſulatu præſtandorum, ut in metrica regni, & conſtitutionibus reperibilis.

Mutata rota in melius eſſe negotij principalis reprehendenda, in deterius ad priorem ſtatum revocanda, jure mediante.

13tio. Nocet Sacræ R. M. & Reipub: ereptio feudorum & ſupremi juris Regij in bonis civitati conceſſis, expreſſis, & diſertis verbis reſervatorum, unde cum prato Wirtle tot feuda & fundi periêre.

Quæ periêre, quærenda ſunt jure mediante.

14to. Nocet Sacræ R. M. & regno contra privilegium, & reverſales civitatis ceſſans ædificatio domûs, & ſtabuli Regij ædiúmque, hoc nomine jam ſemel traditarum, receptio & alienatio.

Hoc deberi Regiæ Majeſtati non negatur, nec tamen fit, & commoda ex area arcis percipiuntur pro civitate.

15to. Nocet etiam S. R. M. & Reipub: abſolutus ille rei monetariæ uſus, & diſpoſitio aſſumptáque poteſtas granum, & valorem mutandi (ut ſtatim poſt obitum D. Uladiſlai IV. Regis factum) & valorem Reipubl: ac Regiæ monetæ, etiam inconſultis civitatis ſuæ Ordinibus taxandi, quod jam factum in conventu terrarum Pruſſiæ Mariæburgenſi.

Moneta quidem juxta literam Incorporationis impenſis Regijs cudi debet, de valore ejus diminuto judicium ſit Reipublicæ.

16to. Etſi juxta tenorem conſtitutionum regni civitas Gedanenſis, & reliquæ adigentur, ut privilegia ſua producant, eadémque in materialibus, & formalibus examinabuntur, apparebunt ſubtilitates Magiſtratûs Civitatum, & quanta à tempore incorporationis, contra pacta incorporationis S. R. M. & Reipublicæ, & provinciæ damna, & præjudicia illata ſint, & adhuc inferuntur.

Originalium privilegiorum moles huc puto non deducta eſt, nec requiritur, ad producenda adigi non poſſunt, niſi causâ aliquâ ab illis ipſis requirente. Ut ſi objiciatur civitati damnum aliquod, Regi & Reipublicæ illatum, tunc in contrarium producendi privilegij neceſſitatem habebit; v. g. Si requiretur cur quatuor millia marcarum Parthenicalium, de integro annuatim juxta privilegium theſauro Regis non ſolvant, (cujus rei rationem

A.C. 1669 nem D. Berkmanus reddere nescit) tunc aut aliud privilegium legitimum opponere, aut solvere tenebuntur, & sic de alijs.

XXI.

ANDREAS CHRYSOSTOMUS ZALUSKI JOANNI OTREBUSCZ CANONICO VARSAVIENSI THESAURI REGNI SUPREMO NOTARIO, AC SER: REGIS CASIMIRI INTIMO SECRETARIO AD LATUS SUÆ Mtis PARISIIS DEGENTI

Amsterodamo 2. Novembris.

De Actis in comitiis coronationis.

ET mandatum Procancellarij regni avunculi mei, quod tanti facio, ut nihil ei anteponam, ut tibi punctualiter scribam, omniáque ea mittam, quæ mihi ab illo communicabuntur, & literas tuas id ipsum insinuantes unô eodémque planè tempore recipio, eóque diligentiùs me id facturum promitto, quò & Sereniſſimi Regis beneficijs domui meæ collatis, cùm neque meam debitam gratitudinem dies extinxit, aut imminuit, sed auxit potiùs, ad summúmque perduxit, & tuæ constanti semper in me amicitiæ obligationem profiteor: faciam igitur quod officij mei esse duco de reciproco tuo in me affectu, bene sentiens, optimè sperans.

Coronatio Regis. Destinata pro festo S. Michaëlis Regis nostri coronatio in Basilica S. Stanislai arcis Cracovienſis peracta est. Nicolaus Praźmowski solennia coronationis peregit, omnibus quæ in Pontificali Romano habentur, ceremijs adhibitis.

Juramentū fidelitatis à civitatibus. Sequenti die, juramentum fidelitatis civitas Cracovienſis cæteræque illustriores regni urbes in theatro ad id in medio fori extructo Regi præstiterunt. Wisniowiecio Palatinô Belzenſi, & minori exercituum regni Præfectô pomum, supremô regni Mareschalcô ac exercituum Duce sceptrū, Palatinô Sendomirienſi in aurato pulvinari coronam præferente. Proximi Regem anteequitabant Sieniavius regni Vexillifer cum insigni aquila, Bielinscius Ensifer regni stricto gladiô, & specie magnificus. Regem splendidæ Hussarorum turmæ comitabantur, & quà ad theatrum patebat aditus, velut pro vallo stetêre. Redditô civitatis Cracovienſis per Pro-consules juramentô, in circuitum urbis, explosæ sunt majores machinæ. Leopolienſis urbis cum Vilnenſi modica intercesserat controversia, quæ nam prius exsolveret juramenti officium, datæ nihilominùs partes Vilnenſi urbi, utpote Metropoli Magni Ducatûs Litvaniæ. Differunt ritu (ut probè scis) à regni civitatibus urbes terrarum Prussiæ, nec ad hoc contubernium pertinent fidelitatis, cùm quemadmodum circa juramenti formam diserepant, ita multùm augent jurisjurandi solennitatem reverentiâ, cùm ad præsentiam regni Cancellarij vel Pro-Cancellarij coactâ in forum universâ plebe, ac erectis in cælum digitis præeunte Magistratu, in verba Principis sui jurare consveverunt.

Electio Mareschalci. Rarâ uniformitatis felicitate, concordibus votis (ita non accipimus facta, sed facimus) Andreas Krickius Succamerarius Caliſſienſis in Mareschalcum equestris Ordinis electus primâ die comitiorum est, quâ etiam cum denuntiatione electionis suæ ad Regem misit proprij non incurius decoris, quali unâ die rariori suffragiorum felicitati eligi non satis esset nisi & gloriari contigisset. Muitæ post salutationem Regis impedientes irrepserunt discordiæ, detestabilis turpitudo, sed tanti erat voluptas, cùm multi specie falsi mala pro bonis amplexi, ita multi alijs irati, sibi nocebant. Tali verò

rò tempore ludos facere illi honeſtum eſt, cui non eſt honeſtum ſpectare, ſed Nuntijs nec erat neceſſe, nec honeſtũ inanibus Rempublicam turbare. Quartâ proinde ſolùm die Ordo Nuntiorum in conſpectu Regis comparuit, ubi in frequentia Senatûs director laudes Regis recenſuit, auſpicato imperio ex voto equeſtris Ordinis precatus, cui regni Pro-Cancellarius avunculus meus, concinnò, ut ſolet, reſpondit ſermone. *A.C. 1669*

Alterò poſt die Rex aureum vellus miniſterio legati à Carolo II. Hiſpaniarum Rege miſſi accepit, finitò in conclavi Divinò ſacrificiò, quod Epiſcopus Cracovienſis celebravit. Diſſvadebat id Regi pars magna Senatûs cùm poſſet olim illum pudere ſuorum, aut pœnitere errorum, Stephanum Bathoreum Ingentis animi Principem, qui dediſſe ad gloriam fertur, exemplum coronatis ſucceſſoribus, quamvis imitationem non meruiſſe. Submiſſum illi pariter fuerat à Rege Hiſpaniarum aureum vellus, ſed callidꝰ Princeps apprimè gnarus, non magnificentiæ titulum Regibus Poloniæ parari, quorum immensâ majeſtate ornata poteſtas eſſet, ſed peregrini ſervitij nomen, aut ſubmiſſionis gloriam quæri, & pudendæ aliquatenus Regibus noſtris rei quædam dignitas adferri explorato muneris pondere, loco agnelli defluentes à catena aurea lupinos dentes, gentis ſuæ natalitium inſigne, ſimilis valoris comparare juſſit; tum inſtante ſolennitate actus, dum à Legato Regis Hiſpaniarum aureum vellus offerretur; ipſe quoque ſua munera promere juſſit, adjectâ declaratione: Si Legati votum eſſet, ut ipſe oblatò ſibi munere uteretur, Rex quoque Hiſpaniarum frater ſuus eam catenam, & inſignia gentis ſuæ geſtare non dedignaretur. Reſpondente Legatò, eam ſibi à domino provinciam injunctam non eſſe, juſſu Stephani magnanimi Principis declaratum eſt: Reges Poloniæ alienæ magnificentiæ titulis non egere. Verſæque res in ludibrium. At Principi ob invictam animi magnitudinem, præter ſerenos populi ſinè modo plauſus, immane quantum gloriæ accrevit veræ.

Aureũ vellꝰ à Rege Hiſpaniæ oblatum. Andreas Trzebicki. Steph: Batheren ingeniosè repudiat vellꝰ aureum.

Motus animorum etiam fuit circa diſtributionem vacantiarum, nihilominùs tamen unâ die tantùm abſumptâ combinatis animis ad audiendam propoſitionem Regis Nuntij equeſtres cum Mareſchalco ſuo comparuerunt in ſenatorio hypocauſto. Qui pauca prolocutus ad Regem, quàmvis non ſit moris, ut ad propoſitionem Mareſchalci venientes Principes alloquantur. Sed quia illi præſcriptum fuerat, egregiè officiò functus eſt. Pro-Cancellarius regni grandi præmiſſò elogiò Principis puncta propoſitionis paucis verbis declaravit, quorum materia fuerat Coſacorum ad obedientiam reductio, ac ulterioris Ruſſiæ recuperatio, matura continuatio cum magno Moſchorum Duce commiſſionis, munerum, ſeu ut Tartari vocant haracz, quæ ad feſtum S. Joannis pro medio ſcilicet anno reddita ſunt, pro altero dimidio inſtans largitio, exercitui Reipub: in retentis ſtipendijs ſatisfactio. Fortalitiorum in limitibus regni ſitorum fortificatio. Debitorum Reipubl: exſolutio. Argenteæ ordinatio officinæ, aſſignatio Commiſſariorum pro ſecura depoſitione procuranda inſignium regni: Extraordinariarum laudatio contributionum: Extraordinariorum ad magnum Ducem Moſchoviæ Nuntiorum, pro firmanda amicitia deſtinatio. Recompenſa proventûs Principi, pro avulſione Novodworenſis œconomiæ. Perſolutio exercitui Magni D. L. trium millionum, & trecentorum millium. Conſtitutio pretij rerum, exſolutio ſummæ Trubecenſis. Addidit poſtremò Regem Sereniſſimum vacantias juxta legis præſcriptum, poſt excepta ab ipſis vota Senatoria redditurum: interim diem unum aut alterum inſumpturum deliberationi.

Variæ interim concertationes, eæque vanæ, & inutiles multùm temporis abſumpſerunt, diverſis diſcurſibus, diverſæ materiæ vellicabantur, ita

A.C.1669 sapientes inventi sunt ut facerent malum, eloquentes, ut impugnarent bonum, vellem ut corrigeretur pravus mos, præciderentur lingvæ vaniloquæ, & labia dolosa clauderentur. Interim crebris à Rege stuba nuntiorum exstimulata fuit deputationibus, & variæ voces transitum impediebant.

23tiâ Septembris Mareschalcus cum Nuntijs tandem coram Rege cõparuit, & conveniente svadâ usus, libellos vacantiarum utriusq; nationis sigilli custodibus reddidit, cui Pro-Cancellarius favorabilî à Rege respondit sermone.

Mareschalcus Nuntiorum.

Primas regni tandem loqui permissus pro suo more magnificè peroravit, factâque illustri præfatione, cætera vota sua reliqult in ambiguo, ut svadere potiùs, quàm decernere videretur. Illud ad extremum commotiori animò addidit, ac penè professus est, se in nulla prorsùs tributa consensum præbiturum, néque ea ex sua daturum dicœcesi, nisi prius sangvinolenti hibernorum panis, quem licentiosi milites ex miseris subditis velut harpyiæ exsugerent, dispensandi parsimoniæ consuleretur, incusavit imprimis, quòd agrum non suum demetunt, & vineam ejus, quam vi oppressérunt, vindemiant. Quid potest esse his hominibus sancti, aut quid in profanis locis faciunt, qui inter aram Dei summa scelera committunt. Actus sub pœna prohibitus ipsô jure est irritus, & transgressorem pœnæ reum facit, addidit ad Regem, non me sanè hoc quidem tempore movet Respub: non quòd ea sit mihi quidquam carius, aut esse debeat, sed quòd desperatis etiam Hippocrates vetat adhibere medicinam, nescio an non veniendum, vel in ipsam flãmulam, acerbius est enim privatim cadere, quàm publicè.

Primas Regni agit cõtra excessus militum.

Sub hoc temporis interstitio Cracoviam venit Legatus Regis Galliæ, ut pronum ad domum Austriacam Principis animum ad ferventes sidere artéque Galliæ hymenæos avocaret, quod efficere non potuit, quia nihil melioris attulit.

Subsecuta sunt alia vota Senatorum. Episcopus Cracovienſis multa de licentia militum, & intolerabili sævitia Hybernorum præmisit, & arduum hoc negotium deputatione cum Ducibus Exercitum expediri consuluit, cùm causa finali cessante pereat obligatio, quæ autem absq; causa fit permissio non vacat culpâ, sed vana in id remedia legum, nisi desuper mutentur affectus, jura nostra aut convulsa penitus, aut ne convelliantur justus metus; Quod non potest, vult posse, qui nimium potest. Versâ deinde ad provisionem Regis Casimiri oratione, ut Regnantis tanto impensius obligaret animum, hæc affectui suo accommodavit verba, quod Seren: Rex CASIMIRUS suâ abdicatione dederit ei Principalis fortunæ locum. Antistes Cujavienſis cùm plura egregiè in publicum protulisset, effatus est sententiam, quæ non quidem inconcinnè jacta (cum correctio similis facienda opportunè, & cum spe boni successus) multorum tamen non effugit interpretationem: Rara dixit virtus est humilitas coronata, quæ eminuit in infirmitate, in sublimitate virtus succumbit. Epis. Præmisliensis cujus animus probitate sic exurgit, ut parũ abesset, quin nimiæ virtutis accusaretur, cũ multa de moribus, & regis virtutibus attulisset, postremò dixit; quòd non tam imperio nobis opus sit, quàm exemplo. Tum Procancellarius inanibus se verbis peccare nolle, sed idem candido pectore vovere Principi, quòd omnes. Nolle enim se verba, sed res exercere. De Ukraina in officio retinenda, & Cosacorum rebellione perdomanda magnificè disseruit. Optando ut aliorum Principum more, qui latè orbi imperant, Polona Respub: Indomitis illis Regionibus, seu externum, seu Patritium Gubernatoris nomine cum pleno, & absoluto

Episcopus Cracovienſis contra eosdem.

Procancellarij sententia.

luto imperio præficeret, cui totum onus belli incumberet, qui deducere integras in hostium colonias, ordinare militiam heroicum aliquem statum, ut quondam Theutonicorum Ordo ad domandos Barbaros Prutthenos è Germania vocatus fuisset, bonâ fortunâ, & felicibus auspiciis instituere posset. Addidit etiam rationem, circa concludendorum consiliorum modum: cùm tanta disturpandorum Regni comitiorum facilitas, & in corruptis animis licentia animæ sit, extremæ servituti vitium: ut si Nuntius levi de causa Comitia convulsisset, citandi eum facultas esset ad Tribunalitia Regni judicia, vel si id disciplinceret: Nuntiorum sacrario necessitas esset; cum extraordinario plectendi judicio. *A.C.1669*

De publicis viribus Ottomanico bello opponendis agens, non vulgare consilium publico bono initiavit; ut is solùm miles ad subita belli in obsequio Reipub: retineretur, cui ex quarta Bonorum Regalium parte, stipendia secundùm necessitudinem legis providerentur vulgo Quarciani, Equestris Ordo ex facultatibus bonorum Equitatum provideret, subsidio Regalium ac Spiritualium Bonorum Pedestris constaret Exercitus. Civitates, Mercatores, Judæiq; amunitioni prospicerent. Eâ ratione ad Generalem Regni motum, & ultimas Reipub: vires periculo obtrudendas, non deveniri & atrocia Hybernorum incommoda egregiè evitari posse. Deniq; non alibi meliùs, quàm in hostico bellum gerendum esse censuit. Rursum conversus ad Principem acuto magis sensu, quàm blandiente protulit: Hectora quis nosset, si felix Troja fuisset? tum ad gratiarum actiones Exercituum Ducibus conversus, quòd suâ industriâ, vigilantiâque, pacata reddidissent Interregni tempora, de necessitatibus Exercitûs disseruit. Postremo à Principe petiit (nam aliorum Præsulum pro Nuntio à Sede Apostolica ad Regem preces erant) ne suam Princeps instantiam ad sanctissimum Patrem pro assequenda sacri Galeri Eminentia Primati denegaret, utquè coronatorem suum in singulari respectu, ac benevolentia fovere dignaretur.

Sequenti die bis quaternorum Senatorum vota peracta sunt: Inter quos Palatinus Trocensis Pac, zelo vindicandæ in Divinam Majestatem admissæ injuriæ à nefario quodam Presbytero Archiepiscopalis Diœcesis accensus, qui nefariis Judæis plùs quàm sacrilego ausu, venditâ sacratissimâ Eucharistiâ, fœdissimum crimen impietatis admiserat. Igitur nisi nimius in Elogio Principis fuisset, multa non indecorè præmiserat, postremò dignissimi olim Archiepiscopi Lipscij usus ad Regem verbis, ut ille quondam Seren: Vladislaum IV. ob violatum à Secretariis Ministris Divinæ Majestatis honorem obtestatus est, in hæc verba prorumpendo: Hodie Rex Serenissime comparet coram te Rex Regum DEus; ut qualiter tu in ejus causa judicaveris, ita & ipse te quoq; judicet. Postremo loco Palatinus Lublinensis sententiam dixit, inter primos meritò primam, cui gloria, & salus orbis Sarmatici inniterentur, non à laude Principis, aut votorum congerie, usitato assentationis, aut infirmi ingenij stylo, sed ab anteactorum periculorum, & noviissimi discriminis in turbulenta electione, ac pene ultimo Reipub: gloriosè orsus est. Nisi hæc cuncta felici electione in melius mutata fuissent, unde agnoscere cunctis mortalium in proclivi est, quòd nobis Ser: Princeps à DEo datus sis. Proinde non tantùm suam, sed cunctorum populorũ esse expectationem, quod ita Divinâ providentiâ commissum sibi Regni hujus Regimen moderaturus sis, ut neminem imperij tui, nisi hostes pœniteat. Hoc vovere affectus jubet & admiratio tui, quæ non apud se solum, sed apud omnes in quos scintilla aliqua diffusa lucis melioris. Veritus deinde male sopitam excitare

Pac Palat: Trocensis ob tm Sacerdotem, qui Judæis vendidit am S. Eucharistiam.

Palatinus Lublinensis.

invi-

A.C. 1669 invidiam, voto expedivit consilium, ne ingenio, & inventione suspecto populo esset: ut modus aliquis libertati minimè noxius, tranquillitati publicæ salutaris, tranquille imposterum agendarum electionum præscriberetur. Tum svaviter inflexô sermone ad ministros statûs, quos vitales esse Reipub: spiritus appellavit, invitabat in speciem, re verò monebat, ut honestis sermonibus, atque consilijs Principis aures imbuerent. Rex propriâ prudentiâ in administrando regno uteretur, illud addens, Rex velit honesta, nemo non eadem volet. De remedijs monetæ agendo diligentiam imprimis Thesaurarij necessarium esse medium ad extirpationem adulterinæ monetæ, illóque officij sui quondam parùm memores, nunc vigilantiores optabat, cùm ab anno 1621mo, ad 36. septuaginta è Svecia Solidorum milliones in regnum nostrum introducti essent, pro quibus in argento & auro evecti milliones, quibus hostes aucti, sequente deinde bello nos, & Reipub: exercitum oppugnaturi, opibus nostris in militaria stipendia valebant. Ad præsens etiam præter 16. milliones, quos Boratinius se ingenuè fatetur, tam in regno, quàm in Magno Ducatu Litvaniæ excussisse, quot annis in Poloniam 120. millia solidorum Rigâ, & è dominijs Regis Sveciæ introduci asseruit. Id patere ex eo, quòd acceptâ plenâ manu solidorum, videre est inter alios, qui recenter malleum effugerunt. Rebelles Cosacos mitioribus medijs in officio retinendos svadebat. Bellô Turcicô ingruente securitatem Reipub: in armis quærendam esse. Ex mansis deducendos in subsidium Patriæ milites non probabat, cùm id militiæ genus, jam semel Reipub: nullô penè successu irritum fuisset, solam, & unicam vim in communi motu nobilitatis esse confidenter asserebat. Illud quoque è Repub: esse, ut Palatini suis quisque conventibus interessent, Princeps ad comitiola nobilitatis non viles, ut olim, sed honoratissimas personas mitteret, qui suâ authoritate precibus, promissis, rationibus demum flecterent contumaces, si periculum disturbandi conventûs immineret. Ad extremum ne justitia sisteretur, & judiciorum tempora in comitijs à privatis eluderentur; posse hâc occurri ratione professus est, ut post Principis propositionem secundùm legis exigentiam; sextâ die judicia inchoarentur. Quod difficulter evenire posse sperandum est; nisi post Senatorum vota equestris Ordo ad vacantiarum rationes accedat, finivit eô verbô quòd non vult committere, ut nimiâ longitudine aut Regi molestum sit, aut alijs qui post se loqui debêt impedimento, Regi precatus ut omnia, quæ votis homines communibus optant, contingant uni, nam non modò longiori vitâ, sed propè immortalitate dignus videtur; utinam se glorioſum, & nos felices reddat.

Monetæ ci. mutatio.

Finito voto Procancellarius Regni à Sede Principis sequenti die publicam Nuntij Apostolici à Summo Pontifice ad Rempub: Legati audientiam intimavit. Verùm dato tempore, cum gradus sibi in Conclavi Senatorio per Mareschalcos extrui Baldekinumq; appendi ambitiosis precibus postularet, idq; contra Patrium morem sibi denegatum acerbè ferret, cùm nonnisi contecta in honorem legationis tapete terra, & posito sedili usitatum sit externorum Principum Ministros excipere, non obiturum se legationem respondit, donec Româ informationem & imperium accepisset. Sed paucos deinde intra dies quem speraverat honorem, recollectus acceptavit. Vota interim in Senatu continuabantur. Palatinus Bąkovius, cum multa de jurium confirmatione Civitatum dixisset, elapsumq; ex Regni Cancellaria Majoris sigilli cum notabili diminutione, & infamia jurium Majestatis Regum Poloniæ Civitati Gedanensi callidè quæsitum super Bona Caduca Privilegium asserere rationibus contenderet, addidit, non quod ante dictis communicari posset, sed quod affectatæ contumaciæ palatum satiaret. Jam Rex Serenissime facti sumus, ut

Nuntio Apostolico Baldachinũ negatur.

Bąkovij sententia.

ut pareamus; nondum assveti, ut serviamus. *A.C.1669*

Quartâ Novembris, vota Senatus ad Regni Officiales devenerant. Quorum Regni Thesaurarius, cui hæc laus tribui potest, quòd rationes thesauri publicâ famæ voce administrat tam abstinenter quàm alienas, tam diligenter, quàm suas, tam religiosè, quàm publicas, ille ergo generosâ voce multa de publica conquestus egestate, quantos gereret spiritus, patefecit, his Principem allocutus verbis: Communis egestas cùm universos involvat, etiam te Princeps Seren. quem è gremio Civium extulisse ipsa fatetur fortuna, publica indigentia complectitur. Neque enormibus expensis, innumeris largitionibus sufficere posse ærarij rationes: Ad extraordinarios deinde versus contributiones, egregium suppeditavit consilium, quod si Equestris Ordo agrariæ contributionis onere in perpetuum liberari velit, & nihilominus exolutioni publicorum debitorum, ac communibus necessitatibus Regni sufficienter prospectum esse vellet, non gravatim eo deveniri posse, si ad morem statuum Hollandiæ tributum à comestibilibus nimirum Datiam vulgò accisam per universas Regni Provincias instituat, modò id moderatè fiat, quod sæpè faciendum est, nam nulli parcendum est rei magis quàm huic cujus tam frequens usus est. Eâ methodo omnes publicæ egestatis difficultates non modò evitari, sed superari possunt. *Thesaurarij consilium de contributionibus.*

In atrio libertatis rursum, Ita non semper bona principia pari exitu coronantur, atroces exulum æstuabant querelæ & quia cohiberi jam prægnans malitia non poterat, in scelus erupit; Expolito enim ad commiserationem omnium dolore, solenni factâ protestatione excesserunt. Instabat equidem Maresehalcus Equestris precibus, accedente totius Collegij consensu, ut Deputatione ex singulis gentibus tantisper delinirent eorum animos, quæ instantaneam urgent satisfactionem. Id medium nisi succederet, tum demum eis licitum esset, ad prærupta animum convertere. Deputationem, multorum voces impedivere, quorum nonnulli arreptâ voce, vacantias sibi debere conferri à data Diplomatis contendebant, Id se nullâ ratione remissuros asseverantes, cum de legis authoritate agetetur. Interim unus exulum lamentabili usus voce, importunus sum, sed habeo excusationem, tanquam summum facinus sine gemitu, & lacrymis ritè peragi non posset, denuò se protestari exclamans erupit ex atrio libertatis. Equestris Maresehalcus mœsta quidem voce, grandiq; mœroris ostentatione obviam ivit invidiæ, cæterũ in procinctu funestæ vocis proletarij hominis pro munere suo Deputatos è medio ordinis ad Principem expedire potuit; quos nemo ituros impediviſſet, cùm omnium consensus interceſſiſſet, inutili morâ corrupit agendi tempora. Acceptâ talium mœstâ relatione, Princeps quoq; Sessioni finem imposuit. Digrediens in Penetralia Palatij paululum in Anticamera subsistens, quasi per familiarem sermonem à Primate compellatus est, nunquam se tam marcida, verio p.trescentia comitia vidisse eum mori sit grave, sed gravius tabescere, & langvere, non solùm justo multorũluctu, verùm etiam magno fortunarum dispendio, eum privatus quisq; proprio substantiarum detrimento, publicis commodis indulgeat, non alieno suffultus subsidio, opibusq; adjutus, nullâ solicitudine, pari inertiâ rerum, temporumq; momenta terat. Unicum ex præsentibus Comitiis sese sentire commodum, quod Majestatem Vestram Coronâ insignivérim: Reliqua fortunæ beneficia, quamvis ad manum sita, repelli. Plura lymphatico spiritu addens, proloqui parabat, omnia se in hoc Regno pereuntis Reip: manifestè spectare signa. Cùm Princeps non quia non posset respondere, *Exulum protestationes.*

A.C.1669 re, sed quia nolebat, poterat enim non ex vano dicere quòd concupiscas tu videris quòd concupiveris certo habetur, sed exhibita veneratione, intentus silentio, & profundæ quasi abstractus meditationi ad ulterius recessit conclave.

Cum verò aliquot diebus Olizarius Subjudex Kijovienſis, qui nudius tertius cum protestatione eruperat, non compareret, post senatus consilium secretius Rege præsente, Senatus, Patres, & supremi regni Officiales invitatô equestri Ordine divisis per nationes sessionibus deliberabant, quid in præsenti Reipub: necessitate agendum esset. In consilio Majoris Poloniæ Primas magnâ doloris apparentiâ conqueſtus est de libertatis licentia, nec laudari posse impium Nuntij facinus: nihilominùs sphæram comitialis activitatis fixam & interruptam esse, non posse diffiteri. Jacturam porrò præsentium comitiorum nullô remediô, nisi aliorum indictione comitiorum reparari posse, quæ non sex septimanalia essent, sed convocationis nomine, & temporis compendiô insignirentur, ac pro 25ta, aut 6ta Februarij determinarentur. Egregium consilium, sed circa convocationis comitia inerat secretioris ingenij temperamentum. Pro-Cancellarius pro debito officij rupta comitia legitimare contendebat, restituta Nuntiorum collegio activitate, sed varijs oppugnatus sententijs, nullóque adjutus suffragiô: sententiam pariter, primámque servitij stationem deseruit.

Zaręba differit de libertate.

Insolitum his diebus in atrio libertatis silentium, cùm aliàs illud plenis buccis laudare soleant, vix ullus observet, quod tamen judex Sendomirienſis reconciliatâ sibi apud universos audientiâ (nam directori equestri ademptâ jure vetandi distribuendarum vocum potestate, sola tantùm inerat orbata decore authoritas) multarum rerum eruditam de libertatis origine elegantiam præmisit. Quomodo olim Majores nostri stante ex adverso hoste, accincti prælijs in acie leges, & libertatis prærogativas, quibus nunc beata Respubl: consequebantur, illas scilicet: neminem captivabimus, nisi jure victum. De nemine vindictam sumemus. Cæteráque insignia liberi statûs. Quomodo Principes Poloniæ, quod fecisse traditur Casimirus III. sciscendorum comitiorum causa districtus, terrásque regni sui peragrare necesse habuerint, adesse nobilitatis conventibus, unius, sæpè duarum septimanarum spatiô immorari consilijs, donec nobilitas in tributa consensisset. Cujus negotij absolvendi ratio, cum ingenti temporis in universo regno constaret dispendiô, non omnibus annis omnia conveniunt, res prius apta nocet. Invitatus postea à Principibus ad consiliorum moderationem equester Ordo, iisque Generalium regni comitiorum ortus fuit, quæ paucis ab initio diebus, deinde accedentibus in dies publicis negotijs, & adolescente libertate in sex septimanarum spatium præscripto legis abierunt. Non videmus veteres leges, aut ipsas suâ vetustate consenuisse, aut novis legibus esse sublatas, nam modicâ deinde interjectâ ætate cùm consiliorum modum, & titulum Alexander, & Albertus Reges Poloniæ statutis, hoc est primitivis juribus auxissent, firmassentque, latâ scilicet lege, ut comitia regni nonnisi universorum & singulorum consensu coalescerent: Si quis Nuntiorum terrestrium publico consensui adversus interceſſisset, pro irritis haberentur. Iis incrementis, & fatorum benevolentiâ libertas Polona, cùm Majestatis occupavit gradum, qui cunctis non modò in Europa populis, regnis, & imperiis, sed universo orbi, & quas mundi oculus vix inspicit nationes, gentésque non modò stupori, sed & invidiæ esset, ac proinde venit mihi in mentem Augustus Cæsar Galbæ, cujus conforme gibbo erat corpus agenti apud se causam, & frequenter dicenti: corrige in me, si quid reprehendis, ego te monere possum, corrigere non possum, nam timeo, ne dissolutio imperij subsequatur, si fructus, quibus Respub: sustinetur,

tur, diminuerentur abolitis paulatim antiquis moribus funditùs everti poſ- *A.C.1669*
ſe Rempublicam. Quare cum Nuntius proteſtatione factâ exceſſerit, ac quamvis ſub temerario auſu Rempublicam magnis caſibus, & atrocibus periculis involverit, attamen ſi pereundum; vita, ſaluſque potiùs, quàm libertas tantô Majorum ſangvinis impendiô parta ponenda eſt. Deſerere ideſe Reipublicæ ſecuritatem non ſvadere, quinimò fulciendæ integritatis patriæ modum arripiendum eſſe; ut nimirum, quantocius Princeps in ſuis univerſalibus literis ad particulares equeſtris Ordinis conventus mittendis ſuiſque Nuntijs de more ad conventus ablegandis, id potiſſimum inſinuet, ac recommendatum eſſe velit, ut nobilitas cujuſque Palatinatûs confœderationem plebiſcitis firmatam, pro retinenda Reipub: ſecuritate inter ſe inire non negligat, ac vinculo nexûs fraterni ab emergentibus per fraudē, aut proditionem periculis, reddere velit Rempublicam ab hoſtibus tutiorem; finivit eò, quòd præſentem infelicitatem melioris olim fortunæ ſpe levabat. In eam ab omnibus, velut omnium ore locutus fuiſſet, itum eſt ſententiam. Interrogatus deinde, an poſt factam à Nuntio proteſtationē, legitima eſſent judicata Principis & Senatûs? priſcâ rectè ſentiendi de Republica libertate addidit, cùm legitima poteſtas ſit Nuntio, qui peſſime facit fateor, & nos interea patimur, ſed quoties præjudicium legibus ingruat, factâ proteſtatione in facie equeſtris Ordinis comitia diſturbandi, quamvis ei ſatis adhuc temporis ſuppetat, quando primùm ultimis comitiorum diebus, in Senatu coram Principe leges ſcribuntur. Multò magis proteſtationem virium habere, & juſtiori titulô inſigniri, dum agitur de judicijs, ne quis equeſtri prærogativâ gaudens Injuriâ opprimatur, cum læſione fundamentalis Reipublicæ noſtræ juris, neminem captivabimus, niſi jure victum. Quocirca exiſtimare judicata, quæcunque poſt proteſtationem Nuntij lata ſunt, utpote ſublatâ comitiorum activitate in irritum recidere; finivit cum exhortatione, quòd illi inficiant, ac interficiant lethali iaviam patriæ dolore, qui non tantùm augere, verùm & conſervare antiquas leges negligunt.

Finitô votô Mareſchalcus equeſtris, factâ ſolenni imprecatione, utinā abſcindantur, qui nos conturbant, & poſt demiſsâ equitum coronæ gratiarum actione, quòd ei liberarum vocum ſuarum regimen, inæſtimabile fraternæ benevolentiæ pignus concredidiſſent, ad Senatum cum univerſis perrexit, ubi in mœſtitiam compoſitus fatalem Reipubl. caſum ſolâ Principis fortunâ corrigi poſſe diſſeruit. Tandem ad oſculum manûs mœſtum equeſtrem Ordinem admitti poſtulavit, expletô officiô venerationis.

Senatus-Conſilium ſubſecutum, in eo conſilio triginta ſex Senatores erant inter eos, qui ſpeciem non rem amoris in Regno habebant, dixêre ſententias egregio in publicum zelo, aut circumſpectâ ſimulatione inſignes, quas primò Præſules, tum Palatini, & qui Senatorum vocabulo inſigniuntur, expedivêre. Tandem ſupremi Regni Officiales, nimirum Regni Mareſchalcus, apprimè expenſis, ſuſpenſiſq; verbis, vitatis iis materiis, quibus aut contradicendum eſſet, vel ſi de iis diſquireret, ſuſpicio læſionis in animo Principis ſperabatur, in eo ſolùm non ambiguus, quòd ejus ſincera in Patriam, & Reipubl: obſequia, ſiniſtrè aures Principis interpretarentur. *Senatus-conſilium.*

Transactis Senatorum ſententiis Princeps congrua tempori præfatus Indolens fatis Reipub, & ſuæ infelicitati, quam quidem & Senatum pro ſe ſentire non ambigebat, cum unus ſit cui multiplex incumbit triſtandi ratio, utpote pro omnibus, cum illum neceſſe ſit affici curis pro cunctis quotquot ſunt, & ſingulorum quo rurſus ſupplere abſtinentiam, avertere pericula, tandem ſingulas materias compendiosè percurrit, ita com-

A.C. 1669 composito sermone, ut non tam de iis consulere, quàm eas determinare videretur. Ad extremum per speciem comitatis addidit, quo priora mollius acciperentur, ut quomodo liberis sese suffragiis in throno collocassent, ita se in eodem conservare dignarentur.

29. Octob. Epithalamicum Principis consilium in Palatio semotis arbitris celebratum est. Ad quod quamvis universi Senatores à Principe invitarentur, non omnes affuêre, præsentes nihilominus quotquot erant in Austriaca domo connubium Principi optabant, suadebantq; , paucis Senatorum circa circumstantias temporis solùm diserepantibus, cùm prævenienda alij, nonnulli expectanda Comitia contenderent, validisq; , & speciosis rationibus insinuarent, quibo tamen cõtradici non posset. Sed Princeps moram metuens, & quia suspecta apparebant consilia, integrũ suæ deliberationi reliquit negotium. Pari fato, & fortuna secutus Regis Vladislai IV. cujus non meminisse non licet, quoties ad gloriam, & felicitatis mentionem devenitur, prosperam inventionem, qui cùm auditis Senatorum sententijs se deliberatione egere, prolato Ingenio respondisset, nam finitis comitijs Annô Domini 1637. statim legatos expedierat ad Ferdinandum III. Imperatorem pro conducenda Constantia Austiaca. Igitur consilium silentio finem accepit, frustratique voto, quibus præcipua, & maligna, morâ & cunctatione impediendi Principis in domo Cæsaris matrimonij cura. Timetur magna inde offensio, & ne arreptâ occasione per turbas, & conspirationes populi à Principe sequatur alienatio, civiliumq; discordiarum, ac belli semina superveniant. Sed meo judicio ob manifesta multa commoda, proximæ quoq; vicinitatis non temnenda commoditas cum Austriaca domo affinitas in animo Principis, & affectu præponderavit. Regis Franciæ legatus, & benevolentia Galliæ domûs jussa est valere. Procatûs provincia ad Cæsarem Procancellario obtigit. In eodem quoq; consilio aliter suadentibus rerum, temporumq; momentis immutata est præfixio generalium Regni Comitiorum à die 12 in proximiores dies scilicet 7mam Martij destinata est.

Hæc igitur habui, quanquam à fideli manu mihi addatur, quòd non omnia mihi significentur, nam quæ digna celatu videbantur, silentio prætermissa, quæ nec ego scribere possum, cùm longè absim, audiam serò.

P. S. Ex occasione intervenientis differentiæ inter Archi-Episcopum Gnesnensem & Episcopum Cracovienscm circa Pontificalia exercenda in Coronatione & funere Regum missa mihi sunt satis curiosa scripta, quæ tibi communico.

CRACOVIENSIS PONTIFICALIUM.

Eminentissime & Reverendissime Domine.

FRustra prætendit D. Archi-Episcopus Gnesnensis se tueri in sua prætensa veritate, & jurisdictione legati nati in Regno Poloniæ, ex quo in Synodo celebrata sub Archi-Episcopo Joanne Lascio de Anno 1515 permissum fuerit, quòd Archi-Episcopus Gnesnensis uti possit officio legati Nati in ea Provincia secundùm Privilegium eidem concessum, à Leone X. eodem anno.

Quia privilegium prætensum duo continet. Alterum, quòd Archi-Episcopus possit uti facultatibus à jure communi legatis natis concessis. Alterum, quod præsertim valeat uti facultatibus, quas habet Episcopus Cantuariensis in sua Provincia legatus natus.

Quoad primum replicamus. Quod licet antiquitùs magna esset authori-

thoritas legatorum natorum, illa tamen ſucceſſivis temporibus adeo re- *A.C.1669*
ſtricta fuit, & uſu antiquata, ut nihil penitus de jure communi Legatus Natus habeat, quàm ſolam dignitatem, quæ omni caret jurisdictione, ut ex Anaſtaſio Germonio de legato lib. 9. c. 15. & per additos apud Pariſiũ de Reſignatione S. 7. q. 13. n. 1, & per Caſſabutium in notitia Conciliorum mihi pag. 166. verſ. *Quia verò Legati*, jam probavimus.

Quoad 2dum. Non poteſt D. Archi-Epiſcopus ſe juvare, vel tueri, niſi oſtendat Privilegium, & facultates, quas habebat eò temporis Archi-Epiſcopus Cantuarienſis. Cùm enim ſimul in Privilegio conceſſo ad inſtar nihil valet, niſi conſtet de relato juxta Text. in l. ſi ſic, §. 1, & ibi Dinus & Bart. ff de legat. primo: meliùs in Authen. Si quis in aliquo C. de eden. Cabed. deciſ. 95. n. 9. p. 2. Cochier de juriſdictione in exemptos p. 4. q. 7. n. 6. Barbos. clauſ. 5. n. 7.

Et propterea Illuſtriſſimi Domini Præſules, qui in ea Synodo interfuerunt, hanc conditionẽ adjecerunt. Ut Archi-Epiſcopus Gneſnenſis non poſſit uti facultatibus conceſſis Archi-Epiſcopo Cantuarienſi, niſi priùs innoteſceret, quas facultates haberet idem Archi-Epiſcopus Cantuarienſis, quæ hactenus ignotæ ſunt in regno Poloniæ, & certum eſt permiſſionem factam cum aliqua conditione, nihil operari, niſi verificatâ conditione. Mantis deciſ. 346. n. 6. Rot. deciſ. 179. n. 22. pte. 13. recent.

Nec facultates Archi-Epiſcopi Cantuarienſis probantur ex aſſerto teſtimonio S. Anſelmi relato à Patre Alfrido in Annalibus Angliæ. Quia, cùm iſte Sanctus eſſet Archi-Epiſcopus Cantuarienſis, & Legatus natus, ſi tanquam Legatus natus teſtatur, in toto regno poſſe exercere Pontificalia, ei non eſt credendum, cùm non creatur Legato facultates ſibi eſſe conceſſas, niſi oſtendat literas ſuarum facultatum. Specul. in § ſupereſt n. 16. de legat. Patian. de Probat. lib. 1mo. cap 48. n. 75. Præſertim, ſi ejus atteſtatio tendat in præjudicium Tertij, Abb. in cap. cùm olim. n. 5. de dolo, & contum. Jas. in l. Admonendi in 2do licet n. 156. ff de Jure Jur. Angel. conſ. 182. col. fin. Villadieg. de Legato quæſt. 6. n. 16. Patian. loco cit. n. 76.

Maximè quando tractatur de Legato in partibus remotis à curia exiſtente, quia tunc etiamſi eſſet Cardinalis, ei non creditur, niſi literas ſuas oſtendat, Felin: in cap. quod ſuper his n. 10. verſ. nona concluſ. de fide Inſtrum. Ancar: in Clemen. prima de probat. Alber. in leg. prim. n. 3. c. de mandato Principum.

Præterea, etſi eſſet credendum Sancto Anſelmo, ejus aſſertio probaret tunc temporis Archi Epiſcopum Cantuarienſem habuiſſe facultatem exercendi Pontificalia in tota ejus Provincia, ſecus hodiernis temporibus hujuſmodi facultas à Sacri Concilij Tridentini Primatibus, & Legatis natis ſublata eſt, ut oſtenſum fuit in informationibus.

Et ideo cùm Concilium Tridentinum receptum ſit in Polonia, ut conſtat ex cap. primo lib. 5. Conſtit. Synodalium, Provinciæ Gneſnen. debet D. Archi-Epiſcopus ſuam authoritatem limitare, ad diſpoſitionem decretorum dict. Sac. Conc. quod optimè ſtatutum fuit, in Synodo habita annô 1621. ab Archi-Epiſcopo Gneſnenſi cap. 3. ibi. Proinde hæc requirit Synodus, ut quâ animorum alacritate Sacrum Concilium Tridentin. à Majoribus noſtris eſt receptum, eodem ſtudio religionis, atque publicæ honeſtatis, Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi DD. Archi-Epiſcopi & Epiſcopi, ad ejuſdem Concilij reſcriptum, ſuas Epiſcopales functiones & munia peragẽtes, in ſuis diœceſibus ab omnibus ſubditis, illud, quàm maximè fieri poteſt, obſervari procurent. Nec D. Epiſcopus Cracovienſis fundat ſuam intentionem in eo ſolùm, quòd facultates Legati nati non ſint in uſu, ſed eam

A. C. 1669 fundat in revocatione hujusmodi facultatum facta à Sac. Con. Trident: Aliud enim est, facultates non esse in usu: aliud fuisse revocatas. Revocatio enim perinde fieri debet; acsi nunquam fuissent concessæ l. cùm quis in princ. & § de solut. Bòer: decis. 274. n. 6. Rot. decis. 469. n. 1. part. 2. recent.

Ejusdem sancti Anselmi secundum testimonium, quod desumitur ex ejus epistola 19. lib. 13. ubi, quòd Archi-Episcopus Cantuarienſis in omni Episcopatu habebat villam, seu Ecclesiam, quæ proprij juris erat, & in ea exercebat, quidquid ad Episcopale officium pertinebat, nihil detrahit Juri Episcoporum, nam illa Ecclesia reputabatur proprium territorium Archi-Episcopi, sicuti dicimus de Archi-Episcopo Montis Regalis, qui habet Ecclesiam proprij juris, in civitate Florentiæ, in quibus Archi-Episcopus, & Episcopus possunt exercere Pontificalia jure ordinariò, tanquam in Ecclesiis suarum diœcesium, Abb. in cap. *Super eo de Parochis* n. 6. Gemin. in cap. *Statutum* § *non verò de rescriptis* in 6. Rot. decis. n. 7. n. 5. par. 2. diverſ. Sed non inde infertur, quòd possit exercere Archi-Episcop. Pontificalia in Ecclesiis Cathedralibus, vel alijs Ecclesiis suorum Suffraganeorum, absque eorum licentia.

Confirmatio verò Synodorum facta à Gregorio XIII. gratis asseritur, cùm Gregorius XIII. confirmavit solùm acta Synodi, convocatæ de anno 1577, in qua nullum verbum de auctoritate Legati nati, ut patet ex ejus Brevi directo Jacobo Archi Episcopo Gnesnenſi, & ex Brevi directo Stephano Poloniæ Regi dato 29. Decembris anni 1578. & ex alio Brevi directo Nuntio Sedis Apostolicæ in regno Poloniæ, ac Archi-Episcopo Gnesnenſi, & Episcopo Cracovienſi dato 8. Aprilis 1578. de quibus in fin. lib. 5. Constitut. Synodal. Provinciæ Gnesnen. Confirmationes verò Gregorij XV. & Urbani VIII. cadunt super Synodis convocatis, tempore suorum Pontificatuum, ut patet ex eodem libro. Præterea etsi confirmata esset Synodus Archi Episcopi Lascij, fuisset confirmata cum conditionibus insertis in capitulis Synodi, licet enim confirmatio addat robur actui, non alterat tamen conditiones in eo actu insertas l. Aurelius § *testamentum* ff *de libert. Legat.* Sesse. in cap. 1 *de confirmat. utili vel inutil.* Rot decis. 319. n. 33. & decis. 333. n. 30. part. 6. recenti.

Quod postremò dicitur, quòd ad Archi-Episcopum Gnesnen. spectat ducere funus Regum, & coronare Reges, nihil facit ad rem, quia hoc ad eum potuit pertinere in sua diœcesi; si verò prætendat, ad eũ spectare, in diœcesi aliena, absque licentia Diœcesani, hoc debuit probare, quod minimè præstitit, imò totum contrarium apparet, ex testibus pro D. Episcopo Cracovienſi examinatis, qui habet assistentiam Sacri Conc. Trid. sess. 6. c. 5. *de reformatione* Barbos. in summa Apostolicar. decis. verbo *Pontificalia* n. 4.

Ad Textum in Clemen. Archi-Episcopo de privilegijs circa elevationem crucis, dicimus: non posse Archi Episcopum Gnesnen. ante se portare crucem, in regno Poloniæ, cùm ibi adsit Nuntius Apostolicus cum facultate Legati à latere Barbos. *de jure Ecclesiastico* lib. 1. cap. 7. n. 25. cum alijs per Ventrigliam *de jurisdictione Archi-Episcopi* lib. 1. cap. 8. n. 4. ubi, quod ita fuit decisum per Sac. Congreg. Rituum in una Taurinen. 9nã Martij 1593. refert.

Quod verò ad exercenda Pontificalia, post dispositioñem Sacri Concilij Tridentini, non habet locum dicta Clementina Archi-Episcopo de privilegijs Imò secundum jus commune, quidquid sit, quando Archi-Episcopus velit exercere Pontificalia, sinè jurisdictione; si vellet exercere cum jurisdictione, hoc ei non liceat, sinè licentia Episcopi Diœcesani, ut bene distingvit Gloss. in dicta Clemen. Archi-Episcopo, etsi celebret sinè tali licentia,

centia, ineideret in pœnas, à Sacro Concilio Tridentino inflictas. Ven- *A.C.1669*
trig. in dicto Tractat. & cap. n. 4, & 13.

Quare ſalvo &c.

Lucius Arcanus Adtus.

CRACOVIENSIS PONTIFICALIUM PRO PARTE D. ARCHI-EPISCOPI GNESNENSIS REPLICATIO.

LEgationem natam in Regno Poloniæ impetraverat ab Innocentio III. Henricus Archi-Epiſcopus Gneſnenſis Theodorici Ducis Bern: ex Eudoxia Polona filius, ſub tempus Concilij Lateranenſis Anno 1215 Cromer. de rebus Polonicis l. 7. pag. 194. Pacificam hujus prærogativæ poſſeſſionem D. Archi-Epiſcopi Gneſnenſes continuò retinuerunt, ita ſtrictè, ut Vladiſlaus Archi-Epiſcopus Sbigneo Cardinali Epiſcopo Cracovienſi primum locum in Senatu, & in ſententia danda non cederit, atq; eum Majoribus Polonis à Comitiis Petricovienſibus recenſerit, anno 1449 Cromer. lib. 22 pag. 510, pariter & in Pontificalibus exercendis Joannes de Sprowa Odrowąz Archi-Epiſcopus Gneſnenſis intuitu præeminentiæ ſuæ Primatialis, & Legationis natæ eidē Sbignæo Cardinali in nuptiis Caſimiri III, eū Eliſabetha Alberti Cæſaris filia Cracoviæ celebratis anno 1454 non ceſſit, ſed mediatione Joannis Capiſtrani Nuntij Apoſtolici, Cardinalis Neo-ſponſos benedixit; Archi-Epiſcopus verò Saeris, in ipſius Eccleſia operatus, Reginam inunxit, & coronavit. Miechovit l. 4. c. 49 in fin. Cromerus lib. citato pag. 523 & ſeq.

Cùm verò anno 1451 lex faneiretur, ut D. Archi Epiſcopus Gneſnen. Cracoviæ, ubi inſignia Regni ſervantur, Regem coronaret, quæ ceremonia abſq; Pontificalibus exerceri non poteſt, Epiſcopus Cracovienſis non contradixit, ac proinde in hujuſmodi ceremoniæ exercendæ pacifica poſſeſſione fuerunt, & ſunt hucuſq; DD. Archi-Epiſcopi Gneſnenſes à tanto temporis tractu, quo legitimè etiam quoad jurisdictionem in alterius Diœceſi exercendam præſcribitur c. 1. de præſcriptione in 6to. Panormitanus in Capitulo ſuper eo, de Parochis n. 6. Zabar ibidem in octavo q. de Parochis, Rot. Rom. deciſ: 207, n. 5. part. 2. diverſ. Anehar. in Cap. Cùm contingat, in 6. n. de foro comp,

Anno poſtmodum 1515 ſub tempus Concilij Lateranenſis firmavit jus ſuum Joannes de Laſco Archi-Epiſcopus Gneſnenſis obtento à Leone X. novo legationis natæ, & Primatialis dignitatis privilegio, quod in Synodo publicatum, & Conſtitut. Provinciæ inſertum l. 1. ſub tit. de officio Ordinarij.

Bullam hanc pars Impugnans quibuſdam rationibus aggreditur, aſſerens, Legatorum natorum authoritatem ſucceſſivis temporibus reſtrictam, & uſu antiquatam eſſe, ſed contrarium notorium, & evidens eſt. Manet enim ſua jurisdictio, & authoritas legationis natæ Archi-Epiſcopo Salisburgenſi in Germania, Toletano in Hiſpania, Remenſi in Gallia, Gneſnen: ſine contradictione, ut dicit Azorius, in Polonia. Azor Inſtit: Moral. part. 2. lib. 5. cap. 27. Henricus l. 10. cap. 28 n. 3. Barboſ: de off. & poteſt: Epiſcopi p. 1. tit. 3. c. 7. n. 17. §. finali, *Verùm* Henricus & Caniſ. in ſumm: Jur. canon. l. 1. tit. 17. de off. leg. §. 2 quamvis in aliis Regnis, partim Infidelium, partim Hæreticorum, vi & impetu ſint expuncti, uti Cantuarienſis, Eboracenſis, Viennenſis, Lugdunenſis, Strigonienſis & alij. Azor loc. cit. Roderic. à Cunha in hiſtoria Eccleſ. Epiſcopi Portugalenſis p. 1. c. 6. pag. 73 in fine. Joannes Honor: in ſumm: de-

A.C.1669 eretal: l. 1. tit: 30 n. 2. in fine. Numerus igitur illorum, non authoritas reſtricta eſt, vetuſtitudine temporum, & iniquitate. Quia verò Privilegia Legatorũ natorũ, favorabilia ſunt, proinde amplianda, non reſtringenda. c. Odia de Reg. jur. in 6. imò latiſſimè interpretanda. Ricc. in praxi rerũ quotidianarum reſol. 118 n. 6. & ſeq. Contendit pars impugnans teneri D. Archi-Epiſcopum oſtendere Privilegium, & facultates Archi-Epiſcopi Cantuarienſis quas habebat eo temporis. Hoc ita quadrat, ac ſi diceret, teneri Summum Pontificem oſtendere Conſtantini donationem Urbis Romæ: Si triennalis poſſeſſor non tenetur titulum præſentare poſſeſſionis ſuæ, quantò magis immemorabilis.

Non ſumus in Privilegio perſonali, ſed in perpetuo & reali cap. Cum olim 14 de Privilegiis c. 1. & ſeq. 25 quæſt: 2 Dyn. in cap: Privilegium n. 6 de Reg. Jur. in 6. Ubi non eſt opus, ut conſtet de relato, quia hoc nullibi cavetur; in impetrationibus enim tantùm Beneficiorum id cautum eſt propter odioſam pluralitatem, cap. Si motu proprio de Præben. in 6. & Cap. in noſtra, de reſcript. & in perſonalibus. Sed ubi vertitur Privilegiũ cauſæ, non perſonæ, non item: L. Privilegia 196 ff de diu. Reg: jur. Sedi enim, & dignitati Archi-Epiſcopali data eſt legationis perpetuæ prærogativa in Polonia, non Laſcio, juxta prolata Alexand. III. in c. 1. de off. leg. Cùm non ignoretis Archi-Epiſcopum Cantuar: vobis non ſolùm Metropolico, ſed etiam legationis jure præeſſe Joann: Honor: in ſumm. decretal. l. 5. tit. 33. n. 3. & DD.

Quod autem dicit pars impugnans Priviligium à Leone X. datum fuiſſe ad inſtar Archi-Epiſcopi Cantuarienſis, hoc non cohæret dictis Bullæ. Aliter enim contextus ſonat, Concedentes, ut omnibus & ſingulis Privilegiis, libertatibus, præeminentiis, exemptionibus, immunitatibus, honoribus, & gratiis uti, & gaudere, ac quòd omnia & ſingula facere, & exercere, ac mandare, ordinare, & exequi, quæ ad Legatos natos, & ejuſmodi legationis officium habentes, quomodolibet pertinent, & qua alij Legati, præſertim verò Legatus Cantuarienſis qui in Provinciis ſuis, de Jure, Privilegio, & conſvetudine mandare, facere, & exequi poſſunt, liberè, & licitè valeant. Ex quo verborum contextu manifeſtè patet Laſcio facultates fuiſſe conceſſas, non ſolùm, quæ ad Archi-Epiſcopũ Cantuarienſem ſed etiam, quæ ad alios Legatos, & legationis officium habentes etiam hodie pertinent. Porrò particula, ſive diſtinctio, *præſertim* non reſtringit, ſed ampliat conceſſionem, idem enim hic ſonat, quod dictio præcipuè.

Neque implicat, quòd Illuſtriſſimi Præſules, qui eidem Synodo interfuerunt, uſi ſint dictione, ad inſtar ut patet in conſtitut. Provin. lib. 1. tit. de off. Ordinar. verbo Archi-Epiſcopus fungatur pag. 81 paritatem enim officij, & facultatem exprimunt ampliando facultates legationis natæ, non reſtringendo. Quamobrem ita ſtatuunt: placuit enim, ut hæc legatio in facultatibus amplioribus ultra jus commune augeatur, per ſummũ Pontificem. Quànuis enim ſciebant ampliſſimas eſſe facultates Archi-Epiſcopi Cantuarienſis majores adhuc impetrare cupiebant. Non igitur facta eſt ab Ipſis permiſſio, ut opinatur pars impugnans eum conditione. Conditiones enim regulariter imponuntur per dictionem *Si*, vel per alias ſimiles, de quibus DD. videndus Bart: in li. 1. §. finali ff de conditionibus, & demonſtrat: Suſpenſivam autem conditionem ſola dictio *Niſi* importat, Ricc. in praxi rerum quotidianarum, reſol. 500. n. 3. Neque dicunt Præſules Synodales. Non utatur, donec innoteſcat. Sed dixerunt affirmativè: Utatur poſtquàm de illis certior efficietur. Reſolutivè igitur non ſuſpenſivè

deter-

determinant, prout diſtingvit Panormit: c. fin. de conditionib. appoſit. n. 2. Néque dicendi ſunt nunc primùm cum conditione permiſiſſe, quod ab anno 1215 ut ſupra dictum eſt, ultrò & benevolè receperunt. Leo enim X. non conceſſit privilegium aliquod DD. Archi-Epiſcopis Gneſnen. de novo, ſed innovavit antiquum ab Henrico antea impetratum, quia ita privilegia Sedis Apoſtolicæ intelliguntur concedi, ut innoventur anteriora. Panormit. in cap. ex parte lib. 1. n. 3. de privilegijs, Felin: in cap. fin. n. 3. de fid. inſtr: Joann: Honori: in ſumm: decretal. lib. 2 tit. 30 n. 2. Néque Concilium Provin: potuit quidquam ſtatuere contrarium voluntati Summi Pontificis cap: ex inſinuat: de appellationibus c. nemini 17. q. 4. *A.C.1669*

Quòd autem pars impugnans diſcurrit, non credendum eſſe teſtimonio S. Anſelmi, circa facultates Archi-Epiſcopi Cantuarien. prolato. Credat Summis Pontificibus, Innocentio III. & alijs, præſertim Alexandro III. Qui decretales & declaratorias ſuas de fil. Presbyt. Ordi: vel non, de officio Legati, & alibi ad Archi-Epiſcopum Cantuarienſem & univerſos ipſius Suffraganeos direxit. Non enim ambigendum eſt, Summos Pontifices non latuiſſe, quas Archi-Epiſcopus Cantuarienſis haberet facultates, cùm eas ipſi conceſſerint. Néque, qui conceſſit, præſumitur neſcire, quæ concedit, præſumptione juris, & de jure, de quo hic paſſim DD. Néque ſucceſſores dici poſſunt, potuiſſe neſcire, cùm talia poſt præſtitam obedientiam, ſtatim Eccleſiarum ſuarum Archivo Romano mos eſt & nunc inferri. Quod ſi partim iniquitate temporum, partim tempeſtate hæreticorum poſtea perierunt, hoc non vitiat. Quia privilegia non inſpecta non valent argui falſitatis. Cap. accepimus de fid. Inſtrument: præſertim cum depoſitionibus teſtium nitantur. Cap. Cùm olim XII & ſequen. de privil. Bald. in l. fin. n. XXI C. de edendo. Teſtantur verò Illuſtres, & magnæ authoritatis ſcriptores S. Anſelmum ampliſſimas habuiſſe facultates in toto regno Angliæ uſquè adeò, ut etiam feſtorum celebritates indiceret, uti Eccleſiæ Anglicanæ Primas, & ſupremus in rebus ſacris illius nationis arbiter, Salazar in defenſione Immaculatæ Conceptionis cap. 35 §. 6. n. 40. Qualem ajunt eſſe eum, qui regnum Siciliæ poſſidet, quæ Henriq. dicit.

Hallucinatur verò plurimùm pars impugnans, cùm dicit, hodiernis tèporibus ejuſmodi facultates à Conc. Trident. Primatibus, & Legatis natis, ſublatas eſſe, cùm nullibi id reperiatur, imò Papa, aut Concilium non intendit alicui præjudicare, prout deducitur, c. de Eccleſiaſt. 25 q. 2. & ſeptem alijs decretalibus. Tametſi nonnulla correxit Concilium Tridentinũ, ſed non ſuſtulit. Néque diffitemur Archi-Epiſcoporum poteſtatem in ſuos Suffraganeos reſtrictam eſſe per Concilium Tridentinum, uti accuratè collegit Piaſſecius, in praxi Epiſcopali part. 2. c. 5: art. 2. à n. 43. ad 50 ſed non Primatum, & legatione perpetuâ fungentium.

Cùm verò Primas Archi-Epiſcopis & Epiſcopis præſit. Azor part. 2. l. 3. cap. 5. circa fin. & cedit ubique Archi-Epiſcopus Primati Loter: de re Beneff: tit. 1. lib. 1. q. 9. n. 33. Proinde verba Innocentij IV. ſunt ponderanda. Cùm ſuarum prætextu Eccleſiarum legationis ſibi vendicant dignitatem, ſicut honoris prærogativâ lætantur, ſic eos authoritate volumus fungi ampliori. Cap. 1. de off. leg. in 6. c. excommunicatis extr. eôdem tit: Eccleſia verò hic venit nomine Provinciæ cap. 1. de authoritate & uſu pall. Legatorum forenſem Jurisdictionem per Conc. Triden. reſtrictam quoque eſſe non ambigimus, ut non procedat in cauſis, niſi Epiſcopô requiſitô, aut negligente, Conc. Triden. c. 20 ſeſſ. 24 ſi legati, quod obſervant legati tam à latere, quàm perpetui.

Decretum ſeſſionis ſextæ cap. 5. de reformat. Nulli Epiſcopo liceat in alterius diœceſi Pontificalia exercere, DD. trahunt etiam ad Archi-Epi-

*A.C.*1669 scopos pertinere, sed id non afficit Primates, neque Legatos natos, perpetuâ legatione insignitos, & privilegiô donatos. Quin imò S. Congregatio Rit. annô 1600 statuit: Quod Episcopus Diœcesanus in sua Ecclesia & diœcesi, in consecrationibus, & actibus Pontificalibus exercendis præferendus est Archi-Episcopis & Episcopis etiam anterioribus exceptô Metropolitanô ejusdem, licet alias debeat advenas honorare. Gavant. ver. Præcedent. in addit: ad manual. Episcoporum n. 1. imò Archi-Episcopus sinè ipsius licentia potest Pontificalia exercere. Henric. lib. 10. cap. 13 n. 5. circa fin. & adducit D. Thom. ex quo non solùm Primas, sed & Metropolitanq habet de jure fundatam intentionem super jurisdictione Pontificalia exercēdi in Ecclesiis suorum Suffraganeorum, sinè ipsorum licentia. Concil. igitur Tridentinum Primatum & Legatorum Natorum in nonnullis restrinxit potestatem, sed non sequitur, quòd sustulerit de plano.

Synodus Łasciana nullam imposuit conditionem Łascio circi exequendam fundationem legationis natæ, ut supra ostensum est, quando absque aliqua conditione à Summis Pontificibus cum clausulis & articulis, tam explicitis, quàm implicitis, fuit confirmata. Gregorius XIII quòd acta Synodi Anni tantùm 1577 confirmârit, quemadmodum pars impugnās asserit, aliter se res habet. Jacobus enim Uchański in illa Synodo statuta, & constitutiones Provinciales tam antiquas, quam novas, atque novissimas operâ R R. Stanislai Dąbrowski, & Francisci Krasiński Juris utriusque Doctorum in unum volumen redactas, per Deputatos Synodales revisas, futuræ Synodo approbandas reliquit, prout patet ex Const. Provinc l. 5. c. 3 quæ à Karnkovio Archi-Episcopo Romam transmissæ, ab eodem Gregorio XIII. approbatæ sunt. De quo luculenter testatur Synodus Gembiciana Provincialis anno 1677 celebrata, c. 3 tit. de statut: Provincialibus, ubi ita definitum est: Decernit Synodus, ut eadem statuta antiquiora l. 5 contenta per Sedem Apostolic. à Martino V. Joanne XXIII. Gregorio XIII. confirmata, eodem modo, & ordine in uno volumine recudantur. Approbata deinde, ut debitè serventur (verba sunt Synodi Provincialis Maciejovianæ tit. de statutis Provinciæ. Non enim observari poterant, nisi approbatæ) Synodus prædicta anno 1607 de novo imprimenda decrevit, & Successor Maciejovij, Albertus Baranowski Archi-Episcopus Gnesnensis Romam iterum transmisit, & approbationem à Paulo V. Pontifice Max: anno 1608, prout de verbo ad verbum inserta est, obtinuit. Ad extremum, ut eas Dominus Archi-Episcopus Joannes Wężik, sic ut præmittitur, approbatas edi curet, Synodus anno 1628 celebrata mandavit tit. de Constitut. antiquis iterum recudendis. Ex quibus evidentissimè patet, Constitut. Provinciales antiquas, novas, & novissimas, sine aliqua conditione aut exceptione à Summis Pontificibus confirmatas fuisse, & consequenter Synodum Łasciana de functione legationis natæ in Regno Poloniæ.

Funus Regum ducere, & Reges coronare competit Primati Regni, Archi-Episcopo Gnesnensi (non Ordinario) Cracoviæ, quæ est Metropolis Regni, in Ecclesia Cathedrali ibidem existenti insignia Regni, & Regum Mausolea vigore statutorum Regni, & consuetudinis immemorabilis. Herburti statuta, Priluscij sub anno 1453. Ibi enim Vladislaus Jagello anno 1472 insignia Regni recuperata, & ex Ungaria allata, unde fuerunt evecta, sine contradictione aliqua D. Archi-Episcopi Cracov. iterum reposuit. Miechovit. Chronic. l. 4. c. 45, quod postea Constitut: anno 1662 1516 1581 firmatum est.

Neq; à Boleslao Chrobri primo Regni Poloniæ capite coronato fas

est

eſt invenire, qui non Cracoviæ ab Archi-Epiſcopo Gneſnenſi fuerit *A.C.1666*
unctus, & coronatus. Arnold. in imaginibus Principum Polonorum Cardinali Radziwilio Epiſcopo Cracov. delatis, excepto Stephano Bathoreo qui in ſciſſione Reipublicæ à Karnkovio Epiſcopo Cujavienſi Cracoviæ tamen accepit diadema. Piaſſecius in Chronic. a principio fol. 3. & alij ſcriptores rerum Poloniearum, quinimò Ludovicus Hungariæ & Polonorum Rex, Cracoviæ, non Gneſnæ, rejectâ Procerum Majoris Poloniæ contentione exemplò Uladiſlai avi, & Caſimiri avunculi ſui coronari voluit, atque ibi minimè contradicente Epiſcopô Cracovienſi, annô 1362. à Jaroslao Archi-Epiſcopo unctus, & coronatus eſt. Cromerus de rebus Polonorum lib. 13. pag. 332. Non in ſua igitur diœceſi hoc Domino Archi-Epiſcopo potuit pertinere, ſicut loquitur in ſua diſſertatione pars impugnãs, ſed in Eccleſia Cracovienſi, Pontificaliter talia peragere, de jure, & conſvetudine Primatis regni perſonam concernit abſque aliquo conſenſu, aut facultate Domini Epiſcopi Cracovienſis. Crucem levare in præſentia Dni. Nuntij Apoſtolici, non infert injuriam jurisdictioni Domini Epiſcopi Cracovienſis, qualiter hoc competat Domino Archi-Epiſcopo Gneſnenſi, ſuô loco demonſtrabimus.

Ad extremum, nullibi conſtat, quòd Clementina Archi Epiſcopo de privileg. in tantùm correcta ſit, per Concilium Tridentinum, aut reſtricta, ut cenſeatur ſublata, & contra Gloſſ. ſunt alij Doctores, quos ſupervacaneum adducere, patet enim ex ſupra allegatis.

Reſpondendo itaque: firmatur intentio Domini Archi Epiſcopi Gneſnenſis in jure & conſvetudine: Poſſe iſta Dominum Archi Epiſcopũ Gneſnenſem uti Primatem regni, & Legatum natum in Eccleſia Cathedrali Cracovienſi conſenſu non requiſito Domini Epiſcopi Cracovienſis cum jurisdictione Epiſcopali exercere. Servatâ in reliquo Concilij Tridentini correctione, ſive reſtrictione. Quare ſalva &c.

DISSERTATIO IN UNA GNESNENSI PRÆEMINENTIARUM PRO PARTE D. ARCHI-EPISCOPI GNESNENSIS PRINCIPALIS.

ARchi-Epiſcopus Gneſnenſis per totum regnum Poloniæ eſt Legatus Natus, Primas regni, primúſque Princeps. Hanc legationem natam in regno Poloniæ impetraverat, & obtinuerat ab INNOcentio III. Summo Pontifice ſub tempus primi Concilij Lateranenſis annô 1215. Henricus Archi-Epiſcopus Gneſnenſis Theodorici Ducis Bornienſis ex Eudoxia Polona filius. Martinus Cromerus de origine & rebus geſt. Polon. lib. 7. typis Baſileanis fol. 194.

Præeminentiæ Legationis natæ, adjunxit Primatialem dignitatem Nicolaus Trasba Archi-Epiſcopus Gneſnenſis in Concilio Conſtantienſi Annô Domini 1416. ſibi delatam, teſtatur Mathias à Miechovia in Chronic. Polonic. cap. 51. lib. 4. pag. mihi 204. Eôdem, inquit, annô, Nicolaus Archi-Epiſcopus Gneſnenſis à Concilio Conſtantienſi Primatem ſe Poloniæ Eccleſiæ declarari per ſpeciale privilegium obtinuit, ab eóque tempore, ipſe & ſui ſucceſſores Archi-Epiſcopum, & Primatem Eccleſiæ Gneſnen- ſeſe inſcribunt. Idque eô fine, ut jus coronandi Reges, ſibi, ſuíque ſucceſſoribus ſtabiliret, prout adducit allegatus Cromerus, lib. 15. fol. 425, quod ſic ediſſerit. Quoniam autem Eliſabetha, quæ fuit Pilecia Uladiſlai Jagiellonis conſors, ab Archi Epiſcopo Leopolienſi, Joanne Rzeſzowio coronata erat, veritus Nicolaus Archi-Epiſcopus Gneſnenſis, qui tunc in Concilio Conſtantienſi propter ſplendorem gratioſus erat, ita ut ſummus Pontificatus, ad eum

A.C. 1669 ad eum (si Dlugoſſo credimus) deferretur, ne ſibi, poſteriſque ſuis Archi-Epiſcopis ea prærogativa coronandi Reges, & Reginas, præriperetur, obtinuit apud Concilium, ut Archi-Epiſcopus Gneſnenſis deinceps Poloniæ Primas haberetur. Quod luculenter deſcripſit Simon Okolſcius or bis Polon. Tom. 3 ſub inſignis Trąbij fol. mihi 226.

Lapſo pæne centum annorum ſpatio, utramq; Præeminentiam, & legationis natæ, & Primatialis Dignitatis, uno eodemq; Privilegio ſpeciali comprehenſam conſecutus eſt in Concilio Lateranenſi II. à Leone X. Joannes de Laſco Archi-Epiſcopus Gneſnenſis. Anno 1515. Quæ ipſius prærogativa Dignitatis à Synodo Provinciali probata, recepta, declarata, & publicata eſt, & Originale Privilegij de verbo ad verbum, inter Conſtitutiones ejuſdem Synodi Provincialis inſertum, l. 4. conſtit. Synodal. ſub titul. de Offic. Ordinar. pag. 82. Cùm ejuſmodi placito Synodali, placuit etiam Synodo, ut Rndiſſimus D. Archi-Epiſcopus Gneſnenſis Legatus natus, & Primas utatur officio legationis in Provincia, ſecundùm Bullam ad hoc Celſitudini Suæ conceſſam, & in præfata Synodo publicatam Conſtit. Synodal. ibi pag. ſeq.

Res proinde luce meridianâ clarior eſt, Archi-Epiſcopum Gneſnenſem in Polonia eſſe Legatum natum, Primatemque Regni, & Primum Principem, prout recenter poſt Hiſtoricos Polonos teſtatur Paulus Piaſſecius, Epiſcopus Præmiſlienis in ſuo Chron. ſub 1587 typis Cracovien. Fran. Cæſarij fol. 164.

Quali prærogativâ præfulgeat, & quàm amplæ ſint ipſius facultates, magna magni viri, & omni exceptione majores adferunt documenta. Atq; imprimis eſt per totam Sarmatiam Romani Pontificis vices tenens, teſtimonio Alexandri Gvagnini, Veronenſis Equitis Aurati, qui in deſcriptione Sarmatiæ, de Rege Poloniæ, & Senatu pag. mihi 36 & ſeq. ita ſcribit: Archi-Epiſcopi duo ſunt in univerſo Regis Poloniæ Imperio; Gneſnenſis Regni Primas, & Legatus, Romani Pontificis in Sarmatia vicem tenens, qui ex vetuſta ſuperiorum temporum memoria coronandi Regis jus habet &c. Ideóque extenditur ipſius jurisdictio per totum regnum Poloniæ, & magnum Ducatum Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, atque omnes alias adjunctas & incorporatas Regno Poloniæ ampliſſimas Provincias.

Et quia vocatur Primas regni, & Princeps Senatûs, teſte poſt Cromerum de Repub: & Magiſtratibus Polon. lib. 2. Piaſſecio loco citato. Proinde poteſtatis ipſius eſt, abſente, aut mortuô Rege totam Rempub. gubernandi, regni comitia indicendi, conſulta definiendi; Cromerus, qui poſtea fuit Epiſcopus Varmienſis locô citatô; ille interregni tempore vicem Regis gerit, excipit, & expedit legationes ab externis, dirigit omnia Reipublicæ conſilia, & proponit deliberanda Piaſſec. loc. cit. Gaudet prærogativâ Regem electum nominandi, nominatum per Mareſchalcos regni ſtatibus, & Ordinibus publicandi, ac tandem in Baſilica Cathedrali arcis Cracovienſis Reges & Reginas, aſſiſtentibus ſibi Dominô Epiſcopô Cracovienſi, & alijs regni Poloniæ Epiſcopis ungendi, & coronandi, & eorum funera obeundi, & deducendi, &, ubi contigerit, deſponſandi. Singula proſequitur latè Piaſecius ſub anno 1632. videlicet ſub interregno, poſt fata Sigiſmundi III. à pag. 526 ab illis verbis: Statim autem accurrit Varſaviam Ioannes Wężyk Archi-Epiſcopus Gneſnenſis ad pag. 547 In quorum omnium uſu continuo, & pacifica poſſeſſione fuerunt ſemper ab immemorabili tempore, cujus initij memoria non extat, D D. Archi-Epiſcopi Gneſnenſes. Neque enim à Boleſlao Chrobri primo regni Poloniæ capite coronato, fas eſt invenire,

qui

qui non Cracoviæ ab Episcopo Gnesnensi fuerit unctus, & coronatus, pro ut Scriptores rerum Polonicarum memoriæ consignârunt, ex quibus vetustissimi, Basco, cujus meminit Dlugossius Custos Cracovienſis, & Joannes Kadłubek Episcopus Cracovienſis, exceptô Stephanô Bathoreo, qui in scissione Reipublicæ, à Karnkovio Episcopo Uladislavienſi, sive, ut vocant, Cujavienſi, Cracoviæ tameo accepit diadema. Piasſec. in Chronic. à principio fol. 3. Okolscius orbis Polon. tom. 1. sub armis Junoſza fol. 361 nullo unquam contradicente, imò assistentibus semper DD. Episcopis Cracovienſibus, teste per expressum Mathia à Miechow Canonicô Cracovienſ. lib. 4. prout infra patebit. *A.C.1669*

Atque ita anno 1320 omissis anterioribus Janiſlaus Archi-Episcopus Gnesnensis assistente sibi Joanne Muscata Cracovienſi, & Domarato Posnanienſi Episcopis, Vladislaum Locticonem, & Hedwigem ipsius Consortem cit. Miechow c. 9. l. 4. pag. 142. Nec non anno 1323. Casimirum cum Anna Regina, assistentibus Joanne Cracovienſi, Joanne Posnanienſi, Mathia Vladislavienſi & Stephano Lubucenſki Episcopis. Id. c. 17. pag. 133 anno 1370. Jaroslaus Archi-Episcopus, assistentibus Floriano Cracovienſi & Petro Lubucenſi Ludovicum Hungarum. Id l. c. c. 29 pag. 171 anno 1386, Bodzenta Vladislaum Jagiellonem, assistente Joanne Cracovienſi, & Dobrogacio Posnanienſi. Id. loc. cit. c. 38 pag. 185. Vincentius Casimirum Jagiellonidem anno 1447. Id. l. c. c. 58 pag. 213. Sbignæus Olesnicius Archi-Episcopus valetudinarius, Joannem Albertum anno 1492 assistentibus Principe Friderico, Electo Cracovienſi & confirmato Petro Moszynski Cajav. & Vriele de Gorka Posnan: Episcopis. Id. l. cit. c. 74. pag. 238. Cromerus l. 30. pag. 659 dictus Fridericus Cardinalis Archi-Episcopus Gnesn. & Episcopus Cracov: Alexandrum Fratrem Miechow l. c. c. 80. pag. 258 an: 1506 Andreas Rosa Boriſſovius Sigismundum I. Mathias Drzevicius vivente Patre anno 1530 Filium Augustum anno 1574. Jacobus Uchanscius Henricum Valesium. Arnold. Mylius in imag. Princ. Polon. Alex: Gvag. de coronat. Henrici. An: 1587 Staniſlaus Karnkovius Sigismundum III. Piasſec. p. 8. Joannes Wężik Vladislaum IV. pacatâ controversiâ Canonicorum Genſnenſ. cum Cracov: de assistentia, Mathias Lubienscius Joannem Casimirum unxerunt, & coronaverunt; Eberhardus Kobierzycius, & alij recentiores rerum Polonic. Scriptores.

Funera pariter Regum, & Reginarum sicuti annis superioribus Jaroslaus Archi-Episcopus Gnesnensis, in præsentia Floriani Cracovien. & Petri Lubucen. Episcoporum anno 1370 in Ecclesia Cracovienſ. Casimiri Magni, teste Miechow loco cit. c. 21. pag. 159 deduxit. Atq; ita enim viridi semper observantia alii aliorum, quod longum esset recensere, usq; ad Vladislaum IV. deduxêre.

Neque super his certatum unquam, aut controversum fuit, cùm & publico edicto sub coronatione Uladislai Locticonis, locus augusti istius actûs in Basilica Cathedrali Cracovienſi esset designatus, & fixo Cracoviæ thesauri regni Archivio, insignia coronationis ibidem locata, & recondita sunt; Miechow. loc. cit. cap. 9. fol. 142. Quin imò Majoris Poloniæ Proceres, qui Gnesnæ Reges coronari debere contendebant: Floriano Præsule & Baronibus Cracovienſibus refellentibus, uti Miechovita dicit Ludovicus in sua coronatione ipsos tali prætensione abjudicavit, & proximorum Regum Uladislai Avi, & Casimiri avunculi exemplum in ea re secuturum se esse dixit. Cromer. lib. 13. pag. 332. Uladislaus verò Jagello his robur addidit, cùm insignia regni ex Hungaria recuperata, Cracoviæ fuerant evecta, Annô 1412 repositi teste Miechov. lib. 4. cap. 45.

Ad extremum ipsius filius, Casimirus annô 1451 legem perpetuâ sanxit,

*A.C.*1669 xit, Reges non alibi, nisi Cracoviæ ab Archi-Episcopo, & Episcopis, qui ad ea pertinent, coronari debere, de quo Herburtus & Priluscius in statutis regni, Paulus Szczerbicz in promptuar. statutor. p. 1. c. 1. § idque ab Archi-Episcopo. Quod postea consensus omnium Ordinum pro indubitato determinavit. Constitut. anni 1562. 1576, & 1557. Eo præjudicato, quod cõtra Zbigneum Cardinalem Episcopum Cracovienſem ad se id spectare contenderet, Rex in comitijs generalibus regni contrarium pronuntiavit, & in favorem D. Archi-Episcopi Gnesnensis ita declaravit. Quantum verò ad Coronationes Regum, & Reginarũ Regni pertinet, statuendo decernimus, & sententiamus, quòd nullus alius, neq; prædictus Zbigneus Cardinalis in hoc se in perpetuum intromittet, præter Archi-Episcopum Gnesnen. pro tempore existentem, prout latiùs in diplomate Regio Annô 1455.

Porrò in tantùm fiducia hæc præeminentiæ Primatialis, & legationis natæ in DD. Archi-Episcopis Gnesnenſibus viguit, & prævaluit, ut Vladislaus dicto Zbigneo Cardinali Episcopo Cracovien. primum locum in Senatu, & in sententia danda non concesserit, atque cum majoris Poloniæ Proceribus annô 1449 à comitijs Petricovien. recesserit. Pariter & in Pontificalibus exercendis, Joannes de Sprowa Odrowąż Archi-Episcopus Gnesnensis eidem Zbigneo Cardinali in nuptijs Casimiri III. cum Elisabetha Alberti Cæsaris filia Cracoviæ annô 1434 celebratis, non cesserit, sed mediatione Dni Joannis Capistrani, Nuntij Apostolici, Zbigneus Cardinalis Neo sponsos benedixit. Archi-Episcopus sacris in ipsius Ecclesia operatq; Reginam inunxit, & coronavit. Cromer. lib. 22. pag. 510. & 523. & seq. Miechov. lib. 4. cap. 49. in fine.

Et quemadmodum defunctô Rege, ita & absente summa regiminis penes DD. Archi Episcopos Gnesnenses est. Vladislaus Jagiello proficiscẽs ad bellum Prussicum, uti Cromerus scribit lib. 16. pag. 397. Nicolaum Curovium Archi-Episcopum Gnesnensem, Cracoviæ cum imperio reliquit. Et, quàmvis Ludovicus in Hungariam proficiscens Matrem Elisabetham Jaroslao Archi-Episcopo prætulerit, atque ipsi gubernacula regni commiserit, id grandævæ Jaroslai Archi Episcopi ætati, & amisso oculorum lumini tribuendum. Cromer. lib. 13. Non alius tamen Sigismundo III. Rege in Sveciam abeunte, Rempublicam administravit, & comitia indixit, nisi Archi-Episcopus Gnesnensis Karnkovius, Piasecius, sub anno 1594. pag. 140. & infra pag. 533.

Quod attinet Jurisdictionem Ecclesiasticam, ita latas, & amplas à Sede Apostolica dictus Joannes à Łasco, sibi & suis successoribus DD. Archi-Episcopis Gnesnenſibus obtinuit facultates, ut in regnis Germaniæ, Hispaniæ, Galliæ, Britanniæ, & Hiberniæ, Hungariæque Legatis natis comparificatus, imò & prælatus videatur, ex genuino textu Bullæ supra memorati Leonis X. quæ incipit: Pro excellenti; cujus verba sunt, considerantésque in regno Angliæ, olim & in Germania Archi-Episcopos aliquot Legatos natos per Prædecessores nostros erectos fuisse. Eorum Prædecessorum vestigijs inhærentes &c. & infra prædictum Joannem de Łasko modernum ad Nos, & Sacrum Lateranense Concilium pro dicto Rege Oratorem destinatum, & pro tempore existentem Archi-Episcopum Gnesnensem, Legatum natum cum omnibus honoribus, & oneribus consvetis ita, quod de cætero suæ Archi-Episcopali, & prædictæ Leopolienſi Provincijs, & Ecclesiis sibi non solùm Metropolico, & Primatiali, sed etiam legationis jure præsit &c. *& infra*, ac quod omnia & singula facere, exercere, ac mandare, ordinare, & exequi, quæ ad Legatos natos, & hujusmodi legationis officium habentes, quomodolibet pertinent, & quam alij Legati nati, præsertim verò Legatus Cantuarienſis, qui in Provincijs suis de jure & privilegio, & consve-

conſvetudine mandare, facere, & exequi poſſint; libere & licitè valeat &c. *A.C.* 1669
Quod alij Summi Pontifices ſucceſſive approbârunt, & noviſſimè rota in una Chelmenſi Decimarum 4. Martij annô 1665 § 1 coram Reverendiſſimo Domino Taja.

Et quia nominatim facultates Archi-Epiſcopi Cantuarienſis tanguntur, quæ & quales fuerint, abſque eo, quòd jure communi comprobentur, teſtantur, ſanctimoniâ illuſtres, & magnæ authoritatis Scriptores. Ipſius poteſtatis fuit per totius Britanniæ, & Hyberniæ Diœceſes, ubicunque voluiſſet, abſque aliqua Suffraganeorum ſuorum licentia Pontificalia exercendi, ſacros Ordines conferendi, Epiſcopos conſecrandi, & concilia convocandi. Ex hiſtoriis Anglic: D. Gervas Monach. Actor. Pontific. Cantuar. Scriptor. fol. 1569 S. Anſelm: l. 3 epiſt: 19 ut refert P. Michael Alfrid Societatis JESU in annalibus Eccl: Anglican. Tom: 4 ad annum 1107 fol. 222 Luc. Dacher. in epiſt. 27 Joannis Epiſcopi Carnoten: ad ſanct: mem. Paſchalem Sum: Pontific. fol. 360 col. 2.

Et ita fuiſſe deciſum, atque definitum in Synodo totius Regni Angliæ, in præſentia Regis, Procerumq; tam Eccleſiaſticorum, quam ſæcularium, teſtantur S. Lanfrancus Archi-Epiſcopus Cantuarienſis apud Cardinalem Baronium. Annal. Eccl. Tom: 2 fol. 407 in epiſt: ad Alexandrũ Pontificem Maximum his verbis: Anteceſſores meos ſuper Eccleſiam, totamq; Inſulam, quam Britanniam vocant, nec non etiam Hyberniam Primatum geſſiſſe, curam Paſtoralem omnibus impendiſſe, in ipſa Eboracenſi urbe, perſæpè, ubi eis viſum fuit, Epiſcopales ordinationes, atq; concilia celebrâſſe &c. Si verò Anſelmum Archi-Epiſcopum Cantuarienſem ampliſſimas facultates in Regno Angliæ habuiſſe, uſq; adeo, ut etiã Feſtorum celebritates indiceret, ut Eccleſiæ Anglicanæ Primas, & Supremus in rebus ſacris, illius Nationis Arbiter; poſt alios teſtatur verbis præinſertis Salazar; In defenſ. Immacul. Concept. c. 35 §. 6. num. 40 Inſuper ejus authoritatis fuit Archiepiſcopus Cantuar: qualem, ajunt, eſſe eum, qui Regnũ Siciliæ poſſidet, dicit Henriq. l. 10 c. 28. n. 3. Ex quo & poteſtatem Judicialem habuit ampliſſimã judicandi, tam directè, quam per viam querelæ appellationes terminandi, beneficia conferendi, & illis privandi, totam Provinciam interdicto Eccleſiaſtico ſupponendi, & ab eo relaxandi, uti ex ſcriptis per eit. Geruas Monach: patet multis in locis.

Ejuſmodi prærogativas, & pleniſſimas facultates Archiepiſcopis Cantuar: conceſſit, & approbavit, uti patet evidenter ex c. 1. extr: de offic. leg. quanta ſit ipſi poteſtas, ſi Summi Pontificis declaratur eſſe vices tenens, text. fin. illis verbis: Sicut, qui in Provincia ſua vices noſtras gerere cõprobatur. Quod luculentiùs declaravit Innocentius IV. c. 1. eodem tit: in 6, quando ait; Cum ſuarum prætextu Eccleſiarum legationis ſibi vendicent dignitatem, ſicut honoris prærogativâ lætantur, ſic eos authoritate volumus fungi ampliori. Ex quo colligitur Archiepiſcopum Cantuar. omnia potuiſſe, exceptis Papæ reſervatis. Cap. Excommunicatis extr. eod. tot. Præſertim, cùm Legatus natus habeat in ſua Provincia ordinariam jurisdictionem per expreſſ. text. in cap. 2. de offic. leg. in 6. ubi Gloſſ. ſpecialiter declarat, id procedere non ſolum in Cardinali Legato de latere, ſed & in Legato nato, prout tradunt Franc. Germinian. & alij ibi.

Quæ ſupra relata, in viridi ſemper obſervantia, & praxi continua DD. Archiepiſcopi Gneſnen. in Polonia, uti Sedis Apoſtolicæ per totam Sarmatiam (prout ſupra deductum eſt) vices tenentes, mandârunt, fecerunt, mandantq;, faciunt, & exeqvuntur. Ab hominum memoria Fulco Archiepiſcopus Gneſn: Boleſlaum Calvum Principem cum ſuis Territoriis, Jacobus Swinca Henricum Probum, & Diœceſim Vratiſlav. interdi-

A.C.1669 terdicto Ecclesiastico supposuerunt. Cromer. l. 9. pag. 236. Joannes Archiepiscopus toti Provinciæ sacris interdixit. Id. l. c. Jaroslaus, Capitulum Cracoviense, cùm oblationes in coronatione Ludovici Regis ad se pertinere prætenderent, excõmunicavit, quæ sententia vigore Brevis Gregorij XI. à Delegato Apostolico fuit confirmata, transiit 4; in rem iudicatam, ut refert Dlugossus Canonicus Cracov: in sua historia.

Ipsius jurisdictionem Archiepiscopus Leopol. & omnes per totum Regnum recognoscunt Episcopi. Cujus rei testimonium reliquit Cromerus Episcop: Varm. De Rep. & Magistratib: Polonor. in hæc verba: Hic illud notandũ est, quòd licet Archiep: Leopol. suam habeat Provinciam à Gnesnensi distinctam, tamen & ipse, & socii (ut vocant) Suffraganei ejus Eppi, Gnesn: Archiep. authoritatem recognoscunt, tum in provòcationibus, & judiciis, tum in Synodis. Sed de appellationibus supra luculentiùs ait ib. ab Episcopis, eorumq; vices gerentibus provocatio est, ad Archiepisc: Gnesn: quidem, ab ipso etiam Leopoliensi Archiepiscopo, idq; eo nomine, quòd ipse est Legatus perpetuus, sive (ut vulgò loqvuntur) natus Sedis Apost: Sacris operari, sine aliqua requisitione in qualibet Diœcesi Regni, locisq; & Ecclesiis earum usitatum est DD. Archiepiscopis Gnesn. Nostrâ memoriâ memorandus Antistes D. Joannes Wężyk Archiepisc. Gnesn. cùm Vladislaus Rex electus febricul â distentus, ad diem coronationi præstitutam non veniret, absq; aliqua requisitione solenne sacrificium pro Comitiis inchoandis in templo Cathedrali Cracov: (verba sunt Piasseeij Episcopi Præmislien.) celebravit, & sessionem inchoavit, Piasc. ad annum 1632 p. 545. Et cum tanto temporum intervallo, res ineoneussa stetisset nuperâ ætate, anno scilicet 1668 in funere Serenissimæ Mariæ Ludovicæ Joannis Casimiri Regis Poloniæ Consortis pro parte Illust. & Rdmi D. Episcopi Cracov. moderni, vocatum est in dubium. Non posse D. Archiepiscopum in ipsius Diœcesi, & consequenter in Basilica Cathedrali Cracov: Pontificalia exercere, imò tum temporis pro parte ejusdem D. Episcopi Cracov. fuit procuratum, ut Illust: & Rdmus D. Nuntius Apost: Pigniatellus ceremoniam hanc funebrem exequeretur, & sacra celebraret, quod Illust: D. Nuntius prudentiâ, & modestiâ consuetâ, asserendo, ad se id minimè spectare, palàm recusavit, prout retulit D. Abbas Fantonius, S. R. Mtis Secretarius. Quamobrem non attentâ contradictione memoratus Illust: & Rdmus D. Nicolaus Prazmowski prudentissimus Regni Primas, & Archiepisc: Gnesn. insistendo juri, & officio suo, Pontificaliter celebravit, & funus in Eccl: Cathedralem Cracov: deduxit; Capit. & Clero Cracov: erectionem propriæ Crucis interdixit. Suffraganeum suum in Ecclesia SS. Petri & Pauli Apostolorum apud PP. Soc: JESU Cracoviæ existentem Episc. authoritate Apostolicâ in partib9 infideliũ designatũ consecravit, & de causa subditi D. Episc. Crac. ib: cognovit

Et quidem jure merito; non solùm enim Primas, sed & Metropolitanus habet de jure fundatam intentionem super jurisdictione Pontificalia exercendi, in Ecclesiis suorum Suffraganeorum sine ipsorum licentia ex Clement. Archi-Episc. de privileg. & ibi Anchoram. n. 7. Imola. n. 12. Abb. n. 4. Vitalin. n. 13. & 17 Henriq. lib. 10 cap. 30 n. 5. circa fin. adducens S. Thomam, Hostiensis in cap. Quia nos in princ. verb. aliena de auth. & usu Pallij: & novissimè Prosper Fagnan. eodem tit. ibid. n. 6 & seq. & n. 12. Cùm Primas Archi-Episcopis, & Episcopis præsit, ut tradit Azor part. 2 lib. 3 cap. 35 circa fin. Etsi Primati Archi-Episcopus ubique cedit, ut dicit Lotter: de re benef. tit. 1 lib. 1 quæst. 9 n. 33 multò magis Episcopus. Pontificalia enim honoris sunt duntaxat, nec aliquam habent jurisdictionem admixtam. Proinde possunt non solùm ab Archi-Episcopo Primate,

mate, & Legato, ſed à quocunque Epiſcopo in aliena Diœceſi abſq; licen- *A. C.* 1669
tia Diœceſani exerceri, quod ſervat generalis conſvetudo, per tradit. apud Hoſtien. loc. cit. & quamvis Sacra Congregatio Rit. Annô 1600 ut teſtatur Gavant: verb. præceden: in addit. ad munus Epiſc. n. 1 ſtatuat, quòd Epiſcopus Diœceſanus in ſua Eccleſia & Diœceſi conſecrationibus & actibus Epiſcopalibus exercendis præferendus ſit Archi-Epiſcopis & Epiſcopis, etiam anterioribus, exceptô tamen Metropolitanô ejusdem, licet alias debeat advenas honorare, & invitare cap. Epiſcopi 7 quæſt. 1.

Deduxit igitur funus Seren: Reginæ Ludovicæ, jure ab Anteceſſoribus ſuis per tot annorum centena, juxta ſuperiùs tradita, uſque ad funus Vladiſlai IV. practicato etiam tanquam prop. ius Ordinarius, ſive Parochus perſonarum Regis, & Reginæ, quemadmodum in terminis deciſum fuiſſe, ait Gervas. Monach. in Chron. Actor. Pontif. Cantuar. fol. 1671. cùm refert ortam fuiſſe controverſiam juris de deſponſando Reges Neoſponſos; quod, cùm Civitatis Epiſcopus ad ſe pertinere contenderet, deciſum eſt in comitijs generalibus regni Angliæ, Reges, Reginâque eſſe ſpeciales domeſticos, & Parochianos Archi-Epiſcopi Cantuarienſis, & ex privilegio ſpeciali Leonis X. ſupra relato, adhuc Archi-Epiſcopo, aut Primati poſſet in aliena Diœceſi ex conſvetudine jus acquiri, ex tradit: per Abb: in cap. ſuper eo n. 6. de Paroch. & alien: Parœcian: Rot: Dec. 207. n. 5 part. 2 diverſ. cùm ſola conſvetudo, cujus initii memoria non extat, privilegium inducat cap. ſuper quibusdam 26. de verb. ſignif: l. teſtamenta C. de teſtam. Riec. Deciſ. 352 part. 4. & infra dicetur.

Quibus non refragatur Concilium Tridentinum ſeſſ. 6 cap. 5. de Refor. Licet enim nomine Epiſcopi veniat hic Archi-Epiſcopus Metropolitanus, & Primas, cap. nullus Primas 9 quæſt. 2 & Can. conqueſtus 9 quæſt. 3 & alibi. Non tamen venit Legatus Natus ex diſpoſitione juris communis, dicto. cap. 1 de offi. Leg. ubi Summus Pontifex expreſsè diſtinxit officium Archi-Epiſcopi, & Conc. Trid. Seſſ. 24. cap. 20 etiam fecit, nam cùm tribuit ordinariis cognitionem cauſarum in prima inſtantia privative quoad omnes, exceptô tamen Summô Pontifice, ut ſub hac diſpoſitione cõprehenderet Legatos Sedis Apoſtolicæ; proinde expreſſam de ipſis facit mẽtionem ibi: Legati quoque etiam de latere &c. Quod dum non facit in præfato c. 5 Seſſ. 6 cenſetur noluiſſe comprehendere Legatos. Et quia conſtitutiones Synodales regni Poloniæ cum inſertione facultatum legationis natæ D. Archi-Epiſcopo Gneſnen. conceſſæ, in forma ſpecifica fuerunt per Summos Pontifices confirmatæ, ultimariè verò per ſanctæ memoriæ Gregorium XIII, uti recognoſcit Rot. Rom. in una Cracovien. Decimarum 20. Mart. An. 1651 coram bon: mem. Veroſpio ſ fin. impres: inter recen: part. 11 Dec. 125 n. 11 & infra latiùs dicetur. Exinde ceſſat omnis ſcrupulus obſtaculi ex contraria diſpoſitione S. Conc. Trid: emanata, quod etiamſi admiſſo ſinè veri præjudicio adeſſet, nihil obſtat, cùm non opus ſit ſpeciali derogatione ejusdem S. Conc. Trid., dum per Sum: Pontificem aliquid contra illud diſponitur, uti pluries reſpondit S. Cong. Eminent: ejusdem Concilii Trid. interpretum, juxta tradit: per Proſ: Fagnan. in c. ex parte n. 26 de privil: Rot. deciſ. 11 n. 9 apud Rubeum, & deciſ. 463 n. 10 coram bon: mem. Merlino, & deciſ. 360 num. 9 part. 7 recent. & alibi:

Quòd non permiſerit Canonicis Cracovien. aliam præferre Crucem, propriâ erectâ, hoc meritò fecit ex diſpoſitione juris communis cap. antiqua Extr. de privil. & cap. volentes Extr. de officio Legati, cum una duntaxat Crux ſit erigenda, ex diſpoſit. ceremon. Rom: l. 1 c. 2 & infra c. 4. ibi in ſpecie cavetur, quod præſente Cardinali Archi-Epiſcopo, aut Legato, Epiſcopus nullatenus permittat ante ſe deferri Crucem, ſimiliter ordinare Suffraganeum ſuum, in partibus Infidelium per Sed. Ap: deſignatum Epiſco-

A. C. 1669 pum, uti ſuum ſubditum, & in Eccleſia exempla, vigore Legationis Natæ, & facultatum ſibi per bullam conceſſarum, tum & de cauſa ſubditi Diœceſani Craco ien. cognoſcere ipſi optimè competebat, ex ſup. affatim allegatis, & ex vi ordinariæ jurisdictionis, per totam Provinciam, & ex ſpeciali conceſſione Leonis X. in ſupradicta Buila expreſſa, tum quia Legati cauſas per querimoniam delatas, quamvis non jure Metropolico, ſed jure legationis tanquam gerentes vices Summi Pontificis, ut ſupra dictum eſt, judicãt. Zòés Comment. in Decretal. lib. 1mô. tit. 30mô. num. 4tô.

Id ſibi non licuiſſe pro parte dicti D. Epiſcopi Cracov. quibusdam rationibus fatagunt comprobare. Sed fruſtra. Nam quòd dicunt, authoritatem, & prærogativam Legatorum natorum ſucceſſivis temporibus reſtrictã, & uſu antiquatam fuiſſe; hujus aſſertionis contrarium non tantùm evidens, ſed & notorium eſt, ut oſtenſum fol. 195.

Contendit pars ex adverſo, teneri Dnum Archi-Epiſc. Principalem oſtendere privilegium, & facultates Archi-Epiſcopi Cantuar. quas habebat eò temporis, hoc ita quadrat, acſi diceret teneri Sum. Pontificem oſtendere Conſtantini donationem urbis Romæ. Si triennalis poſſeſſor non tenetur titulum præſentare ſuæ poſſeſſionis; quantò magis immemorabilis, quia in præſcriptione tanti temporis, cujus initij memoria non extat, ſemper præſumitur, titulus, & bona fides, etiamſi non aliegetur, de quo expreſſus eſt text. in c. 1 de præſcript. in 6. jurisd. gl. ibid. Innocen. & Bal. in ca. ſi diligenti eodem tit. l. hoc jure 5 ductus aquæ ff de aqua quotidiana & æſtiva. Et talis præſcriptio habet vim privilegii, æquiparatúrque privilegio à Principe alicui expreſsè, vel ex certa ſcientia con eſſi c. ſuper quibusdam § præterea de verb. ſignif. & gl. ibidem Piaſec. in praxi Epiſc. parte 3. cap. 5. articulô ultimô, num. 21.

Quod autem dicit pars adverſa, privilegium à Leone X. datum fuiſſe, ad inſtar Archi-Epiſcopi Cant. hoc non cohæret dictis Bullæ, aliter enim contextus verborum ſonat. Ac, quod omnia, & ſingula facere, & exercere, ac mandare, ordinare, & exequi, quæ ad Legatos natos, & hujuſmodi legationis officium habentes quomodolibet pertinent, & quâ alii Legati nati, præſertim verò Legatus Cantuar. qui in Provincijs ſuis de jure, privilegio, & conſvetudine mandare, facere, & exequi poſſint, liberè, & licitè valeat. Ex quo verborũ contextu luculenter patet, Laſcio, & ſuis Succeſſoribus Archi-Epiſcopis facultates fuiſſe conceſſas, non ad inſtar, ſed quales tum temporis ad Legatum Cantuar. & alios Legatos hujuſmodi legationis officium habentes, pertinebant, & hodie etiamnum pertinent, ut, ſi quid ex facultatibus Archi-Epiſcopi Cantuar. deſideraretur, ex aliorum ſuppleretur. Sed quia Cantuarienſis fuerunt magis ampliores, imò ampliſſimæ, ut ſupra oſtenſum eſt, proinde dictio præſertim adhibetur, quæ idem ſonat, quod præcipuè, quæ ampliat conceſſionem Ricc. deciſ. 296 n. 5. par. 4. Neq; implicat, quòd Illuſtriſſimi & Rndiſſimi DD. Præſules, qui eidem Synodo interfuerunt, quando hæc Bulla Leonis X. publicata, & recepta eſt, uſi ſint hâc dictione, ad inſtar, ut patet, ex dicta conſtit. Synod. l. 1. tit. de offic. Ordinar. § Archi-Epiſcopus fungatur pag. 87 Paritatem enim officij, & facultates exprimunt, ampliando conceſſiones, non reſtringendo; quamobrẽ ita ſtatuunt: Placuit etiam, ut hæc legatio in facultatibus amplioribus ultra jus commune augeatur per Sum. Pontificem. Quamvis enim ſciebant ampliſſimas eſſe facultates Archi-Epiſcopi Cant. majores adhuc impetrare cupiebant. Non igitur facta eſt ab ipſis utendi permiſſio, ut fortaſſis opinatur pars adverſa cum conditione. Conditiones enim regulariter imponuntur, per dictionem, *Si*, vel per alias ſimiles, de quibus videndi DD. præſertim Bart. in l. 1 ff de condit. & demonſtrat. Suſpenſivam autem conditionem

ſola

ſola dictio *Niſi* importat, Ricc. in prax. for. Eccl. Reſol: 500 n. 3. Neque dicunt Præſules Synodales, non utatur, donec innoteſcat, ſed dixerunt affirmativè; utatur, poſtquam de illis facultatibus certior efficietur. Reſolutivè igitur, non ſuſpenſivè determinant, prout diſtingvit Panormit. in c. fin. de condit. appoſ. num. 2. *A.C.1669*

Neq; dicendi ſunt nunc primum conditionaliter permiſiſſe, quod ab anno 1215 ut ſupra oſtenſum eſt ultrò & benevolè receperunt. Leo enim X non conceſſit Privilegium aliquod DD. Archiepiſcopis Gneſn: de novo, ſed innovavit antiqvum ab Henrico antea Impetratum. Quia ita Privilegia Sedis Apoſt: intelliguntur concedi, ut innoventur anteriora. Panormit. in c. ex parte 1. n. 3. De Privileg. Felin in c. fin. n. 8 De fid. inſtrum. Joan: Honori in Sum: Decretal. l. 2. tit; 30 num 11. Neq; Concilium Provinciale potuit, quidquam ſtatuere contrarium voluntati Summi Pontificis, & contra jus commune cap. ex inſinuatione extr. De Appellat. Cap. Nemini 17. quæſt. 4. Unde & hic præſumendum conformâſſe ſe voluntati Summi Pontificis.

Quia verò pars impugnans diſcurrit, non ſatis probari facultates Archiepiſcopi Cantuar: teſtimonio S. Anſelmi non admodum cautè agit, ipſius teſtimonium rejiciendo, cùm non ſolus loquatur, aut teſtificetur pro ſe ſed cum eo tot celeberrimi Scriptores, & viri ſanctitate conſpicui; maxime verò, cùm ipſius firmet jus commune, & tot Summi Pontifices, Innocentius III, Alexander III, & IV, & multi alij Summi Pontifices, qui Decretales ſuas, ſeu Declaratorias ad Archiepiſcopos S. Sedis direxerunt, & ipſorum facultates direxerunt, quos non latebat, quales facultates habuerint Archiepiſcopi Cantuar: cum eas ipſi, aut eorum proximi conceſſerint Anteceſſores. Non præſumitur autem neſcire concedens, quæ conceſſit, ipsâ præſumptione juris, & de jure, de qua paſſim DD. multò magis Succeſſores Archiepiſcopi Cantuar: non poſſunt dici neſcivisſe ſuas facultates, quia non præſumitur quis neſcire ſua jura, excepto minorenni & muliere. L. Regula eſt ff de jur. & fact. ignor. præſertim cum talia poſt præſtitam obedientiam S. Sed. cum ſtatu Eccleſiarum ſuarum Archivio Romano à Præſulibus mos eſt, & nunc inferri. Quòd ſi partim iniquitate temporũ Hæreticorum poſtea periêrunt, hoc non vitiat, quia Privilegia non inſpecta non valent argui falſitatis, c. accepimus de fid. inſtrum. præſertim cum depoſitionibus teſtium nitantur, cap. cùm olim 12 & ſeq. de Privileg. Bald: in l. fin. n. 21 c. de eden.

Revocatas, inquit pars adverſa fuiſſe facultates, Primatum & Legatorum natorũ à Conc: Trid: in quoplurimùm hallucinatur, cùm nullibi id reperiatur, de Legatis natis, etenim præter ea, quæ ſupra diximus, non eſt veriſimile, quòd dictum Concilium voluerit arctare facultates Legatorum natorum, aut abrogare jus antiqvum, diſpoſitiones tam Decretalium Sexti, quàm Clementinæ. De Privileg. cùm in eo ſacratiſſimo conſeſſu Patrum, ex qualibet Provincia Primarij Eccleſiarum Præſules interfuerint, quemadmodum & ex Regno Poloniæ vir prudentiſſimus adfuit Valentinus Herburt Epiſcopus Præmiſlienſis qui ſuorum jurium integritati proſpiceret; proinde cùm hoc non ſit expreſſum, præſumitur noluiſſe, nimis anxiè inquiri in id, quod ipſa non expreſſit. L. de pretio ff de Publicana, neque Papa, aut Concilium intendit cuiquam præjudicare, prout deducitur. Cap. De Eccleſiaſticis 25. quæſt: 2da & in Decretal. Sæpe, ut videre licet in Repertor. Et quamvis nonnulla correxit Concil. Trident. ſed non ſuſtulit. Neque diffitemur Archiepiſcoporum poteſtatem in Suffraganeos reſtrictam eſſe per

Con

A.C. 1669 Concil: Trident. uti accurate collegit Piasec. in Prax: Epis. part. 2da cap. 5. art. 2. à num: 43. ad 50. Sed non Primatum, & legatione perpetuâ tangentium, præsertim hic, ubi absq; aliqua conditione cum clausulis, & articulis tam explicitis, quàm implicitis Synodus Lasciana post Concil. Trident. fuit à Gregorio XIII. confirmata.

Quia verò pars impugnans minùs considerate Acta tantùm Synodi anni 1577 à præfato Summo Pontifice confirmata fuisse asserit, qualiter se res habebat, edisserendum venit. Jacobus Uchanski Archi-Episcopus Gnesnensis in illa Synodo statuta, & Constitutiones Provinciales, tam antiquas, quàm novas, at q; novissimas, operâ RR. Stanislai Dąbrowski, & Franoisci Krasinski, U. J. DD. in unum volumen redactas, & per Deputatos Synodales revisas futuræ Synodo approbandas reliquit, prout patet ex Constit: Synod. l. 5. cap. 3. pag. 351 quæ à Successore Karnkovio Romam transmissæ, ab eodem Gregorio XIII. approbatæ sunt, de quo luculenter testatur Synodus Gembiciana Provincialis anno 1621 celebrata cap. 3. tit. de Statutis Provinc. ubi ita definitum est: Decrevit Synodus, ut eadem statuta antiquiora libris quinq; contenta per Sed: Ap. à Martino V. Joanne XXIII. & Greg. XIII. confirmata eodē modo, & ordine in uno volumine recudantur. Approbatas deinde, ut debitè serventur, verba sunt Synodi Provincialis Maciejovianæ, tit. de stat: Provinc. (non enim observari poterant, nisi approbatæ) Synodus prædicta an: 1607 celebrata de novo imprimendas decrevit, & Successor Maciejovii, Albertus Baranowski Archi Episcopus Gnesnen. Romam iterum transmisit, & approbationem à Paulo V. Pontifice Maximo Annô 1608 prout de verbo ad verbum inserta est, obtinuit, ad extremum, ut eas D. Archi-Episcopus Joannes Wężyk toties sic, ut præmittitur, approbatas edi curaret Synod. Anno 1658 celebrata mandavit, Tit. de Constit. antiq. iterum recuden. Ex quibus evidentissimè deducitur, constitutiones Synodales regni Poloniæ antiquas, novas, & novissimas, sine aliqua conditione, aut exceptione à tot summis Pontificibus, tam ante, quàm post Conc. Tridentin. fuisse confirmatas, & consequenter Synodum Lasciana, de functione legationis natæ in regno Poloniæ, quod pro indubitato habet Piasec. Episcopus Præmislien. in prax. Episc. parte 2 c. 3. art: 6 n. 90 col. 2 & advertit Rota in una Declmar. decis. 125. num. 11 parte 11 recent.

Reliquis pro parte adversa adductis authoritatibus, & rationibus, uti Decisioni S. Congr. Rit. 9 Mart. 1593 per Barbos. in collectan. ad Concil. Trid. d. c. 5. Sess: 6 tum & contrariæ observandæ Legationis natæ in regno Poloniæ constit. Synodal. ibid. insert. nec non præsentiæ Illmi Domini Nuntij Apostolici in regno Poloniæ ad extremum doctrinæ per Hermon. & alios de Legato traditæ, prudenter, & satis eruditè respondit, & satisfecit. Consultissimus & ornatissimus Advocatus Romanus R de Baschiis in sua informatione pro Sac. Congregat. Rituum Annô 1672.

Proinde ex his & aliis allegatis, & allegandis, pro solita pietate, & zelo justitiæ S. Congr. Eminentissimor. Purpuratorum negotiis, Episcoporum, & Regularium Præpositorum in favorem D. Archi-Episcopi Gnesnensis speratur responsum iri.

XXII. A.C.1670

ANDREAS CHRYSOSTOMUS ZALUSKI JOANNI OTREBOSZ CANONICO CRACOVIENSI. Lovaniô 5. Januarij.

De legatione Procancellarij ad aulam Cæsaream.

MUtasse me locum residentiæ meæ, jam ex ultimis meis intellexisti. Curo hic cum fratre meo, ut dies non otioso transeat decursu. Quod verò ex Polonia habeo, brevibus defero, confusè quædam recensendo, & prout calamo se ingerent. Scis nuptias imminere Regis Czestochoviæ cum Archi-Ducissâ Eleonora, cui in cunis adhuc fasces pro fascijs destinavit exhibere fortuna, sorore Imperatoris (alterâ licet Matre nata) circa medium Decembris immediate præteriti anni per Pro-Cancellarium regni avunculum meum Viennæ desponsata. Cùm verò aliqua occurrant circa hoc ipsum matrimonium, & paulò altiùs historia rei resumatur, mihique à fideli calamo tibi referenda describatur, libens totum id, quod habeo, cùm multa sint somnia, plurimæ vanitates, & sermones innumeri, tibi communico.

Conjugium Regis cum consilio Reipublicæ.

Scis imprimis & legem, & consvetudinem Polonam, ut Rex de matrimonio suo consulat Senatum. Ratio legis hæc est, ut Rex ex dignitate & commodo publico illud ineat. Lætum exitum si quem fortuna dat, popularis applausus & publica excipit acclamatio, silentio profundiore, & luctu adversa sustinentur.

Occasio legis ex matrimonio Sigismundi Augusti, cùm illud cum Barbara Radzivilia ita Majoribus nostris displicuisset, ut etiam ad tumultum deventum fuerit, quasi hoc dedecus fuisset Regis, & omnium mereretur odia, in eóque multum laborabatur, ut quàmvis Divina id sanxisset authoritas, humana tamen (fraudes enim labia eorum loquebantur) studebat avertere voluntas, ut se disjungerent corporibus, qui juncti fuerant cordibus.

Dum Rex Vladislaus proposuerat nubere Palatinæ Rheni Lutheranæ, omnes Episcopi, & Senatores restiterunt, unde etiam ad antiquam legem Rex Catholicus esto, & nova itidem lex, hujus præcipuus author, & manu propriâ scriptor Pro-Cancellarius præsens fuit, ut Regina quoque Catholica sit, seu genita, seu facta.

Habito proinde (non transgrediendo terminos antiquos, quos posuerunt Patres nostri) Senatûs-Consilio quartâ die post comitia, fecit Rex de matrimonio propositionê, & quod maximè propendeat in domum Austriacam, quæ est generatio cum claritate, & ducat illum ad hunc finem digna necessitas. Rogati Senatores omnes in sententiam, pro Austriaca ivêre, de tempore variatum, quia major pars (cognovit Dominus, qui fuerint ejus) svadebat celebrandum matrimonium ante comitia, alii, qui relinquunt vias rectas, & divertunt in vias pravas, fraus erat, & dolus, obscura eóque inevitabilia studio pravo facientes moras, ut interim occasiones incurrerêt impedientes, referendum esse ad omnes Ordines regni, eóque differendum negotium populariter differebant. Rex gratis actis pro consilio, de persona non concluso, sed generalibus tantùm verbis dixit: quòd in matrimonio suo maximè commodum Reipublicæ considerare vellet, unde absentes & præsentes similiter torquebuntur.

Procancellarius Legatus ad Cæsarem.

Venit notitia hæc per Pro-Cancellarium nomine Regis ad Legatum, Imperatoris, eodémque momento per expressum cursorem ad aulam Cæsaris est delata. In crastino statim deliberavit Rex de expeditione Legati, proponentibus Comite Szawgociô, & Barone Magerbelgiô Pro-Cancellarium, qui ab initio prætextu ministerij sui sese excusabat, tandem dum in-

*A.C.*1670 stantia reiteraretur, sciens à Principe Lopkowicz, & Aufzperk prona in se studia, deliberare voluit, solent enim diu cogitare omnes, qui magna negotia volunt agere. Sed tandem deliberationem debuit resolvere, illúdque iter, quod Rex volebat, ampliùs non excusare. Agitari rumoribus cœptum, si Pro-Cancellarius status regni Minister potest legationem acceptare? extra limites exire? sed Pro-Cancellarius genio, & more suo firmus statis, adversus rumores constans, invidiæ contemptor perstitit in sententia, fultus præcipuè exemplis in causa matrimonii legationis ad Cæsarem Przerembii Pro.Cancellarij quoque regni Proavi sui materni, & Radzivilii Cancellarii Litt. recentius verò Sapiehæ Pro-Cancellarij Litt. in Moschoviam, Andreæ Trzebicij Episcopi Præmisliensis & Pro-Canc. protunc regni, qui Ratisbonam legationem obivit. Considerabit quoque modicum fore absentiæ suæ dispendium, neque ultra 2 aut 3 hebdomadas utilis temporis omittet, Regi in reditu Cracoviâ Varsaviâ 2 septimanas absumente, ac proinde iter suũ, & præparamenta necessaria ad illud, in 3. septimana fieri posse declaravit. Offerebant se certatim multi in hanc viam, sed excusabat Procancellarius, ne Moschorum, aut aliarum nationum legationem, quam enormis multitudo stipare solet, imitaretur, neve præriperet palmam aliis Legatis post ex vetusto more ad auspicandum matrimonium mittendis, ac propterea ultra familiam ordinariam pauços, sed dignos adscivit comites, eosque sangvine, vel amicitiâ intimâ junctos. Lectâ in Senatu frequenti instructione, cujus tibi copiam adjungere libet, probataq; requirebat Legatus, ut aperto arcis Cracovienſis Archivo Pacta Matrimonialia cum præteritis Austriacis informandi sui causâ communicarentur, jamq; Stanislaus Warticius Castellanus Cracovienſis primus loco, & dignitate Senator inter sæculares clavem suam primariam, acceptis Regis, & Procancellarij literis, statim per Nobilem virum miserat, convictus eo, quòd suum obsequium, quædam est amoris professio, sic obsequij detrectatio est odij professio, sed cùm obloqui, & contrarium differere alij, præsertim Regni Cancellarius, aliiq; Senatorum, quanquam mittendi, & scribendi ad Castellanum Cracovienſem Authores fuerint, ambiguè iterum differere, præsertim Episcopus Cracovienſis Vice-Cancellario iniquior, quem aliquando nimia pietas acrius, quàm consideratius excitat, cujus arbitrio utebantur, & quo auhore hæc agebantur consensum suum revocaret, eâ conditione subscripsisse se allegans, mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum? si Cancellarius idem faceret, quo abnuente, se nomen manumque suam revocare. Procancellarius prævisu verax, provisu velox (venit mihi in mentem de illo: Stephanus noster sic currit non quasi in incertum, sic pugnat non quasi aërem verberans) moram consiliis abrupit, remittens illis periculum offendendæ popularitatis, certum habiturum se copiam pactorum Viennæ, clavem Castellano remisit, iterq; suum festinavit. Et cùm venit dies discessus ejus, Regi valedixit, à quo benignè dimissus, & parvulo horologio donatus, cum precibus, ut omni horâ sui meminisset. Post sumptum prandium apud Dapiferum Regni Cracovienſem Gubernatorem, & Minoris Poloniæ Generalem iter arripuit, pluviâ Atlantidum cohorte uberrima fluente suadebant aliqui, ut propter pessimũ iter, per unam, aliamve diem iter suum suspenderet, sed ille verbi dati constans fuit, cum suavissimo lepore festivè addidit, nolo citatus esse in lingvâ mea, & lentus in operibus meis, firmius sum in via Domini, nonne illi, qui amore sunt conciti, communiter in tempestate, & pessima via Dilectas suas visitent. Salutavit abeuntem Comes Szaffgotus, & usque ad conventũ in Zivierzeniec deduxit.

Post

Post lectam institutionem videbis rem in proximo Viennæ perficiendam ex literis, cujus copia mihi missa est ab eodem, Regi scriptis. *A. C.* 1669

INSTRUCTIO ILL^mo & REV^mo IN CHRISTO PATRI D. ANDREÆ OLSZOWSKI EPISCOPO CULMENSI, & POMESANIÆ PROCANCELLARIO REGNI LEGATO PLENIPOTENTIARIO AD S. C. M. LEOPOLDUM à S. R. M. POLON. MICHAELE. Cracoviæ 19. Novembris, Anno 1669.

LEgatus Plenipotentiarius posteaquam Viennam advenerit, obtentâ apud Imperatorem audientiâ, salutabit eundem nomine R. Mtis repræsentando gratum animum Regium, quòd Sua Mtas Cæsarea officiis suis, tam per literas, quàm per Legatum suum extraordinarium, omniq; lætitiæ contestatione prosecuta sit ejus Majestatis ad thronum Regium evectionem, mutuum affectum, sinceram amicitiam, bonam vicinitatem nomine Regio contestabitur.

De matrimonio in prima audientia, an apertè loqui, seu aliquam tantùm mentionem facere, an potiùs ad secundam audientiam postulationem uxoris differre debeat, prudentiæ Legati id relinquitur.

Post salutatum Imperatorem visitabit Imperatricem regnantem cum officiosa pariter contestatione nomine Sacræ Regiæ Majestatis.

Eodem die visitabit Imperatricem viduam, ibidemque decenter Sereniſſimam Archi-Ducissam Eleonoram, cui munera regia num statim, an in ada visitatione offerre debeat? publicene, an privatim? viderit D. Legatus.

Præmissis ejusmodi accessorijs, petet iterum audientiam apud Imperatorem, & sermone appositô postulabit in consortem Regiæ Majestatis dari Sereniſſimam Eleonoram Archi-Ducissam. Adijciet, ut assignentur Deputati ad tractandum negotium matrimonij; mox eodem, si poterit die, solennè instantiam faciet apud Sereniſſimam Imperatricem Italicô, deinde apud Archi-Ducissam designatam sponsam latinô sermone.

Post observatas solennitates, in conferentia cum Cæsareis Delegatis, imprimis stabiliet negotium matrimonij, quantitatem & certitudinem dotis, modum reformationis, tempus nuptiarum.

Et quoniam instrumenta pactorum matrimonialium, qualia antehac in Reges Poloniæ, atque Austriacas Reginas sanciebantur nulla ad manum haberi possunt, propter distantiam metricæ, quæ Varsaviæ asservatur, & propter occlusum Archivum regni in arce Cracovienſi sigillis aliquot Senatorum, qui nunc absentes sunt, petet D. Legatus communicari sibi dicta Pacta matrimonialia cum Cæcilia, & Constantia, ex quibus informatione habitâ quidquid ex dignitate, & commodo S. Reg. Majestatis videbitur, id totum observabit, & præcustodiet.

Abrenuntiationem successionis ad regna, & dominia hæreditaria Austriaca in casu (quod absit decedentis masculæ lineæ Austriacæ domûs) nullatenus faciet, sed jus omne & integrum Sereniſſimæ sponsæ, atque ex ejus lumbis descendentibus cum maxima cautela reservari curabit.

An verò in eadem prima conferentia tractare debeat negotia statum regni concernentia, an seorsiva sessione, ex re consilium capiet.

Materiam tractandi sumet à periculis regno Hungariæ & Poloniæ imminentibus, quæ voce populi rarò fallente, post factam deditionem Candiæ, his regnis, aut alterutri eorum destinantur.

Licet verò constet de fœdere perpetuæ pacis inter Mtem Cæsaream, ac inter Turcarum Imperatorem, tamen si discrimen Polonia sub-

A. C. 1669 eat securitatem sibi Hungaria, & Viciniores Provinciæ spondere nequaquam possunt, conferet ergo nomine Regio, & Reipub: in casum belli Turcici de auxiliis, ac de eorum numero, modo, & certitudine, intentionem animumq; S. C. Mtis explorabit. Cum tamen id negotium nimis operosum sit, ac mutuam obligationem mittendorum ex Polonia auxiliorum contra Turcam inducere posset, quod sine consensu, & authoritate Comitiorum fieri nequit, ad ulteriorem tractatum, seu per Legatos extraordinarios, ad acceptandam, & deducendam sponsam mittendos Viennæ, seu per Ministrum Cæsareum in Polonia instituendum Varsaviæ res ipsa cum toto affectu differatur.

Altera materia tractanda erit de mediatione pacis Polono Moschoviticæ, licet enim Moschus præoccupaverit Imperatorem invitatione ejus Mtis pro primario ex parte sua Mediatore, tamen non alienum videtur, ut ex parte Poloniæ etiam Imperator honorificè invitetur, tanquam Amicus vicinus, & jam cognatus Princeps, nec dubitat S. R. Mtas potiorem fore Polonam, ut eidem major favor, quàm Moschoviæ præstetur.

Summa Neapolitana. Quoniam summa Neapolitana ex pactis conventis, & ex donatione & cessione facta, per divæ memoriæ Sigismundum III. Regem, spectat ad Remp. Polonam (salvô jure duntaxat advitalitio Serenissimi Joannis Casimiri) conferet in eadem deputatione Legatus, ut jus Reipublicæ in tuto collocetur, néve donatione, aut per testamentum dicti Regis alienari, aut hæreditate ab aliquo prætendi possit. Quo in negotio ut Majestas Cæsarea ad Regem Hispaniæ per Legatum suum Madritti residentem officium interponat, amicè requiret Dominus Legatus.

Salii venditio in Silesia Proponet idem Legatus, ut venditio salis Vielicensis non sit restricta, sed libera in Silesiam prout antiquitus fuit, nullum enim exinde commodū videtur accedere thesauro Cæsareo, magnum autem præjudicium & dispendium thesauro Regio, nec fortè sinè præjudicio, & dispendio incolarū Silesiæ, & libertatis commerciorum inter vicinos. Emolumentum ex libera venditione salis posset applicari futuræ Reginæ in vim melioris provisionis.

Moneta argentea Poloniæ depretiata est in Silesia magno commerciorum in vicinos populos turbamento. Cùm verò in proximis comitiis agitari debeat de modo coæquandæ monetæ, bene haberet, si sua Cæsarea Majestas ministro suo demandaret, ut huic tractatui propter bonum publicum Varsaviæ faciendo interveniret.

Titulum Majestatis, quando-quidem Regibus Hispaniæ & Galliæ datur, asseret Regi Poloniæ ibidem Dominus Legatus.

Cætera ejus prudentiæ & dexteritati committuntur.

COPIA LITERARUM AD SANCTISSIMUM DOMINUM, A REGE MICHAELE. 2. Januarij,

Subsidium petit in bello Turcico. *Post oscula Beatorum pedum Sanctitatis Vestræ, meiquè ac Regnorum meorum quàm humillimam commendationem. Triste omnino & quò minùs speratum, magis dolendum Sanctitati Vestræ Nuntium fero, rem Polonam adeo in arcto & præcipiti esse, ut jam non de opibus & fortunis, sed de salute ipsa propè desperetur. Christiani nominis teterrimus hostis, & Regnorum helluo Turca, quod nō ambiguâ & nutante famâ, sed certò certius exploratum habeo; occasionem malorum nostrorum in commodum suum vertens bello me Regnumquè meum impetere decrevit. Jam classicum horrendi belli*

Con-

Conſtantinopoli inſonuit, jam delectus equitum peditumque, & ar- A.C.1670
norum ingens apparatus per Provincias Regno meo vicinas, & lon-
ius remotas habetur, fervetque. Jam hoſtilitatis Ottomanicæ prodro-
ni ſeu primi Velites Tartari, cùm ad hunc usque diem Societatis no-
nine & oſtentatione luſiſſent, & miſſis nuperrimè iteratis nuntijs ac li-
teris fidē ac obſequiū erga me ac gentem Polonā obfirmaſſent, barbarè jus
mne & fas abruperunt. Jam nō ſolùm partē exercitûs noſtri pro excubijs
n Vkraina ſtantē, & nihil adverſi opinantē conſpiratione cū Coſacis fa-
ctâ diſſecerant, ſed victoriæ impetu in alias cohortes, proximis Ruſſiæ
& Volhyniæ oris hybernantes hoſtiliter invecti ſunt, & nonnullis fa-
cilè diſperſis in ulteriores transuiſtulanas Regni mei Provincias ſe ſe
effuderunt, terroremque & ſtragem, igne, ferro, longè lateq; dedère.
Cujus rei atrox fama, & flebilis uox Chriſtiani populi, fragorque ca-
dentis Poloniæ tametſi non dubito ad paternas aures Sanctitatis Ve-
ſtræ aliunde perueniat, tamen mei etiam officij duco calamitatum no-
ſtrarum gnaram & certiorem Sanctitatem Veſtram facere, ut, quæ
parentum indulgentia eſt propenſiore affectu liberis magis laboranti-
bus immiſerescat, ac, quod medici ſolent, ubi uulnus eſt, ibi manum
benignè apponat. Vulnus equidem acerbum & lethale barbarorum per-
fidia Poloniæ nuper infixit, quod ne deſtituente Chriſtianorum Prin-
cipum operâ & adjutrice manu immedicabile ſuccedat, mortemque
poſtremo Poloniæ, ac modico interuallo Chriſtianæ uicinia peſtem &
perniciem afferat, uerendum. Antemurale Chriſtianitatis pridem Po-
lonia audiit, quo cuerſo ac rupto hoc uelut aggere quid procliuius quàm
ut Barbaria omnis, Germaniam primò, mox Chriſtianum orbem in-
undet. Suſtinuerunt & retuderunt olim Majores mei Reges Poloniæ
ferociam & uim Tartarorum & Turcarum, ſtetit pro uallo & mu-
nimento invicta Polonorum uirtus, ingenti gloriâ, egregio erga Chri-
ſtianitatem merito; Sed tot per annos continuis bellis, variis euenti-
bus per clades imò & per ipſas uictorias domeſticas attritos & fractos
nos nō pudet fateri. Intelligat orbis, exiſtimet Sanctitas Veſtra nō unū
duntaxat Turcicum bellum Poloniæ imminere, quod potentiſſimi eti-
am Reges, & ualidiſſimæ gentes reformident. Sed multarum & ma-
gnarum hoſtilitatum catena nos circumcingi. Moſchus factâ cum Suc-
cia pace, & abrupto nobiſcum pacis tractatu arma minatur. Coſaco-
rum toties coercita rebellio iterum ſurgit, quidquid barbarum aut ſchi-
ſmaticum eſt, contra Poloniam Catholicæ Religionis laude claram, eo-
que adverſariis veræ fidei ingratam, & inviſam ex compoſito conſpi-
rat. Hæc profuſius Sanctitati V: non exaggero, ſed perſcribo, cujus Pa-
terna gratia, & Pontificia cura mala noſtra in animum, neceſſitates
in ſinum libenter, uti ſpero, admittere dignabitur. Erubeſcere non po-
teſt ultima neceſſitas, quæ niſi clementiâ Sanctitatis V. ſubleuetur, a-
ctum & conclamatum erit. Deſtinavi ſpecialem Nuntium meum, au-
xilij ergo decenter & humiliter apud Sanctitatem V. implorandi, ſed
feſtinantibus periculis feſtinantiùs agere me cogit neceſſitas ſumma, &

A. C. 1670 verè ineluctabilis, nisi beneficâ manu Sanctitatis V. expediatur. Hoc illud tandem venit tempus, quo Mater Ecclesia filios suos non derelinquat, sed sinu protegat, subsidiis juvet, arceat interitu. Hæc occasio gravissima est, quâ se Patrem mihi meisque populis Sanctitas V. ostendat, quâ laboranti Christianæ Reip: subveniendo tot simul beneficia non in unam duntaxat gentem Polonam fide, obsequio, & avitâ veneratione sanctæ Sedi devotissimam, sed in reliquam Christianitatem dignissimè & incomparabili apud DEUM & orbem merito profundat. Edidit Sanctitas V. magnanimæ & Pontificiæ dignitatis specimen, Remp: Venetam, & August. Imperatorē adversus eosdem Turcas juvando. Quid ni sperem meam etiam varietate bellorum & temporum accisam, & in arcto positam fortunam magnitudine Pontificiâ & florentibus rebus Sanctitatis V. adjutum iri. Quidni item speret Sanctitas V. restitutâ in integrum re Polonâ, si vel mutuò notabilis summa mihi credatur, Apostolicæ Cameræ integrè restituendam fore. Quod reliquum est &c &c.

AD IMPERATOREM ROMANORUM.

Suppetiæ petit.

SEreniſſime &c. Triſtem Barbarorum perfidia iterum orditur ſcenam, non Regno duntaxat Poloniæ, ſed toti vicinię, imò univerſæ Chriſtianitati periculoſam. Nuper Tartari, dum ſimulant ſe contra rebelles noſtros progredi, datiſque ad nos literis id ipſum ſacroſanctè decreverant, flagitantes, ut partem exercitûs noſtri ipſis ſociaremus, mox rupto per ſummum ſcelus ſinè ullâ cauſa fœdere, hunc ipſum florem militiæ noſtræ amicitiæ ſecurum inopinatò aggreſſi oppreſſerunt, & exinde conſuetâ pernicitate potiorem Ruſſiæ Rubræ partem ferro, & flammâ deleuerunt, innumeram multitudinem promiſcui ſtatûs & ſexûs in miſeram abducendo ſervitutem. Sed hæc Tartarorum inſolentia intra remedium eſſet, ni altior nos afficeret cura, nempe prodromum eſſe belli Turcici, quod magnis totius vaſti illius Imperij viribus contra nos apparatur. Cui an tot bellorum calamitatibus feſſa, & lacera Polonia obniti poſſit, ſummæ Mtis V. prudentiæ conſiderandum offerimus, ſimulque rogamus, velit communis periculi rationes expendere. Inhiat reliquæ Europæ Regnorum hæc vorago. Exercuit per quinque amplius luſtra Veneta Reip: vires, tentavit & Mtis V. nuper fortunam; utrobique ſentiens robur, transfert impetum, quâ parte in ſe ipſa debilior Chriſtianitas injuriæ patet, ut rupto hoc velut aggere Poloniæ totam inundet uiciniam, eo præſertim tractu, ubi non fluminum uel montium objectu, non paſſuum difficultatibus munitur. Ita ut non tantùm Poloniæ vim inferre, ſed & Mtis V. ditiones à tergo petere videatur. Equidem non ſine rubore nobis accidit, vel ipſum ſuppetiarum nomen, Mti. V. innuere, quas ipſi tot bellis exhauſti, & barbarorum præſentiſſimis periculis objecti per ſummam impoſſibilitatem non ſinè grandi dolore præſtare, nequivimus. Sed vin-

cit

it neceſsitas verecundiam, pietásque Mtis V., & conſvetus favor A.C.1670
rga meritiſsimum de Chriſtianitate, & Auguſta Domo Regnum. Sarciet ereptæ occaſionis jacturam, & è publico totius Chriſtianitatis voto antemurale hoc non ſinet Mtis V. benignitas tam facile miſerum n modum perire. Debebit Auguſto nomini Mtis V. iterum ſalutem uam Polonia. Nos verò ne verbis ſenſum in rebus tam arctis expri- nere poſſe videamur, vel ſolam cognatæ miſerationis, & communis ortis, ac periculi reminiscentiam in fraternum pectus deponimus, ce- nixe precantes, ut & ſuopte beneficio, & aliorum Principum Impe- rij & Chriſtianitatis concitamento pereunti amico Regno ſubvenire vee- lit. Deſignavimus ad Mtem V. ſpecialem perſonam, ut hoc ipſum poſtulatum noſtrum decenter, & quàm ardentiſsimè exponat; Sed feſtinantibus periculis cogimur literario hoc prævenire officio, simulq; precari, ut quàm primum Miniſtro in Aula Ottomanica reſidenti Mtas V: injungere velit, ac per literas ſuas ad Portam inſtare ut à bello contra nos inferendo deſiſtat, Tartaroſque ab excurſionibus inferendis coerceat, cùm ſemper fœdera inter Majores noſtros & Portam Ottomanicã sancita religiose obſervaverimus. Quod geminatis votis expetendo Mtem V. quàm diutiſsime incolumem unà cum acceſſu omnigenæ felicitatis animitus exoptamus.

AD ELECTOREM BRANDEBURGICUM

SEreniſſime Princeps &c. Credimus equidem vel ipſius triſtis fa-mæ celeritate innotuiſſe Serenitati Veſtræ, quomodo Tartari Coſacis rebellibus noſtris ſociati rupto per ſummum ſcelus fœdere inopinatâ impreſſione non exiguam partem exercitûs noſtri nihil minùs quàm hoſtilitatem aliquam ab ipſis metuentis nuper in Podolia oppreſſerint, effuſisque conſueto more agminibus ferro & flamma magnam Ruſſiæ rubræ partem perverterint, innumeram promiſcui ſtatûs & ſexûs multitudinem in fœdam abducendo ſervitutem, eo magis dolendo caſu, quo perfidiori barbarorum aſtu, dum hi ipſi Soltani Ductores exercitûs Tartarici paucos ante dies literas ad nos dederint plenas amicæ conteſtationis, & ſtudioſiſſimæ erga fœdus juratum voluntatis, intuitu cujus obnixè rogabant, ut partem exercitûs noſtri amandaremus ad conjunctionem armorum cum ipſis contra mutuos ipſorum ſimul ac noſtros hoſtes; ſed hæ Tartarici fœdifragii ſimul ac damni noſtri vices non ſinè remedio, exindeque intra ſolatia exiſterent, ni altior nos premeret cura, nempe Turcicum Imperium totâ virium mole proximo vere regno noſtro incumbere velle, quamvis nullo noſtro demerito vel cauſâ ſed ſolâ illa (quâ immanis hæc bellua ad deglubenda Chriſtiani orbis regna utitur) attritarum virium occaſione ingens profectò tempeſtas imminet, cui avertendæ poſt cæleſtis anchoræ ſpem ſupremam non aliud præſentius littus, quàm amica vicinorum ſubſidia, quæ pro gravitate rei ac periculi ferventer imploramus. Cogitent utique

A.C.1670 que alieno discrimine longè satiùs esse communem hostem propulsare, unitâque obniti virtute, ne dum singuli pugnemus, omnes vincamur. Quæ cura etsi ad quosvis Christiani orbis Principes ex æquo pertinet, tamen Serenitatis Vestræ penitiorem sibi vendicat sensum ac trutinam, non posse non involui casibus improsperis Regni hujus (quos avertat DEus) Ditiones Serenitatis Vestræ utique non montium, ac latè patentium fluminum vel difficiliorum passuum objectu discriminatas, sed ipsi Poloniæ insitas, imò ingenitas. Quâobrem Serenitatem Vestram non jam pro cognato vel affini, aut beneuolo duntaxat respectu, sed pro Christiano ac vicino stimulo poscimus; velit pro ut Christiani nominis causam, ita sortem ac defensionem unà nobiscum communem habere, & non solùm pactis expressa militum manu, verùm etiam contra tam ingentis hostis vires, qui Tartaris, Cosacis utrisquè Moldavis, & Hungaris cum innumera aliarum Gentium colluvie inundare Poloniam certò certùs intendit, quàm maximè congruâ ope nobis assistere, non tantùm Poloniæ, aut cognato sangvini gratificaturus, sed & alieno periculo propriam tuiturus, vel quæsiturus indemnirarem. Sed & apud circulos Principesque Imperii non gravetur Serenitas Vestra tam urgens ac pressum grauissimi periculi, quod & nos deferimus, inculcare pondus, & amico officio communes ad resistendum solicitare quanrocis ùs vires, & auxilia. Non solùm pia, sed & glorioſa Serenitati Vestræ porrigit sese occasio juvandi, imò asserendi à barbarorum illuvie amici ac studioſi Regni, quod antemurale Christianitatis pridem audiit, nec corruere potest, quin ruina sua vicinos, & Christianum orbem involuat. Quod dum sincerè Serenitati Vestræ repræsentamus eidem longam incolumitatem, & fortunatos succesſus apprecamur. &c.

AD DUCEM VENETIARUM.

Sereniſſime Princeps amice noſter chariſſime.

CLadibus & ruinis Regnorum Christianorum inhians semper Ottomanica immanitas etiam Regno nostro nullo prætextu, ne dum iusta causa ingentis belli molem minari, & præparare dignoscitur. Quod non ambiguâ famâ, sed certis indicibus & documentis nobis constat, decretam esse contra Nos hostilitatem, iamque fortalitia in proximis Regno nostro locis construi, & permuniri, jam delectus militum contra Poloniam haberi, jam Tartaros à partibus nostris abstractos, & Cosacos in protectionem receptos, ceu prodromos grauioris periculi in perniciem Poloniæ immissos, qui non solùm delectam partem exercitûs nostri, eorum amicitiæ securam in Podolia inopinato oppressernnt, verùm etiam Russiam Rubram crudeliter depopulati sunt. Crescente itaque discriminis magnitudine præcipuè ob accisas vires laceri, & tot cruentis bellis exhausti Regni nostri non aliud præsentius remedium, quàm recursus

fus ad amicam opem. Hanc ab Inclyta Venetorum Republica implorat Polonia eò fidentiori animo, quò magis perſpectum habet prudentiſſimum Senatum (qui toto acerrimum Reipublicæ Chriſtianæ hoſtem mediterraneo mari per tot luſtra glorioſè diſtinet) non paſſurum, ut campeſtres Polonorum excubiæ, obruantur, & gens de re Chriſtiana tam bene merita miſerentibus duntaxat, & non ſuccurrentibus ſocijs periclitetur. Quod ut à Serenitate Veſtra, & tota Republica ob imminentis mali univerſam Chriſtianitatem involventis periculum literario ad præſens officio expetimus; ita breui per ſpecialem Perſonam à Serenitate Veſtra, & Republica ſubſidium efficax poſtulaturi. Eidem optimam à DEO valetudinem, & lætos ſucceſſus exoptamus. *A.C.167*

AD PRINCIPES ELECTORES IMPERII ROMANI.

REgnorum Chriſtianorum continuæ prædæ inhians Turcica immaniras etiam noſtrum, ne prætextu quidem ullo, ne dum iuſta cauſa gravi mole aggreditur. Jámque Tartaros à partibus noſtris avulſos, & Coſacos in protectionem receptos ceu prodromos in ditiones noſtras immiſit, qui delectam partem exercitûs noſtri in Polonia exiſtentem amicitiæ eorum, quam nobis etiam per nuperrimas legationes & literas firmiter atteſtati ſunt, ſecuram inopinatò oppreſſerunt, & potiorem Ruſſiæ partem crudeli excidio depopulati ſunt; mox totius vaſti ſui Imperii viribus nos propediem is ipſe totius Chriſtianitatis acerrimus hoſtis eſt aggreſſurus, innumeram Gentium colluviem congregans in fines noſtros, eo euidentiori periculo, quò magis lacerum & exhauſtum atrocibus bellis Regnum noſtrum ſentimus. Quamobrem in tam arctis rebus non aliò præſentior recurſus, quàm ad beneuolam & efficacem Principum Chriſtianorum opem. Conſulant, & juvent amicam, & de tota Republica Chriſtiana benè meritam gentem, cujus bellica vi hactenus à barbarorum inſultibus pleraquè Romani Imperii vicinia immunis extitit. Serenitatem Veſtram pro eo, quem Chriſtianæ Reipublicæ ſemper exhibet zelo, & pro cognato nobiſcum affectu peramanter poſcimus, nolit deeſſe fauore ſuo, & ſubſidio Regno Chriſtiano periclitaturo, ni opem auxiliatricem invenerit. Non enim pudet fateri invictum olim Chriſtianitatis antemurale variis euentibus per clades, imò & per ipſas victorias ita jam fractum & debilitatum eſſe, ut propulſandis ſimul tot hoſtibus, Turca, Moſcho, Coſaco, Scytha minimè ſoli ſufficiamus. Quod ut pium iuxta ac glorioſum erit Serenitati Veſtræ, ita à nobis & hoc ipſo Regno pari condignæ gratitudinis cenſu eidem rependendum. Pluribus actura eſt nomine noſtro ſpecialis Perſona à nobis breui ablegenda ad Serenitatem Veſtram; interim feſtinantibus periculis feſtinantiùs agere, & periculi noſtri magnitudinem exponere, ac auxilia etiam per literas præcurſorias à Serenitate Veſtra expetere conſultum

A. C. 1670 tum duximus. Reliqvum est, ut Serenitati Vestræ bonam à DEO valetudinem, & prosperitatem exoptemus. &c.

AD CARDINALEM SANCTA-CRUCIUM.

GRaviſſimæ calamitates Regni noſtri & impendentis Turcici belli ineuitabile periculum adigit nos repræſentare ſtatum rerum noſtrarum ſuæ Sanctitati, ejuſque paterna depoſcere auxilia. Confecti enim, & exhauſti per tot annorum bella retundendis ſimul tot hoſtibus præſertim Turcicæ potentiæ, potentiſſimis etiam Regibus, & validiſſimis gentibus formidandæ pares eſſe ſoli nō poſſumus. Adijciet notabile momentum Illuſtritatis Veſtræ authoritas, & in rem Polonam affectus. Cujus quò certiores ſumus, eo magis & libentiùs apud Sanctitatem ſuam deſiderio noſtro favere cupimus, & amanter requirimus. Bonam interim à DEO valetudinem Illuſtritati Veſtræ exoptamus.

LITERÆ AD SEREN: ELECTOREM BRANDEB: RATIONE OPPIDORUM & ARCIUM BITHOW & LEMBURG.

TRibus Epiſtolis Serenitatis Veſtræ de data 10. & IIma Septembris ad Nos datis, inſimulque nobis 15ta Octobris redditis unā hac noſtrā libenti officio reſpondemus. Probè novimus vigore Pactorum Bidgoſtien. obligatam fuiſſe Serenitatem V. ad noſtram felicem Coronationem, Conſiliarios, aut Officiales ſuos mittere, qui feudum de arcibus & oppidis Bitow & Lemburg ad Regnum noſtrum pertinens recognoſcere, & literas recognitionis & renovationis feudi à Nobis accipere debebant. Ac licet Nobis non conſtet de cauſa legitima, cur id officium & debitum, in hac felici Coronatione noſtra non ſit adimpletum, exinde tamen Pactorum religioni nullum detrimentum fieri pro obſervantia eorundem, & pro ſingulari erga Serenitatem Veſtram noſtra propenſione declaramus Altera epiſtola rectè memorat Articulo vigeſimo primo fœderis Bidgoſtien. diſpoſitum eſſe, ut idipſum fœdus perpetuum poſt electionē noſtram ab utraque parte renovetur, confirmeturque juramento desuper præſtito per Deputatos in animam Principalium jurantes. Equidem nihil Nos probius, ſanctiuſq; ducimus obſervantiâ, & plenariâ executione fœderum, uti cum omnibus Principibus vicinis, ita pariter cum Serenitate Veſtra, quod omnibus officiorū documentis ex parte noſtra comprobaturi ſumus. Eſt tamen quod Nos & Resp: Polona ex parte Serenitatis Veſtræ deſideremus, prout id Pactis conventis cum Ordinibus, & Statibus Regni Poloniæ ſub tempus electionis noſtræ per Nos juramento firmatis, atque cum ſcitu legatorum Serenitatis Veſtræ in Capitulatione noſtra inſertis, ac in publicam lucem emanatis comprehenſum eſt. Quod quidem punctum Capitulationis noſtræ ſuper prætenſionibus Nos inter ac Serenitatem Veſtram ad invicem per Commiſſarios dignoſcendis & ſopiendis, memorati Serenitatis

tatis Veſtræ legati non tantùm pro rato & grato acceperint, ſed etiam, cùm easdem non leves differentias, & prætenſiones jam aliàs Serenitati Veſtræ per legationem ſub Inter-regno expoſitas, iterum ex parte Poloniæ proponi, & cum legatus Serenitatis Veſtræ Varſaviæ ſub tempus Electionis juxta reſponſum per legatum Reip. Magnificum Boguſlaum Principem Radziwill M. D. Lithvaniæ ſtabuli Præfectum à Serenitate Veſtra datum agitari atque definiri optaremus, idque tam Nos ore proprio, quàm per Miniſtros Status noſtri proponeremus. Idem legati Articulum prædictæ Capitulationis pro parte ſua allegantes, & opponentes non poſſe jam eo tempore, & loco deſuper tractari, ſed rem in aliud tempus, atque ad Commiſſarios vigore ejusdem Articuli Capitulationis, nec non juxta Pacta nominandos differri oportere, reſponderunt, penitûſque intacto negotio diſceſſerunt. Quod attinet tertiam Epiſtolam Serenitatis Veſtræ; Articulum de Præfectura Drahimenſi continentem, agnoſcimus centum viginti millia talerorum pro ſumptibus belli & delectu militum Serenitati Veſtræ à Republica Polona deberi, atque in defectu non ſolutionis Arcem & Oppidum Drahim cum omnibus pertinentiis & attinentiis vigore Inſcriptionis & obligationis ſibi ſervientis à Serenitate Veſtra potuiſſe propriâ authoritate apprehendi. Minimè tamen Serenitas Veſtra negaverit, decenter & ſervatis omnino gradibus id fieri debuiſſe, nam & requiſitio ſummæ in Comitiis apud totam Rempublicam juxta morem hic obſervari ſolitum præcedere, & in quantum Rex & Reſpublica exſolutionem Summæ detrectâſſent, denuntiationis alter gradus ſervari, atque deinceps Serenitatem Veſtram vigore Juris ſui Præfecturam apprehenſuram, publicè id priùs intimari debebat, quod omnino non factum, aut non ritè factum, ac ſub tempus ipſum abdicationis Regiæ conſternatâ ac confuſâ Republicâ, minùs convenienter attentatum, eſt quod doleamus, prout in recenti Ordines Regni per altè memoratam legationem ſuam dolorem juſtum expreſſerunt, & reſtitutionem dictæ Arcis & Præfecturæ Drahimenſis in manus Reipublicæ (ſalvo deinceps gradu decenter juxta Pacta requirendi, & denuntiandi) inſtanter, ac fruſtra poſtulârunt. Quæ res cùm ita ſe habeant, opportunum maximè, & Pactis conveniens erat, mitri à Serenitate Veſtra Conſiliarios, & Officiales ad comitia Coronationis noſtræ, prout eandem literarum officio amanter invitabamus. Nunc in tempore tam anguſto, & elabentibus proximè Comitiis aliud conſilium non ſupereſt, niſi ut literarum recognitionis, & innovationis feudi de arcibus & oppidis Bitow & Lemburg extraditio, nec non Iuramenti ſuper renovatione & confirmatione fœderis perpetui in animas principalium præſtatio ad alia comitia proximô menſe Martiô celebranda differatur. Parati porrò erimus Cõmiſſarios ex parte noſtra ad proponendas, & excipiendas, determinandáſque ultrò, & citrò differentias, & prætenſiones deputare, quibus omnibꝰ juxta formulam pactorum plenè compoſitis, ac penitus difficultatibus, & prætenſi-

A. C. 1670

A.C. 1670 tenſionibus ſublatis, ea, quæcunque ex pactis obligamur præſtare libenti animo adimplebimus, prout etiam ex parte Serenitatis Veſtræ adimpletum iri planè confidimus. Hiſce ad literas Serenit: Veſtræ reſponſis, & ſingulari noſtrâ propenſione, ac ſinceræ amicitiæ, fœderis, & bonæ vicinitatis ſtudio declarato, confirmatoque in ejuſdem etiam affectûs noſtri teſtimonium, titulum in Lemburg & Bitow Serenitati Veſtræ adſcribimus. Reliquum eſt, ut bonam valetudinem, & proſperos rerum ſucceſſus Eidem Serenitati à Deo precemur. Datum Cracoviæ.

COPIA LITERARUM PRIMATIS AD REGNI PROCANCELLARIUM. 11. Januarij.

Nuptiæ differendas ſuadet.

NOn dubito te reducem feliciter Varſaviam, ex aula Viennenſi his meis literis inveniendum, quo Capitaneum Radomenſem à Rege ad me cum relatione conſummatæ in illa aula negotiationis, miſſum, ex pernoctatione hodierna expedio. Gratulor animitus, te ſanum rediiſſe, ſimulq́; veniam peto, quòd ad tuas die 10. Decemb: Viennâ datas non reſponderim, factâ à te ſpe celerioris prodie 3. præſentis, tui reditûs, certificatus; referens, quòd in eo rerum æſtu, mei memor fueris: Tam magnificæ negotiationis ſucceſſum Rex ipſe gratulatus, tum enim planè fui Varſaviæ, cum tu concluſa eſſe pacta matrimonij hujus, cum Arhiduciſſa, literis nuntiares, quod totum factum condignè pro decore Majeſtatis, velut per magnum miniſtrum. Ipſe non niſi acceleratus aduentus ſponſæ, me commouerat, qui præſentiebam, quod hæc inexpectata nouitas contra aſſecurationem Regis, qui pluribus Senatoribus declarauerat, & præfixerat actui huic ſolenniſſimo diem 19 Junij, fauſtam felici ejus Majeſtatis electione & ſublimatione ad thronum Regium, magnã in animis hominum excitatura erat apprehenſionem, petijq:, ut per expreſſum curſorem, moram huic celeritati injiceret Majeſtas Regia, expeditione ad te ſine mora factã, ſed acceptari non meruit ſincera & fidelis præcautio: Et tamen ſi tam præcipitanter intempeſtiuæ hæ nuptiæ fuerint celebratæ, magna erit ſuſpicionum occaſio in equeſtri ordine, cum undiq; concurrant expoſtulationes, quibus mihi exprobrant majoris authoritatis uiri, hanc in tanto negotio præcipitantiam, unde timendæ in comitiolis, & deinde comitijs difficultates. Excipient loco fauſtarum apprecationum novam ſponſam acclamationes, Rexq; fruſtra ſe exponet ſuſpicionibus; cujus quis alius fructus erit, quàm conflictus continui, in quibus jam tædet vivere. Nec tu modicæ te expones inuidiæ, vel ideo, quòd id tuâ aſſeris, factum eſſe induſtriâ, in quo te fraternè præmonebam, dum mihi propoſitum tuæ legationis aperires, detegeréſue arcanum quòd ad eam functionem eſſes deſtinatus; diffluendi tamen concluſa, tempus non erat opportunum, nec celandi eramus de ea declaratione, quæ totum ſuſpenderat negotium circa matri-

monio

monium Regis, quòd non in penetrali, verùm in præſentia omnium concludendum erat; aliàs Rex non ex Senatûs conſilio ut debuerat juxta pacta, verùm privato arbitrio, vel paucorum hoc tanti momenti negotium expediuit: Cujus quales nam ſint effectus, etiam tuas peruenisſe ad aures non ambigo, cùm etiam meæ hiſce rumoribs plenæ ſint aures, quòd ſcilicet id ægre ferat populus, novaq; comitiolis & deinceps Comitijs creetur difficultas, quæ ſi rupta fuerint, aliæ nobis ſedes quærendæ erunt, in hac enim Patria ſubſiſtere non poterimus: Vnde, ô quibus hæc Neoſponſa amaritudinibus replebitur! Jam ei compatior, licet eum non ſpero favorem quem faventer prænuntiat Zebzydovius arbiter & præſes arcanorum totius negotij. Obſecro per ſuperos, Patriæ miſerere, aulæ Viennenſi efficaciter perſvadendo, ne primordia regnandi Regis noſtri tam præmaturâ præcipitentia, ſubitaq; inductione Dominæ turbare velit. Non id utiq; elabetur, nemo thronum eripiet, Rex ſuam, aſſecuro, habebit ſponſam, id tamen, in eo fiat, ut antiqua priſcorum jurium forma, uſitata in matrimonij tranſactionibus, omnia peragantur, tuaq; negotiatio, honor, præmia propoſita maneant in integro, res noſtræ pacificentur, comitia Deo dante tranquillè concludantur, ſuccedatq; univerſalis pro reformatione conſenſus. Quis enim Regem impediet, quominus ex hac domo conſortem ducat, ex qua tot raræ ſanctitatis Dominas habuimus. Et inſuper res tua authoritate actæ concluſionis nequeunt pati mutationem: Ad quid ergo hac præcipitantia populo per ſe ſuſpicanti & metuenti, cædes cauſari, fomenta contra libertatem ſuperaddi, civeſq; turbari debent, quod tamen certo certius ſubſequetur, niſi nuptialis actus differatur, quo, expedit ut exhilaretur populus, agnoſcatue ſuam non in larua dominam, ut ei dediſti eloquia, inter natas Germanarum & Polonarum pulcherrimam. Proba, te fide tua agere tantum utraq; in aula poſſe, ut & Regis attemperes erga ſponſam amorem, & ſponſæ ardorem mitiges, quæ tantis ſe frigoribus intendit exponere, non alio ſuccenſa igne quam amoris. Cedet id maximo tuo Patriæq; merito, cujus caput omnes hi inſultus petent. Piget in his vivere turbinibus, quibus in dies addimus tædas. Miſerere noſtri & tui, tuâ Principem emollire velis confidentiâ, ne nos, ſeq; ipſum præcipitet. *A.C.1670*

COPIA RESPONSI PRIMATIALIS, AD REGEM. II. Januarij.

ACcepi per manus Capitanei Radomenſis, eâ qua par eſt reverentiâ, ſcriptum Domini, ſimulq; verbalem ejus relationē, quod Viennæ actum eſt, & concluſum; pro qua confidentia, ſubmiſſas referens grates, meum brevibus explico ſenſum: & ſicut mihi ea præcipitantia in tam grandi negotio, ex rationibus, quas ante novum annum Verſaviæ Veſtræ Majeſtati expreſſi, diſplicuit; poſtulaviq;, ut

A. C. 1670 per celerrimum cursorem Vestra Majestas præmoneret Procancellarium, quatenus cum Imperatrice & Archiducissa non properaret in Poloniam, contra expressam Vestræ Majestatis voluntatem, ut suis ei literis Majestas Vestra deduxit, suo eum instinctu hanc feciisse probans accelerationem, quæ tantas tractura post se prævidebatur consequentias, ex adventu tantorum hospitum, contra datum à Vestra Majestate verbum quibusdam Senatoribus; citra consensum tantæ partis Senatûs, qui permagnis rationibus id dissvadebat in illo consilio, cujus conclusionem non audivimus; quia Majestas Vestra auditis nostris sententiis, quæ bipartitæ erant, alij enim judicabamus (quibus meo sensu anteivi) ut Majestas Vestra consideratis omnibus circumstantiis temporis, perpendendo vel maximè desiderium populi, & præsertim tertii ordinis, qui hoc in præterita electione promovebant, & ipsa pacta conventa, cum Vestra Majestate inita, hoc quoq; punctum continebant, ne inscià Repub: universâ, ad ineundum conjugalem statum accederet, licet id fors errore typi in pactis additum non fuerit, aliquot tamen Palatinatus ejus memores erant, & fortiter Nuntii eorundem Palatinatuum promovissent repositionem ad suum locum in pacta conventa tantæ importantiæ paragraphi; si fatali Reipub: casu comitia rupta non fuissent, alij magis conscij arcanorum Vestræ Majestatis, placendi studio privatis ducti respectibus, animo bene merendi de Domo Austriaca, quæ summopere hanc cum Vestra Majestate curabat conjunctionem varia ad id adhibens instrumenta etiam ex eremo vocatis ad obeundum Ablegatorum munus; idem negotium soli citra reliquorum consensum in secreto penetrali concluserunt, & ad tam præcipitantem deduxerunt effectum, non concesso tantillo Vestræ Majestati temporis, quo illud senatus consultum more & consvetudine veteri, concluderet; id enim non audivimus, nisi ubi suam Procancellarius, nemini speratam, Viennensem profectionem denunti-asset: Quis enim speraſſet signaturæ Ministrum, summi apud Majestatem respectûs & intimæ admissionis, citra antiqua & nova exempla (non enim spirituales verùm sæculares, gnari statûs matrimonialis arcanorum ad condicenda sponsalitia adhibebantur) hanc susceperum functionem? in quo, ut verum fatear, ijs ipsis super quæ Majestas Vestra ex formula suorum Antecessorum juravit, non satisfactum pactis conventis, expresse volentibus, ut Majestas Vestra negotium matrimoniale ex Senatus consilio determinet, quod tamem secus hoc in puncto factum, non sine juris læsione: datâ enim hac propositione ad decidendum, auditisq; nostris sententijs, suspendere Vestra Majestas dignata est conclusionem, assumendo eam ad deliberationem, ad quam postea formandam vocati non fuimus, nec prius ejus expeditionem audivimus, quàm vidissemus in re & effectu, dum Pro-cancellarius Legatus pro Archiducissa declararetur, quod factum contra stylum ordinarium hactenus in Senatus consilio conservatum, in quo Reges nostri cum ijsdem, quibus punctum aliquod

pro-

proponitur Senatoribus, expedire ſolent & concludere, at hic factũ *A. C. 1670.*
modo contrario, primùm practicato meâ memoriâ exemplo, niſi in Pariſienſi, Viennenſi, & Anglicana aula; ubi Principes cum pluribus communicant conſilia, concludunt cum uno & altero Miniſtrorum, quos ſibi privato eligunt arbitrio. Refert ergo Majeſtas Veſtra hunc concluſi indebito & inuſitato modo conſilij, quod (ut non dubito, undiq; delatum id eſſe Majeſtati Veſtræ rumoribus) magna animi acerbitate tertius ordo hanc ſui ſuſcipiat poſtpoſitionem, quod Majeſtas Veſtra imminentia comitia cum iſta deliberatione non expectaverit; quomodo verò alia ſperanda erunt nobis comitia, (à quibus tamen totius Patriæ pendet ſecuritas) quos undiq: circumſtant mala in noſtram parata perniciem! cum Moſchis nihil certum, niſi ruptis tractatibus bellum ab ea parte timendum eſt, cùm manifeſtæ rupturæ det Czarus occaſioneni, non reſtituendo, contra ſuum juramentum Kyioviam. Ucraina penitus jam aliena, in qua, velut propria, Principis ſui Imperatoris Turcarum, terra hoſpitantur Tartari, portiones extorquent, quod noſtro etiam militi non licebat. Quid aliud præter fremitus ex comitiolis? quid expectandum in comitijs, niſi amaritudines non contentæ, ex quibus quomodo conformia & unita formabuntur conſilia? Perſiſto itaq; in eadem eò firmiùs ſententia, cum qua præſens coram Veſtra Majeſtate conſtiti Varſaviæ, idemq; meo, & tot Procerum in ordine Senatûs, nomine poſtulo; qui me non ceſſant compellare, ut id à Veſtra Majeſtate petam, (modeſtiore verbo, quàm illi mihi committunt, utor) quatenus Majeſtas Veſtra his ſuſpicionibus & metu ſuum dignetur liberare populum, non inducendo hoſpites hos ante comitia, & niſi habito totius Reipub: in hoc ſuo propoſito conſenſu. Fidat Majeſtas Veſtra ejus erga ſe propenſioni, cujus amoris tot manifeſta accepit documenta; an non melius & laudabilius erit neoſponſæ ſi eam fauſtæ apprecationes, & univerſales plauſus ſuſcipient? brevẽ hanc moram ſuſtineat, decet tam excelſum ſtatum iſta verecundia & modeſtia. Cum majore incomparabiliter tam ejus, quàm noſtro erit commodo & decore, ſi condigno apparatu ſuſcepta fuerit more ſuarum Aviarum & Amitarum. Nemo eam utiq; Majeſtati Veſtræ eripiet, nec Procancellarius patietur ſuæ diminutionem negotiationis, quam jam ſumma dexteritate perfecit & concluſit. Non rectè conſulunt, (fidat mihi Majeſtas Veſtra) qui ſecuritatem ejus dominij in potentia Domus Auſtriacæ fundant. Trita potius tenenda via, qua tam nobili greſſu ſumma rerum mortalium attigit Maieſtas Veſtra, confidentia ſcilicet & amore populi. Non avertant hi ſuſurrones cor Majeſtatis Veſtræ à fidelibus ſubditis, cùm mutua ſit ſemper reciprocatio, ut ameris, ama. Id opto & demiſſe poſtulo, quatenus celeri Nuntio Majeſtas Veſtra præmoneat Viennenſem aulam, quod propter grandes, plurimumque importantes rationes tantorum differat hoſpitum ſuſceptionem. Veſtræ Majeſtati pro Bacchanalibus

A.C.1670 opto adventum Zamoſtiam & convocationem ad ſe Ducum exercituum, habendumq; cum eis conſilium, quomodo impedienda ſit Turcis poſſeſſio Vcrainæ, ſicq; ſpero imminentia comitia fore ad votum Majeſtatis Veſtræ, in cujus oſculo manûs hæreo.

UNIVERSALES LITERÆ MICHAELIS REGIS DE MATRIMONIO SUO. 24. Jan.

Quemadmodum poſt DEUM ejusq; gratiam ſoli amori civium debemus & adſcribimus Regiam fortunam noſtram; ita nihil prius eſt nobis curæ, quàm ut eundem amorem fidelitatum Veſtrarum non tantùm conſervemus, verum etiam continuò augeamus, non immemores iiſdem quibus acquiruntur, Regna principiis retineri. Non ſine doloris ergo & injuriæ ſenſu delatas, noſtras ad aures, traductiones percipimus quibus nos diſcreditare in populo inimica & obſtinata contendit malevolentia, ſumendo pro anſa effectuendarum ſuarum intentionum matrimonium noſtrum cum Archidus ciſſa majore natu ſorore Imperatoris; de quo brevem genuinam faciemus informationem. Vix primùm liberis Veſtrarum fidelitatum vocibus ad Regium thronum fuimus proclamati, varia nobis à variis propoſita erant matrimonia. Oſtendebatur via colligationis cum Gallia per connubium cum Madame Selle du Orleans promittendo in vim dotis 20 milliones. Erat in ore Neptis ex ſorore defuncta Reginæ Ludovica. Habuit ſuam à quibusdam commendationem & promotionem Duciſſa Neoburgica. Ad quas partiſationes quominus nos inclinaremus, non tam privati reſpectus, quàm publica tranquillitatis ſtudium motivo fuit. Non viſum etiam nobis in privata domo ineundum matrimonium cum non ignoraſſemus quanti motus in Repub. ſub Rege Sigiſmundo Auguſto hac de cauſa exſurrexerint. Vicit inſuper ſenſus & conſilium bene nobis & Reipub. faventium, quatenus curas noſtras & intentiones dirigeremus in domum Auſtriacam, ex qua ſemper timentes DEum, clementes, omnibus ornatas virtutibus Reginas Poloniæ priſca ſecula & recens repræſentat memoria. Poſtrupta ergo Coronationis Comitia, quarto die in frequentiſſimo Senatu fecimus propoſitionem per ſupremum Regni Cancellarium de ineundo matrimonio, dumq; candidè aperiremus inclinationem ad Imperatoris ſororem, nemo inventus eſt, qui connubiũ diſſvaſiſſet; imò omnibus hanc & non aliam proponentibus, de tempore non niſi variabant ſententia; quanquam etiam in hoc pondera rationum & pluralitas ſenſuum prævaluit, ut nullâ morâ & ſi poſſibile eſſet, etiam ante Comitia matrimonium contraheremus. Quod quia proprio motu cujusvis factum; dicere poſſumus ita viſum eſſe Spiritui S.; provocamusq; ad fidem & conſcientiam Senatorũ, quòd nunquam de hoc privatas conferentias, nec conditamen ullum aut practicationes per nos, aut alium quempiam fecerimus. Concluſo Concilio ſenatus gratiarum actione pro unanimi bonoq; erga nos affectu determinavimus intentionem

nem ad Archiducissam: solum non nisi tempus in deliberationem ad beneplacitum nostrum accepimus cum hac declaratione, quod per id matrimonium commune vel maxime bonum velimus respicere. In hoc fundamento unanimis Consilij 40 Senatorum re bene fundata processimus ad expeditionem Legati, evicimusq; ab Episcopo Culmensi Procancellario Regni, ut hanc susciperet functionem exemplo Przembscij Procancellarij Regni & Principis Radivilij Cancellarij M. D. Lit. Qui hujusmodi legationibus pro Regio matrimonio ad domũ Austriacam sunt perfuncti, non multo etiam ante tempore modernus Episcopus Cracovienſis protunc Procancellarius Regni & Sapieha Procancellarius M. D. L. extra Regnum legationes obiverunt. Post lectam & approbatam in frequenti senatu instructionem sine mora accinctus itineri Procancellarius Regni cum magna sua gloria nostro totiusq; gentis decore hanc peregit legationem. Pacta matrimonialia melioribus, quàm quondam fuissent cum Constantia & Cæcilia, conditionibus constituit: Nullum extraordinarium onus in Rempub: ratione dotis & contradotis contraxit; Insuper post concluſum & subscriptum tractatum; non in scripto sed oretenus solius matris Imperatoris intentionibus, justisq; rationibus bono nostro & Reipub: commodans, non necessarijs occurrens sumptibus acceleratum tempus matrimonialis actus locumq; Czestochoviæ concessit: De quibus omnibus idem Procancellarius Regni in proximè imminentibus Comitiis plenam dabit informationem. Sic itaq; descripta re prout gesta est & concluſa; optamus obnixè quatenus contrarijs vanis & malè faventibus relationibus aurem non præbeatis. Speramus in DEo illos ipsos confusionem relaturos qui nobis eam more ingenij sui fors ob nunquam contentanda sua desideria, & interesse conantur deducere. Minimè nobis hoc peremptorium licet, glorioſum tamen & utile Reipub: matrimonium, eripiet tempus, quo tractentur negotia Reipubl: bellicaq; actiones obeantur; quas si opus fuerit semper in persona nostra obire parati sumus. Reformatio futura DEo dante consortis nostra quia circa jus & antiqua exempla dependet à consensu totius Reipub: desideramus per quam ardenter quatenus id negotij nuntiis vestris ad futura Comitia committatis: Nihil utiq; novi aut Reipub: onerosi exigimus; omneſq; spes ac res nostras faventibus affectibus fidelitatum Vestrarum concredimus. Quibus interim bonam valetudinem apprecamur. A.C.1670.

VOTA QUORUNDAM SENATORUM IN COMITIIS HABITA. Anno 1670.

EPiscopus Posnanienſis post factam Regi apprecationem omnium faustitatum & æviternæ in seras ætates incolumitatis, sub dexteræ Divinæ protectione, quâ ad Regium thronum est provectus; revocavit proventus Reipub. ut scilicet œconomias Rex ipse manuteneret, ab Administratoribus seriò rationem exigeret; Szavelensem œconomiam, restituto pretiò redimeret, evicta sibi à Republ. in eum finem concessione proven-

A. C. 1670 tuum, svadebat quoq; , ut Lubienio reciperetur vacantia, & dignieri conferretur: similiter Decanatus Varsavienſis post Doni, ut conferretur Lipscio, Regenti, pridem de curia bene merito, siquidē Doni acceptis hinc ultra quàm 100 millibus proventuum in Italia residet. Quoad defensionem Patriæ, promovit Consilium bellicum tractandum semotis Arbitris, simul confirmationem fœderum cum externis Principibus, & expeditionem legationum ad conciliandam amicitiam. Quoad stipendia solvenda exercitui, constitutionem hybernarum, & provisionem ulterioris militiæ, aliáque puncta, in propositione Regia expressa, referebat se ad consensum totius Reipublicæ; similiter ratione determinationis valoris monetarij, & pretii rerum. Quia verò necessitates Regiæ requirunt à Repub. sublevationem, conveniens esse judicabat, ut in eum finem aliquæ providerentur contributiones: Concluſit sermonem iterată Regi apprecatione cælestium in occupato throno benedictionum. Episcopus Plocensis, præmissa Majestatis veneratione, & solenni apprecatione, compellando comitia illa, comitia correctionis, in quibus tandem aliquando sub auspicijs Regiæ Majestatis, per generalem omnium Palatinatuum concordiam, ab onere infortuniorum relevabitur Respublica, animabat, ut, quicunque allisserunt ad diffidentiarum scopulos, eluctari niterentur ad promontorium bonæ spei, suppliceſque Regiam Majestatem deprecarentur. Ad Regiam se conformando instructionem, promovit deservitæ mercedis restitutionem exercitui, in ejus tamen auctionem non consentiens, revocato magni olim Senatoris Opalinscij, Palatini Posnanienſis exemplō, qui firmissimam oppositionem in auctione exercitūs fecit Uladislao IV. in eámque non consensit, totum robur in nobilitate cōsistere demonstrans: in auctione enim exercitūs timendum exemplum Julij Cæsaris, qui auctō exercitu, ab eo factus est Imperator. Hyberna omnino statuenda esse svadebat, propter cōercendam summam exercitūs licentiam, in extorquendis portionibus; solutis enim à Republica per Deputatos hybernis, obviabitur licentiæ, lachrymæque oppressionibus expressæ, ab oculis pauperum abstergentur, & militem, hactenus ab eo elongata, divina sequetur benedictio. Solutionem debiti Ducibus faciendam promovit; in alijs punctis generali se consensui Reipub. conformabat, constituendam monetam intimando, per adinventum modum ab hujus rei gnaris: fortificationem Cameneci summè esse probavit necessariam; cùm locus ille scutum sit totius Poloniæ, item renovationem fœderum cum aliis Principibus, præsertim cum Czaro Moscoviæ; velut summè necessariam propter Othomanicam potentiam, in his comitijs concludendam; providendóque sumptus Cōmissarijs ad tractatum de perpetua cum Moscho pace, judicavit, concludens sermonem consensu in reformationem, & coronationem Reginæ, ac innovatâ Regi apprecatione.

Episcopus Luceorienſis, sinè ulla laudatione Regis ordiendo sermonem, circa ortas diffidentias ardentissimè zelabat, conquerendo, eas hactenus eradicari de Republica non potuisse, cujus medelam, ut Rex in his comitijs efficaciter provideat à clementia incipiendum esse judicabat, per eam, restituendam esse unionem civium, & confidentiam affirmans. Quo ad alia puncta Regiæ propositionis, eosdem, quos in præteritis ruptis comitijs, promebat sensus, scilicet defensionem internam & externam in præsentia Ducum efficaciter provideri posse, deservitam mercedem exercitui solvi debere, cum moderatione tamen hybernorum, ut ea deputati solverent, non verò exercitus sibi acciperent, judicavit. Necessitatibus Regis esse succurrendum svadebat, cùm œconomiæ sint vastatæ. Debita Ducibus ut exsolvantur, similiter Gedanenſibus, vel, ut per legem approbentur. Item, ut correspondentia renovetur cum externis Principibus, principaliter verò cum

Czaro

Czaro, expeditâ ad eum legatione, habitis præ oculis periculis Ottomanicis, deinde cum Svecis; qui ipsi nos ad id stimulant, necessarium esse censuit. In materia monetaria, item in puncto reformationis & coronationis Reginæ, aliisque; idem sensit cum prioribus. *A. C. 1617*

Pro-Cancellarius regni, factâ Regi apprecatione faustorum omnium, descendit ad exaggerationem securitatis internæ & externæ, addens; securitatis internæ primaria esse arma, cum externis tranquillitatẽ, quæ efficaciûs non perficietur, quàm si ita tractentur comitia, quomodo concluſa est Mareschalci Nuntiorum electio: ut ergo consilia in his comitijs eò faciliùs in unum coalescerent, proponebat primò agendum esse de punctis propositionis Regiæ, deinde de instructionibus Palatinatuum, tum demum de instantijs & desiderijs privatorum. Qui verò rumpere tentaverit comitia, ut eum Majestas Regia proponat in universalibus Palatinatibus, ita puniendũ, quemadmodum Kordysz & Zabokrzycki à Palatinatu Kijovienſi, in quantum autem quispiam Nuntiorum in re justa protestatus fuerit; ut, etiam absente Principe, fueritne valida necne ejus protestatio, decidatur. Et quia Senatores juxta legem, de residentia, non residunt ad latus Regium, quam ob rem cum aliquot Senatoribus Regia Majestas debet concludere; ideo augendum esse numerum Senatorum ad residentiam, proposuit; qui verò ob ægritudinem pro residentia venire non posset, ut in locum sui alium substituat Senatorem. Ut autem Reipubl. omnia paterent consilia Regia, optabat, per legem ex equestri Ordine designandos binos de gentibus Deputatos, qui in aula Regis residerent. Approbatio pactorum cum Imperatore, quia Reipubl. est necessaria, ideo executioni mandandam esse insinuabat, uti & executionem per approbationem pactorum cum Electore Brandeburgico, solutionem stipendij exercitui, reparationem monetæ, & exorbitantias. Quia verò defensio ab externis incursionibus consistit in viribus ordinarijs exercitûs, ideo, in quantum hic exercitus à sua non destiterit pertinacia, ut Palatinatus eum numerum alterius è medio sui erigant, idem illi solvendo stipendium; Ducatus verò Litvaniæ 3tiam partem stipendiarij, vulgò Kwarciane, exercitûs sustentet. Ukraina, 600. pro mense Cosacos sistat, communis motus ut pro triennio constituatur, qui semper circa festum S. Joannis viritim in campo consistat, propter pacem internam & externam. Palatinatus Cracovienſis, quia ad defensionem publicam, selopetarios milites, (Raitaros vocant) apud se constituit, qui vel maximè vastare solent patriam, ut hastati militis in locum eorum vexilla erigat, hyberna, quia intolerabilem ruinam causare solent Reipub. ut ab hinc per Deputatos tam ex equestri, quàm ex Senatorio Ordine, designatos, repetantur, ad quæ, etiam spiritualia bona aliquantum contribuere possunt, pro hac vice: sicq; & exercitus suam habebit sustentationem, & Ducibus sumptus providebitur. Scilicet Supremo 60000. Campestri 40000. Notario campestri 15000. Quod attinet exercitum extero more militantem, huic portiones datas, inter stipendia computandas esse judicabat, ut fit in Germania, ubi, datô militi apparatu bellicô, nihil plus impenditur, nisi pro victu: Duces ut se juramento obstringant (exceptis modernis possessoribus) similiter totus exercitus; quòd scilicet; fideliter pro Rege & Republica pugnabo, fugam non dabo, nec mortem detrectabo, juxta militares articulos, qui ut singulis legantur trimestribus propter conservandam disciplinã; Ducésque singularum campaniarum, seu expeditionum dent rationem in scripto Reipublicæ, ad faciendam meritorum inter milites discernentiam. Pro solvendis militum stipendijs, relinquendas esse contributiones, sed aliô modô contribuendam esse quotam à subditis censebat. Ad reparationem monetæ, necessarium esse dixit, memoriale Imperatoris; addens è sensu suo geminan-

A.C.1670 minandum esse valorem solidorum, ut unus valore duorum currat; ad conservandam bonam monetam, adduxit exemplum Ludovici XIV Galliarum Regis, qui prohibitis omnibus materiarum & pannorum in regnum suum invectionibus, conductisque ad hæc paranda, omnis generis artificibus, tantum sibi coacervavit divitiarum, ut in centum & 4 millionibus Galliarū Rex suos proventus dederit per arendam. Palatinus Sendomirienſis post allocutionem Regis, defensionem necessariò providendam esse censebat, tractandámque per Deputatos ex convocatione à Ducibus facienda, siquidē Turca pro hyeme, varia in Valachiam & Moldaviam bellica expedit præparamenta. Tractatum cum Moschis perpetuæ pacis per mediationem externorum Principum esse concludendum; monetam, quia indies depauperat patriam, pristino valori restituendam, Rigenses solidos arcendos, pretia rerum imponenda, fortalitia Reipublicæ præsidijs munienda esse judicabat. In puncto reformationis & coronationis Reginæ, idem sensit cum alijs.

Legati externi ad aulam residentes sunt causa diffidentiarum.

Castellanus Vilnensis post amplum circa libertatem discursum, & laudes Majestatis, diffidentiarum causam devolvebat in Legatorum externorū residentiam; per quam semina discordiarum spargebant inter cives, cui obviando, ut ultra sex septimanarum spatium ad aulam non resideant; nec cum ullo habeant conferentias, nec cum eis Senatores correspondentias faciant, sub pœna capitis; cavendum omnino, & ad rotam Senatoriam addendum esse, innuebat. In consilio interveniens Legati contradictio, ut per Deputatos sopiatur; in casu verò ruptorum comitiorum, ut Legatus det suo Palatinatui rationem, quâ non datâ, ut in perpetuum vocis activitate privetur. Quo ad monetam, priùs audiendam esse svadebat informationem Thesaurariorum ex commissione, quæ eo nomine erat destinata. Secretariatus M. D. L. ut ad normam regni Polonlæ concedatur; rationes fiscales omnino necessarias esse, super quas, ut juramentum deponant Thesaurarij, se justè assignationibus satisfeciſſe; exercitus ut semper consistat in parte hostilitati obnoxia, eoq; hyberna illi referatur, securitatem internam & externam per correspondentiam cum externis Principibus statui posse, judicabat; & artileriam, cùm ad communem motum pertineat, omnino esse providendam. Quia verò ex ruptione comitiorum, non levia in Rempub. damna redundabant, omnes ruptionis cooperatores judicandos esse, censebat. In reformationem & coronationem Reginæ, consensum præbuit, defendens externos Spirituales, ut circa sua beneficia conserventur, nisi in futurum Rex aliter statuerit.

Palatinus Lublinensis orsus est sermonem à laudibus Regis, tanquam divinitus electi; Quia verò magna diffidentiarum, & quorundam molimium causa dicebatur esse matrimonium Regis, eo, quod putaretur esse inconsultis ordinibus, id omnino negabat ita esse, interpellando fidem & testimonium Procancellarij; Et quia quædam hujusmodi personæ vocatæ sunt mandatis ad comitia cum libera sit cuiq; accusatio, qua stante, si nihil contra eos probatum fuerit, clementiâ Regis absolventur; sin secus, procedatur juxta rigorem justitiæ. In residentiam Legatorum externorum ultra sex septimanarum spatium non consentiebat. In ruptione Comitiorum, modū in instructione Regia specificatum, non adeo probabat, satiusq; alium in præsenti communi motu adinveniendum censebat. In ordine ad solutionem exercitui faciendam, tribunal Radomense instituendum, de debito, quod exercitus externo more militans habet apud Rempubl: tractandum cum eo; exemplo an: 1649 vexillis exauthoratis detentum stipendium, ex æquo solvendum esse censebat prævia defalcatione injuriarum, in Palatinatibus judicandarum. In

ordi-

ordine ad ſolvendum ſtipendium exercitui, valebit cenſus generalis po- *A.C.1670*
tibus venalibus, non tantùm ex civitatibus, verùm etiam ex omni ſtatu generatim contribuendus per ſolidum ab olla cereviſiæ: His propoſitis ſermoni fidem fecit.

COPIA LITERARUM AD DOMINUM BARONEM DE SCHWERIN.

Accepi nuper literas à Sereniſſimo Electore Brandeburgico, quibus Sua Serenitas erroris commonet Cancellariam Regni ob non adſcriptos titulos Ducatus Caminenſis; Fratris Domini in Lemburg, & Bitau, mihiq; iſto prætextu binam epiſtolam Regiam intactis ſigillis remiſit. Libenter egomet pro obſervantia mea reſponderem Suæ Serenitati, ſed cum ſubverear ne iterum mihi non lecta epiſtola remittatur, paucis hâc conſultaRegiâ Mte, D. meo clement: deq; ejus expreſſâ voluntate ad illuſtritatem V. referibo. De Caminenſi Ducatu nulla eſt nobis difficultas. Nam juxta vetus verbum, quæ extra nos, nihil ad nos. facile tamen omiſſus hicce titulus excuſari poteſt, cum anterioribus temporibus uſurpatus non fuerit, neq; Pactis Bidgoſtienſibus & Olivenibus contineatur, appellationem Fratris à Seren: Rege noſtro ſolis tantùm coronatis capitibus concedi ſolitam Regia Mtas honori, & amori, quo Seren: Electoré proſequitur, benevolè attribuit. Tituli Domini in Lemburg & Bitau, graves, & juſtæ cauſæ ſunt, quæ retardant. Vertitur eo titulo jus, non Regium duntaxat, ſed Reipubl: cùm permiſſo licet utill Dominio Seren: Electori, ſupremum, & perpetuum jus Poloniæ retineat, neque magiſtratarum Dinaſtiarum titulus in initis pactis contineatur, neq; aliter hæc inſcriptio tituli jus perpetuum involventis, niſi conſenſu, & authoritate comitiali omnium ordinum determinari debeat. Cæterum exiſtimem id ſufficere, ad ſatisfactionem Seren: Electoris, ut inſcriptio Domini in Lemburg & Bitau literis Electoralibus ſinuper cœpta conniveatur à S. R. Mte, non tamen eundem titulum Sua Mtas præſcribere iit obligata. Quibus de cauſis liceat Cancellariæ meæ ſalvâ gratiâ Suæ Serenitatis titulum iſtum, in quo jus Regis & Reip: vertitur, Seren: Electori non adſcribere. Cui Serenitati alijs in rebus quatenus Patriæ meæ nihil præjudicetur, fidum affectum, & venerationem meam profiteor. His ita expoſitis mandatum inſuper mihi eſt, ut amicè ſcribere ad Illuſtritatem Veſtram non æquo jure, imò contra jus fieri, quod trajectum Noveriſem, & Minſtervaldenſem Ducalis Pruſſiæ ſibi uſurpare non vereatur, id verò certum eſt maximo S. R. Mtis, & Terrarum Pruſſiæ, totiusq; Regni Polonlæ præjudicio attentari, prout iteratò ſtatus, & ordines terrarum Pruſſiæ legatione publicâ ex conventu generali Graudentinenſi nuperrimè conqueſti ſunt, nihil æquiùs, quàm ut Sua Serenitas Electoralis pro obſervantia bonæ vicinitatis talia innovari prohibeat, neq; eorum conſilio aurem præbeat, qui nimio complacendi ſtudio, & ne nihil agere videantur, ejuſmodi novitatum ſunt inventores. Ad extremum præterire non poſſum cupere S. R. Mtem, ut Excellentiſſimus D. Oberbek Legatus Electoralis ab aula Polona revocetur, promittente Regiâ Mte, ſequemcunq; alium nomine Seren: Electoris venturum pergratè accepturum. Tranſcripta epiſtolarum Reglarum de quibus altè memoravi, ut innoteſcat, quid in illis contentum fuerit hiſce annecto. Commendo me interim bonæ amicitiæ & favori Illuſtritatis Veſtræ.

Cur non detur titulus Domini in Lemburg & Bitau.

Novi Trajectus.

COPIA

A.C.1670

COPIA LITERARUM AD BEATISSIMUM A SERENISSIMO RATIONE IMMINENTIS AB ORIENTE BELLI.

POst tot fatales Reipub: afflictæ jactationes, & tam uberem Poloni sanguinis, malorumq; cataclysmum, ac civilium ossium aggeribus, cumulata busta, optata pacis tempora Regno nostro pollicebamur, cùm ex improviso oriens ab Oriente turbo novas spes novis difflat timoribus, dum ille vetustissimus orbis terrarum Archipyrata, cò metuendus omnibus, quòd neminem metuat, jam Regno nostro non solùm per Fecialem suum, atrox & sævum bellum proximo vere denuntiavit, verùm etiam ruptis fœderibus jurejurando sanctis, immiserit jam in Regnum nostrum, numerosissimas prædonum phalanges, imò plùs quàm 80000 militum cum Vradin Bassa Sultano, qui sociatis, cum Doroszenko Duce Rebellium Cosacorum viribus, Vkrainam, & alias Regno nostro adnexas Provincias ferro, & igne depopulatur, furunt audaciâ, ferrum flammamq; minitantur. Insultant Civibus ferro ad jugulum, & spoliatos auctoritate, bonis, & caris pignoribus, in mortem deposcunt. Captis oppidis, arcibusq; dirutis, nihil in Patrio solo, nisi vasta rudera, altisq; cineribus consepulta cadavera, & fumantium domorum tristes ex tanta fortuna reliquias inspectantur, ac, quemadmodum Leo post devoratam victimam, hærentem adhuc in rictibus cruorem lambit. Adsunt tot nuntij, certiores nos faciunt, tot vicos exustos, pagos euersos, urbes dirutas, oppida desolata, arces captas, templa profanata, omnia jura Diuina, humanaq; uiolata, omne fas & æquum depressum, omnium saluti imminet hostilis mucro, nihil in populo nisi metus sanguinis, ac cædium expectatio obuersatur. Ipse uerò belluo Christiani cruoris, numero bellatorum tumidus, reportatâ Candiæ victoriâ superbus, Martem spirat, ut non amplissimis Asiæ, & Africæ finibus contentus esse uelit, sed cum ingentibus copiis, & numerosissimo exercitu, uario bellico apparatu, ad interiora Europæ per Poloniam festinat, pontes per varia flumina ædificat, transitus omnes viarum apparat, ad nihil jam, quàm ad cædes, & rapinas intentus. Ut igitur posita in extremis natura colligit vires in ultimum conatum omnes, spirituſq; animales, & quidquid vividi sanguinis residuum est, mittit in Regionem cordis, prohibendo fortiùs hosti, qui in mortem instat; ita nos quidquid mediorum, consiliorum, possibilitatis demum omnis in regnis nostris adinvenire poterimus, totum id avertendo huic atrocissimo bello, sub cujus pondere gemeret Polonia, & in ea Christianus orbis, solicitè impendemus, & novos eventus novis reparantes consiliis, nihil intentatum relinquemus, quo minus Regna à DEo tradita, & amplas has Provincias omni meliori modo conservare valeamus. Ac cùm nihil profici patientiâ uidemus, nisi, ut tanquam facilè tolerantibus, duriora imperentur, DEo Duce, auspice fortunâ, Sanctitatis V. assistrice benedictione, sub cujus auspiciis domuimus jam potio-

tiorem Vkraina partem, ſanguinem, uitam, omneſq; indefeſſos Regi- A.C.1670
os conatus, pro Religione, & integritate Regni mei impendere, & periclitantibus, afflictisq; Provinciis opem ferre paratus ſum, non laboris, non uitæ, pro meis parcus. Tot injuriis laceſſitus, ſtatim ac uerna reſolutio ſubſequetur, cum meis exercitibus, non ignarus, uirtutem, non numerum præſtare triumphos, ibo ad tutandos limites Regni, quod ſemper fuit antemurale totius Chriſtianitatis. Erit ſtratis uia per lauros, dabit mihi uiam in ultionem, qui dedit imperij jus, DEus. Neq; diutiùs expectabo, ut hoſtes præparati imparatos inuadant, prouidi improuidos opprimant, armati inermes jugulent. Sed quoniam contra communem & hæreditarium totius Chriſtianitatis hoſtem, communibus armis bellandum eſt, idcirco nos decreuimus id remedium adhibere, quod in ſimili rerum diſcrimine non ſemel peperit incolumitatem orbi Chriſtiano, ſcilicet ab omnibus Principibus ſuppetias efflagitare, & præcipuè enixis precibus Paternitatem V. exorare, ut piis ſupplicationibus leniat iram DEi, furore ſuo terram arguentis & hæc tonitrua ultionis omnipotentis, quæ uniuerſam exterrent Europam, & concutiunt fundamenta orbis terrarum, procul à Regno noſtro avertat, calamitatibus tot annorum, in quibus nemo noſtrum impunè vixit, imponat modum. Tum quò luculentiùs paternum affectum teſtari poterit, ſubſidio charitativo quantociùs, ſummum enim periculum in mora, opem ferre afflictis Eccleſiæ, & Poloniæ rebus nõ dedignetur. Optimè præſaga ſpes Patriæ ominatur, & gentilitia illa Sanctitatis V, qua Eccleſiæ cœlo prælucent ſydera, diuturnam turbido Patriæ noſtræ polo augurantur ſerenitatem.

Supplicat igitur devota ſemper Polonia Apoſtolicæ Sedi, quam Sanctitas Vra per tot annos præſentiâ ſuâ beavit, ut illam bello tam cruento, longo, periculoſo, ſeſe accingentem, validis auxiliis propugnare non gravetur. Moveant continui luctus, & querimoniæ tot populorum, moveat ipſa Eccleſia, quæ tendit manus pro Religione, aris Juis. Non ſolùm enim iſtis Provinciis meditatur excidium, ſed totius Europæ imperia, audaci ſpe devorat, ita ut & ipſa Italia, quamvis mari, alpibuſq; ſepta hujus hoſtis ferociam non vanè reformidare cogatur. Qui, dum non ita pridem ſubjugatos populos miſerrimè divexat, oppida aut defenſa expugnat, aut relicta ſuis inſidet præſidiis, aut pagos incendit, ad viſcera Europæ viam ſternit. Quis ſponſor, ut hæc fulmina, quæ in Regno noſtro detonant, Italiam minimè attingant? Age Beatiſſime orbis Pater, virtute ſanctiſſimus; antequam titulo; orbos omnes ne derelinquas. Paternâ benedictione, precibus, largitione, filium in hoſtes fidei ruentem anima, tutare, ſuccurre. Agnovi jam multoties erga me affectum Sanctitatis Veſtræ; non agam hic verbis, qui malim redamare agendo. Nunc finem ponam, non ante tamen, quàm DEum optimum, qui potens eſt in prælio, oravero, ut afflictos populos novarum victoriarum proſperitate ſoletur & ſalvum eſſe velit Eccleſiæ caput, Filio Patrem, cui ſum ex cordis intimo.

MEMO-

A.C.1670

MEMORIALE ABLEGATI SERENISSIMI REGIS ANGLIÆ.

POſt titulos. Sereniſſ. Mtis Domini mei Clementiſſimi mandatis gratulatione factâ, purâ adeo & ſincerâ, ut niſi rerum ſuarũ omnium ſtatuum florentiſſimum, ditionúmque tranquillitatem nihil exoptet, vel reſpiciat, flagrantes ſuos affectus, ſtudiúmque pro orbis Chriſtiani pace, & quiete Sacræ R. M. exhibere juſſus ſum, quô honeſtô deſideriô adeo animatus eſt Dominus meus, ut vicinos ſuos ſuis conſilijs protegere non contentus, illorum conatibus, qui quaſi cuniculos agendo, paci communi inhiant, imminéntque, obviam ire cuperet, ac deſtinaret. Cogitanti ergo ſæpè numero Dominô meô, quo auſpicatiſſima Veſtra electio (Divino favori adjudicandum) cohoneſtaretur, quo Polonia diu afflicta reſipiſcat, omniúmque illorum machinationes, qui illã in altum referre cuperent, defugiat, & eludat; optimè illi viſum eſt Sacræ R. M. pro intimo affectu ſuo ſvadere, & ad quorumcunque hoſtium minas reprimendas, & ad quorumdam pervicacem obſtinationem (qui ſuâ libidine peragere voluerint) imminuendam, & refringendam, cum Principe aliquo potentiore ſibi vicino, arctum quoddam fœdus, & amicitiam inire cogitavit, quæ cum nullo alio efficacior, & validior eſſe poterit, quàm cum Srmo Rege Sveciæ, quod commoda vicinia, juſtæ copiæ, populus bellicoſus, & bellipotens ijsdem rudimentis, & moribus imbutus (eóque facile in commune bonum conſpiraturus) efficere poterit, de tali fœdere præſumendum. Quod & Sereniſſimæ V. M. optatâ electione (modò attendant homines) Deus Opt. Max. innuere videretur, quippe hoc ipſo prætextûs omnis, ſimultatúmque omnium præciſâ anſâ, quid non ambarum coronarum amicitia æquis conditionibus reſurgat? antiqvum obtineat Sacræ R. M. hujuſmodi fœdus, ad utilitatis normam ſeriò perpendenti commoda quàm plurima occurrent, ſeſe in lucem offerent. Quod juſtus exercitus gravi pecuniâ conſcriptus efficere poterit; huic ſocietati eadem vis inerit, idem hoſtium timor, eadem amicorum reverentia ſubſecutura eſt, qui homines cum Srma Veſt. Majeſt. impræſentiarum captiosè, & perplexè res peragunt, apud quos pactum, non pactum eſt, non pactum, pactum eſt, quod illis lubet, non videntur æquiore jure diſceptare, pretióque viliori pacem & inducias indicare? cùm Majeſtatem Veſtram tali ſubſidiô, tali neceſſitudine munitam viderint, quam penes eſt res illorum faciles, quovis tempore difficillimas redigere, & peſſundare, non bonorum veſtrorum patrimonialium reſtitutione integrâ, ut in has partes ipſi tranſeant, licitaturi ſint, nec vilis pretij auctoritas infinitis hujus tractatûs incommodis accedet Clementiſſimi mei Domini, illã innuo apud Turcas plurimùm pollentem, poterunt etiam fœdus hoc in altius extollere, fructuoſa quædam commercia, eis ultra reſtituenda, opulentiam, divitiáſque paratura, quæ, aliáque multa ex Sereniſſimi Dni. mei mandatis prælibare contentus, acriori Sacræ R. Mtis, & Reipub. hujus judicio penſitanda relinquo, ſolùm petiturus, ut Procerum veſtrorum aliquibus detur provincia, mecum de hiſce rebus fuſiùs colloquendi. *Petrus Wyche.*

RESPONSUM GENEROSO D. PETRO WYCHE SEREN: REGIS ANGLIÆ ABLEGATO EXTRAORDINARIO, NOMINE SEREN: REGIS POLONIÆ EX CANCELLARIA REGNI datum 29. April.

AGnoſcit Sereniſſ. Rex Poloniæ Sereniſſimi Regis Angliæ erga ſe, & Rempublicam Polonam benevolum animum, quòd delati ſuæ Mtati Polonici ſceptri, & novi Principatûs auſpicia, & proſpera, & omnibus incre-

incrementis indies auctiora eveniant, per Generosum Ablegatum suum extraordinarium intimâ gratulatione prosequatur. Equidem ea semper Majorum Regiæ Majestatis cum Regibus Poloniæ amicitia, & necessitudo viguit, ut adversis etiam rebus huic regno imminentibus, non secùs atq; propriis commoverentur, prout datum est insigne benevolentiæ argumentum, à glorioſissimo Avo suæ Mttis, dum gravi & ancipiti Ottomanico ingruente bello, validum militiæ Anglicanæ subsidium, periclitanti tunc Poloniæ, amicè & libenter submisit. Hoc idem studium, & propensissimam voluntatem erga Regiam Mttem. regnúmque Poloniæ, pro orbis Christiani pace & quiete, cum nomine Regiæ Majestatis Angliæ Generosus D. Ablegatus exhibuerit, & voce ac scriptô contestatus fuerit, plurimum exinde lætum se, & devinctum Serenissimus Rex Poloniæ profitetur, parémq; affectûs, officiorum, & fraternæ benevolentiæ vicem conservare, & omni occasione curabit rependere. Quod attinet Seren: Regem, regnúmq; inclytum Sveciæ, existimat Seren: Rex Poloniæ nullum prætextum, vel ansam simultatum inter utrosq; Reges, & regna existere posse, sed post dissidia, & bella feliciter pacto Oliven. sopita ad firmam, & sinceram ambarum coronarum amicitiam coaluisse, ut de ejus integritate, & perpetua firmitate ad invicem nullatenus dubitetur. Experietur semper Svecia, ea amicitiæ documenta, qualia vicissim Poloni à Svecis certâ fiduciâ sperant expectantque. *A.C.1670*

Quod si arctioribus etiam nexibus insinuatam pridem, atque nunc Poloniæ inter, & Sveciæ Reges, & regna conjunctionem coalescere, vel magis, magísque corroborari, è re, & commodo utriusque partis videatur, non alieno erit animo Seren: Rex, & Respublica Poloniæ a talibus consilijs pro felici & florenti statu vicinorum regnorum, modò rei istius evidens necessitas, vel utilitas ostendatur, ac rationes statui Poloniæ accommodatæ universis regni Ordinibus exponantur. Compositâ enim nuperrimè Poloniam inter & Moschoviam, temporali pace, non est, quòd jam consilia aliqua agitentur, quibus tutiores nos ab illa parte præstemus, cùm fœderum Andresuvien. Religioni, juramentis iterùm firmatæ, satis confidamus omnémque belli resuscitandi occasionem refugiendam, existimemus.

Cæterum prout Regia Mtas Poloniæ propositionem per Generosum Dominum Ablegatum Regiæ Mtis Angliæ gratissimè admisit, ita ulteriorem negotij, ex mutuo commodo tractationem, ad meliorem temporis, & occasionum opportunitatem, atque ad omnium Ordinum Poloniæ in comitijs generalibus congregandorum deliberationem, & consensum differt, & reservat.

Hisce Generosô D. Ablegato extraordinario responsis, eidem Regiam suam benevolentiam S. R. Mtas Poloniæ benignissimè confirmat. &c.

XXIII.

ANDREAS CHRYSOSTOMUS ZALUSKI JOANNI OTREBOSZ. Lovaniô 12. Aprilis.

De actis in Comitijs.

NIhil mihi justæ excusationis relictum esset, si quod tu postulas, id ego non præstarem, cum facile possum! Sequar brevi istas literas, nam itineri me cum fratre meo accingo, Parisiisque mense proximo me compariturum cum gratia DEi spero. Interim quæ ex Polonia habeo, libens præmitto.

Post rupta Comitia Coronationis, post absolutas cum magnis solennitatibus, & pompis Częstochoviæ Regis Michaëlis cum Archiducissa Eleonora ab Imperatrice matre illuc conducta & celebratas nuptias, re-

A.C.1670 dijt Rex diſpoſitis per viam equis Varſaviam ipſo pervigilio Comitiorum, quæ 5. Martij inceperunt, non infelici omine, nam intra biduum hoc eſt 7. Martij Director electus eſt Kierdejus Mareſchalcus Grodnenſis.

Rex ſponſam (mater & ſoror Viennam Częſtochoviâ reverſæ ſunt) per longam plateam novæ Civitatis, dein tranſvectus urbem, & triumphales actus inſigni pompâ inter populi plauſus in Palatium duxit. In Eccleſiam S. Joannis parum diverterat, ubi in limine templi ab Epiſcopo, & Capitulo ſalutata hymno *Te DEum laudamus* abſoluto, Nuntij Apoſtolici orc accepit benedictionem.

In craſtino ſalutavit Mareſchalcus Nuntiorum Regem, & poſtquam ad Stubam rediit, multæ contentiones inceperunt de variis materiis, illud tamen concluſum ut nulli tribunitiâ poteſtate inſtructo rumpere Comitia liceret, niſi iſtis ſupremis diebus, in quibus Equeſter Ordo ex neceſſitate legum in Senatu comparens, plenam Reipub: faciem reddere conſuevit. Proteſtans interim omnes materias permiſſivè tractari concederet, vel ſi nullis rationibus cedere vellet, univerſi cum ipſo Nuntij ſurſum id eſt ad Principem Senatumq; procederent, ac ibi demum ſiita neceſſitas ſuaderet, ſuo ingenio uteretur. Supra quod univerſi aſſurgentes Nuntij tacto pectore neſciam conſtringi obligarunt fidem, non convellendorum Comitiorum, at ſi publica ita neceſſitas fataq: ferrent, ut quis In eum auſum diſcingeret conſcientiam, non in conclavi Nuntiorum, ſed in Senatu eâ temeritate uteretur, daretúrque ſpatium Reipublicæ, fatali periculo obviam eundi, cùm meliùs eſſet, ut pereat unus, quàm unitas, quàmvis ſciamus, quòd ſimilia ſæpe promittuntur, ſemper omittuntur. Quod non vî perpetuæ legis, ſed ordinatione conſenſûs Nuntiorum ſtatuebatur, quippe nondum præmiſſis comitiorũ præliminaribus non potuit lex formari. Cunctando etiã ſeneſcunt conſilia.

Poſt auditam propoſitionem à throno, à Pro-Cancellario factam fortiter inſtiterunt Nuntij, ut ablegarentur omnes Miniſtri Extranei, ſed reſponſum Principis primò favorabile, mox non quod eſt poteſtatis, ſed ne quidẽ æquitatis faciendum aſſerens, & in Regales ſpiritus deſinẽs non omnium favorem invenit, ideóque ad atrium libertatis redierunt.

De diſtributione vacantiarum ante vota Senatoria diu diſputatũ, exules multum difficultatis attulerunt contra Mareſchalcum ſupremũ, quòd inſciâ Republicâ ſupplementum exercitui quæſiverat, invecto eſt Capitancus Oſwicimenſis, ſed injuriosè dicta cum incorrupta tanti hærois fama malè congruebant. Inſinuavit Rex per Palatinum Lublinenſem Nuntijs, qui urgentiſſimè nomine Majeſtatis ſuæ petiit, ut attendant præſentia, maliſque imminentibus proſpiciant, quamdiu in manu noſtra medela eſt, & ut communi conſenſu Deputatis ad inſtructionem Coſacorum ſubſcribendi daretur facultas, nam certa expectantur, dubia metuuntur, nec debemus credere, quòd multa, quæ prævideri non poſſunt, fortuitò felicìter cadant, cùm ſciamus ipſos rebelles ſerò præcavere, niſi commiſſio maturaretur, poſtquam paſcua equis ſuffecerint, expedita fore ad bellum plebis arma, ubi nullum jam tempus tractandis negotijs ſibi eſſe conceſſum. Memorabat etiam commiſſionem eum Moſchis in lubricо ſitam eſſe, & penitus abrumpendam pacem, ſi hæc comitia (quod abſit) diſturbarentur. Verùm è diverſo certis Nuntijs conſtare ſibi famam, felicìter ceſſuros tractatus, ſi fortunatô exitu publica regni conſilia inſignirentur. Reddebátque Mareſchalco literas à Commiſſarijs, quibus arcana commiſſionis continebantur, petebátq;, ut ea ſemotis arbitris vulgarentur. Rei quóque monetariæ negotiũ mo-

rum

ram cùm pati non posſit, poſtulare Principem, & in Deputatos conſen- *A. C. 1670.*
tire dignarentur. Cùm ad hoc negotium vocati vicinorum Principum Ablegati, ut Regis Sveciæ, aliorumque Principum, tum Civitatum ad jus cudendæ monetæ pertinentium, Secretarij, cæteriſque rei monetariæ periti, tædioſâ morâ conficiantur, De legato Regis Angliæ differuit: ne fœdus cum eo, & amicitiæ profuturus uſus negligeretur, qui amicitiâ noſtram inter ſe Regemque Sveciæ ſtabili nixu firmaturus veniſſet adverſus Moſchum, & quoſcunquè Reipub: hoſtes promiſſis auxiliis ad ſpem fortunæ prioris erigendo. Id ne ſuſpectum ſit Regni Ordinibus flagitare Principem, ut Deputatos ad ſenatum ex ſuo Collegio aſſignare velit qui audientiæ ejus intereſſent, cùm nulli Regum Poloniæ tanta felicitas eſt, ut abſque ordinum conſenſu quantum poſſit, velit, nulli ea magnitudo ut quantum velit, poſſit.

Iisdem diebus certâ famâ lætus in vulgo rumor venit Moſchovitica Pacta feliciter concluſa eſſe, & jurejurando Commiſſariorum utrinq; firmata, cum reaſſumptione Tractatuum Andreſzovienſium 1667mo initorum. Interim tamen non jam ambitus verborum ſvetus, & inanis labor circa publica negotia controvertentium, ſed infenſæ voces civilium turbarum flagitia ſibi objicientium, aut retorquentium inhoneſta certamina, quantò plura erumpebant, tantò manifeſtiori dedecore inſolitâ licentiâ libertatis ſacrarium polluebant, ita quippè illis placuiſſe perpetua ſervitus, diſplicuiſſe perpetuum diſcrimen, nec finem turpi dedecori pudor afferebat, donec melioruin monitu, precibuſque dirempti ſunt, ſvadente Xieſcio, qui differuit ut, ſi fieri poteſt, cum omnibus hominibus pacem haberemus, præcipuè autem ad invicem, utque ob imminentem Reſurrectionis ſolennitatem Mareſchalcus Equeſtris Ordinis publica conſilia limitaret, interim verò cũ Principe ageret, ut legato Cæſareæ Mtis, quamvis inter dicatos ſacris dies audientia concederetur, ne quidquam obvium eſſe, quod favorabilem Principis declarationem circa Ablegationem Reſidentium Externorum Principum moraretur, qui affectu Regis, & ejus conſtantiâ prave utuntur perdendis nobis.

Tanslatæ ergo Comitiorum ſeſſiones poſt Paſcha, quibus abſolutis venêre Nuntij ad excipienda vota ſenatûs, in quibus omnes optabant, ut abſentem tunc Primatem cum univerſa malcontentorum cohorte Rex invitaret, quanquam Dębicius contradicebat, allegavitque illud: quòd Frontinius Conſul in Nervam nimis indulgentem acutè dixerat. Malũ quidem eſt Principem habere, ſub quo nihil liceat, ſed longè pejus eſt, ſub quo omnia omnibus licent.

Procancellarius præmiſsâ acerbâ querelâ, tanquam malè obltæ legationis in aula Imperatoris adverſo rumore populum per ſecretas inimicorum informationes inculparetur, ſi mordeat ſerpens in ſilentio nihil eo minus habet, qui occultè detrahit, nolens præterire veritatem, ſed ponere deſiderans in luce innocentiam ſuam, neq; cum invidia tabeſcente iter habere, poſtquam illud ore ſuo allegaſſet: Si tibi apertè conſcius es eorum, quæ objiciuntur, reſipiſce, ſi non es, deſpice, imò non ſolùm deride, ac neglige, verùm etiam gaude atq; exulta juxta DEi ſermonem, qui nos ita jubet: Si exprobraverint vobis, & dixerint omne malum verbum adverſus vos mentientes, gaudete & exultate, quia merces veſtra copioſa eſt in cœlis, ejus rei facilis eſt probatio, quæ oculis conſpici poteſt, inſtructionem igitur à Mte datam, contractuſq; nuptiales, Miniſtro ſuo altâ voce publicare mandavit, & ita non improborum probra æquè ut præconia bonorum immortalia manſerunt, nam illas exe-

A.C.1670 crabiles opiniones, quas pessimi de innocentia ejus finxerunt, & qui fingentibus crediderunt, sermone suo diluit, & postquam satisfeciſſe sufficienti apologia objectis videbatur, prolixe de provisione præteriti Principis, & cum tanto sisserit affectu, ut eo voto si quis ignarus esset, verum Regis Ministrum loqui merito intelligeret.

Dum dies quinquedialis, quo Nuntios miscerī senatui mos lege subnixus obtinuit, pari cum Proceribus usurpata dicendi efficacia de negotiis ad Rempub: pertinentibus. Unde multis occasio controversiæ iturus se sursum, spretâ vel elusâ lege, veteriq; Majorum instituto, non cum parata re, nullo denique concluso negotio, cum tamen lex 33tij nullas materias tractari in senatu permittat, nisi quæ in conclavi Nuntiorum communi consensu definitæ fuissent, ne dicatur, quod vocatum est ab Angelo priusquam conciperetur; sed Succamerarius Calisiensis prorupit: Practicatum jam esse turbulentis Reipub: temporibus, ut Equestris Ordo cum rasa charta in senatu comparere necesse habuerit, lectis nihilominus in suo conclavi instructionum articulis, neq; amplius cæteris eadem puncta repetentibus, quæ jam ab uno lecta fuissent, paulatimq; à melioribus flectebantur in consensum eundi ad senatum, cum novis animorum motibus (ita audacius machinantur plura, quibus cum plura dissimulantur. Indulta primo malo actui venia, secundi est occasio) occasionem movit Galiorowscius Capitaneus Radziejovienſis, magna & atrocia se promere destinasse, evulgatam nimirum per projectum Anonymi authoris malevolorum adversus Principem & salutem Reipubl: conjurationem, ubi tanto odio Principis ardentes videntur, ut obliti sui perire potius, quàm non perdere eum, præoptent, quasi verò illorū libertas, servitus nostra esse deberet. Quo audito aliis, ex dolore metu cæteris, qui sibi, & non Patriæ bona quærunt, ex gaudio stupor injicitur. Scriptum verò hoc per Collegam suum Rudzynscium in sacris ædibus Inventum esse; Urgebatq; magno impetu, ut publicè à Maresohalco legeretur, & author ad normam illius, satyram ego nuper scripsi, & illa me proscripsit, inquirendus. Hæc sententia multorum vocibus acriter excepta est, arguentibus plerisq; hujus projectûs originem ex malevolentiæ ingenio emanasse, & in odium magnorum civium perniciosum adinventum esse commentum. Plures non spernenda esse contendebant, posse verum scelus Reipub: patere, modò publico legis præsidio authori securitas muniretur. Verùm judex Sendomirienſis displicere sibi oblatum medium contrariâ sententiâ professus est, nullum habemus certum hujus rei authorem, præter rumorem, quis potest hominibus vetare, falsa aliis affingere. Securitatem authori, qui ipse sibi est gravior tenebris, formatæ legis beneficio dari non posse, cum sit Anonymus. Nam quodsi concessâ, & firmatâ securitate non compareret; eo ipso inculpati gravissimorum facinorum, injurlâ & infamiâ, antequam rei, velut convicti afficerentur, ac fortè arriperent media, quæ nunquam contra Principem meditati fuissent ex civili bello vindicias honori suo, & læsæ famæ petituri, cùm satis manifestè adverti potest illos, & prosequi quod intendunt, & oppressione prorsus immiscere, nos autem non verbis, aut minis terreamur, sed eâ animi constantiâ, quâ majores nostri, malecontentorum superbiæ resistamus contra serpentis insidias, ac impetus nos conformemus; caligantibus veritatis fulgore luminibus, qui stabilem gressum tenere non possunt, revolvuntur in planum. Verbalem nihilominus securitatem libenter se oblaturos, idq; ut majori specie haberetur, postquam senatui jungerentur, per publicam declarationem obtineri posse.

Tan-

Tandem die, quæ debebat esse comitiorum ultima, junctus cum Rege, & Senatu equester Ordo, inprimis ad prolongationem procedere debuit, quæ non sinè difficultate ad triduum evicta, salvô nihilominus regressu ad tubam Nuntiorum, quam sibi præcaverunt, & à qua nullis persvasionibus retrahi potuere, ita ut Rex ore Procancellarii declarare debuerit, non se abnuere liberam omnibus futuram facultatem de regressus ad atrium libertatis utilitate, vel necessitate deliberandi. Sequenti die auditus est insigni clementiâ Principis temperatus sermo, reddendo omnium rationem, ne quid remaneret erroris, dataque favorabilis admodum declaratio de Ablegatis. Nimirum ad eam Regis animum paratum esse facilitatem, ut si nunc quoque ad recipiendas Ablegatorum rationes è medio sui deputaverint, proscriptâ dilatione eos Principem relegaturum. In cæteris quoque deliderijs pari Regem Equestri Ordini non defuturum benevolentiâ, nihil magis, quàm ut videant regimen ejus bene ac innocenter actum, allegando insuper, quòd si quis Alexandrum eò fortunatum putat, quòd ei prospere successerint omnia, is illud reputet, eum agendo, laborando, audendo, desistendo fuisse fortunatum; mitigari insigni Principis popularitate universorum animi potuere, si in tempore diffidentiæ morbo medela contigisset, desperatâ salute remedij usus, postquam abijt juvandi opportunitas, in ludibrium vertebatur, cùm præcipuè, quia eorum non incurrit in mores, incurrit in odia. Ante omnia tamen legi cœptum est Senatus consultum matrimoniale, in quo præter sententiam Rndmi Primatis, Palatini Pomeraniæ, supremi Regni Cancellarij, omnes in domo Cæsaris ivasere connubium, solus Brannicius Curiæ Principis Mareschalcus, in modo temporis, cujus angustiam ambitiosis verbis incusavit, visus est non bene convenire. M. D. Lit. Senatus Consulta prono in regnantem obsequio ferebãtur. In materia demum Moschovitcorum, ac Casaticorum Tractatuum Senatus consulta expedita sunt. Nondum vox legentis defecerat, cum Zabokryccius Pincerna Palatinatûs Braclavienſis raptâ voce à Mareschalco regressum ad atrium libertatis juxta declarationem à throno Principis factã urgebat, suumque directorem discedens ex Senatu comitem secum postulabat. Magno demum Senatorum negotio, & validis persvasionibus retractus, cæteris initium certandi de regressûs necessitate præbuit, multorumque ob feroclam mentis exasperatus sententijs discessum parabat, nisi rursum Episcopi Kyovienſis precibus cohibitus fuisset, ac tandem ad Principem vocatus pervicaci ratione tutatus necessitatem regressus, neque mitigatus, erumpere à curia parabat. *Thomaszjeski.*

In crastino inchoato consessu Senatûs ob absentiam pr[illegible]antis invalidis consilijs, passiva voce dicebantur sententiæ. Donec [illegible]ceps convocato ad Thronum Senatu necessitati indulgendum ratus, deputavit ad Zabokryccium in sacrario libertatis commorantem, qui illum monerent, quòd illa tecta, illosque sacros parietes, qui quondam Majorum modestiæ virtutisque testes fuerant, prostitutæ licentiæ & privatis studijs obtentui sumeret. Secutus exemplum Mareschalcus Equestris Ordinis, binos ex singulis gentibus deputatis Senatoribus sociavit, sic enim vovebant, etiam sperabant ex suo ad Senatum adventu omne prospere cessurum. Functi officio Deputati, Castellanus Posnanienſis, quo nemo plus ingenio suo imperat, nemo plus Indulget, sed desiderium cunctorum pertinaciæ ejus debuit cedere, cùm preces Reipub: nec in aures, minus in animum admissiset, ad fortunam publicam obstruxisset aditus omnes, & obsepsisset vias, publicâ lætus infelicitate, uti legati in senatu immobilem protestantis animum declarunt, attamen exspectarurum in atrio libertatis ad occasum solis, si Equestri Ordini regressus placuisset, posse præsenti comitiorum periculo ad- *Christopho-rogrzymal-owski.*

A.C. 1670 huc subvenîri. Ingens ad ea strepitus, & erumpentes voces audiebantur; arma communis motûs infesto fremitu vocantium, id naturam ad justam omnibus defensionem præsidium providisse. Datâ quiete Judex Sendomirienſis, lenibus medijs sedanda potius, quam violentis acceleranda esse in Rempub: maia disseruit, nam quæ utilitas raptorum temere armorum sequeretur aut quæ vires tumultuariè ad communem motum convocatæ Nobilitatis? quod si enim præsentia evanuerint Comitia, quandoquidem licitum esset unicuique comparere, vel suam subtrahere præsentiam, utpote lege ad comparationem in armis non adstricto, quin potiùs ad præscriptum legis 1652di de ratione publicæ securitatis formarentur consilia, datis universalibus literis, ad Conventus Palatinatuum, quibus Equestris Ordo ad communem motum invitaretur. Ingens erat ad disputandum locus, sed ut in transcursu breviter stringendus est, nam inest talibus, quòd inexpertus ignoret, & expertus exhorreat, ita adversarij Regis insultabant, & supra spē suam faciebant progressus. Xięscius Vice-Capitaneus Cracovienſis vir animi ferox regressus ad atriū libertatis, Tribunitio Collegio libertatē reddi validis pariter, animosisq; rationibus tutatus est, audacter asserens: Prolongationes Comitiorū, cùm contra mentem legis permittantur, nunquam sine conditione conditionantis non conditionata eas concedi ab Equestri Ordine moris, & libertatis esse. Hinc in præsenti casu Equestri Ordini libertatem regressus, ad atrium libertatis liberam, neminem inficiari posse. Postremo Palatinus Lublinenſis (supra modum sit invidus quin fateatur eum & eloquentiâ, & consiliis nullo se inferiorem, virumq; justissimum, & modestissimum inq; vitæ consuetudine suavissimum hominem, & disertissimū) postquam incusasset, quod querelis prosequebantur, id quod votis debebant, vario sermone sententiam moderabatur, & jam in hanc, jam in illam partem flectens, in authorem anonymi projectûs acriter invectus est, referens, quòd nos in evidens malum inducat.

Commemoravit graviter turbatā, ac penè concussā fuisse Remp: An. 1607 valido factionis rumore Austriacæ domus. Hinc ad sua pericula advertit Respub: Anno Domini 1609no seriò perpendens parvis quoque rebus, initiisquè sæpè liberas Respub: magnis motibus agitari, inquiri abhinc in exitiosos rumores, legis terrore prohibuit. Afferebatque varia exempla semper spretæ ejusmodi famæ. Tandémque addidit: occisum in Romana Repub: Scipionem Africanum, nec tamen in tanti herois quæsitum necem aut vindicatum immane pœnâ publicâ scelus; ob metum civilium turbarum, & ex intestino bello certum Reipub: exitium, cùm præcipuè non habemus Regem qui non possit compati infirmitatibus.

26tâ Martij enormis, & pudenda discordia fatalem dixit comitijs periodum. Nam non comparente Zabokryccio, qui dabat imperitæ signa contumaciæ, quamvis non credo quòd sit malus, qui sponte non peccat suâ, nam illi â quibus dependebat, non curabant Reipub: pericula. Paucæ voces, idque ad irritationem magis animorum, quàm ad mutuam concordiam erumpebant. Donec deferente diem sole, & quasi metuendam tanti Regni fugiente discordiam, ac in casum à Mareschalco Equestris Ordinis proposito Nuntiorum Collegio ulteriōris prolongationis arbitrio, luctuosum de more vale inter singultus, & frequentes lachrymas Principi promere necesse habuit. Statimque acceptâ ore Procancellarij benevolentiæ Principis in Equestrē ordinem contestatione, procedens ad manus osculum, cæteris magnifici in Principem officij locum dedit, res nostræ interim ita labuntur, ut nisi DEUS sistat, jam ruant.

Vigesimâ 5tâ Martij. Deliberatum triduò in senatus consilio super punctis â Principe senatoribus oblatis, discrepantibus sententijs, cum omnes fe-

rè

rè propoſitiones materiam Status Reipub: complectentes, ad naturam potiùs comitiorũ ſpectarent, nec tam ſenatus conſilij deliberatione, quàm omnium ordinum conſenſu ſalvâ Reipub: Authoritate, cujus ſenatores cuſtodes ſunt, reſolvi poſſent. *A.C.1670*

Palatinus Culmenſis æger corpore, ſed animo vigens, & ingenio obitum laborem ſuum in legatione ad Magnum Moſchorum Ducem referebat, magnâ verborum parſimonia nullibi tamen tranſmiſsâ ingenij oſtentatione. Legebantur Pactorum Articuli, ex quibus optimi viſi ſunt: Conjunctio ſcilicet armorum adverſus quemcunque, utriuſque Imperij hoſtem, & intra ſpatiũ medij anni Kyoviæ reſtitutio, pro quo termino rurſum legatos mitti â Repub: oportere, qui Kyoviam repeterent, duraturumque perpetuo fœdus ſancirent. In eodem termino rebellis Coſacorum Gens datis ad Ducem Moſchoviæ literis, item de ſuo ritu ejus mediatione, & arbitrio finire velle teſtificabatur. Non occultatâ in Magnum Ducem animorum inclinatione quos ille per Græci ritus Ariolos, vulgò Popos dictos initio ſeductos religionis in amorem ſui Imperij rapuerat: non benè habita illa relatio multorum cum â Legatis non privatim, & in umbra Majeſtatis Senatus conſiliorum, ſed in facie totius Reipub: præſentibus Regni ordinibus ex reverentia firmatæ legibus conſvetudinis relationes reddi ſoleant. Palatinus Czerniechovienſis multis egregie præmiſſis de Moſchovitica legatione, & infeſto gentis ingenio differens addidit, non defuiſſe Commiſſarijs in hac legatione curam pro Republica magno animo ſuſceptam, defuiſſe fortunam. *Joannes Bieniewſki.*

Theſaurarius Regni intrepidus animi, & inſignis arte facundiæ, paucis verbis, ſed validis ſententiam complexus dixit. Cùm à Veſtra Sacra Regia Majeſtate omnia ferè puncta in inſtructione propoſita Senatui ſint, quæ non modo cum authoritate, & conſenſu omnium Reipub: ordinum correlationem habeant, ſed naturæ comitiorum complexum ſint, proinde in Senatus Conſilijs vetante lege de ijs differere, multo magis conſulere obligatæ Senatorio vinculo iniqvum videri conſcientiæ. De copijs communis motûs Equeſtris Ordinis ſe ſentire, quod multi: Nam cum publicæ leges rationem, modumque evocandæ ad arma Nobilitatis Principibus præſcripſerint, non dubitare ſe ſe Veſtram Regiam Majeſtatem Equeſtrẽ Ordinem circa ſecuritatem fortunarum, & libertatem legum conſervaturã. In Coronationem Sereniſſimæ Reginæ conſentirem, & ſenſus cum alijs firmiter jungerem, unde non abſolutionem modò, verùm etiam laudem mererer, ſed cùm eam voto expetam, ingenuè tamen malo coram deprecari, ac veniam petere, ſi à quopiam ſiniſtrè invidiâ gravari me contingeret, quod referare theſaurum, & debitum extradere apparatum haud potero, iniquum vero eſt, ut id exigatur, quod præſtare quis non poteſt. Neque enim ſe id temere proferre, cùm à plurimis Infulatis Patribus, qui præſenti quoque conſilio intereſſent, Theſauro claves adhibere prohibear, niſi totius Reipub: conſenſus acceſſerit, & ita Sereniſſimæ Reginæ non Immerito hîc, & nunc hæc negatur ſolennis celebritas, quamvis id meretur dignitas, ſed impedit tempus. *Andreas Morſtin.*

Cancellarius Lithvaniæ prolixas, ut ſolet, conſilij ſui meditationes, excuſata quidem verbis, ſed nimium affectata candoris in Principem ac fidei per vana, ſed magnifica conſulendi media, oſtentatione, velut ad aram Jovis Conſultoris reſponſa daret, eluctantibus verbis, quaſi corrumperetur celeritate loquendi authoritas expedivit.

Senatorum ſententias Rex excepit, differebatque de incrementis diffidentiarum, quæ, à male contentis excitarentur, ſi tamen male contenti à quopiam dici poſſint, quarum ſplendarum omnem promittere facilitatem, & libenter diſſimulaturum, niſi in apertam evaleſcant injuriam. Vniverſa-

les

A.C.1670 les literas pro conventibus relationis eodem ubique tempore terrarum celebrandis scilicet 13tiâ Maij, quæ deinde ratio temporis cùm 20mâ commutata est è Cancellaria jussurum extradere. Tum actis Palatinatuum Comitijs inituru facile ex inclinatione Equestris Ordinis consilium, an datis ad præsens evocatorijs literis unis, pro binis ad Generalem bellicam exped itionem Nobilitatis adjici iterato pro tertijs universales literæ debeant, ad quarum famam universa Regni Nobilitas in Martio campo, & Generalibus coeuntium Exercituum stativis comparere necesse habeat. Comitia, quæ unica jacturæ publicorum consiliorum medela est, quam primum per quietem ab externis periculis, ac domesticis impedimentis licuerit concessurum Regni Ordinibus. De expediendis ad Magnum Moschorum Ducem Legatis ad continuationem pactorum perpetui fœderis, ac recipiendam Kyoviam, quamvis eam negotij prærogativam ad vim authoritatemq; totius Repub: spectare, non se nescium deprehenderet, missurum tamen, cùm nec illius immemor sit, necessitatem frangere legem.

Et hæc sunt, quæ descripta accepi, & quæ tibi libenter mitto, idem subsequentibus, dum mihi aliquid novi occurrer t, cum omni promptitudine acturus. Consolationem tuam, quod extra Patriam sim gratus accipio. Vita lugubris paterno degere extorrem solo, nam quid paternâ dulcius tandem terrâ? nihilominus tamen memor sum illius moniti, ubicunq; rectè vixeris, patriam puta. Finio, nam & ipsius epistolæ mensura jam modum flagitat. Si quid verò a me præstari volueris, scribito, sed jam in procinctu itineris me esse recorderis.

COPIA LITERARUM SOBIESCIJ SUPREMI PRO TUNC MARESCHALCI & SUPREMI DUCIS EXERCITUUM REGNI AD PALATINATUS. 2. Maji.

VEnit jam ad eum gradum obstinata adversus meam innocentiam, malignitas, ut licet vellem ab innoxia cautione contra certa pericula præsidiũ petere, concedereq; rumoribus locũ, ubi tamen nec ,tempori, maximo actionum humanarum ceniori, conceditur nudam, ,ut est in se, proponere veritatem: sentiens præterea, quòd silentium ,meum ex innata mea proveniens modestia, qui ad magnitudinem ani-,mi arbitrabar pertinere æquo animo ferre contumelias, magis me pro-,baret reum, quàm insontem: adactus sum dolore meo, quem inæquali ,eum Repub: liber civis, in me & Majoribus bene meritus Nobilis & Mi-,nister Regni, tot injuriis impetitus perfero; in fraternum vestrum ef-,fundere sinum, idq; vobis ad consulendum & opitulandum (quorum ,consilia optato superi coronent eventu) afflictæ Patriæ, congregatis ,sine respectu proponere, & manifestare, quod turbat & perimit Rem-,pub. Quænam voces à malevolis contra me subordinatæ vestras per-,tigerint ad aures, nunc q; pertingant; exponere supervacaneum duco; ,cum earum plena sit Polonia, nec quidquam tam capitale, nullum tam ,grave crimen, aut tam atrox scelus cogitari possit, quo personæ meæ ,affecto, in odium publicum, nulli obnoxia virtus mea, non prostitua-,tur. Initium hujus contra me malevolentiæ rectitudo virtusque mea ,cum qua, cum certare volentes æquare non potuissent; oppugnavit ,eam invidia pessimum semper malevolorum adversus optimos, telum. ,Succesisse dein officia gratuitò à Rege non petenti imò recusanti col-,lata, cujus est DEus, & præteritus Rex, adhuc superstes testis; dum ,tamen vi eripere, per varios in Palatinatibus articulos, malevoli hæc ,voluissent insignia Magistratuum, quæ studio in Rempub: & virtute me-

rue-

» rueram, nec ſibi honor exdebito magnanimitatis id eripi pateretur, A.C.1670
» cui par fui, ſumq; DEi gratia conſervando; Tum demum ubi eripere,
» quod invidebãt, nequivitſent, omnes impetus quæperunt exerere, ut me
» in odium civium darent per confictas falſas impoſturas, & ſuppoſitio-
» nes, quibus nec minima veri inerat ſimilitudo. Quia verò nihil inve-
» nire potuerunt contra perſonam officiumq; meum, cujus compoſitum
» ſub lege in hac Patria civem inſimularent; creſcentibus enim officiis
» non in me crevit ambitio, imò quo in eminentiori in hac Patria loco
» poſitus eram, eò magis æqualitate gaudere cupiebam; ex natura mihi
» ingenerato à majoribus meis ſangvine omnibus iis, qui ſe ſupra ſtatum
» nobilium offerebant, ſemper obliquus, in vicinitate verò hominum
» nulli moleſtus, neminem oppreſſi, nec quidquam cuipiam eripui, imò
» pro debitis diu trahi litem non permiſi, licet tot in obſequiis Reipub:
» ſangvinem & ſubſtantiam fundens pro fratribus, contrahere ſum coa-
» ctus. Aſſumpſerunt ergo obtentum libertatis, & exquiſitis traductioni-
» bus, per credulas, quia ſibi metuentes aures veſtras, meam fœdabant
» innocentiam, ſpargendo & calumniando, quaſi tantis in Rempub: ſub-
» nixus officiis ſupremus ſimul Dux & Mareſchalcus Regni, vellem vos
» poteſtati meæ ſubjicere ſubruereq; baſim & cardinem libertatis noſtræ
» liberam ſcilicet electionem: Non ita me alij, fatear, ut iſte conficiebat
» rumor, quia tamen integrum mentis ſceleriſq; purum in mea me re-
» periebam conſcientia, ſilui pro tempore, ſperans aliquando deponen-
» dam hanc rebus larvam, meamq; orbi innocentiam detegendam. Non
» deſtiti tamen à publicis muniis, imò ubi obtulit ſe occaſio augendæ
» aut ornandæ Reipub: promptè eam arripui; teſtis mihi eſt Leopolienſis
» commiſſio, quantum in rem boni publici, in pacificatione Exercitûs
» & repartitione per Palatinatus, in exauthoratione vexillorum ſine pe-
» cunia præſtiti; Teſtis Podhajecenſis expeditio, ubi detraxi palliatam
» Patriæ trepidantis imaginem, oſtendi eam orbi, mea & Inclyti exerci-
» tûs reſolutione, ut multos habentem & habituram triumphos, ita gra-
» tiſſimos à nobis legi fructus, fauſtos applauſus, quos mihi per Nunti-
» os ex comitiolis ad me miſſos feciſtis; vobis pignoribusq; veſtris, ſtre-
» nuitate mea præſtitam ſecuritatem, Reip: verò, quaſi poſtliminio re-
» ſtitutam gratulantes tranquillitatem. Triumphavi tum non tantùm
» de meæ Patriæ, verum de meis etiam patrijs hoſtibus, qui in everſio-
» nem mei conſpiraverant; ac ſecurus virtutis meæ, veſtræque gratiæ
» beatus agebam, arbitrans fuſo ſangvine & ſubſtantiâ, me apud vos
» meruiſſe, nunquam delendum veſtris in cordibus bene de me ſenten-
» di opinionem. Et ecce, quod non expectas, ſit è tranſverſo, novæ per
» comitiola informationes, me, vi & armatâ potentiâ, contra jura liber-
» tatis, electionem innovare velle inſimulantes, agunt me iterum apud
» vos in odiũ, ſimulq; ad percellendos veſtros animos, confingunt errores,
» à me per cointelligentias cum externis Tartaros & Coſacos ad tam im-
» piã effectuandam intentionẽ conductos eſſe criminantes. Non revoco
» ſexcenta alia quæ ſucceſſu temporis ipſa ſe convincent mendacij, me
» ſatis ab impoſturis vindicat tranquillè peractum, tam ab intra, quàm
» ab extra, interregnum. Oſtendi me civile habere ingenium, qui in
» præterita electione compoſitiſſimo ſteti animo, nec cuipiam mea fu-
» it infeſta libertas, nec unquam in perniciem civium impetum cujus-
» quam ſtimulavi. Continui in caſtris exercitum, ſub pellibus, ſalutem
» civium pro ſuprema lege, communem verò libertatem pro recta habens
» linea, acceſſi unanimi vobiſcum ſenſu ad felicem Regis nominationem;

&c

A. C. 1670 „& licet tantisper videbar hæsitare, non feci id animo volendi aliud, quã „quod omnes; licet id mihi siniſtræ adscribebant interpretationes; ve„rùm optavi ut ex æqualitate electus Princeps induceretur in restitutãõc „repurgatam ab exorbitantijs, Remp, ut prius conscriberentur pacta con„venta cũ Rege, ut circumscriberetur domus Regia potentiis, parentelæ &c „clientelæ ab intra subnixa; ut constitueretur securitas æqualitatis, quæ summa „est in libertate felicitas: prævidebam enim id fore in Rep: operosum, ut id vel ipse nunc eventus docet, fidebam tamen fortunæ Electoris populi, & non frustra, agente DEo illa electio multum contribuere debebat ad felicitatem hujus Patriæ; fui quoq; certus habendæ post felicem Regis nominationem, pacis ab hostibus meis; respectûsve non primi licet; id enim non prætendo; sed tamen ex dignitate meritorum & ministeriorum meorum non postremi, obtinendi. Et ecce hujus loco, occupant faciles, novi Principis aures hostes mei, venenoq; malevolentiæ affiant contra me innocen cor Regium, spargentes me jussa vestra voluisse rescindere, Regemq; throno detrudere, unde metus & trepidatio, imò trepidi post cõmunes motus Nuntij, ut gradum retromoveant ad sumendas de me vindicias, qui ab his alienus omnino fui cogitationibus: utq; suam explevere posset rabiem nequitia, ad ipsa regnandi initia, intendebatur compendiose, hoc est per tumultum meus interitus; contestabar ex illo facto coram Rege dolorem meum, obtuliq; propensionem meam & ad serviendum promptitudinem, nec quidquam aliud, ne essem ejus initijs regnandi gravis, quàm hoc unicum postulavi, ut penes authoritatem ministeriorum meorum, possem conservari; utpote qui probè novi, à conservatione eorum qua pace, qua bello, summam Reipub: dependere authoritatem; nec quidquam tamen profeci: post meum enim abitum Varsaviâ, sparsus in vulgus rumor, me abijsse ad exercitum, gratiâ fabricandæ in eo conspirationis contra Rempub.; id falsum fuisse successu temporis innotuit: sparsum deinde, me impedire coronationem voluisse, eventus probavit confictum id fuisse ad mei invidiam: Astiti enim eo decore Regi, quem mea authoritas, & honor gentis exigebat. Et licet omni submissione certâssem cũ domino, non id tamen mihi cessit in meritum, qui ibidem statim, venefi„cus audivi & sicarius; imputata mihi ruptio comitiorum, à quorum tamen „conclusione maximum meum dependebat interesse: Habeo enim debitum „in Repub: ad aliquot decades millium, pro ejus contractum necessitati„bus, quod nunquam, nisi conclusis comitijs mihi restituetur, interim me„a, quam contrahendo id debitum hoc anno invadiavi, periret substan„tia. Fabricabantur contra me etiam alia quæ nemo honestus, etiam „per suspicionem in meam cadere posse virtutem, judicabit. Spargebanc „postmodum calumniantes, me armatum nominationi Regis obstitisse; non „obstiti, sed id judicio totius commisi Reipub: cujus est de suis fatis discer„nere. Hæ similesve, quas vix capit memoria, primi in libera Repub: ex„empli injuriæ, calumniæ & contumeliæ, potuissent me forsan ad quodpi„am resentimentum accendisse; viel tamen me ipsum persvasus omnino, his „me non commoveri tantùm, sed ne turbari quidem debere; siluissem am„plius; qui affectibus meis nunquam super me permisi prædominium, faci„leque nunc dissimulâssem; ubi tamen antiquioribus tres noviſſimæ de re„centi, & quidem hujusmodi acceſſerunt injuriæ, quæ ipsam animam, quia „honorem, & integram famam, duraturamve in posteros lædunt gloriam, „rumpit silentium dolor, & conqueri coram vobis id esse ablatum co„git, quod nulla restituere potest satisfactio. Primo igitur Princeps Pala„tinus Belzensis in solido fundamento male suâ fundatâ præsumptione, quæ„sito in prætextum colore ex certa causa à militari judicio ad me per appel-

-lá-

, lationem devolutâ, & ad inſtigationem ipſorum Principis officialium, cum *A.C.1670.*
, approbatione illius decreti, judicata, tales ad me literas miſit; ex quibus
, nobis patere poteſt, petita jurium & Magiſtratuum convulſio, ubi mino-
, rem ſuam, meæ majori Ducali vult exæquare poteſtatem, cùm tamen an-
, tiqua Romana tempora Cannenſi docuerint clade, quanto ſint interituiRei-
, pub: æquata Ducum Imperia. Geſto id miniſterium, geſtaboq; ope Nu-
, minis ita, ut & Reipub: & poſteritati cum honore reduere poſſim admini-
, ſtrati rationem: Injurius verò forem Reipub: & poſteritati, ſi locata mea
, in manibus hæc officia, in quorum authoritate Majores noſtri ſuarum
, ſtatuebant libertatum præſidium, per eorum authoritatis ſublationem, ali-
, quod pateremini detrimentum: Mitto Copiam Literarum ipſius Principis,
, ut patere ex earum contentis poſſit, eum ex immatura muneris mei affe-
, ctatione ad injuſtam contra me accenſum eſſe invectivam: Non conten-
, ta hoc conatu lacerandæ poteſtatis ſupremi Ducis obſtinata malevolentia
, ſævit in meam amplius innocentiam, quando Budziacenſium aliquot Tar-
, tarorum, qui noviſſimè in dominia Reipub: Veraniæ adjacentia, ſub Præ-
, fecto Siliſtriæ irruperant, ad extrema utq; torreri & torqueri juſſit, ex-
, torquendo ab eis, per modum ſceleſtæ inquiſitionis, an non meo conſilio
, irrupiſſent? Invenit virtus plus in gentilium cordibus honeſtatis, quàm in
, Chriſtianorum reſpectûs, nam etiam in tormentis illum mendacio nolue-
, runt onerare, cujus nominis rerumq; geſtarum, celebrari gloriam audiê-
, runt. Vltimum & ſummum eſt, projectus contra me alioſq; innocuos ci-
, ves, in præteritis Varſaviæ comitijs famoſus libellus, in quo non tantùm
, toc alij primis digni reſpectibus in hac Patria viri, verùm præſertim ego,
, ut violator publicæ tranquillitatis, ut læſor Regiæ Majeſtatis, ac Reipub:
, ut Patriæ parricida proſcindor. An ergo tot tantaq;, in libera Repub: con-
, fingere lævireq; in honorem & famam civium liceat? vobis judicandum
, relinquo: Quia verò omnium injuriarum in hac Repub: vindiciæ ad vos,
, velut Aſſertores libertatis, pertinent; recurro injuriatus, & oppreſſus civis
, ad concives, Nobilis ad Nobiles, Miniſter Regni ad eos, quorum inte-
, gritati & incolumitati, vitam & ſangvinem toties immolavi & immolabo:
, Ad aſylum gratiæ, amoriſq; fraterni confugio, in ſinum eorum hanc
, meam, totq; civium depono injuriam, remedium ac conſilium peto, ho-
, norem & incolumitatem meam eorum commendo tutelæ; utq; me, con-
, tra tantas machinationes protegere velitis, ſupplico. Ipſe DEus prote-
, ctor noſter veſtra dirigat corda; conſiliaq; optato ſecundet effectu, ad
, fortunatum Regis Imperium, & hoſtium confuſionem, quibus dum hic
, interim vigili conatu & commiſſioni Coſaticæ, licet in inſtructionem non
, impoſitus, ut ſuum ſortiatur effectum; intendo, meq; ipſum & vitam
, meam in victimam Reipub: conſecro, veſtram gratiam & fraternam ex-
, poſco protectionem.

COPIA LITERARŨ AD SANCTISSIMUM DOMINUM CLEMENTEM X. Varſaviæ 20 Maji.

POſt oſcula pedum Beatorum Sanctitatis Veſtræ, mei & Regni Dominiorum meorum filialem commendationem. Non minor ejus lætitiæ pars, quæ orbem exhilarat Catholicum, & in me redundat dum Sanctitatem V. caleſti nutu & ſuffragio, electum Chriſti Vicarium intellexi. Si enim Eccleſiæ orbitas, erepto ex vivis Sanctitatis V. optimo prædeceſſore, non niſi triſtis & acerbi doloris plena, Chriſtianum orbem in mœrorem traxit, fauſtus hic Nuntius to-

to

A.C.1670 *ti Catholico gregi, qui curæ Pastorali Sanctitatis V. est subjectus, ingens fœnerat solatium. Hoc Regnum Dominiaq; mea cum impleat filiali cultu & subiectione, supremam hanc & cælo ipsi confinem, gratulor Sanctitati Vestræ dignationem, vota mea superis nuncupo, Sanctitatem Vestram diu sospitem & omnigenæ felicitatis auctam incrementis conservent, in hac Ecclesia navis gubernatione, quæ tot procellis & fluctibus agitatur. Mittant auxilium ab alto. Provideat Princeps Pastorum ut Orbem Christianum tot bellorum tumultibus fessum, Sanctitas Vestra pacatum regat. Imperet ventis ut quiescant. Paternæq; Sanctitatis Vestræ obediant voci. Turca immanissimus occupatâ Candiâ ferox & insultans concordiâ & viribus Catholicis minuatur, & sternatur. Clementum Pontificum egregius semper in Polonia favor, affectus erga me Regnūque meum pateſcat. Hæc verò vota mea dum intimo & sincero promo pectore, omne studium, observantiam, & filialem promptitudinem meam, nutui addico Sanctitatis Vestræ. Ejusdem paternæ protectioni, me, Regnum & Dominia mea commendans, longævum & felicissimū rei Christianæ Imperium Sanctitati Vestræ auguror. Ejusque Pontificiam de gemu exoro benedictionem.*

COPIA LITERARŪ PROCANCELLARIJ REGNI AD RACZKOWSKI COMMISSARIUM AD EXERCITUM ZAPOROVIENSEM. Varsaviæ 3. Junij.

SUb tempus absentiæ meæ, cum pro funere, dignæ memoriæ matris meæ abiissem, expeditus est tuus famulus, per quem opinor meas ad te literas perveniſſe. In hoc tamen commissus error, quod per ,eum universales, denuntiatoriæ Cōmissionis non essent expeditæ: Unde ,quia brevi imminet terminus Commissioni designatus, scilicet 3. Julij, ,redux de via ex nunc expedio literas Regis & Universales. Non dubito ,te omni cura, & dexteritate res ad finem tranquillitatis ordinaturum. ,Assecurare potes Ducem, Chiliarchos, officiales, totumque exercitum; ,Regem eis, & Rempub: optima quæq; velle, ut scilicet domestico bel,lo, effusioni sangvinis, desolationi Regionum, omnibusq; inimicitiis fi,nis imponatur: ut Regnum Poloniæ, cum Ukrayna conjunctum for,midabilius sit externis hostibus, tam diuq; desiderata pace refloreſcat. ,Facile ergo, (modo Dux velit, & Cosaci) Commissio hæc per Duces E,xercituum Regni & Commissarios in Castris Polonicis existentes, præ,sertim per supremum Mareschalcum Regni, & Ducem, citò finiri po,terit. Si securitatem suam Commissarij Cosatici requisiverint, poteris ,tu, unà cum Teleżynski, ubi venerit, pro obsidibus manere in Ukray,na ad conclusionem commissionis, reditumque Legatorum Cosaticorum: Et quia propter incursionem in Podoliam metuitur gravius pe,riculum, concluſum est in præsenti consilio congregandos esse commu,nes motus sub Leopolim; quo etiam ipse Rex in persona est venturus. ,Si tamen hostilitas omnis cessaverit, nos quoq; non lacessemus, sed de,fensivè nos habebimus. Supremus Regni Mareschalcus, Regi est con,junctissimus, omnibusq; extirpatis diffidentiis, concordia Duces inter, ,& omnes status refloruit; si his accesserit tranquillitas & pacificatio

Ukray-

»Ukrainæ, portæ inferi non prævalebunt. Tukalski habet bene me- *A.C.1670*
»rendi occasionem, dummodo suam ad id velit operam applicare: Quod
»si ipse sub omnimoda securitate veniret ad Mareschalcum, publicæ pa-
»cis promovendæ studio, faceret actum heroicum summèq; meritorium
»coram DEo & Patria, &c.

COPIA LITERARUM AD COMMISSARIOS OSTROGENSES. Varsaviâ 20 Junij.

TAm iniqua pertinaxq; propositio Cosatica de dandis sibi pro obsidi- *Obsides requiruntur*
bus, aut per commutationem duobus Castellanis, alijsq; personis ex Collegio vestrarum fidelitatum, exiguam spem facit fortunatè »concludendi tractatûs pacis. Difficile nos supra instructionem, à totâ »Repub: ex consilio Senatûs scriptam, tam iniperatam & inconvenientem »propositionem acceptare, invitosq; dedere possumus. Non requirebant id »Legati Cosatici per supplices primo post Electionem Varsaviæ, deinde sub »tempus Coronationis Cracoviæ, porrectas: Si eis agitur de securitate »personarum pro Commissione deputatarum, semper utiq; eis, etiam in »summorum bellorum æstu, servabatur fides publica, semper liberi & in-»tacti dimittebantur eorum Nuntij: Aliquid ergo aliud videntur intende-»re, scilicet aut Bialocerkviam periculo obsidum extorquere, aut eos ad »portam pignus deditionis remittere, aut si alias propositiones suas per tra-»ctatum non evicerint, de illis vindictam sumere. Negativè ergo à vestris »fidelitatibus referibendum erit Commissariis Cosaticis Pavotoci residenti-»bus; nisi unus & alter vestrarum fidelitatum sponte se resolvere, devove-»re; pro Repub: prisco more, voluerit. Vtendum tamen omni dexteritate, »ut Commissio hæc trahatur ad comitia; quæ pro 3tiâ Septembris indicere »determinavimus. Non minorem obstinationem Cosaticam in aliis expe-»riemini punctis ubi agendum erit de educendis Cosacis ex bonis Nobili-»um Palatinatûs Braclavienſis, de Religione Græca, & inducenda unione: »Nos tamen dispensare nobiscum, & cum Vestris fidelitatibus non possu-»mus supra præscriptum datæ à Repub: instructionis, quam in omnibus »etiam quoad minimam partem, sequimini, occurrendo nihilominus omni »prudentia, ne ad rupturam tractatûs ante comitia deveniatur; quando-»quidem gerendo bello sumus impares, inducere in Ucrainam parvo nu-»mero constantem Exercitum periculosum erit & fors contrarium pactis »Podhaiecensibus. Bonam interim valetudinem Vestris à DEo fidelitatibus »precamur.

COPIA LITERARUM REGIARUM AD HANENKO. Varsaviâ 23 Junij.

NOn potuimus, nisi singulari animi nostri gratitudine, tuæ fidelitatis, & Exercitus Zaporovienſis Nizani, suscipere propensionem, qua nobis fortunatam in Throno Regio inaugurationem, & Coronationem, »per literas, Legatosq; tuos, gratularis. Æstimamus enim fidelitatem & »strenuitatem Heroum Nizanorum, qui nullis unquam adhærentes Rebel-»lionibus, prisca virtute, fidei Christianæ, gloriæ Dei promovendæ, li-»berandis è manibus Barbarorum Populi Christiani captivis, sangvinem & »vitam strenuè, ac promptè, consecrabant, semperq; invariabili, erga Re-»ges Poloniæ, totamq; Rempub: fide, & constantiâ persistebant. Expedi-»mus ergo Legatos Exercitûs cum assecuratione de nostra Regali gratia, »& paterno erga vos affectu, quem in vim heroicarum vestrarum virtutû

*A.C.*1670 ,& meritorum semper experiemini. Dederamus, tam ad Veralnam, quã ,ad te, Exercitumq; Zaporovienſem Nizanum univerſales noſtras, denun- ,tiando, quod ad tractatum pacis, reſtituendam concordiam, totamq; ,Ruſſiam pacificandam, inſtituerimus Commiſſionem Oſtrogi, ad quam ,adhuc in Majo delegavimus noſtros & Reipub: Commiſſarios: adeoque ,gratum nobis accidit, quod ab Exercitu Zaporovienſi Nizano his diebus, ,ut nobis innotuit, Commiſſarii Oſtrogum venerint; utinam inducturi ,Doroſzenko, quatenus relictis ſuis, cum externis, præſertim cum Porta ,Othomanica, machinationibus, in gratiam, debitamq; nobis, & Reipub: ,redeat ſubjectionem, qui hactenus in proximo ſubſiſtens, ſuos non miſit ,Commiſſarios, variaſq; injuſtas trahit moras, adinvenit difficultates; un- ,de modicam ſpem ejus habemus ad bonum propenſionis, imò manifeſtè ,perſpicimus inconſtantiam & inſinceritatem; quando ſubmiſſas ad nos ex- ,pediens legationes, eodem tempore aliquid aliud intendens, & tractans, ,ad Imperatorem Turcarum, Czarumq; Moſchoviæ mittit. Non dubitamq ,nihilominus inveniendos tam prudentes, rectiq; tenaces Coſacos, qui de- ,prehenſis perſpectiſve ejus progreſſibus, ulteriora molimina non permit- ,tent', ipſiq; ad concordiam & unionem cum Regno Poloniæ, feliciter in- ,clinabuntur, in quo te, cujus conſtans ſinceritas erga Reges & Rempub: ,ſemper floruit, & floret, ſeriam adhibiturum operam minimè dubitantes; ,obnixè deſideramus, quatenus Exercitum Zaporovienſem ad antiquas re- ,ſolutiones, pro DEi gloria, Majeſtate Noſtra, Regnoq; Poloniæ, pro de- ,fenſione Chriſtiani Populi, ab incurſionibus, pro comparanda immortali- ,tate gloriæ, conſilio, exemploq; tuo, accendas. Nos verò in quavis oc- ,currente occaſione Regiam noſtram gratiam fidelitati tuæ, totiq; Exerci- ,tui, nos teſtaturos declaramus; in cujus documentum, noſtrum mittimq ,privilegium, quo priſca jura, libertates, & immunitates veſtras confirma- ,mus ac roboramus; & quidquid præterea tua fidelitas Exercituſq; à ,gratia noſtra poſtulaveritis, propenſo animo juſtas petitiones ſuſcipiemus, ,ijſq; ſatisfaciemus: Tuæ fidelitati totiq; Exercitui Zaporovienſi Niza- no, bonam à domino DEo precamur valetudinem.

COPIA LITERARũ REGIARUM AD COMMISSARIOS PRO TRACTATU CUM COSACIS OSTROGI RESIDENTES.

26. Junij.

IN literis ante dies allquot ex Senatus-conſulto ad Veſtras Fidelita- tes datis, declaravimus propoſitionem Coſaticam de commutatione, & obſidibus velut hactenus impracticatam, & inſolentem acceptari ,non poſſe; niſi quis ex Collegio Veſtrarum Fidelitatum ultro ſe ipſe ad ,id reſolverit. Supponimus Commiſſarios Doroſzenko ſuam depoſituros ,pertinaciam, poſt adventum Commiſſariorum Exercitus Zaporovien- ,ſis Nizani; quo venire ad nos, cum nulla hujus ſit neceſſitas, non o- ,ptamus: Quandoquidem primi ad nos expediti, omnia quæ volebant, ,obtinuerunt, 48 novo veſtiti amictu, cum confirmatione omnium ſua- ,rum libertatum, eras Varſaviâ ſunt moturi, eoq; per Albæ Ruſſiæ Mo- ,hiloviam eis Boriſthenenſi tractu redituri. Cum magna id foret in ,tractu manentium afflictione, & ſumptu ærarij, ſi Varſaviam peterent; ,præſtat, ut eos Fidelitates Veſtræ eâ, qua par eſt, humanitate ſuſce- ,ptos, retro expediatis. Pecunia pro ſuſtentatione eorum tam citò ex æ- ,rario eſſe nequit, niſi ex collectis Julij, & quidem in abſentia Theſau- ,rarij (notarijs quoq; tenue, & inutile his temporibus ærarium defe- ,rentibus) difficilis erit expenſarum publicarum ratio; Scripſimus ta-

men

»men ad Theſaurarium & Arendarios ordinariorum proventuum, omni- *A.C.1670*
»no ſine mora pecuniam requirendo, tam pro Commiſſariorum proviſi-
»one, quàm pro ſuſtentatione Coſacorum Zaporovienſium Nizanorum;
»quibus dandos in ſingulos dies 50 flor: ordinamus. Non reſtat modus,
»nili, ut in fidem publicam, de proprio ſumptus impendatis, aut aliun-
»de pecuniam conquiratis, in integro quàm citiſſime ex ærario reſtitu-
»endam. Doroſzenko non rejiciendus, nec trudendus in deſperationem,
»ſed ſi obſtinatè in ſua perſtiterit pertinacia, omni prudentiâ trahen-
»da Commiſſio ad futura uſq; Comitia, ſequendo in omnibus inſtru-
»ctionis comitialis præſcriptum. Legatis verò Zaporovienſibus authori-
»tate Commiſſoriali, etiam cum ſubſcriptionibus manuum & ſigillis aſ-
»ſecurationem date, Legatos eorum cum omni à nobis ſatisfactione re-
»dire; ad Teteram ſcribimus, ut clenodia Zaporovienſia ſine ulla mora
»ad Commiſſionem Oſtrogum remittat, ad Veſtrarum Fidelitatum ma-
»nus, quibus bonam à DEo precamur valetudinem.

COPIA LITERARUM AD SUPREMUM REGNI THESAURARIUM. 18. Julij.

FActum tandem, ut non potuerim declinare appreſſionem ſigilli, mandato contra Caſtellanum Poſnanienſem; ſiquidem Senatus cenſuit, Conſanguinei ejus iudicârunt ita expedire; Ipſe ille ſuas per literas requirebat non denegari mandatum; quo non extradito, certa indignatio contra Principem & Senatum, furor populi contra eum, nova forma Comitiorum & iudiciorum, excluſo Senatu; periculum hominum, qui in Comitiolis, violentis inſurrexerant manibus, ipſius Caſtellani ambiguus & indignus ſtatus, antequam ab obiectione per decretum liberetur, ſequeretur. Induxit hanc regi ineluctabilem neceſſitatem Cancellarius Litvaniæ dato reſponſo cum Litvaniæ ſigillo, per nuntios majoris Poloniæ, quòd Rex non ſit ſcrupulizaturus circa extraditionem mandati, dummodo certus delator adſit. Hoc velut ſigno dato, conclamatum contra primores in Comitiolis. DEus Iudex & vindex ſit ejus, qui Author fuit Conſilij ad cogendæ iterata Comitiola; qui forſan promiſit afferendas probationes, qui ſuggeſſit, ut ſcriberentur, publico Palatinatûs Poſnanienſis, & Caliſſienſis nomine, ad omnia Regni, & M. D. Litvaniæ Comitiola ferventes litera. Non tranquillabit id Imperium Principis, licet innocentis, ſed citius motibus & turbinibus involvet. Contra te nullatenus mandatum dare volui, ſummo licet fervore imò furore delator urgeret, nec aliunde deeſſent impulſus. Abiit ergo hodie, cũ ſolo duntaxat contra Caſtellanum Cracovienſem, projecto ad Mareſchalcum Curiæ Regni, obtinendæ ſubſcriptionis gratiâ: minatur ſe facturum contra me proteſtationem; at non deerunt mihi excuſandi mei rationes, tuæq; cauſæ diſparitatem deducendi. Quantum mihi in ulteriore proceſſu virium ſuppetet, & induſtriæ, contendam ambidextro conatu te ex hoc Labyrintho reducere.

A. C. 1670

ANDREÆ OLSZOWSKI PROCANCELLARII REGNI AD CASTELLANUM POSNANIENSEM, Varsaviæ II. Julij.

NOn Curiæ tantùm & Poloniæ, verùm etiam orbi innotuit, tristis tuus & tragicus casus. Et licet nullo, quà privatim, quà publicè demerito, tum dato ad Comitiola projectu, tum objectione Solæcismi contra Rempub, & toties indigna honoris mei tractatione, à te læsus essem; valuit tamen apud me Senatoria dignitas, & cognatio cum Castellana, ut de eo non lætarer, quin potiùs intima tangerer cõmiseratione super injuria, non consulis tantum, sed etiam consulatûs. Produxi per sententiam in senatu atrocitatem facinoris, & exempli pernicioti; quod scilicet sinistris eminentes semper subesse cogantur interpretationibus: nunc gratulor te extra ultimum manere metum, famæq; tuæ superstitem vivere, & valere. Habui literas à Comitiolis Srzedensibus cum elogijs, sed simul cum clausula, ut mandatum contra te & Thesaurarium expedirem: Exhorresco profectò, nunquam sperans tantas animis civilibus iras, pro obtentu habeo absentiam Mareschalci, cujus subscriptio in causa perduellionis, & læsæ Majestatis est de substantia: Item absentiam Instigatoris, In frequenti senatu, ad formandum Senatus-consultum, probationes non convenientes, neq; luce clariores statuiq; per alteram portam abitum Varsaviâ, quo Trąbszynski ventitarus est: Poterunt forsitan illi mandatũ dare in membrana terrestri, ego interim resistam pro viribus, nec nisi adactus subscribam, sigillumq; apprimam, quod alteri usui mallem impendere, in tantorum virorum obsequium. In Exercitu cuncta pacata omni ex parte. Soltan Galga cũ Tartaris sub nigra sylva, vastitatem induxit, & desolationem. Commissio Olnoscensis vacillat, mordicus urgent Cosacl obsides, eos tamen excludunt, qui ruperunt Comitia. Me interim cum promptitudine & obsequio tuo commendo favori, &c.

SERMO EXCELLEN. ET REVERENDISSIMI D. ANDREÆ OLSZOWSKI EPISCOPI CULMENSIS, PROCANCELLARII POLONIÆ AD GEDANENSES 9 Julij.

Nobiles Domini spectabiles & famati Viri.

POnit felicter pedem in Regia Gedanensi urbe Michaël Rex, atque hunc portum fidissimæ publicæ stationis, has dedecori clausas, honesto patentes portas, hæc mœnia nullo derelictæ fidei temerata contactu, hoc innocens primævique sacramenti, & antiquæ virtutis retinens forum, prætorium Comitiorum vicario per me adventu libens ingreditur. A gentilitiæ suæ lunæ, stellæque motu, & splendore eam mutuatus, inque mores suos vim deducit, ut properante cursu simulq; beneficio influxu, Regni sui membra invisere, coronati capitis lucem ubiq; ferre, noctem mentium discutere, imprimis destinet ac Regium vel maximè existimet. Quod Romanus ille de sua Africa, idem non minus recte Sacra Regia Mtas D. meus Clementissimus jam nunc usurpet. Teneo te Prussia, cum civitates majores, opibus amplas, mœnibus validas, dignatione eminentes, ædificijs publicis privatisque magnificas, incolarum copiâ & cultu elegantes, non jure duntaxat, ac titulo, sed imperij velut manu, & potestate Regiâ apprehendit, sed præcipuam curam & affectum in se vertit urbs Gedanum.

„Vt Polonus Vates de vobis cecinit, quàm ubi ſemel venerabile fidei numen intravit, veſtigia nulla retrorſum abeuntis, aut averſæ ſpectare, vel „legere ſit. Viget vigebitque in fama Gentium, in æternitate temporum „conſtantiæ Veſtræ immortale exemplar, cum oppreſſo undique Regno „Poloniæ, omnia prò præmio, & præda hoſtes haberent; vos non dubi„taſtis publico præcipitio, animos, fortunas ſupponere, Principem, & re„liquam Regni fortunã, in ſinu urbis fovere, laſſò, & fracto militi opem, „operamque commodare, poſtremo vilius cuncta habere, quàm fidelita„tem non habere, nec dum plane, Arctoi leonis occulti cuniculi, aut aper„tæ machinæ ſubſederunt, quibus hæc non civium curia, ſed fidelitatis tem„plum, petebatur, impetebatur fruſtra.

Vos neq; callidũ perrupit aurũ, nec doloſi, fulmina, blanditiaq; belli.

„Sed hæc aliaque belli, laudum variarum proſequi, alijs uberior copia „& otium, mihi interim mandata Regia, & legationis meæ ſummam decen„ter exequi negotium eſt. Differri ultra non oporteat, præſtandum publi„cè, à Nobilibus, Spectabilibus, Famatis Dominationibus Veſtris, fidei & „ſubjectionis debitæ juramentum, quod prius libenter & publice Sacra Re„gia Majeſtas præſtare non diſtulit, cum recenti electione Varſaviæ, mox „felici inauguratione Cracoviæ, ad ſacras utrobique aras ſolenni ritu, in „jura, libertates, privilegia veſtra, univerſi Regni, provinciarum, civitatum „ſanctè juravit, eadem privilegia Veſtra Regia, & manu & Regni ſigillo cle„menter munivit, tranquilli & florentis ſtatus Dominationes Veſtras ſecu„ras effecit.

„Quod igitur lætum & glorioſum Sacræ Regiæ Mti Dno Veſtro, quod „ampliſſimæ iſti civitati felix, auſpicatum, & ſalutare eveniat, hoc agite „ſenatus populuſque Gedanenſis, ut devotos, devinctoſque Regiæ Mſti ani„mos, magis etiam more Majorum firmetis fidem indubitatam licet religi„one Sacramenti Regi & Regno arctius obſtringatis. Hoc ego dum nomi„ne & mandato Sacræ R. Mſtis Dni Clementiſſimi à Nobilibus, Spectabi„libus Dominationibus Veſtris requiro, eiſdem gratiam, & clementiam Re„giam, jurium, privilegiorum, immunitatum integram conſervationem „publica commiſſionis meæ auctoritate appromitto.

AD ARCHIEPISCOPUM CORYNTHI, A PROCANCELLARIO REGNI. 25. Junij.

INſperatus diſceſſus ab Aula Polona Illuſtriſſimæ, & Reverendiſſimæ Dominationis Veſtræ, eo gravior mihi accidit, quòd me tunc in Pruſſica Legatione agente, extremo venerationis cultu Illrmam & Rndmã „Dominationem Veſtram proſequi, ac felix iter, & ampliſſima in Eccleſia „DEI incrementa eidem apprecari fortuna negaverit. Vicem implebit hæc „litera, quâ intimum affectum effundo coram Domino meo; itane ſimul „& amicum appellem? egregia ſanè documenta tuli cum ſatis ſuperque e„jus inſigni amicitia, ac benevolentia fruebar. Equidem hunc animum „quo erga Illrmam & Rndmam Dominationem Veſtram feror, non tempus „variabit, non locus vel remotiſſimus loco movebit, quàm hâc velut ſyn„grapha manus obligo, & obſtringo. Rogatam hiſce etiam volo Illrmam „& Rndmam Dominationem Veſtrã, ne mei immemor ſit, dum Sanctiſſi„mo Domino Clementi verè noſtro, vel ipſo nomine Polonis gratiſſimo ad„geniculabitur. A Clemente octavo multa argumenta eximij erga Poloni„am affectus fluxere, addat, & ſuperaddat Clemens X. ſi quod ſub Cle„mente IX. optimo Pontifice brevitas Pontificatus non indulſit. Ante omnes

A.C.1670 , honores, & favores nobis erit Apotheosis B. Ioannis Cantij Doctoris A-
, cademiæ Cracovienſis. Nil gratius, & popularius Genti noſtræ ſua Beati-
, tudo faciet, quàm cum hunc DEI ſervum à trecentis propè annis conſtan-
, ti Sanctitatis famâ Illuſtrem Divorum faſtis inſcribet, & quem privatim
, publicèque noſter populus veneratur etiam ritè, & publicâ devotione co-
, li imperabit. Meretur aliquid ultra vulgus Academia Cracovienſis, in ſe-
, ptemtrione noſtro celeberrima Stancarorum, Friciorum, & aliorum He-
, ſiarcharum & Hæreticorum antiqua victrix, domitrixque quam non er-
, ravero ſi in oris hiſce Orthodoxæ Religionis, & Eccleſiæ Romanæ
, firmam columnam, ac boni moris magiſtram pronunciem. Eminentiſſi-
, mo Cardinali Vidono, ſi nondum animo excidit, vel unico verbo com-
, memorari ambio. Contigit aliquando à laudatiſſimo viro laudari, ac eti-
, am amari percupio. Mihi toto corde, & ore prædicare ac venerari ſu-
, am Eminentiam neceſſitas ſimul condita remanebit. Eminentiſſimo Car-
, dinali Urſino Regis mei miniſterium, ac Poloniæ protectio arctiſſimum
, me devincit, humanitas verò mancipatum plane tenet. Cõmendari ejus
, Eminentiæ deſiderio deſidero. Quod reliquum eſt &c.

AD CARDINALEM ALTERI. 25. Junij.

CUm Illuſt: & Reverend: D. Mareſcottus Archi Epiſcopus Corynthi Nuntium in Polonia agens mandato ſuæ Sanctitatis hinc evocetur, nemo eſt, qui non felicitati digniſſimi gratuletur, eundémque maximis in Eccleſia DEI incrementis parem exiſtimet, & auctiorem cupiat. , Non poſſum tamen non reddere certiorem Eminentiam Veſtram, optari , à Sacra Regia Majeſtate, totaquè Polona Aula, ut ad Secretariatũ ſta-, tus, vel aliquod inſigne officium provehatur. Sed in Hiſpaniam pro , Nuntio Apoſtolico mitti, eſt ſanè, quod in diminutionem Majeſtatis Re-, giæ, & Coronæ Polonæ accipiamus. Ab omni exemplorum vetuſtate, , non factum, non auditum, ut ab hac Corona, ad aliam Coronam Nun-, tij Apoſtolici transferantur. Primum exemplum in Illuſt: & Rndmo D. , Pignatello ex Nuntiatura Polonia ad Cæſarem tranſlato, temporum , circumſtantia videlicet abdicationis, & Interregni excuſare poteſt, quod , tamen in ſequelam trahi non debet. Alia exempla non extant, ſatis jam , evictum retorſumq; eſt; omnes Reges pari dignatione eſſe, nec obſtare , quòd unus alteri loco ſolo præſtet, cæterum paritate Coronæ æquan-, tur. Non dubito Eminentiam Veſtram pro ſuo erga Poloniam affectu, , ac ſumma prudentia, & authoritate apud Sanctiſſimum effecturam, , ut alteri potiùs dignitati Illuſt: Archiepiſcopus Corynthi in Curia Ro-, mana, vel extra, quàm Nuntiaturæ Hiſpaniæ, cum præjudicio Regis, , & nationis Polonæ admoveatur. Cæterum Eminentiæ V. obſequio-, rum meorum promptitudinem, devotionem ex animo commendo.

COPIA LITERARUM AD COMMISSARIOS OSTROGI RESIDENTES. Varſaviæ 12. Julij.

ACceptis veſtris literis de prolongatione Cõmiſſionis ad 17 currentis; ſine mora ſenſum noſtrum ex ſenatûs-conſilio aperimus; ut tam grande, pacificandæ Reipubl: negotium fortunatè procedat. , Inhæremus firmiter primæ declarationi noſtræ, cenſemuſq;, non con-, cedendam eſſe traditionem obſidum in manus Coſaticas, non tam con-, ſervando dignitatem noſtrã, & Reip, quàm per rationẽ ſtatus humiliare , inſuetum non eſt; ſed quia bene meritos, & inſignes cives dicretioni cõmit-

» mittere Barbarorũ hominũ, judicamus non incivile tantũ sed & crudele. A.C.1670
» Negandũ ergo id absolutè, quod per libertatem (cogere enim ad hanc
» commutationem neminem licet) concedi poterit. Copiæ Literarum V.
» ad Commissarios Cosaticos datarum lectæ sunt, ac approbatæ à nobis
» & senatu. Ominamur tamen Commissionem hanc non esse rumpendã,
» sed trahendam ad Comitia, in quibus tota Respub: statuet, quod sibi ju-
» dicabit fore salutare. Expectamus nihilominus a Marescbalco, supremo
» Duce Exercituum Regni, certitudinem & consilium, quonam modo ob-
» viandum sit apertæ (quod DEus avertat) hostilitati, & potentiæ Bar-
» barorum. Labores & impensæ Vestræ in singulari nobis sunt conside-
» ratione; quarum restitutionem à Repub: faciendam, serio promovebi-
» mus, desiderantes interea, ut stationem Vestram non deseratis, verùm
» impositam humeris à Repub: functionem, constanter sustinere, totque
» suspiriis optatam pacem Patriæ conciliare, cum immortali nominis Ve-
» stri gloria, contendatis; Quibus precamur &c.

COPIA LITERARUM REGIARUM AD COMMISSARIOS OSTROGI RESIDENTES. Varſ. 31. Julij.

EXperimur, gratoq; animo suscipimus sollicitam operam, prudentiam & dexteritatem vestram, qua, in commissa vobis commissoriali Provincia, nullum rei bene gerendæ modum intermittitis, omnesq; » impletis numeros, dum tam operosæ negotiationis vestræ progressum, » propter pleniorem nostri & senatus informationem describitis. Gemina » propositio ex amplioribus scriptis vestris elicitur: Prima; an commissio dif- » ferenda sit ad comitia ad quæ intendit Doroszenko Nuntios expedire, » ibiq; juxta suorum Commissariorum projectum, in facie totius Reipub: » desideria Exercitui Zaporovienſi, Ecclesijs Ruthenis, totiq; Ruthenæ » Genti necessaria, promovere? Altera; utrum interim armistitium sit con- » cedendum; & non tantum scriptis ab utrinq; cavendum, verùm etiam » juramentis vestris, & Polonorum belli Ducum, roborandum? posita pro » fundamento probè vobis perspectâ Doroszenko insinceritate; combi- » natis relationibus præsentium apud nos Legatorum Nizanorum, cum O- » strogensibus præcautionibus, secum omnino convenientibus; consideratis » omnibus circumstantijs; concluſum in nostro Senatûs consilio, non diffe- » rendam esse cum toto effectu ad comitia, cœptam commissionem; sed » continuandam, trahendámve sine interruptione, vel limitatione, ob se- » quentes rationes. Quod enim nunc non efficiemus, & evincemus à Do- » roszenko, frustra postmodum erit, ubi res suas apud Portam stabilierit, » quæ hoc anno debilitata per expeditionem Candiensem, ferre ei suppe- » tias, ad præsentem campaniam non poterit. Concederetur Doroszen- » ko tempus practicandi & conveniendi cum Hano Krymensi, cum Hanen- » ko, Nizanoq; Exercitu, quærendi promotionem prætextu Religionis à » Czaro Moschoviæ. Expedit Reipub: scire certum statum rerum, Verai- » nensium ante Comitia, ut Verainam, si media pacis non succesſerint, » etiam armis vindicet, adeoq; de modo belli gerendi, de viribus proporti- » onatis consulendum erit in Comitijs. Effectus legationis à Doroszenko » non esset alius quàm novæ commissionis petitio, certè enim non immuta- » bit supplicationem suam sub tempus Electionis & Coronationis porrectã, » quam Legati ejus moderari nec volent, nec valebunt. Sublationem uni- » onis, independentiam, distinctum tribunal, aliaque absurda urgebunt, » quæ per rationem statûs Respub: non concedens, occasionem dabit Do- » roszenko & Tukalski concitandi plebem Verainensem; in instructione pri-

mo

A.C.1670 „mo & principaliter requirimus, ut Doroſzenko in ſignum ſinceræ fidelita-
„tis, inſignia Turcica ante omnia remittat; quod ille in comitijs facere nolet.
„Ex his itaq; alijſq; ſolidis conſiderationibus firmiter inſiſtendum Commiſ-
„ſioni Oſtrogenſi, etiamſi per Comitia, & in ulterius tempus trahenda fo-
„ret: In Comitiis enim emergentes difficultates facile tota reſolvet Reſ-
„pub: concluſamq; approbabit tranſactionem. Denuntianda ergo hæc no-
„ſtra declaratio Doroſzenko perſvadendumq; his, & aliis rationibus, ut
„Commiſſarios ſuos omnino mittat, negotiumq; pacis ante vel ſub Comi-
„tiorum tempus concludat. Aliàs amiſſa ultima de illo ſpe, hoſtis loco
„habendus eſſet, Coſaci verò Horodenſes, uti & Nizani per reſcriptum
„noſtrum, vel conſtitutionem in deſideriis juſtis contentandi, quibus, ut
„intelleximus Nizani Coſaci acquieſcent. Altera propoſitio ratione armi-
„ſtitij acceptari eam ob cauſam nequit, quam ſupremus Regni Mareſ-
„chalcus in ſcorſiva expreſſit charta; quod ſcilicet Imperator Krymenſium
„cum Zaporovienſibus Vcrainam ingreſſus, exiget infallibiliter noſtrorum
„armorum ſocietatem, adeoq; armiſtitium non ſervando, daretur occaſio
„offenſionis Coſacorum, conſervando armiſtitium, certa cum Tartaris
„diſſenſio. Accedit inſperata, ut ex recentibus literis conſtat, Commen-
„dantis Lebel, obſidio Bialocerkviæ, conſequenter aperta hoſtilitas; ſi-
„quidem per ſuas univerſales Doroſzenko Coſacos congregat, ſub Bialo-
„cerkviam, colligere meſſem, commeatuſq; comparare Præſidiarijs non
„permittit; naturali ordine dandus erit ſuccurſus in hominibus & annona,
„& inſuper vis vi repellenda. Ipſe igitur Doroſzenko cauſa non conſtitu-
„endi armiſtitij, quandoquidem ex parte ejus hoſtilitas ſumit exordium;
„Unde quia Hanenko cum Zaporovienſibus aggredi volet, uti minatur,
„Doroſzenkum, requiret quoq; ut nos ad belligerandum contra eum, ru-
„inamq; ejus concurramus ex parte noſtra: Inconveniens ergo eſſet obli-
„gari pactis, longè magis juramentis ad ſervandum armiſtitium, quod
„volentes nolentes relinquere forſan cogeremur. Quo ad perſonas Com-
„miſſariorum Coſaticorum, danda eis omni meliore modo ſecuritas per
„ſcripta tam à vobis, quam à Ducibus, ſed tamen ſine juramentis, quæ ipſi
„Coſaci in projecto ſuo de armiſtitio non exigunt; & aliunde indecora ſunt
„& periculoſa hujuſmodi juramenta: Hoc enim exemplo certo certius ex-
„igerent, ut nos, ſtatuſq; Reipub: poſt finitam Commiſſionem ſuper illud
„ſervandum juraremus; ut quondam ſuper pacta Tartarica & Hadziacen-
„ſia, quod erat cum indignitate noſtra, & cum recognitione æqualitatis
„Coſacorum, ac extorſione, non tanquam à ſubditis ſed æqualibus. Hac
„ergo ex ſenatus conſulto miſſa vobis declaratione, certi ſumus, tam bene
„cœptum opus indefeſsâ curâ, & ſummâ prudentiâ vos proſecuturos, & ad
„fortunatam concluſionem deducturos. Tolerabiles erunt vobis, graves
„licet, labores & impenſæ, quibus ſalutem & ſecuritatem Patriæ, eum im-
„mortali nominis veſtri gloria, comparabitis, Regnum noſtrum ſolida &
„immota pace lætificabitis, fructum laborum veſtrorum, non tantùm ex
„florente pace, verùm etiam ex debitis à nobis & Repub: retributionibus
„colligetis. Precamur interim fidelitatibus veſtris bonam à Deo valetudinem.

DECLARATIO REGIA AD PROPOSITIONẽ DEPUTATORUM ELECTORALIUM BRANDEBURGICORũ DATA EX CANCELLARIA REGNI. Varſ. 7. Auguſti Anno MDCLXX.

SAcra Regia Majeſtas Poloniæ ſingulare documentum præbuit & obſervantiæ Pactorum Bidgoſtienſium & conſtantis ſuæ erga Seren: Electorem Brandeburgicum Ducem in Pruſſia ac ejus Seren: Domum Ele-

Electoralem propensionis cum exorientibus licet non levibus dubitationibus & difficultatibus, ipsidem tamen tantisper submotis & ad commissionem (de qua inferius) reservatis, recognitionem juris Feudalis ad arces & oppida Lemburg & Bittau cum attinentiis nomine Seren: Electoris factam grate admisit. Literasq; recognitionis & renovationis ejusdem feudi ex Cancellaria gratis extradi mandavit. A. C. 1670

Quod attinet Propositionem Deputatorum Electoralium ratione renovationis & confirmationis fœderis perpetui Bidgostiensis per juramentum nomine & in animas tam Suæ Majestatis quàm Seren: Electoris præstandum, libenter idem S. R. Mtas ex parte sua adimpleret; verum Pactis insistendo pro submovendis omnibus obstaculis eximendisq; suspicionibus, & pro firmiori eorundem Pactorum observantia ac plenaria & celeriore executione, necessarium in primis & pactis sæpè memoratis conforme ducit ut intercedentes aliquæ dubitationes, prætensiones & controversiæ circa observationem ac executionem Fœderis ac Conventionis Bidgostiensis per Commissarios ab utrinq; nominandos amice componantur & definiantur. Quam amicam commissionem cum jam alias primum Seren: ac Potent: Rex Joannes Casimirus per Palatinum modernum Culmensem, deinde sub tempus Interregni Respublica per Ducem Radzivilium Præfectum Stabuli M. D. Lit, Legatos suos decenter à Sua Seren: Electorali requisiverint, eandem etiam Commissariorum Delegationem Seren: & Potent: MICHAEL felicter regnans statim post suam felicem Electionem à Legatis Electoralibus Varsaviæ præsentibus per Episcopum Culmensem Procancellarium Regni, deinde per repetitas epistolas, ad extremum recentissimè die 19 elapsi Junij per Ablegatum Morstinum instantet & amicè postulavit, minimè per se dubitat S. R. Mtas Seren: Electorem æquo & in Pactis fundato deliderio R. Mtis & Reipub: tandem conceſſurum, ut Deputatis suis protunc Varsaviæ existentibus, vel alijs quàm primum nominandis id negotium peragendi Commissarios juxta Pacta Bidgostiensia cum sufficienti potestate permittat: quandoquidem S. R. Mtas ex parte sua Commissarios Polonicos & pridem & ad præsens destinarit & nominare eosdem negotiumq; prætensionum & Controversiarum vel hoc ipso mense Augusto (computando bimestre à die requisitionis factæ per Morstinum) inchoare parata est. Quam Commissionem ante Comitia Generalia Ordinum Regni Varsaviæ proximè celebranda, vel intra decursum Commissionum peragi & fine protelationibus definiri optat, ut Status & Ordines Regni Poloniæ, quid sperare à Seren: Electore, aut quid ejusdem Serenitati præstare debeant sufficienter informentur. In qua Commissione prætensionibus ab utrinq; liquide deductis ac per Commissarios, vel si neutra pars in propria causa decernere queat, etiam per mediatores compositis & definitis nulla mora pro renovando & confirmando fœdere & conventione Bidgostiensi S. R. Mtis ad præstandum per Deputato suum conjunctim cum Electorali Deputatum juramentum accedet.

ANDREÆ OLSZOWSKI PROCANCELLARII REGNI AD SUPREMUM REGNI MARESCHALCUM. Varsaviâ 22. Aug.

SUmmè contentus Rex, residensq; senatus, Dnum Chelmski cum militaribus copiis sub Bialocerkwiam expeditum, re bene gesta rediisse, illiq; fortalitio curâ & operâ tuâ, ad votum omnium provisum esse; ad cujus conservationem, Piwo suis aptus est cum hominibus, cum sine one-

re

A.C. 1670 , re Reipub: sciat voluntarios in officio continere, illosq: ijs in partibus
, moderari. Commendans Lebel exustâ civitate, molendinis, & quod pejus
Lebel exus-sit Ecclesias , est, Ecclesiis; ut ex literis Commissariorum Cosaticorum Polowczyo O-
, strogum scriptis, Regiq; à Palatino Czernichovienſi communicatis, con-
, stat, summè irritavit Doroszenkum, & statum Ecclesiasticum: Quam ob
, causam timenda est aperta hostilitas. Unde, quia tractavit ratione dedi-
, tionis hujus fortalitij cum Palatino Moschovitico Kijoviæ existente, fors
, non expediret illum amplius esse Commendantem. Mitto tibi à Rege Pa-
, tentes cum fenestella pro Commissione, ut parem functioni Commissa-
, rium de Exercitu eligas, & inscribas pro tuo arbitrio; cum ex aula, ob
, magnam distantiam commodum non sit expedire, nec subjectum habea-
, tur aptum. Si tibi videbitur alium dare Commendantem, & Lebel revo-
, care, facito quod sublimi tuo sensu, militari experientia judicaveris expe-
, dire Reip. Poterit enim ejus alienatione fieri, ut dolor, & offensio Cosa-
, corum mitigetur. Præcautio à noto mihi correspondente ex Valachia da-
, ta, magnam meretur considerationem, monetque ad præparamenta sub
, tempus hyemis providenda, ad defensionem Reip. & reprimendam po-
, tentiam Imperatoris Turcarum: proximè futura de hoc agent, consulent-
, que Comitia, quod in propositione Regia exponetur, & seriò commenda-
, bitur, ut tempore hyemis proportionatæ parentur vires, Legatos Hanen-
, ko suppono etiam ad te deflexisse. Universalia Regis, tuas ad manus ex-
, pedita, dubito utrum casu quopiam non interierint, cum nullam de ac-
, ceptis habeam notitiam, & utrum tuo probentur judicio; facile tamen
, corrigi posset, quod videretur mutandum, aut addendum. Dabunt homi-
, nes hi laudem tuo nomini, quod eos animaveris ad fidelitatem & obedien-
, tiam Regi præstandam. Residentes de medio eorum hic relicti, se bene
, gerunt, magnamq; ad bonum ostendunt inclinationem. Filius quoq; Ha-
, nenoi, qui, de consensu, in patris cum Ulanicki causâ, Lublinum profe-
, ctus fuerat, iterum rediit. Communem motum omnia fere exigunt Co-
, mitiola; qui valere poterit ad reprimendam incursionem, si quæ à Tarta-
, ris ingruerit. Ad comitia armatam ducere multitudinem, nemo recti
, sensûs probat: ego bene ominor illa pacatè & civiliter esse concludenda.

PRÆCUSTODITIO PROCANCELLARIJ REGNI POLONIÆ ADVERSUS ELECTORALIS BRANDEB. DEPUTATIONIS PRÆCUSTODITIONEM & PROTESTATIONĒ.

26. Augusti.

NOvo ad hunc diem neq; prorsus audito exemplo Illustrissimi Domini Deputati Electoris Brandeburgici, septima die, post susi ab aula Polona discessum, præcustoditionem & protestationem quandam, primum ad acta publica Castri Cerscensis, sex millliaribus Varsaviâ distantis, clanculum porrexerunt: deinde Procancellario Regni, mox S. R. Mti, per Generosum Brandt aulicum Electoralem hic degentem, ad manus obtulerunt, suo ne id motu, an jussu & mandato Seren: Electoris fecerint? non constat, factum tamen an decenter amiceq;? quilibet prudens & æquus facile judicaverit. Quid enim oportebat Cerscum aut aliud Castrum, Sochaczoviam adiri, cum Varsaviæ acta publica, metrices Regni paterent, ut verò tam concivibus meis, quàm externis atq; in primis Seren: Electori rei veritas & æquitas, meliùs notescat (ad quem pleraq; non ex fide imò in deterius de aula Polona referri credibile est. Consulendo etiam, famæ & publicæ dignitati, non libente etiam

iam calamo, breviter & informationis duntaxat causâ ad objectiones re- *A. C.* 1670
spondetur.

Duæ functiones in aula Polona peragendæ demandatæ erant à Sua Serenitate Electorali Deputatis. *1ma* ut vigore Pactorum Bidgostiensium jus feudale ad arces & oppida Lemburg & Bittau Regi & Regno recognoscerent. *2da* ut juramentum ex Pactis debitum super firmitate Pactorum Bidgostiensium nomine Seren: Electoris præstarent, simulq; præstari nomine S. R. Mtis requirerent.

In primo negotio post exhibitas S. R. Mti, ab Illustrissimo D. libero Barone ab Hoverbek, fidei literas & plenipotentiæ Instrumentum conferentiam cum eo habuit Procancellarius Regni, in qua hæc propositi.

Imo Non sufficere ad actum recognitionis, unius Deputati Personam ex verbis Pactorum, per Deputatos Consiliarios, aut Officiales, cum itaq; duo Legati advenerint jure requiri, ut duo conjunctim jus feudale recognoscant.

2do Ut Deputati recognitionem eandem, cum juramento præstent, licet enim Serenissimus Elector, & sui successiores liberati sint per Pacta Bidgostiensia, à Personalibus juramentis juxta verba: *Absq; omni juramento*; Deputatos tamen teneri id præstare, quandoquidem honoratio eorum non est expressa in pactis.

3tio Ut recognitionem feudalem certâ verborum formulâ, ex scripto faciant.

4to Ut præcustodiatur in futurum de præstanda tali sub tempus coronationis Regum Poloniæ, juxta verba Pactorum: *Ad singulas coronationes mittere tenebitur, & obligatus esse debebit.*

5to Non esse conveniens, ut Cancellaria gratis laboret, quod tamen civiliter dictum, & cum declaratione gratuiti officij, sine ulla extorsione, juxta verba Pactorum. *Gratis extradi debent.*

Ad 1mum Punctum Respondit Illustrissimus D. Howerbek, sibi uni demandatum esse negotium prout constat ex literis credentialibus, & plenipotentia producta.

Ad 2dum, Eodem pariter jure Seren: Electorem atq; ejus Deputatũ, à præstando juramento liberari.

Ad 3tium, Non esse præscriptam in Pactis Bidgostiensibus formulam recognitionis, attamen super ea se deliberaturum & responsurum.

Ad 4tum, De mittendis Consiliariis & Officialibus ad singulas Regum coronationes adjectum esse in Pactis: Quodsi aliquâ legitimâ causâ impeditus Serenissimus Elector, & Electoris Successores, hoc officium & debitum in coronationibus Regum non fecerint, nihil ea negligentia detrimenti adferre debebit, dummodo alio brevi tempore post coronationem id præstetur.

Ad 5tum, Pari civilitate nec sine injecta spe, gratificationis respondit. Postquam conferentiæ actum & progressum retulit S. R. Mti Pro-Cancellarius Regni, senatu habito, post maturam & longam deliberationem, concluſum est senatus-consilium.

Ad primum, Admittendum esse pro hac vice unum Consiliarium & Officialem, cum sufficienti præcautione, ut in posterum per duos seu plures Consiliarios, aut Officiales, recognitiones feudales, super Lemburg & Bitau peragantur.

Ad 2dum, Ut juramentum pro hac vice, à recognoscente Deputato non exigatur, sed tamen hæc dubitatio & quæstio mota, cum alijs prætensionibus, per Commissarios decidenda reservetur.

Ad

A.C.1670 *Ad 3tium*, Formula recognitionis per verba diſpoſitiva & obligatoria ſcribatur. *Ego recognoſco.*

Ad 4tum, Acceptetur tempus præſens cum præcautione, quòd futuris temporibus, pactis inſiſtendum ſit, niſi legitima cauſa impedimenti dilationem ad breve aliud tempus perſuadeat.

His concluſis declaratio data eſt Dno Howerbek, eum præmonitione, quòd Legati titulo, ad actum ſolennem recognitionis abſtinere debeat, licet enim ad defungendum gratulationis, eum Sereniſſimo Rege, & Regina officio, Legatorum titulo à Sereniſſimo Electore, in literis credentialibus, uterque, eo honeſtati fuerint, ac Legatorum honore à ſuis Majeſtatibus & Senatoribus Regni accepti habitique ſint, eam tamen prærogativam ad ipſum recognitionis actum extendi non poſſe, ex verbis Pactorum & literis ſiduelarijs ac plenipotentia Electorali deductum eſt.

Difficultas fuit circa formulam recognitionis, noluit Illuſtriſſimus Dominus Howerbek, verbum, ego, præſcribi; noluit expreſſam ſuæ perſonæ nominationem formulæ inferri, in ſingulis planè verbis ſcrupulos & difficultates movit.

Sed graviſſima fuit controverſia, ſuper verbis: Directo Domino, quæ poſt multorum dierum renitentiam, vix tandem privatâ perſvaſione, & eũ præcautione aliqua Illuſtriſſimi Dni Ablegati Cæſarei, ac demum ſuperveniente Sereniſſimi Electoris declaratione, à Deputato acceptata ſunt.

Poſtremò conventum eſt, ſuper formula, prout ſub adjuncto A: & juxta quam peractâ per Illuſtriſſimum Dnum Deputatum Feudali recognitione in reſponſione, nomine S. R. Mtis facta, inhærendo exemplo in anno 1612 Præcuſtoditiones altè memoratas Pro-Cancellarius ex ſcripto uti ſub A juncto B, adjecit, & juribus Regis ac Reipublicæ reſervavit.

Non tardavit Cancellaria Regni in ſcribendis literis recognitionis, & renovationis Feudi, &, quanto cius Illuſtriſſimo Dno Howerbek, ad legendum communicavit, à quo cum per duas circiter hebdomadas, retentæ & examinatæ eſſent, Miniſtro Primario Cancellariæ, ad domum Illuſtriſſimi Dni Howerbeki requirendi & rehabendi cauſâ veniente corrigenda nonnulla ex obſervationibus ſuis expoſuit. Videlicet in verbo loco: *Ordines Regni*, ſcribendum: *Ordines Reipublicæ*, delendum eſſe ex recognitionis formula nomen ſuum.

In verbo loco *poſteris* ſcribendum *Succeſſoribus*, verba *Reges Poloniæ tanquam naturales & Directos Dominos* omnino expungenda, loco: *ſub immediato Dominio Regum Poloniæ* ſcribendum *ſub immediato Dominio Regis Ioannis Caſimiri*. Reſponſum à Pro-Cancellario Ordines Regni, ordinario ſtylo appellari, ſcribique poſteris genuinum eſſe Pactorum verbum, exprimi nomina recognoſcentium, moris fuiſſe.

Immediato Dominio Regum Poloniæ non poſſe immutari, quòd Vladislaus & Sigiſmundus Reges, poſt extinctum jus Feudale, Ducum Pomeraniæ eas præfecturas tenuiſſent.

Circa verba *Naturales & Directos Dominos*, demonſtravit Pro-Cancellarius formulam, quâ Sereniſſimus Elector, ac ejus Majores juramentum ſuper Ducali Pruſſia recognoſcebant, eam videlicet. *Ego ero fidelis & obediens Sereniſſimo Regi Poloniæ ſicuti meo naturali Domino & hæreditario, & ſucceſſoribus legitimis Regibus & Regno Poloniæ Dominis meis.*

Contra Illuſtriſſimo Dno Howerbek verba iſta eliminari inſtantiſſimè & pertinaciter poſtulante, tandem inſperato ultimam controverſiam fecit. de titulo *Epiſcopus Pomeſaniæ*.

Reſpondit Pro-Cancellarius Epiſcopatum Pomeſaniæ incorporatum eſſe Epiſcopatui Culmenſi, Palatinatum totum Mariæburgenſem cum majori & mi-

& minori inſula, & plurimis muratis templis & Parochijs in regali, ac etiam in Ducali Pruſſia ad titulum & jus Epiſcopi Pomeſanienſis ſpectare & poſſideri. Requiſitum olim Sereniſſimum Ioannem Sigiſmundum Electorem, Ducem in Pruſſia, avum moderni Sereniſſimi Electoris, per Commiſſarios Regios, & Reipublicæ, prout in actis & decretis commiſſionis Regiomontanæ in volumine conſtitutionum Polonicarum inſertæ habetur, ut pro Epiſcopo Pomeſanienſi, ejuſque ſublevandis oneribus certi aliqui reditus proventusque à Sereniſſimo Electore aſſignentur, cui Epiſcopatus Pomeſaniæ titulo Sereniſſimus Elector minime tunc contradixit, ejuſque Succeſſores, Duces in Pruſſia non contra dixerunt, imò Sereniſſimus Elector modernus, jam poſt Pacta Bydgoſtienſia epiſtolas à moderno Epiſcopo Culmenſi, cum ſcriptione: *& Pomeſaniæ*, acceptavit illiſque benigne reſpondit. In literis itidem ad Illuſtriſſimum Dnum liberum Baronem Schverin, atque Regentes Pruſſiæ, nec non ad ipſummet Illuſtriſſimum Dnum Howerbek titulo, *& Pomeſaniæ* ac ſigillo pacificè Epiſcopus Culmenſis utebatur. Allegavit Pro-Cancellarius, Vandalorum Ravenſtein, & alios titulos à plurimis Principibus retineri, diſſimulante Sereniſſimo Electore, jure tamen & honore Suæ Serenitatis integro & illæſo. Nullatenus itaque poſſe (quid quid aliquis fecerit) eum titulum ſibi competentem à ſe ipſo in diplomate, ex Cancellaria ſua emanante omitti revocabat in memoriam Pro-Cancellarius, quanta contentione de titulo Domini in Lemburg & Bitau, licet Pactis non expreſſo, ac multos per annos, poſt Pacta Bydgoſtienſia a Sereniſſimo Electore non uſurpato actum & tranſactum ſit. Poſſeſſionem bonorum Epiſcopatus Pomeſanienſis certam & pacificam Sereniſſimo Electori Duci in Pruſſia permanere, nihilque Epiſcopo Culmæ, Pomeſanienſis novi juris acquiri. Non poſſe etiam ſine ſcitu ſummi Pontificis titulum Epiſcopalem deſeri, vel alienari. Cæterum liberum eſſe, Dominis Electoralibus Deputatis præcuſtodi itionem deſuper, coram actis, metrices Regni inſinuare. Ad has aliaſque rationes, cùm alter collega Illuſtriſſimus Dnus ab Oſtaw æquiorem ſe demonſtraret, attamen Illuſtriſſimus Dnus Howerbek, immotus in ſententia perſtitit, & literas recognitionis licet in alijs punctis ad ſuum placitum emendatas, non acceptare vacuuſque ab aula diſcedere, latius duxit. *A.C.1670*

Quod attinet alteram functionem ad quam non niſi demum primâ expeditâ, Illuſtriſſimi Domini Deputati Electorales acceſſerunt, redditis Suæ Mti fiduciæ literis, & exhibitâ plenipotentiâ Electorall ad conferentiam deventum eſt.

Propoſuit Pro-Cancellarius Regni unum tantùm deputatum, ad præſtandum juramentum, ex ſingula partium requiri, quod etiam declaratum nuperrimè fuit, ab Illuſtriſſimo Dno Howerbek. Recognitionem Feudi ad collegam ſuum ſpectare negante, ſed illum diversâ functione ad præſtandum duntaxat juramentum, ex ſingula partium requiri, quod etiam declaratum nuperrimè fuit, ab Illuſtriſſimo Dno Howerbek, recognitionem feudi ad collegam ſuum ſpectare negante, ſed Illum diverſa functione, ad præſtandum duntaxat juramentum oneratum eſſe. Proinde ſufficere ſolius Illuſtriſſimi Dni Oſtaw perſonam, vel ſi utrique curare magis lubeat, non repugnari volentibus, à Mte tamen Regiâ unam duntaxat perſonam, juxta pacta deputandam fore.

2do. Propoſuit Pro-Cancellarius Regni ſupponendo Illuſtriſſimos Dnos Deputatos plenipotentiâ & mandatis ſufficienter inſtructos eſſe, ut ante juramentum præſtandum, præprimis aliquæ dubitationes & controverſiæ exortæ per eoſdem uti toties expeditos Commiſſarios, cum commiſſarijs Regijs examinentur, componantur & definiantur juxta expreſſa verba pactorum, articulo *ſi ſuper limitibus*.

A.C.1670 *Ad 1mum punctum* Reſponderunt Illuſtriſſimi Dni Deputati: ambobus conjunctim præſtationem juramenti à Sereniſſimo Electore vigore plenipotentiæ commiſſam eſſe.

Ad 2dum Rationes in præcuſtoditione & proteſtatione ſua expreſſas ſatis ſuperque intulerunt, confirmationem juratoriam pactorum, diſpoſitioni & compoſitioni controverſiarum præmitti oportere.

Ex adverſo Pro-Cancellarius, cum Senatoribus Regni, poſito fundamento, ex pactorum diſertis verbis, ſi circa obſervationem & executionem eorundem aliâve quâvis de cauſa, aliqua dubitatio aut controverſia exoriatur, per Commiſſarios ab utrinque intra bimeſtre ſpatium æquali numero nominandos, illæ amicè componantur, & definiantur, ſubintulerunt eas rationes.

1mo Quòd in plurimis contraventum ſit pactis Bydgoſtienſibus à Sereniſſimo Electore Brandeburgico.

2do Quòd juramentum debeat eſſe purum, certum, abſolutum; eſſet autem dubium & conditionale, ſi ante concluſas & compoſitas prætenſiones admitteretur.

3tio Quòd prætenſiones Polonæ circiter viginti, non dubiæ & lindiſcuſſæ, ut ajunt Electorales, ſed liquidæ, graves, & cardinales demonſtrabuntur, ideoque ante juramentum diſcutiendæ & definiendæ.

4to Quòd per trinas legationes fruſtra requiſita fuerit ſua Serenitas Electoralis, ut juxta pacta ad componendas & definiendas prætenſiones, & controverſias commiſſarios ex parte ſua deputaret.

5to Quod non bimeſtre ſed triennium jam excurrat, ex quo primum Sereniſſimus & potentiſſimus Rex Ioannes Caſimirus per modernum Palatinum Culmenſem Ablegatum ſuum de ſopiendis prætenſionibus, Sereniſſimum Electorem requiſivit. Eandem inſtantiam & requiſitionem, Reſpublica tempore interregni per Legatum ſuum Ducem Radziwilium Præfectum ſtabuli M. D. Litv. iteravit. Poſtremò nuperrimè expeditus eſt ad Electorem Ablegatus Morztyn accuraturus, ut præſentibus Legatis, ſeu Deputatis Electoralibus ſufficiens daretur poteſtas, hic Varſaviæ controverſias ab utrinque & ante omnia componendi; & definiendi. requiſivit eandē commiſſionem Regia Mtas, per literas ex Comitijs felicis Coronationis ſuæ datas, quarum excerptum habetur ſub litera C. Cùm igitur tot Legationes & requiſitiones irritæ abierint (de quo tamen nulla officioſa proteſtatio à Polonicis Miniſtris facta) jure meritiſſimo S. R. Mtas minimè integrum ſibi exiſtimat ad præſtandum juramentum aceedere, priuſquam in puncto controverſiarum, etiam forte non fruſtra, ſuperiore loco in Pactis poſito ſatisfiat.

6to Cum Ablegatus Regius Morztyn menſe præterito die 19na Iunij apud Sereniſſimum Electorem, propſitionem Pactis conformem fecerit, obligatur vi Pactorum Sua Serenitas Electoralis, non ultra diem 19nam Auguſti delegationem Commiſſariorum protelare, negotium enim componendarum controverſiarum, non poteſt ultra bimeſtre.

7mo Recognitionis faciendæ, ſuper Lemburg & Bitau, præfinitum eſt in pactis tempus Coronationis Regiæ, vel ſi legitima cauſa vel impedimentum intervenerit, aliud breve tempus poſt coronationem; jam verò in puncto confirmatorio Pactorum juramenti, non eſt ejuſmodi ſtricta determinatio temporis, imò legitima cauſa vel impedimentum poteſt locum habere, ideoque juramentum ad menſes primò, deinde annum vel annos ſine Pactorum immutatione vel contraventione differri poſſe.

8vo Cum prætenſiones ex parte Sereniſſimi Electoris, de non ſatisfactione Pactorum, contra Poloniam inferantur & non ſine præjudicio bonæ fa-

næ famæ (quæ Regibus & nationibus cariſſima eſſe debet) contraventio fœderis Bydgeſtienſis, per epiſtolas & rumores Polonis impingatur, intereſt tam Poloniæ, quàm ipſiusmet Sereniſſimi Electoris, ut ſuper prætenſionibus ejuſdem, amica compoſitio & definitio, per Commiſſarios quàm primum fiat, cujus Serenitati per dilationem juramenti nihil decedit, cum Pacta pridem & nunc per ſe valida, & inconcuſſa durent, atque inſimul cum alijs vicinorum Principum fœderibus obſervanda, Regiam Mtem in Electione Ordines Regni juramento obſtrinxerunt. A. C. 1670

9no Intereſt Regiæ Mtis & Regni ut ante Comitia Generalia Varſavienſia, ſi fieri poſſit, componendarum prætenſionum negotium expediatur, ne conſilia & animi in incerto ſint, nam ad ſatisfactionem pecuniariam, ratione Elbingæ & Drahimi, non alibi, quàm in comitijs tributa ſanciri poſſunt, omnino itaque conſultum erit, ut ante Comitia vel ſub tempus Comitiorum, certò conſtet, quid, & quantum à Polonis, Sereniſſimo Electori debeatur, & utrum non ſuperent prætenſiones, ex parte Regis & Regni Poloniæ, & utrum poſſint mutuâ compenſatione, ex æquo & juſto componi & definiri.

10mo In Pactis conventis ſeu aliàs Capitulatione Regem inter & Rempublicam tempore Electionis ſancita & juramento confirmata, cum ſcitu & conſenſu Legatorum Electoralium tunc Varſaviæ præſentium articulus præſcriptus eſt, ut controverſias quaſvis, cum Sereniſſimo Electore intercedentes, Sua Regia Mtas complanari curet. Cui articulo ſatis faciendo Regia Mtas Seren. Electorem ad tractandum & complanandum negotium controverſiarum per epiſtolas, & noviſſimè per Ablegatum Morztyn decenter invitavit, atque huic propoſitioni ſuæ ex conſilio Dominorum Senatorum (quod nos Senatus conſultum, Electorales prætextatum clypeum appellant) firmiter & inviolabiliter inhæret & inhærere tenetur.

11mo Cum ex ſcripto Deputatorum Electoralium, prætenſionum negotium, pro contingentibus hominum & temporum caſibus elidi, aut ipſo facto prætenſiones, ex prætenſionibus in infinitum (abſit omen) protrahi poſſe colligatur, cujus etiam protractionis Illuſtriſſimus Dnus Howerbek inſinuando ſæpius de mediatoribus, non levem ex parte Electorali, metum injecit, exemplo inſuper occupati Drahimi terrente occurrendum eſt, eo medio, ut ante juramentum prætenſiones definiantur.

12mo Senatus ad latus Regis protunc infrequentiam, non ideo obtentui ſumptam, quaſi Senatorum multitudo, ad conſilium Regium omnino requiratur, poteſt enim S. R. Mtas, cum paucis Senatoribus, dummodo Miniſter ſtatûs adſit, graviſſima Reipublicæ negotia expedire, ſed cum peracto conſilio, & ſcripto Senatûs conſulto, plerique ex Senatoribus Majoribus ad conventus ante-Comitiales Palatinatuum diſceſſiſſent, rectè illatum non potuiſſe à paucis immutari, quod complures de præmittendis juramento prætenſionibus, inſimul cenſuiſſent.

His atq; alijs rationibus in Pactis Bidgoſtienſibus, & ſummâ æquitate fundatis, cum declaratione omnimoda quod S. R. Mtas poſt complanatas ab utrinq; differentias, nullo negotio & confeſtim parata erit ad præſtandum juramentum, minimè acquieverunt Illuſt: DD. Deputati, ſed iterum & iterum dicta repetentes S. R. Mtem ac Senatores majorẽ in modum defatigârunt.

Neq; prætermitti hic debent (quandoquidem audientias, reſponſiones & literas Regias, pro confeſſo evulgant Deputati) varia tentamenta, quibus intentionem ſuam lucrari, ac Regiam Mtem planè expugnare nitebantur.

Augebat Illuſt: D. Howerbek, ſuſpiciones, terrorem, & pericula, à

A.C.1670 male contentis, contra quos præsidium; & quandam evictionem ab amicitia, & potentia Electoris offerebat.

Responsum est à S. R. Mte, nullum Principem neq; ipsummet Seren: Electorem, vacuum & immunem esse male contentorum, satis se fiduciæ & præsidij habere in benevolentia & validiore multitudine optimorum civium.

Offerebat mediationem Seren: Electoris, inter Regem & malè contentos. Responsum domesticas curas, & turbas domi, civilibus mediis facilius compositum sedatumq; iri.

Ingerebat multos Regi malè velle; responsum vel paucos apertè, vel nullum, aut brevi in concordiam redituros.

Stimulabat honoris ambitu: nempe admirationi fore Seren: Electori, quasi Rex nihil sine senatu statuere valeret. Responsum, legibus Patriis se obstrictum libenter fateri.

Urgebat exemplis, quòd Reges alij in regnando laxiores, & quid vis statuendi faciliores erant. Responsum, illos à Svecia, Hungaria, Gallia ad sceptrum vocatos, Senatum Polonum, aliam Patriam extra Poloniam, neque habere neque malle.

Non pepercit Illustrissimus D. Howerbek comminationibus, tentavit promissis, multa jecit, quibus Senatores inter se committeret, sed neq; terrores neq; spes & tentamenta, nec veteres artes, quibus aliquando in vetere aula Polona poterat pollebatq;, ad expugnandos invictos animos, & commutanda recta consilia prævaluêre.

Tandem ergo postquam Seren: Regi, Illustrissimi DD. Deputati in animum induxerunt, misit ad eos responsionem Regiam sub litera D: contentam Procancellarius Regni, celerius remittere inconsultum videbatur, ob recens experimentum, quam variâ & mirâ subtilitate examinaverint & discusserint literas Recognitionis, quas postremùm ex levi prætextu recipere Illustrissimus D. Howerbek abnuit, factum similiter, cum memorata responsione Regia', cui nonnulla DD. Deputati oppposuerunt videlicet:

1mo Legatorum nominationem sibi deberi. Responsum. Deputatos in Pactis nominari.

2do Nomina & titulos suos non exprimi, Responsum: Nominibus, Regis, Electoris, Senatorum consulto ibidem abstineri.

3tio Loco *vel si neutra Pars in propria causa decernere queat*, scribendum: *vel cum neutra Pars in propria causa decernere queat.* Responsum per hanc particulam, cum, potestatem definiendi, controversias Commissarijs penitùs adimi, & annullari, quam tamen vel sine mediatoribus efficaciter operari posse. Verba & sensus Pactorum evincit Articulo *Si de limitibus.*

Propositio in præcustoditione Electoralium numero 7. Quod antequam Sacra Regia Mtas corpori Reipubl: immortalis (qua cum pacta realia perpetuaq;) per Deputatos in animam ejusdem jurantes, præstatione juramenti se conjunxerit, nihil ex iisdem cum affectu petere potest, suamq; Serenitatem Electoralem ad prætensiones respondere, nullis necessitari juribus, profectò maximè scandalosa statui Regni Poloniæ, & Pactis contraria, atq; uti Regem à Repub: separans non ferenda videtur.

Quod ea oretenus Illustrissimi DD. Deputati Regiæ Mti proposuissent, scriptô exhibere postulati sint, causa non est, cur grave id visum fuerit, imò ne Suam Mtem, protractis ad multas horas, audientiis, ulterius

terius gravarent, utq; mens & ratio propoſitorum conſtaret ac variationi non inſolitæ obviaretur, ſcriptionem pro more requiſitam fuiſſe. *A. C. 1670.*

In procinctu extremum itineris, atque trajectu Viſtulæ, venit ad Procancellarium Regni Aulicus Brandt nomine Legatorum, reſponſionem, quam per Regentem Cancellariæ abnuerant, iterum repetens, quâ tandem contentos fore DD. Deputatos dictitavit. Commodũ tunc non erat Procancellario judicia Regia celebranti è loco Tribunalis conſurgere, quod tamen poſt modicum, unius fermè horæ intervallum fecit, & ad manus Electoralium, per alte memoratum Morſztynum Reſponſionem tranſmiſit.

Altero poſt die, ſeriore jam veſperã Illuſtriſſimum D. Howerbek ab itinere ſuo reducem, in Domo Mareſchalci Curiæ Regni, caſu fortuito Procancellarius deprehendit, qui nulla mentione facta ſuæ præcuſtoditionis, ſeu proteſtationis coram actis Caſtrenſibus faciendæ, cum plena amicitiæ ſuæ, & officiorum erga Procancellariũ conteſtatione, ſed quod Patriæ in more eſt, emiſſo poſt tergum telo diſceſſit.

Cæterum hiſce ad præcuſtoditionem & proteſtationem duorum Deputatorum Electoralium in vim reciprocæ procuſtoditionis, & reſponſionis celeriter connotans, facultatem ſibi Procancellarius Regni præmunit, ſi opus fuerit ſolenniore, latiore & quovis alio modo & loco eandem proteſtationem extendendi.

Quemadmodum ergo nihil à S. R. Mte prætermiſſum, vel à Senatoribus, & nominatim ipſomet Procancellario neglectum eſt, quod ad obſervationem, & executionem pactorum jure deſiderari queat; ita nihil tale, aut aliud quidquam prægravabile & per directum vel obliquum præjudiciioſum neque nunc neque in poſterum ullatenus Suæ Majeſtati Regiæ, & ejus Miniſtris eo nomine poterit imputari, Indeque pactis, prætenſionibus & juri quocunq; nomine venienti derogari, quæ omnia per ſe illæſa, & integra potiùs reſervantur. Etſi præter ſpem Seren: Elector propoſitioni vigore pactorum, & juſtiſſimo deſiderio Poloniæ, ratione ſopiendarum ante omnia per Commiſſarios controverſiarum locũ non dederit, præcuſtoditur Suam Majeſtatem, & Miniſtros ejus omni causâ vacuos eſſe, ac fore & toties conteſtatam pactorum Religionem, candidam amicitiam, bonæq; vicinitatis ſtudia à S. R. Mte obſervari.

Quam præcuſtoditionem & remanifeſtationem Procancellarius Regni, ad manus Suæ Serenitatis Electoralis, nec non Illuſtriſſimi D. Baronis à Schwerin, tanquam primi Miniſtri Brandeburgici, tranſmiſit ſalvo jure addendi, corrigendi, meliorandi.

Andreas Olſzowski Epũs Culmenſ: & Pomeſaniæ Pro-Cancellarius Poloniæ.

ANDREÆ OLSZOWSKI PROCANCELLARII REGNI AD PRINCIPEM WISNIOWIECIUM CAMPI DUCEM.

Varſaviæ 31. Auguſti.

NOn moderno, ſed priſcis natum ſæculis, hominibuſq; planè congenitum, illud eſt: veritas odium parit. Ad inſtructionem Mareſchalci nolens volens reſcribere ſum coactus. Oppreſſio à militibus per intolerabiles portionum exactiones, omnium ore damnatur; cui omnino, ſi Rempub: ſalvam velimus, occurrendum eſt: Toties ergo requiſitus Mareſchalcus, ut de modis ſuſtentandi per hyemem

A.C.1670 Exercitûs tempeſtivè cum Rege conferret, nihil reſcripſit. In abſentia mea, dum à Pruſſiæ civitatibus homagium reciperem, concluſum celerius tempus Comitiorum, ea potiſſimum de cauſa; ut ante illa, conſtitueret Reſpub: modum hybernandi pro Exercitu, ſine tanta populorum oppreſſione, quantam potiſſimum anno elapſo paſſi ſumus. Juravit Mæs Regia relevare populum ab oppreſſione; omnia Comitiola unaniniter expetunt cohibitionem exorbitantiarum, & exdiviſionem portionum militarium, quibus Polonia in abominationem deſolationis redacta eſt. Id ego pro ſenſu meo judicarem, ut ducibus certi conſtituerentur proventus, cum perſonalis in caſtris præſentia, magnarum ſit eis cauſa expenſarum: miles verò ut ex æquo participaret, nec unum vexillum plus exigeret altero, habito tamen reſpectu Haſtatorum commilitonum. Conſiſtentias per hyemem in uno loco Exercitui deſignandas, optabant, & ſuadebant antiqui Duces Zołkewſki & Koniecpolſki. Hunc quoq; bonorum militum audivi ſenſum, quem & ipſa ratio ſuadet; cùm hoſtes noſtri etiam hyberno tempore non vacent otio, ut limites Reipub: ſine præſidiis & excubiis non relinquerentur. Quidquid ergo per diſcurſum reſcripſi, optimo pro Republ: zelo excuſor, nec pro veritate quidpiam vereor; cum mihi ut Epiſcopo & Miniſtro conveniat, liberè ſentire quæ velim, & quæ ſentiam, loqui. Submiſi utiq; ſenſum meum judicio Reipub: in præteritis comitijs, ſupremi Mareſchalci, Ducis Exercituum, paratuſq; ſum æquam cum reliquis ſubire ſortem. Inductionem Exercitûs in Ucrainam, invocationem auxiliorum Litvanorum, Moſchoviticorum, & Nizanorum, cum meus non placeat diſcurſus, peritis in arte militari, præſertim verò Ducibus relinquo: memini me tamen legiſſe, 1000. Exercitûs, magnum fuiſſe robur Reipub: celebreſq; victorias de hoſtibus reportaſſe. Cum parva voluntariorum manu, longo tempore Piwo ſubſtitit in hoſtico, ut omittam exempla, in parvo numero grandium rerum geſtarum à tuis Antenatis. Occurrendi tumultibus alius non ſuppetit modus, niſi ſolvendo Exercitui; quod ardenter promovebitur in Comitiis, & Rex per ſua Univerſalia toties propoſuit Comitiolis, ut facta cum vexillis ſuis calculatione, detenta trimeſtria ſtipendia, eis reſtituerent. Convenient quoq; communi motu Palatinatus, cætera DEo &. fato committenda. Complanationem Veſtræ Celſitudini cum Mareſchalco ſummopere optamus omnes, cum in ea conſiſtat ſalus Reipub: quæ ſi curâ & activitate Principis Volhiniæ & Braclavienſis Palatinorum non ſuccedet, authoritas Regia in Comitiis, efficacius, DEo dante, operabitur. Mareſchalcatum conclavis Nuntiorum appetit. Subdapifer Regni; propoſui ego Principem Conſtantinum, ſed ex certis reſpectibus id ei in his Comitiis non optat Majeſtas Regia, eo, quod ejus in illis interveniant negotia. Me interim totum cum obſequiis Celſitudini Veſtræ dedico.

MARTINI OBORSKI CAPITANEI LIVENSIS AD CASTELLANUM LIVENSEM, . in Septemb.

QUæ nuper Varſavienſis mihi attulit poſta, tibi brevibus communico, cùm exprimendis calamus non ſufficiat flammis, quibus Ætnæ inſtar & Veſuvij, ardent animi. Hactenus in Theſaurarium & Palatinum Poſnanienſem agebant, nunc contra Primatem cum reſpirio illorum erumpunt incendia. Hic ſcripſit ad comitiola antecomitialia, inſimulando Regem de non ſervatis pactis conventis; literæ hæ dum in præſentia Principis

pls in ſenatu conjuncto legatis legerentur, ſub ipſum lectionis tempus, ſu- *A.C.1607*
pervenit Primas, ſuoque occupato ſubſellio, poſt finitam literarum lectionem acceptâ voce his fere uſus eſt formalibus: Nobili natus genere primo nunc Senator quidquid pro meo ſeripſi officio, recognoſco; literasque has mei eſſe partum calami & ingenij fateor, nec erubeſco. Horror ſubijt omnes ſpectantes & audientes, quanto ardore Primas, quod expreſſit in literis, palàm Principi deducebat, de reſtrictione juramenti, de fractis in ſuſceptione aurei velleris Principis Burgundiæ, pactis cum ſubjectione Monarchæ dedecente juri Vaſallagij, in contractu matrimonij, inſciâ Repub. in legatione Pro-Cancellarij Viennam expediti, in neglectu fortificationis Cameneci, in non ſoluta Regi Caſimiro, ex pactis penſione: hocq; in furore, ad duas horas ſermonem trahens, aureum vellus crepundiorum nomine compellavit; id quoque exprobravit Principi, quod cum non ex Regnantium domo ſed ex noſtra eſſet in throno æqualitate, præcipitantiâ matrimonij, incipiat eſſe gravis Reipub. contracto ad ſeſqui millionem debito, tamque liberaliter ſangvinem pauperum diſpenſet; addidit palàm, quòd ſicut, inquit, inconſulta Repub. matrimonium inijſti, ita in nullas nomine ejus debiti conſentio contributiones; expreſſit etiam hoc quòd ubi placuerit me aut Senatorem quempiam attendentem juribus de vivis tollere, licitum erit ad id Hiſpanâ uti apothecâ; quod utrumque grandem Domino & Dominæ inflixit convulſionem. Stupor invaſit omnes quòd tam ſubitaneâ præter ſpem invectione, occluſerit omnium ora: Reſpondit poſtmodum à throno Pro-Cancellarius, quædam negando, alia excuſando; exagitatus eſt Primas acclamationibus præſentium, præſertim Vexilliferi Sendomirienſis, (hic enim privatum habuit odium contra eum) Gallicas illi factiones exprobrantis, dum Nuntij Primatem vocibus exagitarent, illeque ſe qua omnibus, quà ſingulis velut aper tueretur, exſurrexit ſenatus, quidamve Primatem, Nuntios alij moderabantur, alij throno accedentes, Principem flectebant ad reconcillationem: Acquievit citò Rex poſt deprecationem, at non facilè Primas: dixit enim ſe non poſſe deprecari, eò, quòd teſtimonijs etiam in hac civium corona, aſſerta deducere, paratus eſſet; conſequenter nullatenus vellet revocare: tandem à fratre & ſenatu vi pene extracto, ſic Regem eſt allocutus: ſcripta dictaque mea non revoco, ſi tamen in verbo offendi; parcet meæ Mtas Veſtra libertati. Paratus ſum etiam ſangvinis profuſione veſtræ ſervire Mti, dummodo pactis conventis ſatisfaciat. Sicque Principem deprecatus, abſceſſit. Petitus verò à Proceribus ad actum Coronationis Reginæ, ſe adfuturum promiſit. Nunc res in eo ſtatu conſiſtunt; ut, conturbati Nuntij Primatis libertate, qui agere deberent pro eo, fremunt, non contenti deprecatione; jam tamen tandem ſcindi cœperunt, alij contra eum querulantur, tuentur alij, ex quibus Siradienſes & Majoris Poloniæ ſpoponderunt, ſe ſangvine & vitâ pro eo acturos, qui tam heroicè egit pro libertate; colloquium interim cum Senatu continuabatur. Exigebat camera ad confirmandum electum Principem, reaſſumptionem legum præteritarum, & juramentum à Senatu & Nuntijs præſentibus & omnibus univerſim & ſigillatim in Polonia & Litvania Nobilibus ſub intentis pœnis, exigebat & caſſationem literarum Primatis ſecuritatemq; Vexilliferi Sendomirienſis, & Kochanowij, alij verò abruptius agunt, ut nihil concludatur, verùm omnia ad communem motum reſerventur. Ea igitur eſt eruditas, & diſcordo rerum, ut quæ ſint metuenda, aut ſperanda, difficilè ſit ominari. Nunc iterum fama tulit, communes motus, moviſſe greſſus ſub Varſaviam. Primas declaravit Principi, ſe communem motum non metuere; imò inquit rectà ad eum tentam, veſtraſque illi artes demonſtrabo, quod & fecit; profectus enim eſt ad com-

Tumultus in Primatem.

munem

A.C.1670 munem motum majoris Poloniæ, gratus ibi hoſpes Caſtellano Poſnanienſi. Ex conſilio quorundam Nuntiorum concluſum fuerat, tacitè ut Theſaurarius ſequeſtraretur, & judicaretur, unde tumultus exorti contra Conſultores, omnibus tamen modis illi ſtruuntur inſidiæ, laboraturque, ut conducto communi motu, in turba fiat confuſio, confuſione pax perſonalis, & via ad amniſtiam. Mandatum datum eſt Theſaurario, ut in communi motu compareat, quod quia nunc illi non erat exhibitum, habuit exceptionem à præſenti judicio. Nuntij Exercitûs erudè tractati: aeriorem habuerunt inſtructionem, quærendo, ſolvetne ſibi ſtipendia, an militem exauthorabit, an relinquet in ſtativis? an Ducibus recipiet claves Reſpub. juſſi ſunt redire ad exercitum, pro alia inſtructione: expeditus verò eſt Exercitus Germanicus, cujus ſunt 13000 cum Polonico, cujus ſunt 10000, conjurârunt ſecum & cum Duce, in ordine ad ſe tuendos, & libertatem. Acceſſerunt ad eam conjurationem Palatini Kijovienſis & Ruſſiæ, multique ex Officialibus Regni, ad quos etiam Caſtellanus Poſnanienſis moturus erat. Quis horum ſit futurus eventus, ignoratur, cum Exercitus declaraverit, ſe certaturum perſeverantiâ, cum communi motu, qui non tuetur, ſed corrumpit libertatem, unde motus magni metuendi, ſi pacatè Comitia concluſa & cum malcontentis pacificatio facta non fuerit.

VOTUM PRIMATIS AD REGEM HABITUM IN SENATU. die 20. Septemb.

PRognatus in hac Republica, nulli naſcendi ſorte ſecundus, pari, cuivis nobilium, Lucina in lucem editus, per gradus honorum ad præſentem uſque provectus, didici, nec diſſueſcam, libertatis ſtylum ita, ut ejus natura docet, ſcilicet ſentire quæ lubet, dicere quæ ſentias: Auguror hoc minimè offenſum iri Majeſtatem, tanquam in eadem Patria genitam, educatam & ex æqualitate ad thronum evectam: Indulgebit eò facilius Majeſtas Veſtra libero, ſed non moleſto ſermoni meo, quẽ eò fiducialius ſalvâ per omnia reverentia & veneratione profero, quo magis provocor ad loquendum. Placato ergo patientiq; animo cognata Majeſtatis Veſtræ æquanimitas ſuſcipiet, quæ provocatus effiari cogor, ex occaſione lectarum mearum literarum, quas nec nego nec erubeſco: Non hic eſt DEi gratiâ forenſis ſtrepitus, quia hic non in foro contentioſo compareo, nefaſq; judico, ſubditos, ut ipſe ſum, in litem deſcendere cum Majeſtate. Scripſi non unas haſce duntaxat ad Palatinatum Siradienſem, verùm etiam ad alios, præſertim Majoris Poloniæ Palatinatus, miſiq; literas ad Comitiola Srzedenſia per Metropolitanum meum canonicum, non ex ullo odio & temeritate (teſtor conſcientiam) ſcriptas, verùm ex obligatione per dictum non ſemel in hoc loco eo nomine ſacramentum: Si quid nocivum ſcivero, avertam: cum plena recollectione, ut in ipſius veritatis fundamento locarem relationem. Sufficit ergo me recognoſcere id eſſe à me ſcriptum, quod evidentibus nec levibus argumentis luculentius dilucidare, ſi opus fuerit, ſum paratus. Caput literarum mearum, principaleq; punctum, licet non primo loco poſitum (prævia ſubmiſſione Veſtræ Regiæ Majeſtatis dixerim) factum cum reſtrictione mentis à Veſtra Majeſtate ſuper pacta conventa juramentum: Sufficio mihi, ſicq; delicatâ ſum certificatus conſcientiâ & ingenuitate Veſtræ Regiæ Majeſtatis, Regibus propriâ & connaturali, id ab ea minimè negandum. Quod verò id mihi ad aures in actu coronationis, ex indignis meis manibus hoc Regij capitis Veſtra Majeſtas ſumendo

do diadema expreſsè dixerit; revoco, eo, quod, cum diſſidentes putarent, Mtem V. cum aliquo illis contrario jurare additamento, dicere Mtas V. dignata eſt ſe cum mentis reſtrictione jurare: 2do ad ipſum altare, dum jam à me diademate Regni Regium caput coronandum eſſet, idem directè Mtas Veſtra repetijt: cum mentis reſtrictione juro: ſicque proceſſit ſub hac relaxatione juramenti laxatâ conſcientiâ, quod patet ab effectis, hæc enim reſtrictio mentis conſervare vetuit pacta conventa, primò enim contra expreſſa jura, quæ vetant Regibus noſtris inſcia Repub. pacta vel fœdera, privatâ authoritate inire, Mtas V. colligationem inijt cum Principe Burgundiæ, inconſultâ Repub: per ſuſceptionem velleris aurei: Non putet Mtas V. crepundia hæc, quæ Regium ſuper pectus gerit, eſſe quid ludicrum, aut joco ſuſceptum; juravit enim Mtas V. Vaſallagium Principi Burgundiæ, attendere commodis ejus, vindicare injurias ejus illatas domui appromiſit, cum præjudicio noſtræ gentis, liber eum eſſet liberæ gentis Dominus ſuique juris Monarcha, ſe ipſum fecit alterius, de quo conſtare debebat Reipub. Dicet quis id fuiſſe etiam ſub Veſtræ Mtis Anteceſſoribus: Non nego quidem, ſed cum hoc venit ad nos domus Jagellonica; unde evenit ut ſ. m. Reges Vladislaus & Caſimirus, licet fuerint ea confraternitate inſigniti, liberi tamen fuerunt à prædicto juramento, & obligatione, tacitâ Reipub. diſpenſatione. Veſtra verò Mtas novo hoc facto juramento, priori fecit injuriam, cùm poſterius iuramentum ſit ruptura prioris. Succeſſit deinde materia matrimonij: Varſaviæ ſtatim poſt electionem, concluſum id fuit negotium per Monachum ſylvanum citra ſcitum meum, aliorumve, licet tum præſentium: Non indigeo quidem teſtibus, totius tamen Reipub. appello fidem, utrum non fuerit ex communi conſenſu voluimini pactorum in electione inſcriptus paragraphus, præcavens, ne Mtas V. matrimonium iniret inſcia Repub. ideoque in comitijs coronationis fuit de hoc ex comitiolis Sendomirienſibus, item Halitio, & ni fallor ex terra Chelmenſi articulus, verùm conveniebat Mti Veſtræ ſaltem juxta ritũ antiquioris juris ex ſenatus-conſilio throni & tori conſortem eligere: vocati quidem ſumus ad conſilium, propoſuit ſupremus Regni Cancellarius Mtem Veſtram inclinare ad Archiducliſſam modernam Reginam, dici tamen poteſt, tum in ludibrium conſultos eſſe Pontifices: fuimus viginti duo Senatores, qui perſonam approbavimus, quia nobis ex hac Auguſtiſſima domo ſemper Reginæ ad votum erant; optavimus tamen tantilper non præcipitare actum, donec prius motivo præmiſſæ rationis Reſpub. ejus conſcia facta fuiſſet, alij diverſa ſentiebant, taleſque erant, qui id totaliter diſſvadebant, allegando, non contemnendas Majorum noſtrorum virorum in hac patria illuſtrium, conſiderationes. Egit gratias pro hac inclinatione Mtas V. ſuam conformando Senatui intentionem, conſiliumque dignata eſt in deliberationem accipere. Quia ergo vis & natura ſenatus conſilij eſt, ut Mtas V. quidnam acceptet concludat, quod ſecus factum. Expectavimus die alterâ & tertiâ, donec pro expedienda convocaremur deliberatione, non vocatis tamen nobis, paucorum arbitrio id in conclavi concluſum, quod concludi oportebat omnium ibi præſentiũ Senatorum. Expeditus Pro-Cancellarius pro concludendis pactis, ſcire vellem, quo ſenatus conſilio aut quando concepta eſt ad id inſtructio: miſſus ſigilli Miniſter cum ſigillo & membrana extra limites. in quo me illi meos aperiente ſcrupulos, jus circa hoc primo voluit, quod priuſquam conſtituatur, ſe interea rediturum reſpondit, exemplo Przerembſcij allegato. Jurarit Mtas V. dare quot annis proviſionem Regi Caſimiro ſed juramento firmata effectu caret promiſſio, cogiturque hic Dominus egens, & erro in aliena terra cum improperio gentis noſtræ querulari. Obligant pacta Mtem V. ad reſtaurandum Came-

A. C. 1670

Vellus aureum

Matrimonium Regis

necum

A.C.1670 necum ubi tamen hactenus nondum pes stetit architecti. Minora volens prætereo, in hoc duntaxat consto, quòd nihil inane protulerim, si tamen Mtas V. id negare voluerit, testibus comprobare sum paratus, qui etiam in hac ipsa civium corona non deerunt, qui id de ore Mtis Vestræ fatentis se id dixisse eam audiverunt narrationem. Hic certè præceps actus matrimonij fuit Mti V. occasio debitorum, jam ut audio, ad sesqui millionem contractorum, per quod Mtas V. incipit nobis esse gravis, requirendo à nobis succursum: & tamen pareet nobis Mtas V. ubi necessitatibus ejus, propter subditorũ depauperationẽ eorrespondere nõ potuerimus, nõ exiguã, ad restrictionẽ hanc mentis occasionem dedit subscriptio Procancellarij in pactis conventis, in hæc verba: Subscribo eum manifestatione contra certa puncta, antiquis juribus, dignitati & utilitati Sacræ Regiæ Mtis contraria. Qui diligenter hanc subscriptionem perpenderit, fateri debebit, amplã hanc esse ad laxandam Vestræ Mtis conscientiam, & restrictionem mentis, viam; sub hanc enim Vestræ Mtis dignitatem venit periculum nobilium sangvinis ejusq; dispensatio, in desperato manet bonorum securitas, subditorumq; jura, quæ absolutæ derogant potestati. Resolvat mihi nunc Procancellarius, à quonam hæc antiqua jura incipere, & in quo debeant determinari, in quibus absoluti Principes nondum in ea, in qua nunc sumus regnabant libertate, priusquam post assumptionem ad Regnum Jagellonicæ familiæ successu temporis libera gens juribus sacrosanctam hanc non circumscripserit libertatem. Quid si mihi vel euipiam alteri, eâ ratione utilitatis & dignitatis Vestræ Mtis de vita migrandum erit? utendumne erit Hispanâ apotheeâ, aut Viennensi inquisitione? Scandalosum id quis non judicabit consilium. Iterato ergo supplico Mti, ut hac mea justificatione non sumat aversionis à me occasionem: Aliud est, si non indigenæ Principi, verùm transmarino euipiam & invecto Principi, non verò illi dicerem, qui ex antenatis suis novit naturam libertatis, eademq; non pridem inæquali nobiscum gaudebat prærogativa, vereri possem veritatem loqui, (imò forsan non metuerem cui conscientiâ nihil carius) Non sum ego nec esse volo tam durus & strictus præmissorum exactor, nec suppono Mtem Vestrã per eõmissionem, verùm potiùs per omissionem, aut ignorantiam eorum, quæ in voluminibus legum continentur ad præmissa supra processisse. Cæterum paratus sum testari Majestati Vestræ, in quavis dum vita suppetet, occasione, propensionem meam, saeratam fidem, & pronam Majestati ejus submissionem, quam etiamnum ad tuitionem dignitatis ejus, etiam si quid vitâ carius habeam, offero, velut primus Senator & fidelis Vestræ Majestatis Servus.

PROPOSITIO ANDREÆ OLSZOWSKI EPISC: CULMENSIS PROCANCELLARII REGNI. Mense Septembri.

INchoatus annus à fortunatè, cælo Duce, & auspice cælo, peracta Regiæ Majestatis coronatione, nondum ad ultimum effluxit pulvisculum, nondum celeri motu terminum ad quem, est assecutus aut perfectum confecit circulum; eùm interea tertia hæc generalia Comitia Regia Mtas ordiri dignatur. Celebrat simul propè jam finẽ consecrati coronatione sua Septembris anniversarium, effectu potiùs quàm lemmate moderni Imperatoris, consiliô, & industriâ. Eo planè tẽpore quo dives variisq; abundans fructibus autumnus operosum recreat Patrem familias; Remp: toto anno Comitialis consilij vacuam, sanis cõsiliis

filiis optato boni communis fructu implere & exhilarare conatur. Intertextum quodammodo bonis malisq; nexuimus sertum, egimus annum rupturâ geminoruum Comitiorum dolendum, non levibus diffidentiis, sinistris interpretationibus, metu, minisq; malorum turbulentum: Verùm ex alia parte prævalente fortunâ Regiæ Mtis omnium infortuniorum impetus terga vertere, silere tempestates, turbines quiescere, omnia adversa fulgori Majestatis cedere, & evanescere, sunt coacta. Non ratio aut vis humana; nec ullæ ingeniosorum & perspicacium politicorum maximæ; Verùm sola omnipotens DEi dextera integritatem Patriæ restituit: quando non finitis Comitialibus consultationibus, non conclusâ sufficiente defensione; in incertis & suspectis viciniis, in domesticis simultatibus, quarum vis nocentior, quò causa innocentior annum hunc in quiete placidaq; pace, supra spem orbis transgimus. Utebantur hoc rigore priscæ quædam nationes, ut occurrentes casus, incommoda publica & privata imperantibus adscriberent: Si fortuna belli titubavit, Nilus parcè exundavit, Syrius segetes adussit, in segetes ipsa devolvebatur. Justius longè referre grates & immortalem gloriam, exhibere gratitudinem, venerari genium felicitatis Regiæ Mtis convenit, recursis breviter annuis successibus. Venit Regina Austri non viso hactenus nec reperto in falsis exemplo, non minùs gloriosè quàm fortunatè; in ejus obsequia & commoda subitò glaciali marmore instratus & solidatus solidus est famulatus Ister. Certant officijs magnæ Monarchiæ, Austria, Hispania, Francia, Svecia, Anglia, Hollandia, & quidquid in orbe magnum surgit, Regiæ Mti: Redduntur detenti & difficultatibus hactenus innodati tituli Mtis: Remisit ex innata præsumptione & tumore gelidi Septemtrionis Monarcha. Dissita & 20 annis oblivioni data Zaporovia, de qua dipotuit: O bonum æqvum, si bonum sessorem invenerit, ad vocem novi perij prorsit sub pedes Regiæ Mtis, legesque pacis suppliciter acceptavit. Taurica, à Porta, alijsque vicinijs secura tranquillitas; & salus & pax nis revisunt oppida bigis. Sicut itaque imperturbatum externis bellis dosticisque motibus, ubertate opibusque non vacuum elementi cœlo forque Regiæ Mtis debemus annum; ita majore in dies erga Dominum ectu crescere, gaudereque monstrati digito Dei, datique divinitus patæ imperio tenemur: Quisquis nube remotâ clariùs rerum perpendit um; quisquis revocat memoriâ elapsorum non ita pridem temporum ia adversa, ipsa pace sæva, sine nota assentationis fatebitur, dicetque; næ genti sub Rege Sarmata gratior it dies & soles meliùs nitent. Cyn & stella gentilitium Regiæ Mtis decus in sublimi solio, in auge coltum, signo victricium crucum consecratum atras dispellit nubes, soli spem innubis, occasûsque nesciæ felicitatis Patriæ accendit; malignũ s Bissurmanicam lunam vel ipsâ umbrâ sua terret & fugat. Maneant es emeritam suam gloriam à Sequana aut Tibisco vocati nostris ab avis narchæ; superat avorum sortem nostra nepotum fortuna, patriâ lingvâ iri, intelligi, non adscisceere peregrinas lingvas, emptitios interpretes, pati, superba atria durasque fores, facile in penetrale Regis pertingecurè ad latus & aurem Domini in necessitatibus accedere, non tansed & simpliciter loqui ad Dominum. Modus verò novi Regiminis alis omninò est à novitatibus sine adscititijs postliminio resond'estate, implicatis externorum interesse respectibus penitùs prisco - Polonus sosà in consilijs, correspondentijs, prævisione periculorum, commoda & aris Reipub. quemvis gnarum & rectum, contentum facit. Non con t animum Mtas Regia post duorum Comitiorum rupturam, difficili tempore & suspectis sibi ac Reipub. circumstantijs ad immoderata, quæ

A.C.1607

A.C.1670 quæ perdere citiùs, quam ſalvare poſſent Patriam, ſed efficaciſſimum remedium redintegrandorum Comitiorum, tertia Comitia eſſe judicavit, & eligere eſt dignata. Non eſt ſine numine, nec vanum facit omen ſignum cœleſtis libræ, in quam menſe hoc ſe transferet phœbus, fore, ut abjectis iniquis privatarum & malarum contentationum conſiſtant in æqui librio ſtatus Reipub. intolerabilia & impia pauperis populi gravamina, ſi non penitus cervicibus deponentur, ſaltem æquo moderamine allevientur, cauſæ publicæ judiciales ſtaterâ legum commenſurentur; civium animi & ſtudia boni communis amore colligantur & adunentur. Ne verò Mtas Regia novis & gravioribus oneret curis ſolam inſtructionem ad Comitiola miſſam, trutinandam porrigere, punctatimque per me renovare dignatur.

Primum locum in propoſitione Regiæ Majeſtatis obtinet pacificatio diffidentiarum. Quidquid de Regnis & Monarchiis tam antiquis quã hodiernis legimus omnia deprehendimus ex parvis conſurrexiſſe rebus, à caſiſque paſtorum, à piſcatoriis navigiis, ſumpto exordio concordiâ in magnitudinem excreviſſe. Nullum imperium aut natio aliter periit, quam diſcordiis domeſtielſq; ſimultatibus ſciſſa & diſcerpta. Si omnes conglobentur gentes, (prophetavit hiſtoricus ſummæ orbiq; dominanti Monarchiæ Romanæ) evertere eam non poterunt, priusquam civium diſſidentiis & certaminibus à fundamento commoveatur: Deſeſſos & exangves tum demum Regi aut nationi prædæ futuros. Sicut ergo conſeia eſt Majeſtas Regia, ſe nulli diffidentiarum aut malæ contentationis dediſſe occaſionem, niſi hoc ipſo, quòd regnet; ita proteſtatur coram Polono orbe ſe erga nullum obſtinatam & implacabilem offenſam habere, omneſque ſuas diſplicentias magnitudine Regiâ tranquillitati Patriæ, & amori civium penitus condonare. Cæterum, ſi quidpiam in perſona aut factis Regiæ Majeſtatis à recti tramite devium & emendandum aliquis animadverterit, facile feret rectum monitorem, quà privatim, quà publicè cuivis rationem dare, aut etiam legibus interrogari non ſubterfugiet.

Occurrere rupturæ Comitiorum in manu Veſtra ſitum eſt; Pax nullos modos quibus pupilla libertatis liberæque vocis non tantùm lædi, verùm etiam tangi poſſit, porrigit: Nemo tam expers rationis inveniri poteſt, qui non judicet; iniquè & malignè, cum grandi injuria Regiæ Majeſtatis & Reipublicæ, cum dedecore & probro Poloniæ Gentis rupta eſſe Comitia. Sit itaque hoc pro primo objecto præſentium Comitiorum, modus concludendorum conſiliorum, qualiſcunque à vobis inventus fuerit, utraque manu à Regia Majeſtate acceptabitur.

Defenſio Reipublicæ, quam hactenus ſola tuetur divina providentia, ſolido indiget conſilio. Non eſt relinquendum diſcretioni fatorum nec in aleam fortunæ jaciendum tam inclytum ſangvine Majorum noſtrorum comparatum & ampliatum Regnum. Utrum ergo auctio placeat Exercitus per multiplicationem vexillorum, aut additionem turmarum, aut per terreſtrem expeditionem; aut denique moribus antiquis per communem motum? veſtri eſto arbitrij. Conſtitutio defenſionis duplex eſt, ſcilleet antiquum Exercitum in obſequiis Relpublicæ manentem conſervare pro præteritis laboribus bellicis contentando, & in futurum proviſo & roborato ſtipendio ad promptiora obſequia allicere. Sicut prius eſt & præſtantius belli Dueum in campo martio obſequium; juxta illud: Quanto Dux milite major, tantum ego te ſupero: Ita primus eſſe debet à Republica reſpectus & compenſatio, præſertim expenſarum ſupremi Mareſchalci & Ducis in publicum erogatarum

tarum in Comitiis liquidatarum, & liquidandarum. *A.C.1670*

Hyberna militaria poſſunt his temporibus poni primæ loco exorbitantiæ, maximæque Reipublicæ corrupteiæ: Ex levi cauſa & tolerantia quantum jam adolevit intolerabilis hic & periculoſus abuſus. Non eſt intentio Regiæ Majeſtatis famelicum ſervare militem, ordinem tamen in diſtribuendis panibus, æqualitatem & moderamen ex æquo & poſſibili optat. Legatio in Moſchoviam determinata terminoque Moſchovitico ſuſpenſa per limitationem ultimæ Commiſſionis Andruſzevienſis. Punctualiter genti huic in diem eſt reſpondendum, ne ex levi cauſa aliquam ad nos prætenſionem inveniat, non morabitur Regiam Majeſtatem delectus perſonarum; cùm digna non deſint ſubjecta; ſumptum tamen nervum rerum agendarũ providere, inſtructionem deſcribere toti convenit Reipublicæ. *Hyberna.* *Legatio in Moſchoviã.*

Mediatores juxta pacta Andruſzevienſia non niſi in tertio congreſſu locum habent; quos quia Moſchus exigit, utrum non ſervatis gradibus ad futuram Commiſſionem ex amicis principibus adiciſcendi ſunt? Veſtræ ſententiæ Regia Majeſtas acquieſcet. *Mediatores.*

Kijovia præter & contra fidem pactorum hæret adhuc ad magni uſque Legati expeditionem; ſi eam de manibus maiæ fidei poſſeſſorum vindicabimus, quomodo tenendum hoc fortalitium quali & quanto præſidio? unde commeatus & apparatus pulveris tormentarij &c. & amunitiones providendæ, tempeſtivè ineundæ ſunt rationes Reipublicæ. Donaria Scythica neceſſitatis ſunt non voluntatis: inducta eſt hæc conſvetudo florente Republica pactis Podhaiecenſibus tractatu cum Dedizaga, reſponſis & proniſſionibus confirmata. Si quod aliud vulgus, hæc vel maximè barbara & ubrica gens amicitiam & fraternitatem utilitate probat. Capitatio Judaica, n eum finem ordinata, non ſufficiet, moneta in timſis & ſolidis Conſtantiopoli non currit; recurrendum ad alios modos, ut objectâ offâ de die in iem periculoſos hos confratres in officio contineamus. Corrupta moneta it eſt manifeſta & lethalis Reipublicæ ægritudo, ita quantocius curanda ſt & extirpanda, extenuatur ſenſim & contabeſcit per internam hectiam Reſpublica, occurrere ultimo interitui, ne malum per longas invaleſcat ioras, ſummè intereſt. Porrexit pridem memoriale Ablegatus Cæſareus t argentea noſtra moneta cum Sileſitica coæquaretur. *Kijovia.* *Donaria Scythica.* *Moneta.*

Legati externi, ne nimium res noſtras perſpectas habeant, determinandum eis certum reſidentiæ tempus, nec plus ultra. Inter ſolidos communis tranquillitatis modos, etiam hunc in inſtructione ponere eſt digna- Majeſtas Regia, ne cives emigrent ultra Patriam; non permittebant priſci legis latores, patique nolebant duarum civitatum cives. Ut ergo rreſpondentiæ privatorum cum externis præſertim in materia ſtatûs :erdicantur, è Repub. cenſet Majeſtas Regia. *Legati externi.* *Cives non migrent ex Patria.*

Calculationes fiſcales tot annis & comitijs non fiunt, & utrum cenn ſumptus non ſuperat, ignoratur? Ut ergo fundamentum cujuſvis conj eſt noſſe Rempublicam, ita dum de novis contributionibus agitur, mputandæ ſunt antiquæ expenſæ. Oeconomia politica habet ſimilitudim cum domeſtica: quomodo ergo ſtatuere contributiones & ordinare emus expenſas, dum, quidnam agatur in ærario, ſcire nolumus; exnunc ;o poſt finem votorum Majeſtas Regia nominabit Deputatos ex Senaad ærarium. *Calculatio.*

Regina, Dei ope, volentibus fatis deducta ad dilectum nidum ſuam Majorum in Regno hoc Patriam reperit; hic ſpes reſque ſuas colat. Expertæ ſunt Cæciliæ, Conſtantiæ, Annæ commodum in Polonia micilium: Habuerunt proviſionem Imperatorio generi, Regio ſtatui conienteм. Æquabit inclyta hæc Domina pietate, clementiâ, amore noſtræ *Regina commendatur.*

A.C. 1670 ſtræ gentis, diva & auguſta nomina aviarum & amitarũ ſuarum: voſquoque procul dubiò non degenere à Majoribus noſtris ergo eam propenſione & affectu correſpondebitis: ut ergò reformatio conſtituatur &c. Coronatio Reginarum nullo negotio & pro placito Regum fiebat ſemper: Nunc ex novellis legibus duo obices difficultatem faciunt detinentque hunc ſolennem actum: determinatio loci Cracoviæ non niſi, ſecundo denegatio clavium ad ærarium fine authoritate Comitiorum. Si uxores coruſcant radijs maritorum, quid juſtius, quàm ut Regina inter ſceptra & coronas nata & nutrita, dilationem coronationis non patiatur.

In fine propoſitionis perorare dignatur pro domo ſua Majeſtas Regia: Quemadmodum Sereniſſimam hanc coronam ſceptrumque Regium veſtris ex manibus obtinuit, ita non aliunde quàm à vobis ſcilicet ab amore civium ſubſidia & fulcra regnandi deſiderat. Non illexerunt Electorem populum numeroſi grandi ſonitu oblati candidatorum milliones; majoris valoris & æſtimationis fuit nata ſub eodem nobiſcum Jove & educata indoles quàm peregrina ambitio aut vaſta promiſſa.

Hæ ſunt Comitialis deliberationis materiæ, quas à throno ſuo Regia Majeſtas dignatur proponere. Non addit tamen ſtimulos nec pathetico vos accendit ſermone, cùm promptitudo & vultus cujusvis ſit teſtis, quantum priſco-Polonâ ſinceritate, amore Patriæ, curâ boni publici unanimiter & certatim ardeatis: Efflorescent citò lætiora tempora & redibunt in aurum ſæcula priſcum: Procedent fortunato ſucceſſu conſilia cauſæque Comitiales, ubi omnes unanimiter defenſioni Patriæ operam adhibuerimus; Regia Majeſtas auſpicijs, Senatûs & ordines conſilijs, clerus ſacrificijs, nobilitas armis, populus tributis.

Nihil magis benignum cor Reglæ Majeſtatis exhilarat, quàm dum fidelium, Majeſtatique faventium ſubditorum unanimis conſonantiæ echo ad Domini pertingit aures, concórsve omnium Palatinatuum gratiarum actio pro reſtituta domeſtica pace, ſopitis ſimultatibus, quæ ut omnibus imperijs eſſe ſolent perniciosæ; ita hæc quoque compages Reipublicæ eſt experta; quàm vis occulta ſit nocentior. Ubi tamen innata Regiæ Majeſtatis clementia, omnia hæc planè curavit & ſiſtulit unione animorum & conſiliorum reſtituta, dubitandum non eſt, quin domeſticâ concordiâ externorum hoſtium inſultus arceantur & amiſſæ provinciæ Deo favente ſub fortunatis Regiæ Majeſtatis auſpicijs, & reſolutione Exercitûs reſtituantur.

AD CARDINALEM URSINI, A PROCANCELLARIO REGNI. Varſaviæ 10. Septembris.

Varia nuntiantur.

PRo mea ſolita erga Eminentiam Veſtram obſervantia Nuntium fero. Tractatum pacis cum Coſacorum validiore parte per Commiſſarios Regios die 2. Septembris Oſtrogi concluſum eſſe. Neceſſitas temporum excuſabit, quòd vetera jura, & Privilegia Græco-Ruthenis (quos disunitos vocamus) ibidem cauta, & in integro conſervata ſint. Ratificatio iſtius tractatus in Comitiis modernis authoritate Ordinum, & publicâ lege confirmabitur. Princeps Staniſlaus Lubomirſki in Mareſchalcum Nuntiorum, meâ

meâ aliquantum òperâ præelectus est, Serenissima Regina gravida fe- *A. C.1670*
licem partum, & prout medici conjectant, masculum promittit. Hisce diebus speratur venturus à Regina Hispaniæ ad Regem, & Reginam nostram Ablegatus. Abbatiæ Hebdovienſis in Personam consangvinei mei expeditionem nondum hactenus obtinui, quam Eminentiæ Vestræ protectioni pridem commendatam iterum commendo. Ac me insimul Eminentiæ Vestræ reverenter devoveo.

CITATIO DOMINO GRZYMALTOVIO CASTELLANO POSNANIENSI DATA.

MICHAEL DEI GRATIA REX POLONIÆ &c.

TIbi Magnifico Chrysostomo Grzymałtowski Castellano Posnanienſi, Capitaneo Ustenſi, de officiis, Persona, bonisque tuis generaliter omnibus, mandamus, quatenus coram nobis & conventu Regni Generali Varsavienſi proximè celebrando personaliter & peremptoriè compareas, ad instantiam Generosi Initigatoris Regni, ejusque Delatoris Generosi Mathiæ Zabożynski per laudum publicum Posnanienſis & Caliſſienſis Palatinatuum electi, & nomine eorundem Palatinatuum Agentis. Qui te, inhærendo juri communi, & legibus ac constitutionibus Regni citat pro eo. Quia tu immemor juramenti per te præstiti contra fidem juratam, & sacramenti religionem, Electionem nostram in Regem Poloniæ liberrimis vocibus & votis Ordinum factam, temere ac perlicenter perturbare clandestinis artibus, convulsionem libertatis, & nostræ Majestatis læsionem attentâsti, literas novo scribendi modo, & charactere nulli cognito, atque ab omni stylo prorsus alieno à Magnifico Thesaurario Regni ad te missas habuisti, quibus te nobis ac toti Reipublicæ suspectum, criminisq;, ac delicti comlicem & conscium reddidisti, pecunias ab externis ad perturbandam empublicam & subvertendam ejus salutem animo prævaricatorio acepisti, & ita sæpius Patriam prodidisti, post detectas tandem in Comiis particularibus fraudes, Gedanum ut liberius functionibus tuis vacaes, te contulisti, & ex his & aliis rationibus tibi in termino prolixius cendis, & specificandis, perduellionis certa, & clarissima argumenta ommonstrâsti, ut jam per te consilia violenta & iniqua in nostræ Matatis læsionem, publicum fidei præjudicium, & Regni perniciem ncepta & excitata callidè coqui, & perfidè promoveri realis & publie hostilitatis molitionem tegi & supprimi, intimam autem correspontiam, & in conspirationem subtiliter foveri, ac talia internis, extersque practicis, juri Divino & humano refragantibus designari, geque, ut libertatibus oppressis jacens & debilitatis viribus fracta Resiblica, divortioque à bonarum partium sectatoribus, & nobis fidelibus vibus, quæsito, ab extorto deserta mox seditiosorum agmine, facto quasi dato signo, tuis fraudibus, machinis & technis subjectum eat cumentis indubiis publicam famam augentibus, notum vulgatumque . prout & in hucusque exorditam telam continuas, statum Reipublie confundis, & turbas, in eaque omnia tibi licere putas, & quo Reæ Majestatis nostræ authoritatem lædas, nihil immotum, intentamque finis, quin imò adversariis & turbatoribus socium te adjungis,

A. C. 1670 ac in turbido versari tuis factionibus consultum ducis, unde pro tanta injuriæ atrocitate, pro temerata fide, fractoque & prostituto juramento, ac permissarum mero intuitu reatu perduellionis teneris, pœnasque legum criminales contra perduelles (nimirum privationis honoris & vitæ, ac confiscationis omnium bonorum) sancitas in te traxisti, & succubuisti. Pro quibus quidem pœnis legum irrogandis & super te extendendis ex senatûs consulto citaris. Sis itaque ad hæc, & alia latius tibi in termino advenienti proponenda judicialiter responsurus, & terminum attentaturus. Datum Varsaviæ feriâ tertiâ post Festum Sanctæ Margarethæ.

DECRETUM.

SAcra Regia Majestas cum Senatoribus &c. Auditis partium ambarum controversijs, illationibus, objectionibus, defensisque & objectionibus pro & contra factis & deductis eo potissimum considerato. Quoniam probationes & documenta partis actoreæ contra citatum coram sua Reg. Majestate producta non sunt certa, manifesta, notoria & sufficientia, nec ex ijs citatus in objectis convinci potest, ideò adhærendo legi publicæ, citatum cum sex testibus sibi genere similibus bene possessionatis nobilibus propiorem ad evadendum super contenta citationis adinveniri dignata est. In eam juramenti rotham, quia idem citatus juramento Sacræ Regiæ Majestatis liberrimis vocibus Ordinum factam clandestinis artibus non convulsit, nec perturbavit, nec ad enervationem libertatis cum externis quidquam attentavit: Super literas charactere nulli cognito à M. Thesaurario Regni ad se missas, clavem veram & realem ad interpretationem, quid in eis characteribus continebatur, coram eodem judicio Sacræ Regiæ Majestatis fideliter produxit. Pecuniam ab externis ad perturbandam Rempublicam non accepit, nec, ut liberius factionibus vacaret, verùm curandæ salutis gratiâ Gedanum prope se contulit, nec consilia violenta in Sacræ Regiæ Majestatis læsionem, & fidei publicæ præjudicium molitus est, nec correspondentiam & conspirationem ad perniciem Reipublicæ & integritatis jurium ac libertatis, externis, internisque practicis gessit, nec perturbatoribus Reipublicæ socium se adjunxit, nec machinationum contra Sacram Regiam Majestatem & Rempublicam notitiam habet, nec authoritatem Sacræ Regiæ Majestatis & statum Reipublicæ læsit, Deo & Sancta IESU CHRISTI Passione, ita ipsum cum testibus adjuvante. Quod juramentum ab actu præsenti in tribus septimanis coram Magnificis ex Senatu NN & generosis NN ex Equestri Ordine ad id Deputatis, ac coram judicio Terrestri Varsavienſi in Cancellaria Terrestri Varsavienſi præstare tenebitur, post quod præstitum vel non terminus eidem in Comitijs Regni proximè venturis, coram Sacra Regia Majestate, & similium Deputatorum judicio sine quavis adcitatione conservatur peremptorius &c.

ANDREÆ OLSZOWSKI PROCANCELLARII REGNI AD MARESCHALCUM REGNI SUPREMUM DUCEM EXERCITUUM. Varsaviæ 7. Octobris.

NOn suppono, acerrimum tui doloris sensum, etiam contra me justè extendendum esse, ideo, quod ea, quæ in certa relatione, non ego solus, sed Rex ipse & frequens senatus legimus, candidè tibi innuerim; cujus formalia mitto: Legatum Hanenki, qui cum privi-

privilegiis illi & exercitui Zaporovienſi datis, redibat, Doroſzenko in- *A.C.1670*
tercepit, juſſus eſt Piwo illum comitari & deducere, ſicq; fecit, ut eum pene eriperet. Piwo hic homines ex variis nationibus in Poleſia ſub ſigna evocat, quorum jam numerat ad duo millia. Non te latet, quantum Piwo, contra quem frequentiores hic audiebantur querelæ, fuerim ſemper æquus & favens, ejus laudando reſolutionem, qua cum pauca manu voluntariorum hominum, annis aliquot in hoſtico perſeveravit. Non ergo fidem præbeo ſiniſtræ delationi, multò minus illâ te tangendum eſſe calumniâ, quæ mihi nunquam, etiam per primam apprehenſionem mentem ſubijt. Contrarium deduco, quod, fundatus in tua denuntiatione, ſolicitaverim ſeriò ad expoſtulandum cum Czaro Moſchoviæ; meq; ductore, ex nunc ex minore Cancellaria M. D. Litvaniæ, expeditæ ſint literæ queruloſæ contra Mnohogreſzny, cum petitione, ut violati Legati Nizani, in integrum reſtituerentur, libereque per Zaporoviam tranſmitterentur. Non hæreat hæc tibi de me perſuaſio, nec ſuppone à me, in dubium integerrimam tuam erga Patriam fidem vocando, fabulis & figmentis, veritatis eſſe tribuendum nomen; non mihi promus à juventute mea ad nugas genius, longe magis provectior ætate & dignitate eas averſor, & ultro occurrentes, conſtanter refello. Non prodibant ex officina mea, projecta; nec ſtimulavi Nuntios ad delationes, non cogebam ad eum effectum Comitiola; contrarius tota æſtate, non ſine invidia & criminationibus, fui Reſtium literis pro communi motu; quæſita ultro cauſa me odiis exponendi. In ea ſcilicet incidimus tempora, quibus melius per ſilentium ætatem agere; quandoquidem meæ literæ & reſponſa in Exercitu tantos fecerunt motus, & antiquam tuam erga me gratiam alterarunt. DEo id vindici committo, quidquid contumeliarum in inſtructione militari, contra me, inaudito hactenus exemplo, congeſtum eſt. Principatus & titulos domui meæ non impetravi, avita contentus nobilitate, patriisque honoribus. Abbatiam, & Parochiam nullam teneo, licet florentiſſimis etiam temporibus, ſignaturæ Miniſtri ſubſidiaria beneficia habuerint: Duas Coadjutorias juvenibus datas, juſtè impugnavi; & cum, poſt jus meum ante annos quatuor evictũ, quinq; Abbatiæ; Wachocenſis, Sieclechovienſis, Tyunecenſis, Tremeſſenſis, & Claræ Tumbæ dolo mihi & ſupplantatione eſſent præreptæ, quod ad inſtantias proceſſũ juris facile ceſſerim, neſcio, crlminationem, an æquanimitatis laudem promerui? Plurlbus dolores meos & injurlas non exaggero.

COPIA LITERARUM PROCANCELLARII AD CASTELLANUM ROGOSINENSEM.

NEc ſic malè, quòd vel per injuriam meam te vivere intelligam, legendo ſubſcriptionem tuâ manu factam in Inſtructione Comitiorum Starogardenſium. Vivis feliciter tuæ famæ ſuperſtes, quæ te ante dimidium anni exemit vivis; unde & Caſtellanus honor jam alterius preclbus datus fuerat. Dixi per injuriam meam: quæ tanto mihi acerbior accidit, quòd ab amica & Senatoria manu proceſſerit. Non memini me tam malè de te meritum; quin imò meminiſſe velis, benè de te Gedani meritus ſum. Denigrârunt me & cancellariam meam craſſæ Minervæ calamo & Caſſubienſi ſtylo prædicta Commitiola; tu accõmodâſti authoritatem Senatoriam, manumque tuam obſequio malitiæ contra me furentis Palatini Pomeraniæ. Eâ manu quæ auſpicia Cancellariatûs mei ſecundi in-

A.C.1670 di ingenii ornavit versu, nunc honorem meum ultra vitam pretiosum atro induxit calamo! poterántne universalia alijs exarari terminis, majorique moderatione & decentiâ; ac à me edita sunt? & tamen recepi vicem tam indignè tractatus Antistes vester & Pro-Cancellarius. Satis caute ad requisitionem Regis per literas, occurrendo majori malo, universale edidi pro contributionibus, & accilis cogendis communique motu secundùm decreta Mariæburgensis congressûs; nec ad solum me istæ literæ destinatæ fuêre, sed etiam ad superiores duos Palatinatus: edidi autem in fundamento antiqui & novi juris privilegiorum, sponsionum; ut in facie Reipublicæ probabo. Nec hic adhuc finis infensi odij Palatini. Non sufficit illi, quòd tam per se, quàm suos emptosque Quirites exeruerit omnem virulentiam in me in Generalibus Comitiolis Graudentinis: processit denique ad Pasquillum sive projectum; quod sub tempus Comitiolorum per copiam literarum ad meum Regentem devenit. Dolor ferendo major, & zelus honoris imperat mihi; ut vel invitus aliquot verbis respondeam. Ferre fortunam possum, quam nunquam per fas per nefas assequi contendi. Non ignotum; qualiter non prensanti, imò etiam recusanti tria illa obtruserit munera. In negotijs Reipublicæ hactenus censuræ immunis fui, certatim illustres & magni viri gratias mihi accumulant, virtutem & laborem meum encomijs honorant. Commendationis Palatini nec egeo, nec curo, imò nec cupio hocce Censore probari. Sacrum equidem emicat supra palliolum quidpiam, quod ipse agnosco humanæ imperfectionis, verum tegit indignitatem meam proceritas dignitatis, præsuleusque character; nec enim dissimulare possum, etiam in Angelis repertam pravitatem. Iubet ut interrogem famam, quæ illa de me sit? paucis ad id respondeo: mentiri illam non audere. Vivo in luce & aperto ostio, acta mea erubescere non valeo. Objicit mihi decora domûs ejus à me ipsi exprobrari? non memini hujus; quia uti illorum ignarus sum, nec ea unquam audivi, præter Nobilitatem; ita non entis nullæ apud me passiones sunt: verùm sint sanè summa decora, extent in curribus Æmiliani: id tamen scio tam à Pruthenis Bąkowiæ, quàm majoris Poloniæ concivibus Czeszeni Nobiles nasci non Comites. Constat mihi in Pruthena antiquitate nullos fuisse comites, Nobiles sub Crucigeris viguisse & cum eo titulo primores gentis ad coronam Regni accessisse. Novi & id hodiernum Cancellarium Bohemiæ Dnum Nostycz probè mihi familiaritate cognitum primum esse, qui comitatum sibi & posteris suis conciliavit; hic forsan ad privilegium suum Dnum Bąkowski admisit. Denique objicit mihi; quamvis novitiatum non probaverim cum illo, quandam novitatem & novitiatum Patria indecorum. Scit Polonia me non esse Hadziejewic, vel Berckman sed à sæculis antiqvum Regni Nobilem, vetustate & consangvinitate cum magnis domibus cuivis parem, uti meritorum sic & decorum in Equestri Ordine non inanem, super omnia satis decoris; quòd in domo mea nihil indecori perstiterit sed tam verticem quàm plantam subducturamq; integram sit reperturus. Atavos & avos meos interroget, & dicent illi. Non sunt auditi in familia mea parricidæ vilis Insecti; quibus elogijs in ruptis Comitijs Bąkowski ornatus fuit. Nemo Olszowiorum glorioso sceleré occisæ libertatis famam rapuit, nec parentem Patriam cruentavit, pro qua multi de domo mea hostilem hausérunt sangvinem, fuderunt suum; nemo Cannas renovavit, Patriæ in campis Batowiensibus, in quibus detestandum accusantes Authorem insepulti manes clamant: quos inter Patruelis meus ibidem victima ut olim Augustus vocalis est: Quintili Varre redde legiones. Hoc obsequio, hoc parricidio novus crevit Palatinus, illud Poëtæ adimplens: ille Crucem sceleris pretium tulit, hic diadema. Locata sive per arendam

dam aut emphyteuſim tenuiſſe bona non audivi hactenus probro datum Nobili, præſertim eùm Parens meus Vir Senatorius ſatis majorum poſſeſſionibus dives, à conſangvineo ſuo magno itidem viro per arendam tenuerit. Dominatores magni id non erubeſcunt: ipſe quin Palatinus Pomeraniæ tanti faſtûs nullum ruſticum habens, ejuſmodi pane ex Abbatia Peplinenſi ſe ſuſtentat utq; amplius dicam: decentiusne fuit; Mareſchalcum eſſe ante patinas & diſcos, ac inſervire pro ducentis florenis & amictu? Hæc nunc ſunto ſcripta ſat rectè; ſi me ultra laceſſiverit, adjiciam ſuperabundanter & luculentè non requirendo ſtudiose; nam in domum meam hæc ultrò veniunt. Non inferam injuriam, ſed reponam: non enim terribilis mihi eſt ex Sub-Palatino Palatinus. &c. *A.C.1670*

COPIA LITERARUM AD ELECTOREM BRANDEBURGICUM 24. Novemb.

INtemperantem calamum, quem in ſcribenda utraque ad nos epiſtola Cancellaria Serenitatis Veſtræ exacuit graviore ſenſu excepiſſemus, niſi prævalerent apud nos, levioreſq; vel injurias facerent, neceſſitudinis, & amicitiæ ſacra fœdera, quæ cum Serenitate Veſtrâ inviolabili conſtantiâ obſervare, & Regium, & Religioſum eſſe exiſtimamus. Mirari duntaxat ſubit, quod licet non minimis hactenus argumentis propenſum ſtudium, & ſinceram amicitiam noſtram Serenitati Veſtræ approbaverimus, nihilq; quod augendæ, firmandæq; illi momentum adderet, prætermiſerimus, ſecus tamen pleraq; à Serenitate Veſtrâ fieri, ac variis tentamentis noſtram exſtimulari patientiam experiamur; An enim notâ hâc occaſione diſſimulemus, quod legatio nupera Serenitatis Veſtræ proteſtationem quandam nobis Senatuiq; prægravem, non tantùm ex itinere ad nos mittere, ſed eandem publicis actis caſtri noſtri Sochacovienſis inſcribendam procurare, ac ſub tempus Comitiorum, multis Senatoribus, & Nuntijs Palatinatuum, diverſisq; perſonis diſtribuere, jus faſq; ſibi duxerit. Quonam alio fine, niſi concitandis illorum animis, & conturbandæ Reipub: atq; ut iſto veluti claſsico contraventio fœderis Bidgoſtienſis ex parte noſtra non ſine præjudicio exiſtimationis noſtræ deſignaretur. An etiam decorum, non tantum memoratas epiſtolas calumnia, falſitatis, indignationis, alijſq; verborum contumelijs repleri, ſed earundem epiſtolarum copias, prius etiam, quàm nobis originales præſentarentur, per manus hominum Varſaviæ, alibiq; diſpergi, deniq; nobili Euſebio Brand, multa temere, & licenter obloquendi (quòd juſſu, & ex præſcripto Serenitatis Veſtræ facere ſe affirmavit, probavitq;) audaciam committi, cujuſvis æqui, & moderati judicio relinquimus. Acerrima querela contra Inſtigatorem Regni noſtri, quòd in actione de crimine læſæ Majeſtatis, Magnifico Caſtellano Poſnanienſi in nuperis Comitijs intentata, conferentiam illi cum Serenitate Veſtra interceſſiſſe allegâſſet, illud imprimis iniquum habet Inſtigatorem contemptim appelatum,

Proteſtatio Legatorum

Non competens ſtatus

A.C.1670 latum, quem genere nobilem, dignitate Regni officialem, avo judicioque maturum, binâ ablegatione apud Serenitatem Veſtram, ſub tempus belli Suetici functum, ignorare Cancellaria Serenitatis Veſtræ non debuit: in cujus viri mores, modeſtiamque indecora calumniandi Serenitatem Veſtram temeritas cadere non potuit, ſed malignitas potiùs, aut imperitia notatoris cujuſpiam culpam meretur, qui aures, animumq; Serenitatis Veſtræ ſiniſtrâ relatione implevit. Objectum fuit memorato Caſtellano, ex delatione duorum Palatinatuum, & Terrarum Regni Majoris Poloniæ conſenſu, & approbatione omnium Palatinatuum, & Terrarum Regni; ac M. D. Litvaniæ eum conſilia cum externis agitaſſe, pecuniâ aliquando corruptum egiſſe, in pago quodam correſpondentijs opportuno, quem poſta Serenitatis Vræ tranſcurrere ſolet, ſubſtitiſſe, quid ergo tantopere iſta allegatio Serenitatis Vræ afficiat animum, cùm Reipub: inſtituto, & Legibus novellis prohibitum ſit, ne cuipiam Polonorum cum externis, in negotijs præſertim ſtatum afficientibus privatim conferre, & correſpondere liceat: Quid actio à civibus contra civem intentata, in Regia noſtra agitata, Clementia, & Amniſtia conſopita Serenitatem Vram, aut aliquem miſi alienorum nimis curioſum concernat, an ea cauſa, à malevolo quopiam ultro quæſita, ſatis idonea videtur Serenitatem Vram adeò graviter offendendi? ejuſq; amicam erga nos, & Rempub: voluntatem mutandi, & alienandi, cujus Electoralis dignitas, & fœderata nobiſcū conjunctio, uti extra ictum, vel ſuſpicionem aliquam poſita eſt, ita vana vel falſa rumorum facilè poſtponere debeat. Quod attinet

Kalkſtein Ludovicum Chriſtianum à Kalkſtein, quem graviſſimorum ſcelerum reum judicio damnatum, ut prehendi, & cuſtodiæ mandari, atq; ad fines Ducalis Pruſſiæ, unà cum ſcriptis ejus, cum ſecuro comitatu deduci, & ſuis extradi velimus, Serenitas Veſtra efflagitat, id verò nimis rigidum, neq; ex pactis debitum exiſtimamus, indignum etiam Regiâ Clementiâ hominem afflictum, & gratiam implorantē ad certum dedi ſupplicium. Novimus rectè quid ex fœdere Bidgoſtienſi conveniat, quòd Supremo Tribunali appellationum in Ducali Pruſſia conſtituto, ab eo judicio ad nos provocare, querelaſq; ad nos deferri, aut à nobis admitti non liceat. Eâ cauſâ querelas Kalkſtenij non admittimus, ut de ijs cognoſcamus, & decernamus, ſed miſeratione hominis, & humanitatis ducimur, ut eidem benignitatem Serenitatis Vræ conciliare ſtudeamus. Inſtitimus proinde apud Serenitatem Vram per Ablegatum noſtrum Generoſum Morſztyn, ſed cùm Regia interpoſitio noſtra nullum effectum obtinuiſſet, eò deuentum eſt, ut memoratus Kalkſtein, ex origine nobilis Polonus Stolinski dictus aliquorum cognatione ſubnixus, militaria inter ſigna multis notus, & de Repub: meritus, Equeſtris Ordinis Patrocinium in Comitijs imploraret. Neq; fruſtra Jura,

privi-

privilegia, libertates Ducalis Prussiæ in memoratis Pactis præcusto- A.C.1670
ditas esse, earumq́, ac sui protectionem ad Rempub: Polonam, à qua non in perpetuum exciderint, spectare allegaret. Cujus scripta nos ne legimus quidem. Quod igitur in dedendo eodem Kalkstenio Serenitatis Vestræ desiderio non satisfaciamus, agre id Serenitas Vra habere non potest, datis ab eadem exemplis, quæ afflictis, & judicio lapsis aliquibus Polonis patrocinium impendere eoq́, authoritate, & studijs suis adjuvare, ac in pristinum statum reponere, tametsi Antecessori nostro id permolestum fuerit, non alienum officio suo id existimavit. Cæterum moneri jussimus Kalkstenium, ut modestè se gerat, & decentibus mediis clementiam Serenitatis Vestræ exorare contendat. Quod superest Serenitati Vestræ bonam valetudinem, & prosperos rerum successus ex animo vovemus. Das. Varsaviæ.

ANDREÆ OLSZOWSKI PROCANCELLARII REGNI AD MARESCHALCUM REGNI, SUPREMUM DUCEM EXERCITUUM. Varsaviæ 25. Novembris.

ITeratas præcautiones tuas, & vigilem curam, circa securitatem limitum Reipublicæ, ac propulsandos ab eis hostes, solita gratitudine suscipere dignata est Majestas Regia. Lectis in senatu tuis literis, annexisque conclusum; Siquidem Majestati Regiæ cum residente senatu, nullus suppetit modus augendi exercitûs, quandoquidem authoratio & expeditio ex Palatinatibus, ad Majum usque dilata est, communem quoque motum hyberno tempore convocare, Inconsultum; committendam esse Patriæ defensionem ordinario præsidio Exercitus, in obsequio existentis, & in castris hactenus perseverantis. Desiderare dignatur Majestas Regia ut pro summa tua prudentia, & militari experientia, eodem Exercitu securitatem provideas Reipublicæ, cujus armorum terror, favente DEo, metum hosti incutiet, ut non audeat laxare habenas militi ad prædandum. Expedienda quoque præcaventia Universalia ad illos Palatinatus; dandæ literæ ad primores, ut suis cum hominibus, ad tuitionem Regionum & fortunarum suarũ concurrant. Legatum ad Hanum Majestas Regia expedire nequit, priusquam Karwowski revertatur, præsertim cum munera nunc primum sint in fieri, quæ Respublica ex Capitali censu à Judæis constituit. Expediret tamen etiam à te mitti ad Hanum literas, revocando fraternitatem & amicitiam cum Rege, & Republica; ac petendo expeditionem Karwowscij, qui ubi redierit, Legatum suum ad eundem Rex expediet, muneraque reddere imperabit. Legatos ab Hanenko, & Doroszenko expectamus, à quibus informabitur Majestas Regia, de sperandis à propensione Cosatica, & de statu rerum Ucrainensium, quomodo verò expediendi sint tuum desiderat consilium; cujus me constanti favori commendo.

AD COM-

A.C.1670

AD COMMISSARIOS PRO DISPOSITIONE EXERCITUS LEOPOLI RESIDENTES.

Varsaviæ 28. Novembris.

SUmme id nobis gustui accidit, quod pro termino per constitutionem designato Leopoli constiteritis: speramus fore, ut seriâ curâ & dexteritate vestra commissum vobis tantæ importantiæ negotium, fortunatè ex mente Reipublicæ suum sortiatur effectum. Instructioni, vobis authoritate Comitiorum, datæ, nihil addere, nec eam immutare possumus. In casu, si Exercitus constitutioni Reipublicæ non obsequens, portiones antiquo more usurpaverit, præscriptum, ut manifestationem in actis, cum omni moderatione animi, & styli faciatis, ne Exercitus ullam habeat occasionem offensæ, & irritamenti. Distributiones, si eis Dux & quatuor Deputati Exercitûs præsentes non adfuerint, dari ad acta Castrensia mittique per Palatinatus non expedit, cum sine eis taxatio constitui, distributioque concludi nequeat: Omni denique occasioni invigilandum, cavendumve, ne Exercitus malæ contentationis erga nos & Rempublicam habeat occasionem; aliàs præstat tolerare licentiam hybernarum portionum, quàm ad extrema seditionis & confœderationis resolvi Exercitum. Certi tamen sumus, quòd intentatum nihil relicturi sitis, ut authoritas nostra & Reipublicæ, ac comitialis hybernorum ordinatio, in suo consistat statu. Cedet insigne id, tantæque expectationis opus, in vestri nominis gloriam, gratamque apud nos & Rempublicam merebitur memoriam. Bonam interim vobis à Deo precamur valetudinem.

AD REGENTES PRUSSIÆ DUCALIS.

Varsaviæ 5. Decembr.

MICHAEL DEI GRATIA REX POLONIÆ &c.

Kalkstei-nius captus

MAgnifici gratè nobis dilecti. Gravissimum & detestabile, scelus patratum est in Regia nostra, per emissarios quosdam ex Ducali Prussia subordinatos, qui nobili à Kalkstein Stolinski, interpositionem nostram Regiam, ad reconciliandum Serenissimum Electorem imploranti, securitate publicâ freto, violentas manus proditione, injecerunt, eundem præstricto ore manibusque pedibusque revinctis in curru clauso, ad id dispositio, ad Ducatum Prussiæ evexerunt. Tam immane & inauditum facinus, quo non solum fœderatæ amicitiæ, & vicinitatis, sed Gentium jura violata sunt, magnæ injuriæ nostræ ducimus, exindeque, tametsi ex peracta inquisitione, satis nobis constet evidentia facti, ac principalis reus Minister Electoralis hesternâ fugâ se ipsum damnaverit, tamen cum ex Ducatu Prussiæ plagiarij isti immissi fuerint, eodemq; cum abrepto Kalkstеinio reverterint, consultum nobis visum est informationem, de personis delinquentibus, & de toto facto, à Gratitudinibus Vestris per literas nostras explorare, simulque ab iisdem requirere ut Kalkstеinius, non expectata nostrâ, ad literas Serenissimi

Elec-

Electoris reſponſione, nefario modo captus, ſupplicio, & carcere eximatur, inque eum locum & ſtatum, in quo ante captivitatem fuit reponatur, nempe ut Varſaviam ſalvus & liber deducatur, atq; ut criminis læſæ Majeſtatis noſtræ & violatæ ſecuritatis publicæ ac juris Gentium rei vel nobis dedantur, & remittantur, vel in carceribus detenti judicentur, & ſupplicio pro enormitate ſceleris afficiantur. Facturæ ſunt Gratitudines Veſtræ, rem bonæ vicinitati, & conſervandæ mutuæ tranquillitati convenientem, quas de reliquo bene valere cupimus. A.C.1670

COPIA LITERARUM RESPONSORIARUM AD ELECTOREM BRANDEBURGICUM.

31. Decembris.

CUm Serenitas Veſtra per literas ad nos exaratas de Kalkſteinio Stolinski Colonello, ubi & quando captus ſit, unde & quâ ratione abductus, quique & quales fuerint, qui ejusmodi nefas patraverunt, neſcire ſe prorſus affirmat, cumque occaſione tam atrocis facti, ac injuriæ publicæ complura interveniant, quæ per epiſtolam ſatis explicari non poſſint, in animum induximus, mittere ad Serenitatem Veſtram Ablegatum noſtrum Extraordinarium, qui totius flagitij ſeriem exponat, & à quibus, quõve modo, & loco peractum evidenter demonſtret, ſimulque condignam nobis, & Reipublicæ, ac univerſæ nationi Polonæ ſatisfactionem præſtari unicè requirat. Exinde minimè nunc verbis laboramus, in accuſando crimine læſæ Majeſtatis, violati juris Gentium, amicitiæ, & fœderum propè interrupti nexus, quæ omnia maturato itinere ad locum reſidentiæ Serenitatis Veſtræ venturus Ablegatus noſter, prolixè coram repræſentabit. De Euſebio Brandt, qui in nefariè capiendo, & abducendo Kalkſteinio primas partes tenuit, & contra fidem, ac decus publici Miniſterij deliquit, declaramus Serenitati Veſtræ, nullatenus à nobis tolerari poſſe, ut in Regiam noſtram, adeoque minùs in conſpectum noſtrum accedere, & functionem publicam apud Nos obire valeat. Id verò jure merito à nobis fieri ex prodictis notoriis documentis, quibus ſcelus hominis evincitur, Serenitas Veſtra dignoſcet. Accedit quod eidem Brandio à concitatis animis ſortem Kalkſteinij miſerantium, & facinus deteſtantium, atque à nonnullis nobilibus Polonis cognatione Kalkſteinio junctis omnimodam ſecuritatem polliceri non poſſimus, graviuſque fortè aliquid exinde emanaturum provideamus. Porrò alterius cujuſpiam integri, & honeſti viri operâ ad nos Serenitas Veſtra ſi libitum erit, utatur, quem ex poſitis & demandatis ad Serenitatem Veſtram exemplo noſtrorum reverti, neque hic continuam reſidentiam figere conveniens videtur. Interim Serenitatem

Kalkſteinii raptus & abductus.

Captivator Euſebius Brandt.

A. C. 1670 *tem Vestram Divinæ protectioni commendantes eidem valetudinis incolumitatem ex animo apprecamur. Datum Varsaviæ. Regni Nostri Anno IIdo.*

COPIA LITERARUM AD PACZENSCIUM PROPOSITUM VRATISLAVIENSEM A PROCANCELLARIO REGNI IN FAVOREM JOANNIS CASIMIRI REGIS.

PLurimum debeo humanitati, & propenso erga me animo Illustritatis Vestræ, quòd literas meas, & officium pro parte notæ personæ interpositum gratè acceperit, suaque humanissima epistola mihi corresponderit. Satis jam compertum habemus Sacram Cæsaream Majestatem, evehendo ad Episcopatum Uratislaviensem Cardinali Landgravio intentam esse, eidemque unicè favere. Nota illa persona inter Candidatos nomen proferre, & palam concurrere non potest, ob periculum, & dedecus repulsæ: si tamen ultrò eligeretur procul dubio acceptaret, ac meo quidem judicio nullus dignior, & rebus vestris opportunior videtur, quem ego commendatum esse Illustritati Vestræ totique amplissimo conratrum collegio ex animo cupio. Quantum enim dignitatis, & ornamenti Ecclesiæ vestræ ex tam eminenti personâ accederet, benignitas ejus vobis innotuit, ætas provectior non in longum spes aliorum detineret. Sed hæc prudentiæ Electoralis Collegij vestri relinquo. Lator præsentis meum erga Illustritatem Vestram singularem affectum, & ad quævis officia promptitudinem coràm testabitur. Interim Illustritati Vestræ summa in Ecclesia DEI ornamenta cum diuturna incolumitate apprecor, meque ejusdem constanti amicitiæ, & gratiæ commendo.

AD PAPAM CLEMENTEM X. EX OCCASIONE TRANSLATI NUNTII MARESCOTTI IN HISPANIAM A REGE. A.C. 1671

POst oscula &c. Insperata omnino mihi accidit à Nuntiatura Poloniæ ad Hispanicam promotio Reverendissimi in Christo Patris Archiepiscopi Corynthi Marescotti, qui sine tali hinc discessu non desiderium magis sui, quàm justi doloris causam mihi & nationi Polonæ reliquit. Patietur benignitas Sanctitatis Vestræ grandem exinde animi mei sensum in paternum ejus sinum deponi, eo majore fiduciâ, quòd Regnum Poloniæ, totaq; hæc natio, aliquot annorum commemoratione Sanctitati Vestræ optimè notescat. Amplitudo Regni mei tot quot populorum in unum collectum, ac ingens robur nulli alteri Regno & Genti decedit, atq; si erga Sedem Apostolicam reverentia, erga fidem Catholicam ardenti & invicto zelo comparetur, etiam fortè præcedit. Non exaggero fortitudinem, & gloriâ bellorũ, quibus contra Ecclesiæ Romanæ Catholicæ juratos hostes Turcas, Tartaros, Schismaticos, natio mea fatigatur. Attollere cuivis signa & sacra Domini bella ampliare, anniversarium, imò perpetuum Genti Polonæ est. Pro unione Russorum Græcorum cum Latinis, quantum consiliis & ferro etiam nunc laboretur, vel hoc argumento sit; quod florentissimis & ferocissimis Ucrainæ Terris tot jam annis carere, quàm unionem Græci ritus non retinere levius existimemus; tractatum pacis, quem sola unitorum causa difficilem reddit magno Reipub: dispendio & Regni periculo, trahamus, vitâ, fortunam, sanguinem civium pro defendenda re Christiana in aciem, aleamq; mittamus. Audeo ego affirmare Sanctitati Vestræ, si de protectione unitorum vel paululum mittam, si Abbatias & templa ab unitis recens recepta relinquam, si res disjunctorum ad eum statum, quo sub antiquis Regibus fuerunt, revocem, planè meritò pacem domesticam cum Cosaccis concludi, & bellorum ab intra & extra tempestati obviam iri posse. De me ipso, quàm Majoribus meis Regibus Poloniæ pro Religione Catholica paria faciam, quàm Schismaticos Episcopos vulgò Vladicas Senatu arcere, Hæreticos deponere, palmarium ducam, neq; sine aliqua invidia, ac perturbatione rerum mearum oppugnatoribus orthodoxæ fidei me opponam, conscientia mille testes, si alij deficiant, mihi suffragabitur. Principem unum Radzivil, Marschalcatûs Litvaniæ & Præfecturæ Samogitiensis (primariæ dignitates istæ sunt) spe & ambitu dejectum, sola ea causa, quòd Calvinista esset, sparsum exinde in vulgus rumorem, ac suspicionem, quasi non integrâ fide, sed cum restrictione mentis juraverim. Ramus Archiepiscopus Corynthi candidè informabit: Palatinum Trocensem magnæ dignitatis à Schismate ad Latinum Ritum traductum, Episcopatus & templa Græca unitis per privilegia vel decreta, novi Principatûs, & innati in rem Catholicam affectûs mei documentum sunt. Quidni ergo ex merito dolorem intendam,

A. C. 1671 *dam, quidni coronam meam extra nominis ambitionem certè Catholicam & Christianissimam minore loco Romæ haberi, & per ejus limen ad aliud Regnum tanquam superius Nuntijs Apostolicis gradum aperiri quærens, indoleam. Notum sanè est à talibus primis exemplis, ad alia exempla Curiæ Romanæ viam monstrari, & Poloniæ quasi de facili toleranti, licet minus æqua debinc sustinenda, sed tamen sperare meliora de Sanctitate V. non desino, cùm Clementem, gratum pridem & populare Regno meo nomen cogito, cum prima auspicia Pontificij Regiminis mihi juxtà, ac alijs amica, ac lata fore voto & affectu præcipio. Ingredior in eam spem, futurum, ut Sanctitas V. Paternâ suâ providentiâ aspera hæc in vias planas componat, vim & effectum nominis sui, in me meosq; exerceat. Clementissimo suo judicio palàm faciat, num minus quid Ecclesiastica corona debeatur. Sanctitati V. longævam incolumitatem, & felix Reipub: Christianæ Imperium humili devotione ad extremum apprecor &c.*

COPIA LITERARUM PROCANCELLARII REGNI AD MARESCHALCUM REGNI, SUPREMUM DUCEM EXERCITUUM Varsav. 16 Januarij.

NOndum redijt Cosaccus à te cum responso ad literas Regis; à quo dependet determinatio temporis pro consilio bellico; cui Duces M. D. Litvaniæ interesse non poterunt, cum Commissionis in ordine ad solvendum stipendium Litvano Exercitui, terminus Vilnæ pro die 2 Februarij immineat; & sub tempus ejusdem actûs commissionis, indicta sit convocatio, juxta constitutionem Comitiorum, pro subsidio ferendo Poloniæ aliquot millibus Exercitûs; ut ipsi illi statuerunt. Quod si, Princeps etiam Palatinus Belzensis non venerit, unus tu pro omnibus eris, aut sensum tuum de defensione Reipublicæ per literas explicabis. Quanquâ urgeret magis præsentia Turni, cum & ego in votis habeam, ad coram conferre tecum. Karwowscium redire gratulamur, id tamen non mediocris affert materiam turbationis, quòd comitatus redeat Legatione ab Hano, non omnino gratâ; quia cum propositione ratione munerum pro biennio detentorum, & adjudicationis Ucrainæ Imperatori Turcarum. Quod utrumq; dubium & anceps est: non redditâ enim, quam non habemus, pecuniâ, & oppositione circa Ucrainam factâ, certa hostilitas. Universalia pro Comitiolis auctionis Exercitûs non emanabunt ex Cancellaria, nisi post expeditum utcunque consilium bellicum. Pro termino Comitiolorum destinatur dies 3 Martij, ut perpensis difficultatibus Tribunalis Radomensis, possimus proponere & quærere in ijsdem Comitiolis media, præsertim ratione te concernentium. Convocatio in Litvania celebrabitur 5 Martij. Canonicus Tornacensis nondum venit, moratur forsan Zamoyscij. Mitto tibi copiam literarum Vyssocij in quibus, ut & in alijs solet, arma virosque canit. Elector Brandeburgicus scripsit manu propria germanico idiomate, ad Regem literas, cum ceremoniali propensione: in latinis literis promittit satisfactionem: metuit aliquam nostri Exercitus incursionem: Declaratio quæ dabitur per Ablegatum Succamerarium Varsaviensem constabit tibi. Prussia Ducalis aspirat ad libertatem, dummodo aliquas habeat suppetias. Elector non redibit jam in Prussiam, intentus motibus, ad quos in im-

in imperio magna est dispositio; respicit quoque Principes Luneburgenses armatos, cum quibus nondum causas composuit. Pro commissione & forsan judicio Kalkſteinij, misit à latere commissarios. Centurionem Cosaccorum post biduum expediemus, cum universalibus præcautorijs, concedendo generale consilium Czernecense. Expediret aliquem residere Białocierkuiæ cum titulo Residentis qui res inter Cosaccos moliretur; obtulit se ad id Raczkowski, sed ex certis rationibus non visus idoneus. Suggerebatur à quibusdam consilium, ut aliquis ad Tartaros Nahaienses cum literis expediretur, interim tuum an id expediat, expecto sensum, ac maneo &c. *A.C.* 1671

COPIA LITERARUM AD ELECTOREM BRANDEB. A SERENIS: MICHAELE POLONIÆ REGE SCRIPTARUM.

Białołęcæ 24. Januarij.

Satisfactio requiritur

Quòd felicem nostram Electionem Serenitas V. non mediocri animi lætitiâ exceperit, eandē nobis per Legatos suos protunc Varsaviæ agentes, & per literas boni affectûs plenas, celeriore è vicinia cursu, aliorum Principum amica officia prævertente congratulata fuerit, id statim equidem pergratè accepimus, & nunc recenti atq; nunquam obliterandâ memoriâ retinemus, neque desumus ex parte nostra, quâ literis, quâ plerisq; contestationibus elucidando reciproco studio erga Seren: V, cui nos fœderatæ amicitiæ, antiquæ necessitudinis, proximæ vicinitatis vincula, arctiùs colligarunt. Sed interveniſſe nonnulla, quæ tam prosperis amicisq; principiis, non bene deinceps respondérint, justo dolore prosequimur, neq; causam à nobis profectam fuisse ad cujusvis recti, imò orbis judicium provocamus, bonam tamen in spem eriginur, redintegrandi mutui affectûs, & inviolabilis amicitiæ conservandæ, ob promissam à Seren: V. satisfactionem, ad quam in effectu obtinendam, misimus nuper ad Ser: V. Ablegatum nostrum extraordinarium, ejusdemq; ad nos reditum, vel nuntium cupidè præstolamur. Cæterùm nulli adversario locum fore, qui sinceram propensionem nostram vel minimum perturbet, si nobis & Reip: condigna satisfactio à Ser: V. præstetur, ulteriora studiorum nostrorum, & reciproca voluntatis argumenta monstrabunt. Interim Ser: V. diuturnam valetudinis incolumitatē à DEo vovemus.

COPIA LITERARUM EJUSDEM AD EUNDEM Varsav. 22. Jan.

EX responsorijs nostris, quas per Regiomontū securè iviſſe, jamq; ad manus Serenitatis V perveniſſe indubium habemus, satis constat Serenitati V. periculum amissionis & suppressionis literarū ejusdem nullum fuisse, neq; superest, quòd ad præsens aliud scribamus, nisi Ablegatum nostrum extraordinarium sufficienter instructū, jam hinc discessisse qui de mandato à officio rectè & copiosè coram fungetur. Expectamus porrò à Ser: V. eam satisfactionem, quam omni jure & æquitate requirimus, tantò meliore fortitudine, quod Ser: Vrā jus & justitiam administrare velle, in eos qui contra Mtis nostræ & Reip: dignitatem, contra gentium jure deliquisse, convicti fuerint, nobis amicè polliceatur. De reliquo Serenitatem V. Divinæ protectioni commendando, eidem bonam valetudinem ex animo vovemus.

A.C. 1671 AD CARDINALEM URSINI Varsaviæ 19. Februarij.

INsurgentes belli Turcici minæ, metusque, tum Sanctitatis suæ Paternam, & Pontificiam curam, tum Principum omnium Christianorum animos viresque jure excitant, ne Regnorum eversor Turca in reliquas Christiani orbis oras, non tam suâ virtute, quam nostro torpore, & fatalibus dissidijs prævaleat. Polonia, & Hungaria uti periculo proximo objectæ, ita summo consilio sua Sanctitas eorũ securitati invigilat, & missis per curforem literis Regiam Majestatem Dominum meum Clementissimum, Mtem verò Cæsaream per Illustrissimum, & Reverendissimum Dominum Archiepiscopum Florentiæ cum dignitate Nuntij Extraordinarij hinc Ablegatum, ad præparanda arma, & rem bello fortiter gerendo accendit. Constabit Eminentiæ Vræ ex responsorijs Regijs minimè nobis integrum ad præsens esse, ut bello offensivo hostem aggrediamur. Non imparata tamen Polonia erit ad retundendum hostem, si nos impetierit, cujus tamen adversus Poloniam periculi ex nonnullis argumentis cessat hoc anno metus, ac nobis tanquam debilitato post diuturnum morbum corpori quiescere, atque vires & opes nervum belli paulatim colligere consilij est. Quod reliqvum est E. V. promptitudinem obsequiorum meorum commendo.

COPIA LITERARUM AD SANCTISS: D. CLEMENTEM X. Varsaviæ 19. Februarij.

POst oscula pedum Sanctitatis V. meiq; ac Regni & Dominiorũ meorum filialem commendationem. Pontificia & paterna Sanctitatis V. pro Repub: Christiana, proq; cælitus sibi commisso grege solicitudini adscribendum, quòd me per Epistolam suam per Reverendißimum Archiepiscopum Florentinum Nuntium nostrum certiorem reddat, prævalidas & successu Candiæ tumescentes Ottomanorum vires in perniciem Regni mei & vicinarum ditionum conspirare armariq;. Atroces isti periculorum ab Oriente Nuntij, remotiorem Europam implent, meas verò è propinquo aures clasicum ferit, admonetq;, ne formidandam deterrimi hostis potentiam, inter postrema Regiarum curarum reponam. Equidem ea indole animoq; sum, quo majores mei Reges Poloniæ immortale decus meruerunt, ut pro gloria Divina & fide Catholica augenda & defendenda omnia discrimina subire, & vitam ipsam sanguinemq; prodigere minimè dubitem. Sed viginti ultra annos ingentibus & continuis bellis fatigata Polonia, defensioni licet parata sit, neq; impar videatur, sed offensuum tamen bellum, per temporum præsentium injuriam, & nervi bellici penuriam nondum satis valescit Compertas optimè habet S. V. Regni mei rationes. Quid porrò faciendũ erit ex ulteriore rerũ cursu, & aliorũ Principũ Christianorũ junctis animis, armisq; consilia metiri, mihi senatuiq; meo, pro ratione status conveniet. Caterum dignißimam Sanctit. V. operam agnosco & veneror, quòd Seren: & Potent: Imperatorem Leopoldum fratrem & affinem nostrum decenter compellare in animum induxerit, & pro communi securitate & Regnorum suorum salute tuenda, societatem armorum inire, ac opportuno apparatu, ea quæ belli sunt, impensè curare non desistat. Secundet Divina benignitas pijs simã intentionem Sanctitatis V. Cui felix Christianæ rei Imperium apprecando, Regnum meum filiali devotione commendo. CO-

A. C. 1671

COPIA LITERARUM AD WYSOCKI PINCERNAM SOCHACZEVIENSEM A PROCANCELLARIO REGNI.

3. Februarij.

INdoleo ſummopere afflicto ſtatui tuo, in quo jam ultra annl ſpatium detineris. Procedit id partim ex contemptu noſtri, cui quiſque civium honorem Patriamque amans nequit non compati; partim ex mala apud Portam informatione de Doroſzenko, & Coſaccis. Repræſentandum omnino Vezyro, Doroſzenkum cum Tukalski propter privati ſui ſtatus conſervationem, cum aliquot non niſi adhærentibus Chiliarchis illudere Portæ Ottomanicæ; agitur enim Doroſzenko de Ducali clava, Tukalicio de Metropolitana dignitate, in quibus officijs, non niſi turbido rerum ſtatu in Ucraina poſſunt ſubſiſtere. Doroſzenko deſperat de Regis gratia, cum alteri; ſcilicet Hanenko miſſa ſint inſignia, clava, vexillum, ſigillum, Ducalis teſſera ſeu Bunczuk notabilisque ſumma pecuniaria, & ſine eo concluſa eſt cum eodem Hanenko Commiſſio Oſtrogienſis: Tukalski carens pro Metropolitana dignitate privilegio, nec illud obtinere valens ſtante priore privilegio Winnicij veri Metropolitæ, videt ſe, ſecurum non eſſe honoris & proventuum, quos occupatis aliquot indebitè ditionibus per conniventiam, favoremque Doroſzenko ſibi uſurpavit. Mitto pro informatione de Doroſzenko, typo expreſſam Oſtrogenſem Commiſſionem: Ratione Metropolitæ facile deprehendet veritatē Vezyrus à Patriarcha Conſtantinopolitano. Hic Metropolita eo devenit ambitionis, ut propoſuerit Patriarchatum Ruſſiæ abſolutum & independentem eſſe faciendum. Probè novimus à Doroſzenko non ita pridem expeditum eſſe ad Portam Chiliarchum Paroſza, cum ſubſcriptionibus plurium Chiliarchorum: In hoc tamen fundari non debet Porta, cum id privatum fuerit Czeheryni conſilium, ſine ſcitu Exercitûs & præſentia Ucrainenſium incolarum. Multæ quoque confictæ ſunt alienis manibus ſubſcriptiones, quod faciſe deprehendet Vezyrus accepto ad examen Legato Coſatico. Unde poſt hoc conſilium, omnes, præter quatuor, Chiliarchi expediverunt clam ad Regem, inſignem Coſaccum Centurionem, excuſando, & proteſtando ſe, quidquid fecerunt, invitos feciſſe, cum aliquot centenos milites Czeherynum ad eorum terrorem deduxerit Doroſzenko. Mitto binas poſteriores Doroſzenci epiſtolas; in quibus, quantum ſe humiliet, quantumve Illum hæc angat expeditio, manifeſtè conſtat. Id quoque conſiderationi Vezyri ſubjiciendum, quod Doroſzenko, non ejus, ut ante, ſit authoritatis, cum non ſolus ille, verùm etiam Hanenko ſit Dux in Zaporovia, penes quem robur bellicoſorum Coſacorum; tertius Dux Mnohogreſzny cis-Boriſtenenſium; quos inter debiliſſimus eſt Doroſzenko, ſoloque non niſi capite & penna Tukalſcij ſubſiſtit, in affectu verò 6000 Exercitûs habere nequit; Czeherinoq; non audet excedere ſolis non niſi Coſaceis ut vocant Serdiniatis, idque ad interim, (cum etiam hi fidelitatem ſuam & promptitudinem Regi offerant) ſtatum & vitam vix tuetur: Brevi id probabit conſilium Czernecenſe, quod Rex Inſtituit in Ruſſavia, Raczkowsciumque Commiſſarium expedivit, ubi aut pereundum erit Doroſzenko, aut fugiendum ad Portam, unà cum alijs Ducibus Chmielnicki & Tetera, cum alibi protectionem habere nequeat, quandoquidem, nec Czarus Moſchoviæ, cui ſe ſubjiciebat, illum acceptare voluerit. Dehis omnibus Vezyrum ſive immediatè, ſive per Panalotam informare velis. Fallitur Porta debilium noſtrarum virium opinione, cum ope Dei validiores, & ſecuriores nunc ſint res noſtræ, quam antea: habemus affinitatem cum Imperatore Chriſtiano, amicitiam & fœdera cum Czaro Moſchoviæ, Electore Brandeburgico: He-

Doroſzenko & Tukalski.

A.C. 1671 bemus promiſſa prompta auxilia, ſive in pecunijs, ſive in hominibus, ab omnibus Europæ Principibus, Exercitum tam Regni, quàm M. D. Litv. poſt aliquot annorum reſpirium promptum & alacrem; nec provocamus bella nec timemus. Concordia Duces inter eoaluit, per Matrimonium Principis Palatini Belzenſis, cum Duciſſa in Oſtrog nepte ex ſorore ſupremi Regni Mareſchalci. Cæterum ſub Dei cura & tutela ſumus; quandoquidem conjurati ſimul hoſtes, Rex Sveciæ, Czarus Moſchoviæ, Rakocy, Elector Brandeburgicus, nobis non prævaluerunt, nec ſubſiſtere in Polonia, licet occupatis aliquot fortalitiorum decadibus, potuerunt; expulſi omnes cum clade ſuorum, nulla à Svecis particula terræ noſtræ avulſa, plura ſuggeret tibi prudentia, & ſtatûs peritia. Ad diſcurſum Vezyri, ratione deſerendæ Ucrainæ, & Coſaccorum in promptu reſponſio, quod Ucraina & Coſacci non deſerant Poloniam, ſed ei firmiter adhæreant; Doroſzenko verò & Tukalski, tam Regem quàm Portam fallant. Sicut id non placeret Portæ, ſi Rex Poloniæ Valachiam aut aliam Turcicam terram requireret & prætenderet, ita certi ſumus Imperatorem Turcarum requirere, citra injuſtitiam, non poſſe quidpiam contrarium antiquis ſacroſanctis fœderibus. Quia verò à Rege concreditam tibi habes pactorum confirmationem, ideo, ſi eam ſibi reddi Vezyrus voluerit, convenit reciprocè ab eo innovationem recipere ultimorum pactorum, cujus tibi copiam Turcicam & Polonicam mitto. Generoſitas tua, qua vilem Coſaticam proviſionem, cum dedecore gentis, non acceptaſti; & nobilis animi magnificentia, in audientia apud Vezyrum, meretur non minus laudem, quam juſtum, ubi rediêris, in Patriam præmium. Nunc interim ad ſolvendum pro hoſpitio, mittit tibi ærarium 3000 Imperialium. Teteræ, quantum errori & afflictioni in ſenectute, compatior, tantum opto, ſvadeoque reditum in Patriam; in quo, tuo illum juvare velis officio; pro injuria ejus contra ſpoliatores, non minus, ac mea agam, concurrente ad idem etiam Primate, alijſque magnæ authoritatis viris, ſincerè ei compatientibus &c.

EPISTOLA AB ARCHIEPISCOPO EBREDUNENSI.

Pariſijs 7. Martij.

Cõmendatio Andreæ Zaluski.

CAtholici Nominis inſigne præfert charitas, nihilo ſecus, quàm fides; ſi Religionis Chriſtianæ cultus nullos certos fines terminosque virtutum omnium ſummæ conſtituit, imò ſi vel idiota quiſque, ut voce Apoſtolicâ utar, Chriſtianorum ſacris initiatus, erga omnes debet amanter, & benevolè eſſe propenſus, num te admodum movebit, Illuſtriſſime Præſul, quod Epiſcopalis charitas, totis viribus enitatur, & incumbat, in Clericum Divino conſilio ad ſumma natum, quippe qui ſit ampliſſimâ familiâ oriundus, præclariſſimi tum Eccleſiæ, tum Imperij Adminiſtratoris nepos, futurus ipſe, ſi quid humanitus haud accidat, rerum ſacrarum & politicarum columen firmiſſimum, qui ſit in Deum pijſſimè affectus, & innocentiæ Religioſiſſimum ſpecimen, quem denique ob mentis aciem, judicij maturitatem, cæteraſque exlmias dotes, ferant omnes in oculis. Ex his conjectura tibi eſt expedita Reverendiſſime Præſul, de ſingulari in lectiſſimum & ornatiſſimum adoleſcentem Dominum ANDREAM de ZALUSKI, mea voluntate inducl ſermonem. Quod audlvimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt, de ipſo, in pijſſimo & doctiſſimo, cui nobiſcum adſcriptus eſt ſeminario, annuntiamus vobis. Quare jubeas quæſo Illuſtriſſime Eccleſiæ Princeps ardenti Epiſcopalis animi ſtudio, & amori vendicare, quod tibi ob oculos ponere

mens

mens non refugit, nec reformidat, videlicet te permagnum quid præ- A.C. 1671
ſtiturum, ſi per aliquotannos inibi demorari, ipſi per te licuerit. Sanctiorem in dies ibi adipiſcetur vivendi normam ac rationem, doctrinâ magis magiſq; excoletur ac perpolietur. Reipublicæ etiam adminiſtrandæ ſcientiam ex eruditiſſimorum diſciplina haurire, & ex prudentis & maturi conſilij inſtituto, omnia gerendi artem percipere, facile illi erit, ac proclivè viris genere, ſcientiâ & virtute claris, intus & foris, familiariter utens, urbanitate fiet limatior. Perſuaſum mihi eſt Reverendiſſime Præſul Clariſſimo nepoti tuo, profectionem ſuſcipienti, nullibi opportunius fore, in medio poſitus has animi dotes aſſequendi, rationem hiſce de cauſis, quas anguſtis, & conciſis literis perſtringere nequeo, ut frater meus, Abbas, degens ibi diutiſſime relideat, in animo mihi eſt, ſi præpoſterum tibi videatur meum conſilium, precibus omnibus oro te & obteſtor, ut illud non ſecus, ac ſingularis meæ in te obſervantiæ, & intimi in nepotem tuum amoris, ſenſus locupletem ſignificationem pertentes, atq; perſpicias. Accedit eo, quidquid ſit, ut nepos filij ſuavitatem, Patruus verò, Parentis gravitatem apud me ſemper obtineat, & quoad vixerim, ſim quàm maximè potero non tantùm Illuſtriſſime, ac Reverendiſſime Præſul, animi ſubmiſſione & obſequio, verùm manclpio & nexu tuus.

AD ARCHI-EPISCOPUM EBREDUNENSEM.

Varſaviæ 25. Aprilis.

EXimium erga me affectum, quem coplosè per literas humanitatis & officij plenliſſimas conteſtari placuit, nec non præclarum de tenuitate mea magnæ tuæ mentis judicium Illuſtriſſime & Reverendiſſime Archip. æſul & Princeps, quemadmodum intima quâ par erat voluntate accepi, ita impoſitam mihi ex eo neceſſitatem agnoſco, ut nihil prius antiquiuſque, ante amicitiam Vram & mutua benevolentiæ & amoris ſtudia ponendum exiſtimem, ſatis equidem abunde intellexi, quàm prono in me Celſitudo Vra ſit comparata animo, & quàm faventibus votis, ac digna ſacro & Eminenti viro ſoliçitudine nepotis mei indolem complectatur ejuſque ſpes & ſtudia Eccleſiæ & Reipublicæ aliquando profutura, inter curas Archi-Epiſcopales accenſere, non inferius judicet. Ac mihi quidem conſilium Celſitudinis ſummopere probatur, quo illud in Seminario veſtro, unde viri pietate ac doctrina ornatiſſimi prodeunt, ad annos aliquot diverſari perſvadet, ut ideo in ſententiam Celſitudinis haud gravatè concedam, qui probe calleam, ex illa Gallicanæ inſtitutionis lectiſſima corona ac præcipue fratris tui Abbatis erudita conſvetudine utriuſque literaturæ ſegetem, ac in publicum utilitatem collecturus ſit, illud autem animitus opto, ut cum tam amicus, & benignus calamus, locuplete ſtylo nepotis mei exaggeret dotes, earum, pars non minima in Vra derivetur obſequla, utque meus juxta ac Tuus de Zaſuski inſigni exemplo demonſtret, non vacuas fuiſſe laudes, quibus à tanti Archi-Præſulis Principisque oraculo non ſolùm favor ſed etiam ſtimulus, & auctoramentum acceſſit. Eo nomine cum immortales tibi Illuſtriſſime & Reverendiſſime Archi-Præſul agam & debeam gratias, ſupereſt ut meam ſinceri animi obligatam devotionem, ſimulque Nepotis mei addictiſſima obſequia majorem in modum commendem, maneo.

Reſponſoria ad præcedentem.

AN-

A.C.1671

ANDREÆ OLSZOWSKI PROCANCELLARII REGNI AD SUPREMUM DUCEM EXERCITUUM REGNI

Varſaviæ 27 Martij

ACceptâ tuis ex literis informatione, de Incurſione Tartarorum Białogrodenſium, Coſaccis ſociatorum, Rex habuit conſilium, cui, præter me interfuit non niſi Palatinus Sendomirienſis & Theſaurarius Regni. Feciſti quod vigilem decebat Ducem, cum Palatinum Czernieohovienſem cum propioribus vexillis & deſultorio milite ſeu Dragonarijs expedires ad reprimendum hoſtem. Regi alius non ſuppetit modus, niſi extradendi Reſtium literas, & quidem non niſi in extrema tantùm neceſſitate; adeoque non licuit, ad hoc extremum deſcendere, cum præſertim literis ex Valachia & Leopoli informemur, prædatoriam illam manum retro ceſſiſſe: ſi tamen invaleſceret periculum, movenda omnino, convocato prius frequentiore ſenatu: eſſet Nobilitas; ſiquidem in auctionem Exercitus, in Comitiolis non conſentiens, omne robur ſuis ponit in pectoribus. Nemo prudens non videt, nudatam eſſe ſufficienti præſidio Rempublicam, id tamen providere ſine comitijs per ſtatum noſtrum impoſſibile. Fuerat olim in poteſtate Ducum, augere vires Reipub. per auctionem Adnumeraticij militis, vulgo Poczłow; expediebant Reges indicatorias literas in caſu periculorum, nunc eorum nihil licet; optima quæque agentem, livor condemnat & obtrectatio: In ſignaturæ miniſtrum ſtatuta pœna privationis officij, ſi ſupra computum Exercitûs Indicatoriæ expederentur. Incidentia conſilij bellici, ſeu convocationis opportunior eſſe nequit, quàm circa 10 Maji, cum Rex inſtet, ut loco Białæ Varſaviæ Nuptialis actus magnorum Neo-ſponſorum celebretur; de quo tibi ſcripturus erat, probari quoque pro præſenti rerum ſtatu videretur, expediri quempiam ad Hanum ut Tartaros mittat jungatque cum Hanenko contra Doroſzenko, à quo nihil jam boni ſperandum eſt. Quidquid ſano conſilio, quod expectamus, & petimus, ſalutare Patriæ judicaveris, Rex libenter acceptabit & executioni mandari curabit. Commendans perfectior pro Cameneco difficulter haberi poteſt, diſtractis præſertim per varios Regiminibus; Succamerarius Derpſcenſis id muneris prorſus deprecatur utrum verò illi ſufficere poſſint Zebrowski, Lebel, Elias Lacki, tibi id melius, notum, uti & aliorum Officialium dexteritas. Hodie venit Officialis à Commendante Białocerkwio quem non dubito etiam tibi ſufficienter ea de re ſcripſiſſe, pro qua huc miſit: ſcilicet ratione pecuniæ pro commeatu; ſubmittendi equitatûs; & ratione formandi conſilij circa defectus hujus fortalitij. Relationem Legati Imperatoris Tartarorum munera expectantis, mitto tibi in annexa pagina. Cui Relationi addidit ſe paratum eſſe, manu propria inferre necem captorum cuivis Tartarorum, qui nunc in Poloniam irruperunt. Iudicat ille pro ſuo ſenſu, ut mittamus pro Tartaris Krimenſibus, noſterque Exercitus ingrediatur Ucrainam ad perſequendum & delendum Doroſzenko, tanquam jam manifeſtè perduellem. Lætiora à te expectamus nova, an non hi terrores ſtimulabunt ad defenſionem Patriæ, contra ulteriora (quæ Deus avertat) pericula Turcica, conſiliaque & arma miniſtrabunt? In ſcripto Czari nihil eſt ſingulare, niſi quod nuntiet ſe pacta concluſiſſe aureoque ſigillo conſignaſſe, cum Hano Krymenſi. Literas ad me tuas mitti Rex juſſit in originali ad Commiſſionem Vilnenſem, ut authenticè conſtet de periculis, faciliuſve conſentiant in auxilia danda Poloniæ.

Principis Demetrij Wiſnowiec ki cum Theophila Principe Oſtrowſka.

COPIA

COPIA LITERARUM AD HANENKO EXERCITUS ZAPOROVIENSIS NIZANI DUCEM A PROCANCELLARIO REGNI. A.C. 1671

SUpra, quàm injustè egit Ignatowicz Demian Mnohogreszny Dux Czari Moschoviæ extra borysthenem subsistens, quod ZALSKI Dapiferum Pomeraniæ Commissarium Regiæ Majestatis, cum clava, aliisque insignibus, ad te in Zaporoviam expeditum, diu detentû retro vertere vias coegit, Zaviszam & Bisy cum comitibus, à Rege redeuntes, captivârit, indigneque tractaverit, nunc quoque expeditum à te Ablegatum detinuerit. Scripti tibi per occasionem Perekopum; unde Legatus Hani Krymensis Mechmet Szach Bey & Interpres Baranowski, promiserunt se sine mora literas ad te in Zaporoviam transmissuros. Nunc Doroszenko se submittere, pactisque contentus vult esse Cudnovienslibus, & licet post tot dolos non facile illi sit præbenda fides, cum omnia nobis sint manifesta, quæ apud Portam molitur, literæque hæ in Zaporoviam contra te scriptæ, plenæ sint falsitatum; ne tamen habeat occasionem spargendi in vulgus Cosaticum, nos Ecclesiam veterem Ruthenam, fidemque tollere, quo ille vel maximè decipere solet & turbare, utque profusioni Christiani sangvinis occurratur; instituit Rex ex præsenti generali consilio Commissionem pro tertia Julij, deditque Ducibus Regni potestatem tractandi, sed minimè recedendo à Commissione Ostrogensi cum Bohaczenko, alijsque Legatis Zaporovienslibus concluſa, & Comitijs roborata. Mitto tibi pro informatione universales Regis: Centurio Taraſowski Leszko Rudani non valens forsan in Zaporoviam pertingere, subsistit Białocerkviæ; habuit literas universales, aliasque summè urgentes ad te, de omnibusque daturus tibi erat Informationem. Rex appropinquabit Ucrainæ adeoque literas cures dirigere Białocerkviani, faciliore modo inde ad Regem perventuras. Certus esto de gratia Regia meaq; immutabili amicitia. Communes motus Rex congregat pro defensione, si Turca voluerit in dominia ejus irrumpere, tu quoque invigiles, ne Tartari conjungi possint cum hostibus Reipublicæ. Hanus Krymensis per alterum his diebus Legatum Mechmet Murza, suam declarat amicitiam, & de promptitudine ad obsequia Regis, unà cum Tartaris certificat.

Ignatowicz Ducis astu.

Doroszenko vult se submittere.

ANDREÆ OLSZOWSKI PROCANCELLARII REGNI AD SUPREMUM DUCEM EXERCITUUM REGNI Varsaviæ 3. Aprilis.

HAbita ex Cancellaria expeditione, eandem accipit ex ærario Varsaviæ, (Leopoli enim noluit) legatus Tartarorum ad summum post biduum hinc moturus. Mitto tibi copiam literarum Hani, & pro informatione tua responsum Regis; puto enim non præteriturum tuam Legatum residentiam. Expediret forsan legatum mittere iterum cum donarijs juxta antiquam consvetudinem Hani Vezirî Soltan Galgæ & aliorum. Proponam ergo pro hac legatione Krymensi Karwowscium, videturq; esse ex re & præsenti statu, ut ibi tota æstate & ultra pro exigentia necessitatum sesideat. Captivi quidem Dubnæ existentes, & unus Tartarus qui ad redimendum fratrem suum eum literis passûs ab Hano datis, libere venerat, per injuriam est detentus, interest, ut liberentur, & remittantur: siquidem verò Hanus suam mutuò demonstrat facilitatem, pro liberatione captivorum Polonorum instamus. Opto, ut tua authoritate eliberes aliquot Tatarorum

Expeditio Legati Tartarorum.

Captivi.

A.C.1670 rorum Dubnâ, cùm ad id juxta Podhaiecensia pacta obligemur: Ratione Tartari Białocerkviæ capti, egissem cum Lebel præterito commendante, nisi post brevem moram Radomium pro Tribunali abijsset. Remiserat forsan Tartarum hunc Cracoviam, qui, ubinam versetur, scire deberet Zaboklicki Vexillifer Braclavienſis Domesticus Principissæ matris Regiæ: Zalski Commissarius in Zaporoviam expeditus cum clava alijsque insignibus ad Hanenkum, ex ordinatione Czari Moschoviæ revocatus est Batorino in Poloniam, Zawisza verò Biali Legati cum comitibus sine insignibus militaribus liberè transmissi in Zaporoviam. Literas Raczkovij, & copiam versæ epistolæ ex consilio Korszunensi ad Regem missam tibi communico. De indictione convocationis, deliberatum est in Senatu pro die 14 Maji, commoda occasione nuptialis actûs, quem, non Białæ sed Varsaviæ celebrandum optamus omnes, de quo jam tibi Rex, & Principi Pro-Cancellario M. D. Litv. scripsit. Legati magni à Czaro Moschoviæ ad nos expediti, in proximo sunt, quorum Legationis Princeps, primus est Czari Minister; ignoratur adhuc ejus materia, nulla tamen inde spero auxilia in casu belli Turcici, licet varia hactenus promissa & magnalia de hisce Legatis sint Cancellarij Litvaniæ; habent enim, quod agant domi cum Stenko, qui hucusque prævalet armis & multitudine. Convocatio in Litvania rupta, nullis provisis subsidijs Poloniæ. Quidquid præcautionum de Turcis & Tartaris à te veniebat, ea, qua par est consideratione perpendens, Regi & Senatui proposui & in literis pro Comitiolis tempestivè indictis, sufficienter expressi; gratis ergo invidijs populi me Primas exponit, literas sibi à te missas per copias transmittendo, Deus ei parcat, quod missa ad Tribunal protestatione, tractatum auxiliorum ab externis Principibus, auctionem Exercitûs in Palatinatibus, convocationem Litvaniæ, reliquáve Repub: salutaria impugnavit, & scandalizavit Equestrem Ordinem, ut media postponens salvandæ Patriæ, necessitatem Regi faceret in casu periculi recurrendi ad communem motum, de cujus successu quis augurari potest? Quod attinet responsum ex Cancellaria mea per Petranovium datum, id non habuit formam universalis, sed rescripti ad puncta Cosatica summè læsiva & intolerabilia: Commissionem Cosaticam & approbationem ejus per Comitia, omnium Cosaccorum expediebat proponi notitiæ, tanquam Zaporovienſibus & Horodenſibus convenientem; responsum verò in terminis instructionis Ostrogienſis longè mollius scriptum, non meo motu sed ex deliberatione Senatûs. Missum erat id responsum tibi, Tribunali Regni, Episcopo Cracovienſi, à nemine vituperium retulit, aliàs facile potuisset reimprimi levi chartæ dispendio. Meo judicio has causas esse censeo repugnantiæ, & offensionis Cosaccorum. Primo habere nolunt Polonũ Ducem, Staroſtam, Officialem, Revisorem, ut ante Chmielniccium erat, quod manifestè patuit, ex literis à consilio Corszunensi, datis. *2do* offenduntur cæde duorum Legatorum. *3tio* Contemptui ducunt Cimelia missa esse in Zaporoviam profugis, universalia quasi acriora & infelicia, malam expeditionem Petranowscij, qui convivio tractatus, muneribus captatus juratam promisit propensionem & fidelitatem, nec unum verbum querulosum auditum à Doroszenko & Tukalski: id tamen Tukalski Pater ægre tulit, quod illi juramentum revocaretur, cujus originale manu ejus subscriptum exstat in metrica Regni. Zalski cum Cimelijs non est transmissus, quod valere poterit bono publico, si ea conservata, ei reddita fuerint, cui consilium Czernecense favebit: scribo ex mandato Regis ad Zalski, ut cum eis redeat Varsaviam. A Succamerario Varsavienſi, Legationis Brandeburgicæ relatio facta specioſa verbis, re inanis; Kalsteinium non remittit Brandeburgicus, Brandt, alioſque læsæ Mtis reos judicandos

Legati Moschovitici

Protestatio Primatis

Causa offensionis Cosaccorum

Relatio Legationis Brandeburgica

esse

esse promittit; verùm in hac etiam causa invenietur effugium, jamque allegatur Brandt non habere exdivisionem bonorum cum fratribus, adeoque illa confiscari non posse: Postas, inaudito alibi, & ante, exemplo in Dominijs Regis dispositas non vult revocare, mihi offenditur eò, quòd putet me scripsisse tibi, pro vindicanda armis injuria; falsùsque est, duos non nisi nos agere pro causa Kalksteinij, plures verò Senatores in datis ad se literis laudare factum, illud tuituros se promittendo apud Kemp. Cameneci curam Rex tibi impensè commendat; omnes pro necessarijs huic fortalitio offerens sumptus, etiam suis subtrahendo necessitatibus; ut ille, qui circa ejus restaurationem, & munitionem agit, à nullo dependeat ex ibi residentibus, sua non nisi quærentibus. *A.C.* 1671

COPIA LITERARUM PRIMATIS AD REGEM.

10. Aprilis.

MOderato ferat animo Majestas Vestra, quòd quoties ad me de periculis Reipub: rumores perveniunt, toties illis, meaq; simul solicitudine impleo aures Mtis V, unamq; oscino cantilenam, quòd scilicet nobis illa à parte parentur pericula. Non expectando ergo consilium, ad quod pro 10. nonnisi Maji convocandi sumus, quandoquidem hostis non quiescit, nec expectat bellandi commoditatem, verùm novis in dies Tartarorum subsidiis afflictas illas fatigat Regiones; sensum meum, in antecessum irrequisitus licet exprimo hac litera: Antiqua quidem olim sub Antecessoribus Majestatis Vestræ ferebat consuetudo, ut hujusmodi notitiarum per ministros sigillorum participes fierent Senatores, & in repentinis etiam absentes consulerent, nunc per fastidium, an per fastum, nec literâ nos compellant, ac si vana nos essemus Catonum nomina, illi soli Senatores & Arbitri Reip, qui utinam consulant, regantq; quandoquidem id soli nôrunt, modò sit bene Patriæ; nobis etiam ab hoc gubernio alienatis: Verùm secus omnino agitur, cùm etiam expeditio Wycoccij ad Portam nullum emolumentum præter irritamenta illius tulit potentiæ. Quis unquam audivit nudum hominem, nec ullo legationis insignitum charactere ad tantum expediri Principem pro pactorum approbatione? Dixi toties non expediendum esse, nisi à Cancellario solo, & Exercituum Duce, nuntiando noviter Electum & ad thronum evectum Regem, promittendoq; brevi magnum ab eo Legatum pro firmandis pactis, & amicitiâ stabilienda. Verùm Wysoccio plus hac in parte, quàm mihi fidebatur, licet in eo loco, ubi illi nunc sunt, fui minimè otiosus. Modicum profuerunt ad pacificandam Ucrainam, etiam illa universalia, de quibus nonnisi nunc resciví. Parum tulit emolumenti missio insignium, Hanenko quandoquidem rerum potiebatur in Ucraina Dorosenko, cui id majori erat irritamento: Et tamen cicurandus, non irritandus hic homo fuerat, quem eò illa adduxit desperatio, ut quæreret & inveniret Portæ protectionem. Et quia nunc iterum tractatus optat, licet forsan subdolè, utendum esse suaderem occasione, saltem ut interea nos inter combinari possemus, in eaq; quam Vestra Majestas habere potest, postura, consistere. Siquidem tempus consilij protelari debebit, nec anticipabit diem 10. Maji, ego quod sentio, Vestræ Majestati pro præsentis temporis exigentia insinuo, subjicio id Regio judicio & censuræ. Et primo quidem opto, ut Majestas Vestra suam denuntiare dignetur in Ucrainam expeditionem, ad eam secum, quicunq; bello aptus, invitando, ut exiguæ vires Reipublicæ augean-

Culpat aliqua facta.

Wysocciexpeditio ad Turcas.

Missio insignium Hanenko

Consilium Primatis.

A.C.1671 geantur. Expediendæ ſunt primæ Reſtium literæ ut pro communi motu Nobilitas ſe præparet, promittendo illi, quòd primo vere etiam Majeſtas Veſtra cum ea ſit ſub Leopolim profectura. Colonellis indicendum geminatum in pœnam ſervitium; illi verò, qui portiones ultra debitum receperunt, juſſu adigendi; ut tot ex lege pœnæ milites ſtatuant, pro quot data ſolutio. Colonellis quoq; peditum geminatæ dentur pro Regiminibus patentes. Non nego quidem vetante jure, non licere nova erigere vexilla, militemq; cogere, quando tamen, jubente eodem jure Palatinatus auctionem in comitijs conſtitutam, per comitiola ſuſtulerunt, unum alio compenſari poterit, ipſiq; Palatinatus congregati cum plena poteſtate, diſpenſabunt hujuſmodi in legem peccatum: Nec meum unquam erubeſcam ſenſum, quem jubet neceſſitas tam evidens. Litvanam quoque nobilitatem monere & accendere dignetur Majeſtas Veſtra, ut ſolito fervore contra impendentia pericula ſint parati, ſicq; erit, cum quo Majeſtas Veſtra in campum prodeat, primaque hac expeditione utile quidpiam efficiat pro Republica nihil in his circumſtantiis omittendum, omnia pertentanda.

ANDREÆ OLSZOWSKI PROCANCELLARII REGNI AD SUPREMUM DUCEM EXERCITUUM REGNI.

Varſaviæ 10 Aprilis.

DE via redux, geminas tuas reperi literas; poſteriores de data 3 Aprilis Leopoli. Reſponſa à Senioribus Coſaticarum Legionum, omnia ſunt ratione amictûs debiti. Emerſit nunc tandem manifeſte, hactenus occulta eorum intentio, qua nolunt ita, ut ante bellum, manere, Chiliarchos, & Staroſtas Polonos habere. Iactant ſe à jugo eſſe liberatos, requirunt declarationem gratiæ Regiæ, hinc verò meo tenui ſenſu, aliud colligi nequit, niſi velle illos, gentem & provinciam Ruſſiæ abſolutam, & independentem facere, quis ſcit an non exemplo Hollandiæ, quam bellis feſſa Hiſpania, inſuper ſociam, pro ſubdita declaravit. Reflectant ergo ſe nonnulli, quantum ſe & Rempub. ſcribendo inſtructionem, pro Commiſſione Oſtrogenſi, ſeduxerint, cum Coſaccos in Palatinatu Braclavienſi, omnibus bonis ſpoliatos, exeſſe, in Kijovienſi verò Palatinatu, in Regalibus non niſi bonis arctari, cogerent, aliasve duras, tanquam victis leges imponerent. Minoris momenti apud Coſaccos ſunt Religio & Eccleſiæ, quibus nos facile, & projectim cedimus: At hic labor hoc opus eſt, in quo conſiſtit cardo rei, inducere eos, ut Staroſtijs, Tenutis, bonisque, in ſua poſſeſſione Inveteratis, cedant, ut Domini per arma facti, manibus, quamvis malè parta, dimittant. Si Czudnovienſibus pactis contentus eſt Doroſzenko, quæ, ceu primus Commiſſarius tractavit, & ſubſcripſit, principale in eis eſt, ut protectioni externorum renuntiet: Inde ergo illi incipiendum eſſet; ut vexillum Turcicum remittat Regi, cum alijs deditionibus inſignibus, Reſidentem à Porta revocet, aliasque Conditiones in pactis Cudnovienſibus expreſſas, impleat. Si hanc probationem ſinceræ propenſionis ad pacem non exhibuerit, ſibique neceſſitatem conſervandæ fidelitatis non fecerit, verbali ejus non præbebo fidem ceremoniæ, cum præſertim Regi ilimites ex Ordinatione ejus Coſacci ac Tartari infeſtent, & populentur. Super punctis, ratione reſtaurationis vallorum Białocerkvenſium, præparationis quàm optimæ ad certum bellum, modorum pacificandæ Ucrainæ, expeditionis Krymum, extradendarum literarum reſtium, inſtituendum eſt conſilium bellicum; cui quandocunque tempus idoneum judicaveris, illudve ſignificaveris, ut à Rege geminis vicibus hoc in puncto es compellatus,

nullâ

nullâ morâ, ex Cancellaria Collegis tuis, præcipuis Senatoribus, & Chiliarchis intimabitur. His diebus ſperatur præſentia Principis Procancellarij Litvaniæ; qui, ſi concluſerit actui Nuptiali locum Varſaviæ, judicarem anticipatè conſilium pro 4 Maij determinandum eſſe: Quodſi Białæ Nuptias celebrare voluerit, facile expedito intra triduum conſilio, eò nos pro 10 ejuſdem conferre poterimus. Antequam veniſſem ad hodiernam audientiam, jam Regi per Szczuka, aut alium quempiam, innotuerat amaritudo dolorque tuus inde profluens, quòd per hiſtoriam Bellizarij, te eſſe productum, & in gazetis ad Exteros datum, per ſiniſtras informationes putes: ſanctè affirmavit Rex, ſe id nec in cogitationem admiſiſſe: comœdia hæc pridem Italico expreſſa typo, innocenter à Domeſticis Nuntij Apoſtolici recitata fuit, nullâ tuâ injuriâ, ad cujus perſonam nihil referebatur. Coactus exhibui Regi poſtſcriptum tuum, quo lecto aſſeruit, ſe non ſubſtantiam tantùm, verùm etiam nomen tyrannici Imperij deteſtari, qui verò ex Aulicis ad hoc Dominum vellet inducere, penitus neſcio, pro me ſpondeo. Depone ergo eam, quam tibi perverſi Interpretes inſtillârunt, opinionẽ; quis impediet aut prohibebit Typographos, qui pro placito ſuo, quæ volunt, typo mandant, etiam meum nomen ſermone Archiepiſcopi, & quodam, quaſi Nobilis Dobrynenſis, ſcripto Hamburgi impreſſo malitiosè & falsò poſitum eſt, ſed hæc ſpreta exoleſcunt, tu quoque illa ſperne & me fove. *A. C.* 1671

ANDREÆ OLSZOWSKI PROCANCELLARII REGNI AD PALATINUM LUBLINENSEM RADOMIUM 14 Aprilis.

Diſpoſitâ poſtâ Radomium, ubi motus in fine velocior, fraternam tibi totique Collegio mitto propenſionem, congratulans tam ingens opus contentandi Exercitus, ſub directione tua, communi optimorũ civium labore, fortunato curſu procedere, brevi ex voto, commodoque publico concludendum. Nos quoque hic cum Regia Majeſtate non intermittimus curas, & rationes defendendæ Reipub. Prodeunt ex Cancellaria denuntiatoriæ periculorum ex præcautione Mareſchalci Regni Supremi Ducis Exercituum, deferentes, Białogrodenſes Tartaros non excedere limitibus, ſed augeri, Turcæ tribus in locis ſuper Danubium, pontem exſtruunt. Cum ultimis Reſtium literis expectabimus donec ſuccreſcat gramen, & augeantur (quod Deus avertat) pericula. Nunc videat errorem ſuum, quisquis, per miſſam ad Tribunal Petricovienſe proteſtationem auctioni Exercitûs, cointelligentiæ cum externis Principibus, convocationi Litvaniæ coram populo fidem abrogavit, tamque ſalutaria media, neſcio quo conſilio, non facta in comitijs, impedivit. Injuſtè me impetit ſuis Primas literis, per copias ſparſis, cum facile probare poſſim, me nullum intermiſiſſe momentum, quo vigiles non agerem circa bonum commune curas. Expeditio Petranowski, ſaltem Doroſzenko & Coſaccis anſam non dedit offenſionis, ut ex literis eorum conſtat. Fuit adhuc Petranowski Varſaviæ, dum Doroſzenko cum Chiliarchis ſubſcriberet Turcicæ protectioni: cumque illi in conſilio diceretur, ut id differret ad reditum Petranowski, reſpondit modicum detrimenti, licet periret Petranowski. Ioiò terrore aliquot centenorum Coſaccorum juramentum illud & ſubſcriptiones à ſenioribus qui horum pœnitudine tacti, clam centurionem ad Regem expediverunt, cum ſupplicatione, ut eos à tyrannide Doroſzenko liberaret. Hæc eſt relatio Centurionis ſeu Sotnik, quem eſſe hominem inſignem & addictum nobis teſtatur Commendans Białocerkviæ in ejuſque ille documentum uxorem ſuam & liberos Białocerkviæ locavit. Hanenko inſignia miſſa, cum ita Commiſſio Oſtrogenſis conſtituerit, Reſpub. approbaverit, frequentiſſimus

A.C. 1671 Senatus censuerit. Rem tamen habemus integram, cum Zalski ex mandato Czari Moschoviæ Batorino reversus, cum cimelijs Varsaviæ indies speretur, quæ bono publico valere possunt, cum & Hanenko sit obligatus, & Doroszenko bene sperate possit, habita retro clava, alijque insignibus, de quibus è successu rerum pro placito disponere possumus. Nunc primo emersit intentio Cosatica ex literis ab omnibus Legionibus datis qua nolunt in eo statu, quo ante bellum, manere, nec habere Chiliarchos, Starostas, & Revisores Polonos: Adscribunt sibi armis se à tanto jugo esse liberatos, jamque ab annis 20 hoc passos amplius pati non posse: exigunt declarationem Regiæ gratiæ & contentationem, quæ aliter meo tenui judicio intelligi nequeunt, quàm eos velle gentem Russiæ & provinciam absolutam, & independentem constituere. Mitto tibi ad relegendum literas; quas peto mihi conservari: Revocent ergo sibi quidam, quantum se & Rempublicam seduxerint, leribendo instructionem pro Commissione Ostrogensi, cum Cosaccos in Braclavienſi Palatinatu omnibus pene exesse bonis, in Kijovienſi verò in ipsis non nisi Regalibus bonis coarctare imperarent, aliasque duras leges tanquam victis imponerent. Cardo rei in hoc vertitur, ut inducantur Cosacci, quatenus Staroſtijs, tenutis, bonisque Nobilium in possessione sua inveteratis cedant, & facti per arma Domini male parta dimittant. Promisit quoque per literas Doroszenko, se pactis Zaborovienſibus aut Cudnovienſibus contentum fore: Quia verò post has literas iterata exercetur hostilitas per irruptionem Tartarorum & Cosaccorum, tutum non est ijs præbere fidem, ne relinquendo tamen pacis media cum armis deficiamus, numerus Exercitus non procedat ultra 7. millia præsidijs & adnumeratitio amisso milite vulgo slepe poczty. Si pactis Cudnovienſibus est contentus Doroszenko, quæ, ceu primus Commissarius subscripsit, principale in eis est, ut protectioni externorum renuntiet. Inde ergo ei incipiendum esset, ut vexillum Turcicum, aliaque deditionis insignia Regi remittat, Residentem à Porta revocet, aliasque conditiones in pactis Cudnovienſibus expressas impleat. Antequam, hanc veræ propensionis ad pacem exhibeat probationem, sibi necessitatem conservandi fidem faciat, ego verbalibus ejus ceremonijs, quibus nos forsan convenire cogitat, fidem præbere nequeo. Media juvandæ Reipub. à Duce porrecta, lecta sunt heri in Senatûs consilio. Attentare tamen ea difficile contra juramentum Regis, nec ego incurrere vellem pœnam privationis officij. Residentes nunc in aula nulli: præter me & Palatinum Sendomirienſem; nos duo turba sumus, explorare velis collegarum tuorum sensum eo loci Rempub. repræsentantium tuaque qua vales dexteritate executioni mandare propositiones Regis, ut scilicet 100 millia accipiantur mutua denturq; militibus veteranis pro novo authoramento militum seu rekruty, ut quantum supra debitum portionum receperunt, tot milites sub pœna legis sistant, & pro quot accipiebant equis, nec tamen illos habebant, tot progeminandis minoribus comlitonibus, seu Sowitych Poczтow, & Regiminibus, contribuant. Commissio Vilnensis rupta est per Prozor Calvinum Nuntium Caunensem contra quam ruptionem, factam à quibusdam protestationem tibi mitto & copiam literarum Regis ad Commissarios.

COPIA LITERARUM AD RACZKOWSKI COMMISSARIUM REGIUM A DOROSZENKO.

Varsaviæ in Majo.

PRimas à te Kijovia, alteras nunc Czcherino datas accepi. Non speravi te tam citò Duci illi concrediturum, & non tentatis juxta tuam instructionem alijs mediis, non habita firma de ejus incli-

nation

natione ad bonum certitudine, tantam ex nunc initurum confidentiam. *A.C.* 1671
Toties ab eo ſeducti ſumus, quando legationes ad Regem ſimul, & ad Portam expediebat, non expectato reditu Petranowſcij realem deditionem cum Chiliarchis fecit, ſubſcripſit & juramento firmavit; data per literas aſſecuratione, ſe fore contentum pactis Cudnovienſibus, incurſionem Tartarorum inſolentium, & Coſaccorum induxit in Regni limites; nullum intermiſit modum nocendi Regi, & Reipublicæ. Nec tamen, ſic etiam male; quod probemus omnia pacis media, uti opportunè promiſit tuus Expreſſus, expeditus ad conſilium bellicum; quod 17. currentis in præſentia Ducum, eſt celebratum. Concluſum ergo renovandam eſſe commiſſionem, data omni poteſtate Ducibus tractandi, & concludendi. Comitia his temporibus indici impoſſibile, quæ ad hyemẽ erunt differenda: Et ſicut Regni Duces tractârunt ſub Cudnovia ultimoſq; tractatus, ſupremus Regni Mareſchalcus concluſit quos Reſpubl: ſine difficultate approbavit in Comitijs; ita nunc quidquid ſtatutum fuerit cum Duce, & Exercitu Zaporovienſi, totum infallibiliter approbabitur authoritate Comitiorum, uti id ex frequentiſſimo ſenatûs-conſilio, ſuis Regia Majeſtas univerſalibus declarare, & aſſecurare eſt dignata. Eo itaq; omnes tuos conatus dirige; ut ex parte Ducis, & Exercitûs Zaporovienſis, pro tertia Julij mittantur Commiſſarij ad ſupremum Regni Mareſchalcum; pro ſecuritate dari vicißim dignæ Perſonæ, non ex Commiſſarijs: Apropinquabit quoq; Rex Leopolim propter facilius conferendum; clava aliaq; inſignia militaria, quæ in Zaporoviam non pervenerunt, in manibus erunt Mareſchalci, cujus optimæ propenſioni fidere poterit Dux Zaporovienſis; de mea quoque certus ſit amicitia, dummodo penitus, & ſincerè nobiſcum conveniat, omnibuſq; iniquis machinationibus abjectis, in ſola Regis gratia, & in candore, ac fide Reipublicæ ſpem ſuam, & ſecuritatem fundet; Cedet id gloriæ tuæ & merito, ſi efficaciter perfectam pacem conciliaveris. Invenientur media contentandi Ducis & Exercitûs, Tukalſcio quoque libenter inſerviam, ſi bene in hac occaſione meritus fuerit; ut viro diſcreto & ſpirituali convenit. Ultimæ Reſtium literæ pro communi motu, expediuntur non ad offenſionem, ſed ad defenſionem, ſi Turca hoſtiliter nos aggredi ſtatuerit. Ucrainæ nihil hoſtile meditamur, omneſq; ad eum terminum intendimus nervos, ut pacatis mediis cũ conſervatione jurium, & libertatum Coſaticarum, reſtituatur ad obſequium Reipublicæ. &c.

RESPONSORIÆ A SEREN: R. M. POLONIÆ, AD ELECTOREM BRANDEBURGICUM. 9. Junij.

QUàm magnâ & planè indubiâ ſpe agebamus, graviſſimæ injuriæ noſtræ remedium, & condignam ſatisfactionem à Sereniſtate Veſtra, de facili præſtandam fuiſſe, ex indeq; literis Sereniſtatis Veſtræ de data 21. Decembris confiſi Generoſum Opacki Succamerarium Varſauienſem ablegaveramus, datô eidem negotiô, ut Kalkſteinium in locum & ſtatum, in quo ante ſubdolam violentiam fuit, reſtitui; Euſebio Brandt contra officium Miniſtri, & honeſti viri decentiam delinquenti pœnam irrogari, Baugmartum noſtrum militem & quendam Tomaſzewski noſtrum ſubditum nobis

A.C. 1671 *extradi: Cæteros Serenitatis Veſtræ milites Varſaviæ facinus in Regia noſtra patrare auſos, alios verò per poſtam intra Regnum uſurpatam ad properandam mutatis equis extra Poloniæ fines in Pruſſiam Kalkſteinij deductionem diſpoſitos tanquam pacis, & publicæ ſecuritatis violatores, pro gravitate delicti puniri decenter requireret, perurgeretq́, tam dolendum nobis evenit, nihil in effectu pro juris & juſtitiæ debito, Ablegatum noſtrum ad nos retuliſſe, ſolo duntaxat proximè venturi Ablegati Electoralis promiſſo, totam ſpem noſtram ſuſtentatam eſſe. Sed ecce Ablegatus iſte per tot menſes expectatus nondum comparet, & quaſi aduentum ejus itinera noſtra inſtituta, uel inſtituenda diſtinerent, à Serenitate Veſtra allegatur, adjecto non æquum eſſe, ut Calkſteinaminegotij ulteriori diſcuſſione utrinq́ fatigemur. De Brandtio quod extorris vivat, de aliis facti participibus, quod latitent, contra quos id quod juris erit ſtatuendum fore promittitur, itidem Serenitas V. nobis ſignificat, atq́ hic voluntati noſtræ ſatisfieri poſtremò inſinuat. Quæ hujuſce modi an in atrociſſimo delicto intentioni noſtræ & juſtitiæ, an ſacris amicitiæ, fœderis, neceſſitudinum nominibus ſatis conveniant, cuilibet æquo rerum arbitro exiſtimandum relinquimus. Quod verò de præſtanda per nos fœderis Bidgoſtienſis juratoria confirmatione Serenitas Veſtra, per eandem epiſtolam commemorat, equidem in nobis nulla mora erit expediendi per Delegatum noſtrum juramenti, ſi prius articulo fœderis, de ſopiendis & exterminandis exortis controverſiis, ac delegandis intra bimeſtre tempus Commiſſariis, à Serenitate Veſtra ex præſcripto eorundem pactorum ſatisfactum fuerit, cui ultra triennium jam intimata & toties ex conſilio ſenatus noſtri repetita declarationi noſtræ in ſolido pactorum fundamento firmiter inhæreamus. De cætero optimam valetudinem & proſperos rerum ſucceſſus Serenitati Veſtræ à DEo precamur. Dat: &c.*

LITERÆ A SACRA R. M. AD SERENISSIMUM ELECTOREM BRANDEBURGICUM. Varſaviæ 10. Junij.

MICHAEL DEI GRATIA REX POLONIÆ &c.

PEriculorum ab Oriente Regno noſtro minantium non ſperando terrores, ſimul Ucrainæ innovata rebellio, ac vicinæ barbariei circumſtrepentia arma induxerunt nos in eam ſententiam, ut nobilitatem univerſam in campum Martis evocandam, noſtramq́ Regiam perſonam pro defenſione Regni, contra hoſtes opponendam ſtatuerimus, cum verò ſubſidia militaria à Serenitate Veſtra, viribus noſtris momentum additura ſint, revocamus in memoriam articulum fœderis Bidgoſtienſis, quod Serenitas Veſtra mille quingentos pedites, & quingentos equites, nobis ac Regno noſtro ſubminiſtrare tenetur, neq́ dubitamus Serenitatem Veſtram æquitate rei expensâ non ſolùm pro præſenti bello, debitos milites nobis miniſtraturam,

ſed

ſed etiam quæ prioribus annis, & tot novis bellis à Serenitate Veſtra, auxilia defuerint, ad præſens auctiore numero compenſaturam atq; in pleniorem ſatisfactionem noſtram propenſiq; erga nos animi documentum, iiſdem auxiliaribus copiis, ſuſtentationem per aliquot menſes, ultro & prout inter nos, poſt eductum ex Ducali Pruſſia militem convenerit, ſuppedituram eſſe. De catero Serenitati Veſtræ optimam valetudinem. A.C. 1671

ANDREÆ OLSZOWSKI PROCANCELLARII REGNI AD SUPREMUM DUCEM EXERCITUUM REGNI
Varſaviæ 26. Januarij.

Mitto inverſales Regis literas ad incolas Podoliæ, ut à violentijs & attentatis in Valachia deſiſtant. Neſcio qua de cauſa cum alijs Commiſſionibus, in omnes vicinas Regiones, in Comitijs præteritis per conſtitutiones ordinatis, inſcripta non ſit Commiſſio inter Podoliam & Valachiam: æquivalere tamen poterunt hæ Regis univerſales ad Senatores, & Officiales illius Palatinatus datæ: ſi conſtaret nominatim, quisnam eas violentias & exorbitantias inferat, daret ad eum Rex inhibitorias; verùm authoritas tua, cui ex officio incumbit, communem curare pacem, & ſecuritatem, tuerique limites, eundem ſortietur effectum, ſi tuas ad eos expedire literas volueris. Telczynſcio præteritâ poſtâ expeditionem miſi ex Cancellaria, de pecunia verò illi ordinanda aſſecuravit me Theſaurarius. Raczkowſcij temeritas damnanda omnino eſt, qui poſthabita inſtructione, auſus ad Doroſzenko vias dirigere, ibique ad ſe non pertinentia, inſtructioni contraria, moliri: puto illum non curâ & amore boni publici, ſed egeſtate & deſperatione fortunæ in Polonia, ad id inductum eſſe: revocandum inde meo judicio aliquo prætextu per literas Regis cenſerem. Id peſſime ab eo factum, quod faventes nobis Coſaccos coram Doroſzenko manifeſtaverit, literas Regias non reddiderit, ſeque impertinenter in mediationem inter Hanenko & Doroſzenko ingeſſerit, quos per rationem ſtatus præſtat dividere, impedireque, quominus Horodenſes Coſacci, cum Zaporovienſibus Nizanis, hoc rerum ſtatu conveniant, Commendantem Białocerkviæ, idem, quod Regi, & mihi; tibi quoque ſcripſiſſe ſuppono, ratione mittendorum ſibi 2000 Equitum. Hanenko optat Regi, ut ſine mora in Ucrainam moveat cum Exercitu, ſuam promittendo promptitudinem, ad ſuccurrendum, & perſequendum hoſtem; Czeherino quoque expeditus non nemo, de tenuioribus Doroſzenko viribus facit relationem; quod utrum, in parvo Exercitûs numero, & incerto communi motu, in effectum deduci poſſit, tuæ prudentiæ & conſilio militari judicandum relinquitur. Exercitus Litvanus conſervatus eſt in obſequio ad ſuppetias ferendas Polono. Expedivi literas ad Electorem Brandeburgicum requirendo debita ex pactis ſubſidia, ſcilicet ſesqui mille peditum, 500 Raytaros & compenſationem auctiore numero non ſubmiſſarum præteritis annis & bellis auxiliarium hujusmodi copiarum, quidquid reſponſi retulero communicare tibi non ommittam. Scriptum Czari Moſchoviæ heſterna tulit poſta, cujus contenta ſunt, ut Legati Regij adhuc tantiſper expectent; donec Czarei ad Regem veniant cum novis quibusdam propoſitionibus, meo ſenſu judicarem non expediendos prius Legatos ad deponendum nomine Regis juramentum, quàm à Czaro detur declaratio reſtituendæ Kijoviæ, mittendi Exercitûs ſui ad conjunctionem armorum cum Polono, ſive contra Turcas ſive ad pacificandam Ucrainam, item judicandi & corripiendi Mnohogroſz-

Raczkowſki temeritas

A. C. 1671 groſzny pro correſpondentia, & arctiore amicitia cum Doroſzenko, detentione & reiteratione Legati regij, aliiſque hoſtilitatem redolentibus, fortalitium Białocerkviæ ob penuriam panis, & ſalis, vix ad Octobrem conſervari poteſt, cui aliter niſi toto Exercitu ſuccurri nequit. Commiſſio cum Doroſzenko in dubium vocatur; omnia tamen tentanda ſunt conſilio magis, quàm armis. Reſponſum ad literas Vezyri Turcarum, tuo erit conforme conſilio, ſumma interim eſt, ex parte ærarij difficultas: literis his vulgatum eſt per Poloniam, ceſſaſſe à Turcis pericula, adeoque dubito de communi motu, & expeditione à Palatinatibus facienda.

ANDREÆ OLSZOWSKI PROCANCELLARII REGNI, AD SUPREMUM DUCEM EXERCITUUM REGNI

Varſaviæ 10 Julij

VIx tuas accepi literas, exnunc motor fui ut vocaretur Senatus, punctaque in diſtincta tibi miſſa pagina, propoſui; nemo fere erat, qui in voto ſuo imparem ſe conſilio, in tam arduis, totamque Rempub. concernentibus propoſitionibus, non fateretur. Deſignata eſt commiſſio ad tractandum cum Doroſzenko; ſed de ejus felici eventu dubitandum, quandoquidem etiam ante Commiſſionem, tanta exigit, quanta per ipſos tractatus evincere ſine conſenſu Reipub. eſt impoſſibile; cum inſtructio in ruptis Comitijs, Commiſſarijs Oſtrogenſibus ſonet, ut Białocerkvia evacuetur, & non tantum Ucrainam, verùm nec minimum Territorium Coſaccis concedendum permittit, Inſignia non prius reddere jubet, quam Doroſzenko Sandakos Turcicos remittat. Licet aliæ difficiliores deeſſent conditiones, quæ tamen non deerunt, præſertim de ſublatione unionis; hæ ſolæ in anteceſſum propoſitæ ſunt impracticabiles; adeoque loco pacificationis, offenſæ & tumultuum erunt occaſio. Receſſit longè à prima occaſione Doroſzenko, in qua pactis Czudnovienſibus contentus eſſe volult, hocq; Regé ac Senatum ad conſtituendam novam Commiſſionem, pro tertia Iulij induxit: ego interim per protractionem tractatuũ, perpendo amiſſionẽ cõmoditatis bellandi, & rerũ gerendarũ occaſionis, alienationẽ Hanenko, ubi adverterit, non agi juxta Commiſſionem Oſtrogenſem, ſeq; promiſſis ac literarũ Regiarum aſſecuratione fruſtrari, ſi in tractatu pacis reſtitutione clavæ potior habebitur æmulo & hoſtis ejo in eóq; verificabitur: gratis pœnitet eſſe probũ, inclinabitur deſperatione & acclamationibo Exercito Nizani, ex quo pleriq; militum ad ulterius tempus carere nolent relictis in fortalitijs pignoribus. Id mihi ſingulariter ſuſpectum eſt, quod Hanenko datis ad me literis, perſuadendo, ut Exercitus noſter ſub Białocerkwiam expediatur, addiderit, ſe amplius nobiſcum tenere non poſſe, niſi quidquam hac æſtate effecerimus. Meum id erat conſilium, ut modicum quodpiam, ſaltem ad mille aureorum donativum, illi, & Nizanis, pro ulteriore illicio mitteretur; cui per tenuitatem ærarij Theſaurarius non acquievit. Modicam ſanè habuerit Hanenko, vix ſcilicet aliquot conſtantem millibus potentiam; Hæc tamen ejus diviſio, terrori eſt Doroſzenko, noſtrique reſpectum facit ac Krymenſium Tartarorum hoſtilitatem continet, uti revera Nuntij Nizani aſſecurant, non obſtante quod novus Hanus ſit conſtitutus, nobiſcum tamen illum bellare nolle, & non poſſe; cum illi reclamaturi ſint Primores gentis, præſertim Szerem Bey ſummæ potentiæ & authoritatis inter eos, Hanenkoq; & Zaporovienſibus per quam familiaris. Id quoq; revoco, Tractatus cum Coſaccis nunquam aliter, niſi per arma coaluiſſe, ut Zborovienſem, Białocerkwenſem, Czudnovienſẽ,

Commiſſio ad tractandum cum Doroſzenko

Hanenko auctoritas

Podha-

Podhalecenſem; Hoc tamen non niſi ex privato ſenſu, & per diſcurſum innuo; Conſilium verò ſenatûs, ſummam rei ſive pace, ſive bello gerendæ, tibi permittit, qui ex eventu rerum ponderatâ hoſtis potentiâ, providere dignaberis, ne quid detrimenti Reſpublica patiatur. Ad propoſitionem ratione Białocerkwiæ, non videtur referibendum; cum negativa Coſaccos irritaret, inanis autem promiſſio, & tuam perſonam, & Rempublicam dedeceret. Exprimenda eſt in literis juſta Regis offenſio, inde, quod Doroſzenko thronum Regium commovere ſtatuerit, cujus manifeſtum documentum eſt in literis ejus originalibus ad Electorem Brandeburgicum, aliæq; manifeſtæ ſunt machinationes, unde Commiſſio Oſtrogienſis, quidquid pertinet ad contentationem, totum in ſe continet. Pacta Podhajecenſia conſervata ſunt ex noſtra parte, & hanc tamen alteram Commiſſionem, dignatur Majeſtas Regia concedere, ut in poſtulatis, quæcunque ab æquitate, & dignitate Regis aliena non fuerint, Duci & Exercitui ſatisfiat. Tractandi verò in præſentia tua, & Collegæ, datur potestas Senatoribus in Exercitu reſidentibus, addito illis Notario Campeſtri, ſeu Commiſſario Oſtrogenſi, duobuſq; circiter Chiliarchis, tuo judicio deſignandis. Inſtructio Oſtrogenſis ſerviet præſenti tractatui, reliquum ſupplebit communicatio cum Rege, ejuſq; ſenatu, ubi eas in partes venerimus. Ad proviſionem Białocerkwenſi fortalitio faciendam, alius non ſuppetit modus Theſaurario; niſi ſuggerere tibi, ut monere velis officiales, quatenus quivis eorum curam habeat, ſuorum ſuſtentationis, accipiendo ex Palatinatibus pecuniam, vel, ſi poſſibile eſſet, practicatis exemplis, ſive Piwo, ſive alio quopiam ad id deſtinato, frumenta ad fortalitium convehere, alliſq; neceſſariis facere proviſionem: curandum quoque eſt aliquod ex Moſchovia ſubſidium à Palatino Kijoviæ; licet hanc benevolentiam nunquam experti fuerimus, ratione cujus cum Legato Moſchovitico expoſtulabimus. Id quoq; ex re eſſet boni publici, illiusq; præcipuè fortalitij, ſi Commendanti Białocerkwenſi aliquot centeni equites, quos toties poſtulat, ſuppeditarentur. Expedivit Majeſtas Regia cum his punctis Radziejovium ad Primatem, cujus ſenſus per expreſſum Curſorem, tibi conſtabit quanto cius. Toleżenſki aut quiſpiam alius non neceſſariò nunc fortè expediretur ad Doroſzenko, Raczkowſki verò omnino revocandus. Rex hinc 16 moturus eſt. Expeditiones in Palatinatibus ſunt conſtitutæ, de quarũ luſtratione, præſertim ex majore Polonia, in horas notitiam expectamus, non ſpero tamen niſi mediis Auguſti in campum prodituras. Communes motus Regia Majeſtas non relaxat, licet illi pro hoc per Legatos eſſet ſupplicatum, ſed eos, in omnes caſus reſervat. *A.C.* 1671

ANDREÆ OLSZOWSKI PROCANCELLARII REGNI AD SUPREMUM DUCEM EXERCITUUM REGNI 24 Julij

Palatinatq; non conſentiunt

PAuca, hac poſtâ tibi ſcribo: Legationes his diebus habuimus à Palatinatibus majoris Poloniæ, & Cracovienſi. Illi in communem motum abſolutè conſentire nolunt, prætendentes non tutam viciniam à Pomerania; adeoque concedere illis dignata eſt Majeſtas Regia expeditionem 1000 militum; hic verò expeditioni penitus non acquieſcens, circa communem motum, ſine diviſione belli, firmiter perſiſtit. Metuimus, ne etiam Sendomirienſis Palatinatus ſequatur Cracovienſis exemplum: licet tam diverſa & diſſona concinnare, tamq; promptam providere defenſionem ſit difficile, agimus tamen, quantùm per tenues licet vires; perſvadendo expeditio-

A.C.1671 tionem, quæ efficacius promoveretur, ſi tu in eum finem literas ad Palatinatus expedires. Ordinationem aliam, licet toties in Senatu propoſuerim evincere nequeo, niſi ex veteri formula. Viderit, nequid detrimenti Reſp. patiatur. Cum bella momentis conſtent, difficile tibi in tanta loci diſtantia pro conſilijs ad aulam recurrere, ab eiſque dependere. Legatus Czari Moſchoviæ eras Varſaviam ingreſſurus, die dominica habebit audientiam, poſt unamque aut alteram conferentiam, expeditionem accipiet; cum non habeat poteſtatem tractandi, ſed non niſi proponendi. Hoc peracto Rex prima Auguſti movere ſtatuit in Ruſſiam, ſi aliquod interveniens moras non injecerit; in abitu expedientur univerſalia ad acta Caſtrenſia. Legatos Hanenko detinuimus ad adventum Moſchoviticorum, qui hiſce diebus in Zaporovia ſperantur. Suppono te habere copiam inſtructionis Oſtrogenſis, dubito tamen poſſe ex præſcripto ejus, concludi tractatum cum Doroſzenko. Præcautionem Adrinopoli de data 8 Junij miſſam non vanè eſſe judicio qua incitandos non ambigo Palatinum Cracovienſem, aliosve ad occurrendum periculis. Copiam interceptarum ad Brandeburgicum literarum, peto non dari ad tranſcribendum. Obſecro, ut ſiniſtris non præbeas fidem relationibus, quibus peſſimum diffidentiarum ad aulam ſpargitur ſemen. Ex privatis literis cum ſigillo conclavis me inſcio datis pro Comitiolis Sredenſibus, anſam ſumit offenſæ Primas, licet ad eam ſufficiens non ſit occaſio; cum etiam ego conſcius ſim me cum toto ſenatu præter Palatinum Lublinenſem, ſvaſiſſe communem motum, & in univerſalibus expreſſiſſe hæc formalia: ex ſenſu & beneplacito Ducum; quod eſt honori non injuriæ. Aliam offenſionis cauſam non invenio, in aula nemo eſt, qui moliri quidquam attentet, aut diffidere; pro me ſpondeo, in Rege hujuſmodi nihil adverti. Non id per Deum, non id tempus vivimus, quo, hiſce artibus, & tumultibus impunè vacemus, unum cor & una cura Procerum eſſe debet circa Rempublicam, ruinæ caſuique proximam.

COPIA LITERARUM AD ELECTOREM BRANDEBURG. 15. Julij.

MICHAEL &c. Generoſas atq; erectas mentes, cum ſiniſtris delationibus, quæ integritatem ac innocentiam actionum ſuarum lædunt, graviter afficiuntur, tum veritate rectè indagata, famæ mendacia ſpernere, vel ſi falſitatis & calumniarum authores detegantur, illis iraſci plurimum decet, non ſemel jam mirari, & dolere nobis contigit, quòd nonnulla à veritate aliena non tantùm facili aure à Serenitate Veſtra admittantur, ſed gravi ſubinde animi commotione, ac verborum acerbitate, (quam Cancellariæ Serenitati Veſtræ adſcribentes moneri eandem fruſtra requirimus) nobis & Conſiliarijs noſtris impingatur. Anterior Serenitatis Veſtræ Epiſtola plurima fuit in perſtringendis malevolorum conſilijs, quo nomine ſenatus noſter, cui ex firma Regiminis Polonici ad latus noſtrum jus dandæ ſententiæ eſt, neq; ſenatus conſultis ulla negotia publica hic expediri mos eſt, non mediocri injuria afficitur, equidem talia in conſiliarios Serenitatis Veſtræ, regerere moderatio noſtra non patitur, tametſi omnia quæ velint, à nobis poſſe extorqueri ajunt, veluti ſub pactorum prætextu intendi, ſcriptaq; de noſtris in illos pla-

nè recidere res ipſa demonſtrat. Quod attinet præſentem ſummi doloris expreſſionem, quòd non tantùm palàm in aula noſtra Regia, S. V. indigna atq; invidioſa oneretur querela, quaſi cum Doroſzenko hoſte Reipublicæ conſilia & literas ultro citroq; communicaſſet, ſed quòd eandem rem, ut ſibi compertam ad Palatinatus detulerimus, eam ſanè juſtiſſimam cauſam duceremus, indignandi & graviter expoſtulandi, utq; falſos tantæ rei auctores nominaremus efflagitandi, ſi tale quidpiam re ipſa exiſteret, ac vel minimo documento probari poſſet, verùm hac verbo negare ſatis eſt. Conſtat jam Serenitati Veſtræ, quomodo flagitioſa, & proditoria Doroſzenko Epiſtola ab emiſſario ejus in Ruſsia, primum detecta ad noſtras deinceps manus pervenerit, nemo tamen ingenuè & aperta fronte affirmare auſit, nos aut quempiam ex Conſiliarijs noſtris aliquid ſiniſtri contra hanc Rempublicam Serenitati Veſtræ imputaſſe, tanto minus integritatem ejus aut querelâ gravaſſe, aut per Palatinatus in dubium vocaſſe, & indigno modo traduxiſſe, aliter ſanè de conſtanti & illibato erga nos animo Serenitatis Veſtræ perſuaſi ſumus, quàm ut ob nefandam perditiſſimi hominis ſcriptionem vel inclyto nomini Serenitatis Veſtræ ſuſpicionem aſpergi, vel invidiæ & malignitati, cujus & ab animo noſtro & ab aula procul cauſa ſunt, aliquid indulgere patiamur. Quod igitur Serenitas Veſtra pro demonſtranda univerſo terrarum orbi integritate ſua, & pro jure, quod inter omnes gentes, maximè verò amicas & ſocias viget, à nobis expoſtulat, ut auctores hujus rei nominemus, & palàm faciamus, de quibus penitus ignoramus, idem nos multò æquius, etiam certius requirimus, ut in authores iſtius falſæ relationis inquirere, coſq; quod tali ratione, ſinceram & fœderatam inter nos amicitiam & bonam vicinitatem perturbare ſatagunt, debita animadverſione coercere velit. Cæterùm uti nos non ponimus rumores ante amicitiam Serenitatis Veſtræ, ita eandem paria facturam, & veteri ac immutabili erga nos & Rempublicam ſtudio, & propenſione manſuram non dubitantes, optimam valetudinem &c. A.C. 1671

COPIA LITERARUM A S. R. Mte AD SUMMUM PONTIFICEM PRO ARCHIEPISCOPO TOLOSSANO, Leopoli 20. Octobris.

POſt oſcula &c. Cum primum certiore notitia intellexi, ſedisſe animo Sanctitatis Veſtræ imminutum mortali neceſsitate Collegij Cardinalium numerum, aliorum nova creatione ſupplere, ſimul lætitiâ affectus, & in ſpem dubiam erectus ſum, fore ut nominatus à me Reverendiſſimus D. Petrus Bonſi Archiepiſcopus Toloſſan: Nobilis Florentinus, hac in via, eodemq; tempore ad Cardinalitiam dignitatem beneficio Stis V. evehatur. Notiora ſunt Prælati iſtius merita, quàm ut prolixius à me commendari deſiderent, emeruerat ille bonis in Polonia præclarè actis legationibus, maximisq; viro

tutum

A.C. 1671 *tutum ornamentis præcipuam benevolentiam Serenissimi Regis JOANNIS CASIMIRI antecessoris mei, cujus ego Regiæ fortunæ Successor, etiam judicium secutus sum, ut iterata nominatione mea priorem libens, & ultro firmarem. Neq; dubito hærere memoriæ & paterno affectui Sanctitatis Vestræ, cum flagrans desiderium, ac postulatum meum, tum Pontificiam ejus declarationem, quæ proxima Cardinalium creatione, insimul cum Serenissimo Imperatoris nominato, locum promovendo in Cardinalem Archiepiscopo Tolossano benigne designare dignata est. Aperitur jam campus, in quo Sanctitas V. paternam erga me gratiam palàm faciat & prioris temporis abolito eventu coronæ Poloniæ de Ecclesia Catholica meritissimæ, decus, meamq; Regiam dignitatem, non inferius in urbe haberi orbi demonstret. Quod majorem in modum exorans Sanctitati Vestræ longævum, & felix rei Christianæ imperium devotissimè apprecor, meq; ac Regnum meum Paternæ & Pontificiæ Sanctitatis Vestræ benedictioni filiali veneratione submitto.*

COPIA LITERARUM REGIARUM AD HANENKO
Varsaviæ 3 Augusti.

EXpediti à te, totoq; Exercitu Nizano, Zaporovienſi, Legati in Aprilii, propter difficultatem tractûs, non niſi 3tio menſe ad Majeſtatem noſtram pervenerunt; grato animo, Regiaque ſuſcepti clementiâ. Et quia Legatus à Czaro Moſchoviæ adventabat, qui hiſce diebus venit Varſaviâ, viſũ eſt nobis, veſtros Legatos detinere audiendæ gratia Czareæ Legationis, cujus materiam ſcire Exercitum Nizanum Zaporovienſem convenit. Et primo quidem, id nos admodum non contentos reddidit, quòd inſignia bellica, à nobis, ex Comitijs, juxta commiſſionem Oſtrogenſem, miſſa, non pervenerint in Zaporoviam, ſed cum eis Zalski Dapifer Pomeraniæ rediêrit. Imperavimus, ad datas à te literas, contra memoratum Zalski inquiſitionem fieri, in qua patuit, non ejus id accidiſſe culpa, nec ullam eum accepiſſe corruptionem, ſed quidquid factum eſt, id malevolentiâ Mnohogreſzni, & machinationibus Doroſzenko, qui cum eo amicas habet correſpondentias, eveniſſe. Nos tamen ſicut in hiſce Clenodijs immutabiliter gratiam noſtram tibi, totiq; Exercitui Zaporovienſi, conſervabimus, ubi ſecurior modus occurrerit, ita propenſionem virtutique veſtræ, inde magis fidimus, quod nobis literas à Chiliarchis Ucrainenſis Exercitûs cum ſigillis, & ſubſcriptionibus propriarũ manuum, ſubmiſeritis, in quibus literis id omnino falſum, nos velle antiquam Ruthenam fidem tollere, cum ſicut Catholicam, ita græcam Religionem, in omnibus juribus, libertatibus, & conſvetudinibus, nos immobiliter conſervaturos, nullamque etiam minimam injuriam, illi, aut perſonis ſpiritualibus, illaturos, juraverimus: Quisque Diſunitorum, præſertim verò Epiſcopi & Presbyteri græci ritûs, juſtitiam noſtris in judicijs invenient, quodſi ſpirituales inter ſe diſconveniant ad nos id minimè pertinet: parati tamen ſumus Comitia indicere, in ordine ad tranquillitatem, & concordiam, ubi opus fuerit. Injuſtè ergo & falsò in vulgum literis ſpargit Tukalski, ac ex ejus inſtinctu Doroſzenko, concitando plebem ſub titulo Religionis contra Mtem noſtram, & Rempub. Si Tukalski, aut quiſpiam alius patitur injuriam, recurrat pro juſtitia, certò eam juxta jus fasq; ex mandato noſtro, ſine protelatione aſſecuturus.

Græca Religio non tollenda

Quod

Quod attinet ampliationem libertatis Coſaticæ, ut non ita ſit, ac ante bellum, licet anno præterito Commiſſionem Oſtrogenſem gratiamque noſtrâ ſit aſpernatus Doroſzenko; etiam ad hoc inclinati ſumus, ut inſtitueremus Commiſſionem poteſtatemque daremus Ducibus, & Senatoribus in Caſtris reſidentibus, procul omni mora tractandi, pacemq; concludendi, ne Chriſtianus ſangvis profunderetur, jam tamen 4 ſeptimanæ ſunt elapſæ, à præfixo termino 3 Julij, Doroſzenko nihilominus Legatos non miſit, nec ad tractandum acceſſit, imò hoſtili animo & modo induxit Tartaros, qui plebem Græco-Ruthenæ Religionis, crudeliter torquent, & occidunt, aut in barbaram redigunt captivitatem: manifeſte prodidit Doroſzenko nolle ſe, ut Poloni Proceres hæreditaria ſua bona recipiant, & teneant, ſed ut ipſe ſit independens & abſolutus Dominus totius Ucrainæ; cui aliquot jam annis dominatur, omnes ex ea proventus ſuos uſus convertens, propter quos deditione facta, juramentoq; præſtito Turcarum Imperatori, in manifeſtam perditionem Chriſtianas animas, fidem Sanctam, Eccleſias Ruthenas, totamque gentem, inducit. Quis enim dubitet Imperatorem Turcarum licet ab initio pepercerit Ucraineoſibus ditionibus, Coſaccisque indulſerit, brevi tempore inductis ſuis ad fortalitia præſidijs, in eam ſervitutem redacturum Ucrainam, quam Valachi & Moldavi patiuntur: id enim, vix primum cœpta hæc efficit Turcica protectio, ut per Coſaccos dictos Serdyniat, ſummæ inferantur moleſtiæ, & oppreſſiones Ucrainæ, cui etiam non parcent Tartari, quibus ſua vocatis ad obſequia, aſſignat conſiſtentias. Quanquam ſicut nobis proprio hæreditario Domino, & Monarchæ fregit fidem, ita cum Porta inſincerè procedit, cum in ijs rebus pro protectione recurrat ad Electorem Brandeburgicum, ad quem literæ ſcriptæ, nobis ſunt manifeſtatæ, quarum tibi genuinam copiam mittimus, Legatus quoque Moſchoviticus cum eadem relatione miſſus, denuntiavit nomine Czari, ſub ejus protectionem Doroſzenkum cum omnibus Chiliarchis recurriſſe, ſed illi Czarum reſcripſiſſe, ut Turcicâ protectione, ad interitum Ruthenam gentem ducente, relictâ, maneret ſub antiqua fidelli ſubjectione nobis, hæreditario ſuo Domino, Regnoq; Poloniæ. Per eundem Legatum Ioannem Iwanowicz Czoadow Czarus miſit nobis originalem inſtructionem & plenipotentiam, expeditam à Doroſzenko ad Mnohogreſzny, in qua ſcribit Officiales Exercitus Nizani Zaporovienſis, ſe pro parte ejus declarâſſe, idq; ſubſcripſiſſe & juramento firmâſſe, ut ex annexa vera copia intelliges. Cum hac itaque declaratione Legatos tuos expedimus, quod incerti de concludenda per tractatum pace, ex Palatinatibus ad Caſtra ducamus ſubſidia, ipſique perſonaliter, poſt dies aliquot eodem vias dirigamus; Quodſi ad tractandum ventum fuerit, ab eo, quod veſtris cum Legatis ſtatutum eſt, nullatenus recedemus, nec in eas conditiones conſentiemus, ut Ucraina avellatur à Polonia; ſi verò tractatus non ſuccesſerint; magnis & potentibus Exercitibus noſtris, hoſtes aggrediemur, ſpe in DEUM freti, fore, ut cauſa noſtra ejus ope triumphet. Præcavemq quoque, ut Raczkowski fidem non præbeatis, qui licet expeditus eſſet à nobis Bialocerkviam cum Centurione, Taraſzowski Leſzko Rudamin, præter voluntatem tamen, & ſcitum noſtrum rectà perrexit ad Doroſzenkū, apud quem in captivitate detentus, agit, quæ jubetur, & pro quibus nullam à nobis habet facultatem, aut poteſtatem. Quia verò Doroſzenko moturus erat ſuis cum Legionibus adverſus noſtrum Exercitum, deſideramus obnixè, quatenus à tergo vires rebelliſantium debilitetis, & avertatis; ſimiliter Krymenſes Tartaros, ſi cum novo Hano in Dominia noſtra irruperint, omnibus modis & viribus diſtrahatis, ut ſub tempus Podhajecenſis feliciter feciſtis, & efficaciter. Magnum per hoc nobis & Reipubl. obſe-

A.C. 1671

qui-

A. C. 1671 quium præſtabitis, nec minorem vobis gloriam apud poſteritatem comparabitis, nos verò Regijs gratijs, & beneficijs heroicam virtutem veſtram, & fidelitatem, in occurrentibus occaſionibus compenſare curabimus. Bonâ interim à Deo precamur valetudinem.

DECLARATIO SEU RESPONSUM AD LITERAS DOROSZENKO, DATUM A REGE. Zamoiſci 26. Septemb.

Delicta Doroſzenko

POſt tot manifeſta inſinceritatis, obſtinatæq; inimicitiæ tuæ documenta, dignum foret obturare aures ad tuorum verborum illicia, nec reſcribere ad præſentes literas, quibus nobis, cum Exercitu tendentibus, cum ſubdita tua ſubmiſſione, & ad pacem propenſione obvias. Innumeræ enim ſunt noſtræ adversùm te offenſæ, qui pacta Podhajecenſia in nullo obſervans puncto, hoſtiles incurſiones in propiores Regni Poloniæ Regiones expediviſti, effuſionis Chriſtiani ſangvinis, redactioniſq; in Paganorum captivitatem pauperum & innocentium, fuiſti cauſa; variorum monarcharum præſertim verò Turcicam protectionem quæliviſti, inſignia deditionis, ſcilicet Sandziaki, à Porta acceptaſti; per continuas legationes Turcam, Hanum Krymenſem, Tartaros omnes, Baſſam Syliſtriæ, Coſaccos eis Boryſthenenſes, Valachos, Moldavos, contra nos, & dominia noſtra invocâſti; falſò ſpargendo per literas nos voluiſſe Græco-Ruthenam Religionem tollere, Coſaccorum & plebis animos à nobis avertiſti, commiſſionem Oſtrogenſem ad ſupplicationem veſtrâ à nobis, & Republica inſtitutam deludendo; inſuper ſpreviſti; ſubjiciendo te Electori Brandeburgico, tuo & Exercitûs nomine thronum illi Majeſtatis Polonæ obtuliſti, ac ſi id tuis fuiſſet in manibus, quod ſoli DEo liberisque ſuffragijs, totius Regni Poloniæ & M. D. Litv. adſcribimus, hæc omnia, aliaque delicta, & hoc ipſũ, quod pro die 3 Iulij, ad tractatũ pacis per univerſales in Ucrainam miſſas, deſignata, Legatos non miſiſti, licet nobis juſtæ cauſæ poſſent eſſe averſionis, attamen omnes offenſas, Regiâ clementiâ paternaq; benevolentiâ ſuperantes, damus locum tuis ſupplicibus, ut intentionem noſtram ad pacificandam per tractatus Ucrainam renovemus, Commiſſionemque celebrandam indicemus. Committimus ergo Supremo Mareſchalco & Duci Exercituum Regni, ut huic ſacroſancto operi, ſine mora ſe accingat, etiam nobis propter faciliorem tractandi modum, illis partibus, propius nos conferentibus. Et quamvis Exercitus Regni & M. D. Litv. nobiſcum ducamus, ſubſidiaque ab Electore Brandeburgico, ex pactis Bidgoſtienſibus debita conduxerimus, totam hanc tamen continere potentiam, Exercitusque dimittere poſſumus, ſi tu, cum omnibus Coſacçis oblatam noſtram Regiam clementiam, pacemque ſincerè acceptaveritis, ac re ipſa fidelem ſubjectionem præſtiteritis. Non eſt enim, nec unquam noſtra fuit intentio, perdendi aut tollendi Ucrainam; imò potiùs pro innato à noſtris Antenatis affectu, tam inſignem provinciam, totamque illam gentem, in integro conſervari unitasque Coſaticis Polonas vires contra quosvis hoſtes noſtros, præſertim perduelles convertere allaboramus. Tali ergo declaratione data, in reliquo ad ſuprenum Regni Mareſchalcum, collegasque ejus nos referendo, bonam tibi à DEO precamur valetudinem.

Clementia eidem promittitur

COPIA

A.C. 1671

COPIA LITERARUM AD ILLUSTRISSIMUM DOMINUM ARCHIEPISCOPUM FLORENT. A PROCANCELLARIO REGNI Tomaſzoviæ 26. Septembris.

TArdius ad manus meas venit epiſtola Illuſtriſſimæ Dnis Vræ 31. Auguſti, rectè memini, me ante aliquot menſes confidenter ſcripſiſſe ad Illuſtriſſimam Dnem Vram de explorando animo Sacræ Cæſareæ Mtis, an aotiqua auxilia illine obtineri poſſint, ſi bello graviore, prout terror erat, Turca Poloniam impetijſſet, nam & fœdus Cæſarem inter & Ottomanum, ultimariè ſancitum, & clauſula in Pactis Auſtriaco Polonis unionem contra Turcas excludens viam auxilijs præcludere videbatur, ſed cum memorati terrores, rumoresque diſpalcicerent, viſum eſt à propoſitione illa deſiſtere, ac meditatum ineundæ ſocietatis negotium in ulterius tempus differre. Equidem animo meo ita ſedit, aliter ſecuritati vicinorum Regnorum provideri efficacius non poſſe, quam ſi triplex liga videlicet Auſtriacæ, Poloniæ, Moſchoviticæ potentiæ ſanciretur. Opus ſanè arduum, non tamen omnino ex parte Poloniæ impracticabile. Huic magno operi non aliud in Polonia commodum tempus, niſi in generalibus Comitijs quæ Varſaviæ 2 Ianuarij celebrari incipient. Non alius tantæ curæ capacior, quàm Dominus Baro de Majerberg, vir ſanè egregius & in re politica conſummatus, quem ab aula noſtra revocatum eſſe planè doleo, & detrimenti publici duco. Annorum multorum uſu, res Polonas & ſtatum noſtrum optimè penetravit, qui non alibi niſi in Polonia addiſcitur. Aut ergo iſte ablegandus iterum eſſet ad proxima Comitia, aut Dominus Baro de Liſola in negotijs itidem Polonicis per bellum Svecicum & varias tempeſtates maxima cum laude verſatus. Acceſſit eidem prudentia & authoritas à tractatu triplicis Ligæ, quæ pacem Europæ contra Gallos tuetur. Svaſor etiam ſim mittendæ à Sacra Cæſarea Majeſtate alicujus perſonæ in Moſchoviam eo præſertim tempore, quo Legati noſtri jam profecti, ibidem fortè diutius ſubſiſtent, modum tractandi & media concludendi, Deo inprimis Duce, dexteritas Miniſtrorum inveniat, de me autem polliceri poſſum in promovendo tanto negotio, nulli me ſecundum fore, felicitati etiam meæ proximis in rebus expertæ aliquantum confido. Tractatus inter noſtros & Coſaccos brevi ſpero feliciter eveniet. Heſterna die ſupplices literas Doroſzenki Ductoris Coſaccorum accepimus. Declaravit Sacra Regia Majeſtas paratam Clementiam ſuam, ſi depoſitis armis pacem ampiecti non tardet. Datum negotium Supremo Mareſchaleo & Gnali Duci Sobieſcio quàm primum ineundi Tractatûs. Interim tamen exercitus noſter ex Palatinatibus ſubſidio miſſus cum Litvano exercitu progrediuntur, apud Glinianum propè Leopolim primis Caſtris 2 Octobris Poloni conſiſtent, Litvani ad Sokalum Bugum tranſibunt, non magno ſunt numero vires iſtæ, ſed animo & auſpicijs Regiæ fortunæ ſupplemus ſperamusque. De ſubſidijs Brandeburgicis informabitur I. D. V. ex annexis copijs atque Miniſtris Sacræ Cæſareæ Majeſtatis, ſi videbitur, eaſdē communicabit. Quod reliqvum eſt, meam devotiſſimam promptitudinem I. D. V. reverenter commendo.

A.C. 1671

ANDREÆ OLSZOWSKI PROCANCELLARII REGNI AD MARESCHALCUM REGNI. Leopoli 1. Octobris.

PRoperanſo Leopolim, quo nudius tertius veni, præterij tuas literas, per expreſſum Curſorem de data vigeſimâ imâ Septembris, ſcriptas; quæ tamen eâdem horâ retro ſunt aſſecutæ. DEo ſit gloria & immortales gratiæ, quod derelictam à nobis ipſis, per non ſuppeditata ſubſidia, proximamque caſui patriam potenti ſuâ erigit dexterâ. Eidem Divinæ Majeſtati ſupplices fundo, quatenus tibi tribuere dignetur ſpiritum conſilij, ad feliciter inchoandos, & concludendos, cum perenni tui nominis laude, tractatus pacis. Non mihi reſcripſiſti, utrum habeas inſtructionem Oſtrogenſem, cujus nunc copiam in omnem caſum mitto, optoque ut melioribus, quantum fieri poteſt conditionibus, ſolidam opereris pacem, non fidendo probatæ inconſtantiæ & Inſinceritati Doroſzenko. Ante tuarum literarum adventū, notavi privatos meos ſenſus, quos ſoli tibi fiducialiter credo. Ubi venerit Leopolim Rex; promovebo perſuaſionibus cogendum conſilium, ominando, craſtinâ poſtâ novi aliquid, & boni ferendum, præſertim verò de Hano; Non dubito innotuiſſe tibi Turcicos, per rebellionem Mei Gubernatoris motus, ob quos, ut Vienna ſcribitur, Imperator Turcarum ſe cum Exercitu, illas in partes transfert, adeoq; etiam inde in deſperationem agetur Doroſzenko. Interpres Arſakowicz reddidit meas Wezyro literas cito & ipſe expediendus; puto quoq; etiam Wyſocki liberè demittendum niſi eum Creditores ob contracta multa debita detinuerint, cùm Theſaurius nolit obſtinatè plures ei mittere pecunias, declarando ſe daturum hujus rationem in Comitiis. Quotquot vexilla venerint ex diſtrictibus ſimiliter Peditatus, ſuaſor ero, ut rectà ordinentur ad caſtra: Ipſi verò Regi in perſona movere, ſine formali Exercitu difficile, cum præſertim Litvanus, ſi non fallet, certè ſerò veniet: Expedit tamen, Regem ad menſem unum & alterum reſidere Leopoli, & ſi poſſibile, hic Comitia celebrari, ut Reſpublica ab Oriente & Coſaccis ſecura, aliò, cum majore emolumento & gloria, ſua convertat molimina.

ANDREÆ OLSZOWSKI PROCANCELLARII REGNI AD SUPREMUM REGNI MARESCHALCUM. Leopoli 12. Octobris.

POſt expeditionem Rokitnicki & Zalſki cum inſignibus militaribus, ſequenti die venit Leopolim Pocillator Sanocenſis caſtrorum Metator, qui mihi retulit, quidquid à te habuit in commiſſis. Conſiderationibus ratione hybernarum pecuniarum, in diſtincto ſcripto à te miſſis, nihil juſtius judico; quas propoſui Commiſſariis & ulterius promovebo. Optimum foret, & de jure conveniens delegare bellicos Commiſſarios, meoq; judicio ſufficerent negotio, qui hic præſentes Inveniuntur; ſcilicet Palatinus Ruſſiæ, Chelmſki Subdapifer Sendomirienſis, Pocillator Sanocenſis & Hinger, vel ſi hinc iſti abierint; Conſilio ſum ut alios, nullâ morâ mittas de Exercitu; non otiabuntur interim Commiſſarij à Republica qui hodie coram Rege & ſenatu juramentum ſunt depoſituri. Executio verò diſtributionis per aſſignationes, ad te totaliter erit remittenda, ut ipſos tibi id, ſuppono ſcripſiſſe Commiſſarios.

Qui-

Quidam ex hic præſentibus, & quidem rectè ſentiunt, ut miſſum mille aureorum, non ſoli Hanenko cedat, ſed ut de eodem munere etiam Sirko cæterique Seniores, magis meriti participent. Meo ſenſu judicarem dandos eſſe Hanenko 500 aureos, quibus ille, cum remiſſa clava contentus ad præſens eſſe poterit; Sirko 100 vel 200 aureos, hic enim ſat bene meruit, & ad ulteriora eſt alliciendus obſequia; reliquum aliis vel ipſe Hanenko, vel tu propria manu diſtribues. Pannus Coſaccis Nizanis à Principe Campi Duce per Univerſales promiſſus hic & nunc haberi nequit, cùm ſaltem mille fruſta ſeu poſtawy ſimplicis panni vulgò paklak, requirantur, Leopoli verò vix 60 hujuſmodi fruſta inveniuntur, & tamen tantum mittendum eſſet, quantum omnibus, vel ſaltem potiori parti ſufficeret, utpote ſemel pro ſemper. Expediendi ergo erunt Legati Hanenko cum promiſſione, ſcribendumque ad Thelaurarium, ut quantocius procuret pannum Gedano, aut ex Sileſia, pro quo impendenda erunt 50000 floren. currenti moneta; utiq; forſan ſumma hæc computari poterit in muneribus Tartaricis. Literæ deſperatoriæ Commendantis Białocerkviæ ultra Octobrem non poſſe ſe ſubliſtere in fortalitio, aſſerentis, ſecuramque armorum & hominum inde deductionẽ requirentis, ſupra modum nos exterruêre; in ſpem tamen nos erigit à te expeditus Piwo, de cujus ſimul cum Laſki, felici Białocerkviam adventu, nobis per Przehorovium innotuit, qui & commeatus ſuppeditavit, & ſuccurſu erexit animos militum. Cætera ſupplebit provida tua cura, præſertim ſi felici victoriæ curſu profundiſus in Ucrainam cum Exercitu proceſſeris. Manifeſta eſt difficultas ulteriore tempore providendi fortalitij Białocerkviæ; quandoquidem exuſta civitas, regio longè lateque devaſtata, milites conſeminare non poterant, quo tamen hactenus ſuſtentabantur, Commeatus Coſaccis injungere difficile, per vim extorquere periculoſum; non in ſolo pane vivere, ſed lardi ſuccidia, butyrum aliaque alimenta pretio conquirere, omnino neceſſarium. Vix non melius foret, quod meo ſenſu confidenter innuo (aliorum enim diſcurſus contrarius) demoliri fortalitium, hominesque cum tormentis bellicis reducere. Forſan etiam fortalitium id non in tractu, & perinde erit alium locum facilius alimentis providendum, præſidio firmari, non multiplicando entia deficientibus, ſuſtinendi & conſervandi medijs, in hac pudenda ærarij publici, egeſtate. Viſum eſt in heſterno conſilio præſidiarios Białocerkviæ, tædio & moribus affectos, ex variis Regiminibus collectos, adeoque ad ſeditionem pronos, educendos eſſe, aliudque recens Regimen in illo locandum fortalitio, ſaltem ad retinendam famam ulterius conſervando. Expedietur hinc Vexillifer à Commendante miſſus; Commilitonibus ſeu Druhovcom 100 Imperiales providebo. Senſus meos in diſtincta pagina ſoli tibi innuo ſublimiq; tuo propono judicio. Literas originales à Brandeburgico mitto tibi, ad exprobrandum ſcelus Doroſzenko, qui non tolerandus, ſed omnino tollendus eſt, unà cum peſtiferis ſuis miniſtris Butkiewicz & Petranowſki. &c. *A.C.* 1671

ANDREÆ OLSZOWSKI PROCANCELLARII REGNI, AD MARESCHALCUM REGNI, SUPREMUM EXERCITUUM DUCEM. Leopoli 22 Octobris.

FAteri debet vel ipſe livor, tuæ poſt Deum prudentiæ, curæ; & dexteritati deberi ſingulariter ſalutem Reipubicæ cùm brevi tempore

A.C. 1671 tam parvâ Exercitûs manu, tantas civitates, & fortalitia, ſine cæde & ſangvine, incruentâ victoriâ obtineres, occupatâ præſertim, ſtratagemate Braclaviâ, grandi in acie æquiparanda triumpho: quæ omnia cedant ad numinis laudem, cum immortali tui nominis, ad poſteros gloria, & debita à Repub. gratitudine. Verùm non minor labor eſt, parta tueri, cum præſertim nulla hinc tibi ſperanda ſubſidia. Expediti è Palatinatibus quidam, redière domum, ut 6 vexilla Podlachiæ; alij non habentes conſtitutum pro altero trimeſtri ſtipendium, exauthorationem meditantur, ut Belzenſes, & Lublinenſes; de expeditione quoque ex Ruſſia dubitandum. Emanârunt univerſalia ad propiores Palatinatus (in quibus jam ſunt parati homines) ut pro altero trimeſtri conſtituerent ſtipendium, indicta in eum ſolùm finem pro tertia Novembris Comitiola, ſpes tamen effectûs modica. In majore Polonia ſexcentorum non niſi per laudum conſtituta expeditio, qui luſtrabuntur ſub Caliſſio prima Novembris; Chiliarchus eorum Capitaneus Miedzyrzecenſis, Litvanus Exercitus, unica ſpes & robur noſtrum, ſummè nos fefellit, ſine ulla cauſa exauthoratus. Princeps Radivilius, ut ex ejus intellexi literis, ſuorum hominum habet 1200, cui dedi conſilium, ut eos authoraret proportionaliter, juxta capitulationem ſtatutam cum toto Exercitu, operâ Palatini Culmenſis. Candidè ergo in his omnibus te præmoneo, ut extra ſpem ſuppetiarum conſtitutus, conſervationi ſervientis Exercitûs providere velis: Expediret forſitan non procedendo ulterius, ſubſiſtere ſub Braclavia, Exercitumque in ejus ditionibus, & ſuper Tyram locare, ac interim ſub tempus *hyemis* reliqua circa recuperationem totius Ucrainæ conſilio moliri: Interea Comitia imminebunt in Januario, in quibus tota Reſpub. ulteriorem modum eorum, quæ belli vel pacis ſunt, conſtituet. Et quia attrita tantis laboribus valetudo; non ſinet te hybernare in Ucraina, judicarem pro ſenſu meo, ut Princeps Campi Dux in Exercitu, aut ſaltem in non nimium diſtante loco reſideat; ipſa enim authoritas Ducis tam noſtrum militem, quàm Coſaccos in officio continere, ac Ucrainam conſervare, & pacificare poterit; aliàs ſine capite Ducis, aut ſaltem alicujus Palatini, timenda magna inconvenientia, & uſitatæ toties revolutiones. Hoc agendum, ut recuperata, ſine irritatione Coſaccorum, & ruinâ Exercitûs, conſervemus, & ſtabili, ac ſecura à parte illa pace gaudeamus: pecunia pro ſuſtentatione non fallet Exercitum, ſed in currenti moneta, cum melior acquiri nequeat. Commiſſarijs ad portiones repetendas deſignatis, moleſta eſt reſidentia Leopolienſis, ſine reali ex ærario ſumptu; mitto tibi formulam eorum juramenti: civitates præcipuæ privilegiatæ, & bona Eccleſiaſtica non ſubſunt ordinationi eorum, adeoque ad tuam pertinent diſpoſitionem. Mille aureos à me miſſos, prævenerunt, non dubito, geminæ meæ literæ; in tuo ſit arbitrio eorum diſtributio, datâ parte Hanenko, Syrko, alijsque ſenioribus, reliqvum Coſaccis Hanenci cedat: Sed quid hæc inter tantos? Panni forſan haberi non poterunt, niſi ex Comitijs; reſcripſit enim mihi Theſaurarius, penitus negativè: adeoque non niſi promiſſione & ſpe ſunt alendi Nizani; ego interim omnibus adlaborabo viribus, ut evincatur data fides à Palatino Belzenſi, meisque confirmata literis per ultimos ad Hanenko Legatos; Rex hinc 3tia Novembris movebit Varſaviam.

ANDREÆ

A. C. 1671

ANDREÆ OLSZOWSKI PROCANCELLARII REGNI AD SUPREMUM REGNI MARESCHALCUM Varsaviæ 20 Novembris.

SAt condignè nequeo celebrare, pleno licet ore & affectu prædico, ac admirabundus veneror heroicos tuos in hac bellica expeditione actus, in quibus planè luperavit vota felicitas: quando non solùm conflictu, & propulsatione ex acie hostis, verùm etiam recuperatione civitatum & amplarum, inter Hypanim & Tyram Regionum, magnum fundamentum recuperandæ totius Ucrainæ, & securitatis limitum ab hostilitate Barbarorum, non minus fortunatè, quàm gloriosè posuisti. Satisfactum antiquo, & flagranti desiderio Reipub. per locationem Exercitûs pro hybernis in Braclavienſibus ditionibus, per quod magnum levamen Polonîæ, fœni præsertim pro hac hyeme penuria laboranti, pro quo non jam gementis, sed læti & triumphantis populi suspiria comitabuntur, & superna, super te, domumque tuam benedictio: supereſt tantum, quàm citissimè pecuniario nervo supplementare milites, quos vastatum illud hosticum, & consistentiarum angustiæ sine provisione à nobis submini stranda sustentare non poterunt. Expectamus universales ad acta castrensia dandas, quibus monita, quævis castrensia bona, juxta taxam pro posse suo, contribuant, pro consveto tamen genti nostræ incitamento, expedit ordinare ad Palatinatus Deputatos, si non à quovis vexillo, saltem à Legionibus, ne alienatione Commilitonum, extenuentur vexilla: In Comitijs verò pro 26 Ianuarij indictis, certior quam præsenti æstate defensio, & subsidia à Repub. statuenda erunt. Litvanus Exercitûs summè injurius est Reipublicæ, cum in spem illius remissius Palatinatus suas curaverint expeditiones, Litvanis confisi suppetijs, de quibus per magnificas pollicitationes certificabantur. Inauditum, & dedecoris plenum est, quod ingressus servitij trimestris medium, evictâ à Rege pecuniâ, jamque ad manum habitâ, capitulatione factâ, acceptis ordinationibus, & universalibus, incertum quanam de causa, sit exauthoratus. Impudenter allegabatur Branicki Nuntius seu Porucznik ex Exercitu Polono Litvanos ad id concitasse. Universalibus etiâ ex Cancellaria mea datis, ac si cum restrictione essent, prætendebatur prætextus, quod aliter omnino factum, cum pernoctationes non nisi, & refectiones, cum intimatione modestiæ, concessas habuerint (licet talium universalium nunquam usus fuerit) consistentias verò in tractu, longiores, quia constitutio novella abrogavit, non abs re verba legis universali inserui. Verùm si citra universales illi in bonis nobilium exorbitârunt, quam inexcusabilis fuissem, si ex universalibus id feciſſent. Quanquam iterata laxius ex Senatus consulto scripta, venerunt ad manus Palatini Vilnensis magni Ducis Magni Ducatus Litvaniæ ante exauthorationem externi militis, cur ergo Sacramento obstricti in officio detenti non sunt, sed illis permissus circulus & ultronea exauthoratio? de quo agetur in Comitijs. Recident, non dubito, malignæ & falsæ traductiones in caput authorum. Lebel consultissimè suis cum hominibus ordinatus est Białocerkviam, cui collatam à te partem 1000 aureorum utl & aliàs distributiones, ratificat Thesaurarius. Doroszenko insinceritas patuit tibi ex missis à Palatino Culmensi literis, non præcipitandus tamen est in ultimam desperationem, vitæ præsertim & fortunarum: videtur enim velle de nobis bene mereri recuperatione partium Cis-Boristenensium, & defacto, fata nos forsan trahunt, utilitasque invitat, ut contra Moschos bella seu tumultus nostros convertamus, cum præsertim, ut cœperunt, pacta con-

Felix expeditio bellica

Ioannes Gninski

A.C. 1671 ſervare nolint, & hoſtilia, ſuos per Coſaccos, agitent. Lanckoronenſem Capitaneatum ſubſcripſit Rex cum pagis ſingulari privilegio conferri ſolitis Principi Succamerario Cracovienſi; ſed quia proteſtatus Dapifer Regni, velle ſe ſummam hærentẽ 120 milliũ ſolvere Succeſſoribus, declaravitque cedere Novotargum Reginæ, ſvaſi Regi ut acceptaret declarationem, cũ teneatur ex Pactis Matrimonialibus, & reformationis, conſtitutione roboratis, providere certis Præfecturis ſpecificatis, Reginæ. Stringor juramento pro utilitate Majeſtatis fideliter concludendi, ſtringor proprio affectu, cum meâ operâ id ſteterit Matrimonium. Superi Regis fata avertant, Regina nec focum nec larem habere poſſet; ſtringor lege publica, per quam, in menſibus militaribus vacat; Dapifer, verò habet connexionem cum Exercitu, cum vexillum habeat, non item Princeps Succamerarius. Ex his rationibus ſigillum denego, cum præſertim fieri poſſit, ut ſint inſtantiæ ab Exercitu per Nuntios in Comitijs, ubi, ſi difficultas non fuerit, ſum paratus favere Principi, aliàs non. Opto addendum in inſtructione, ut diſtributæ vacantiæ in menſibus militaribus, reſtituantur. Capitaneatus Lanckoronenſis nunc eſt ex præcipuis in Polonia, cum importet ad 50 aut 60 millia; accepi ex literis cujuſdam ad me datis, ſubditos ipſos ſummam velle ſolvere Zebrzydovianam.

COMITI SAFFGOZ. EPISCOPUS CULMENSIS PROCANCELLARIUS REGNI. 27. Novembris.

SUccеſſus armorum noſtrorum hactenus feliciſſimus receptæ ſine ſanguine civitates, & Arces, Mohilovia, Raſkovia, Sciana, Virinica, Braclavia cum Territoriis, & ditione omni intra Bohum & Tyram. Hanenkus ille meus (Pellio, opilio, & quibus non verborum contumelijs ab Archiepiſcopo aliiſque affectus) egregiè cum Sircone, & Coſaccis Nizovijs rem gerit jamque in triumpho planè fertur. DEUS juvit rectam intentionem meam, qui Zaporovios per viginti annos ignotos, & oblivione velut demerſos, literis, & conſiliis meis quæſivi, inveni, ab Uerainenſibus ſeparavi, contra Bialogrodenſes incitavi, tandem Exercitui Polono conjunxi; Iſti homines me Patrem ſuum, Benefactorem &c: unicè appellant. Suaſor ſim, ut eoſdem Sacra Cæſarea Majeſtas ſibi obliget modico aliquo donativo pro conſtruendis cymbis, quibus excurrere in Euxinum & Turcarum, Tartarorumque vires divertere poſſint, res non difficilis factu videtur, maximâ in publicum utilitate, etiam de triplici liga pro ſecuritate vicinorum Regnorum contra Turcas ſanciendа, animus eſt mihi agere in Comitiis, & jam nonnullorum, qui authoritate, & facundiâ in Conventibus Palatinalibus valent, animos præparavi. Cæterùm res tantæ molis prudentiam, & praxim Illuſtrit. Veſt. deſiderat, quam reſalutare in Comitiis Varſavienſibus in Januarium indictis ex animo cupio, eidem proſperrima omnia cum longæva Incolumitate apprecor &c.

COPIA LITERARUM OLSZOVIJ AD MARESCHALCUM EQUESTRIS ORDINIS CONTRA CANCELLARIUM REGNI. Varſaviæ 2. Decembris.

VArijs ex locis concurrunt ad me præcautiones, edocentque. Cancellarium utrumque, Regni ſcilicet & Magni Ducatûs Litvaniæ,

miæ, in id conſpirâſſe, ut me per literas, & inſtrumenta ſua invidiæ & odiis in Comitiolis, exponerent, gloriam meam præclarè geſtis acquiſitam, nomen honoreſque inſignibus in Republica obſequiis, continuis laboribus, conſtanti virtute & felici, quæ DEi gratia eſt, activitate, comparatum, deprimerent. Non venit in admirationem Cancellarius Litvaniæ, qui profeſſus meus adverſarius, Sejani more, ſui obtegens in alios criminator; ut a primordiis didicit, ſe per optimorum civium ruinam, celebrare; ita hic præſcripſit malè loqui de melioribus. Protrutit contra me famoſos libellos, ſub titulo Copiarum literarum ad Palatinum Vilnenſem, & Caſtellanum Poſnanienſem, ad quos indignum, referibere, conſultius ulciſci contemptu, judicavi. Confirmabant me in propoſito, memorabilia illa cujuſpiam verba: Malè de me loquitur, ſed malus, moverer, ſi iſta Scipio loqueretur; Abolevit ſcripturæ authoritatem & fidem, ultrix flamma; qua non pridem ſimile ejuſdem officinæ opus, in medio fori Variavienſis, eſt caſtigatum. Adinvenit duas contra me cauſas. *imo* Quaſi impediviſſem Koryeinſcio nuptias, cum ejus ex ſorore Nepte. *2do* Quòd poſt concluſum, ſub tempus abſentiæ meæ, contra Palatinum Poſnanienſem, & ſupremum Regni Theſaurarium, conſilium, diverſus eſſem à ſenſu illius: Talem enim mihi expoſtulationem per Procancellarium Magni Ducatûs Litvaniæ, miſit. Unde pertinax diſſenſio, traductiones, criminationes apud Regem, & proprij ſemper illius ſtylo in privata offenſa læſæ Majeſtatis obtentus. Non inveniet Majeſtas Regia, in quo me deductivè in publico redarguat. Obtinui munus ſignaturæ bonis artibus, non ut me ille malevolo tangit & pungit calamo, & ut multis, ex mea gratiarum actione notum, ad hanc non properavi, nec alios præcucurri, fortunam; Neminem petij Promotorem, imò id apud Regem deprecabar, donec tandem, (ſine jactantia ſcribo) mertui ſignare, rogatus: Non mihi ingenium eſt, alta de me ſapiens, veruntamen ex fructibus eorum cognoſcetis eos; facile quiſque prudens, inter mea & illius pro Republica diſcernet merita. Differo in aliud tempus, reſervo commodiori occaſioni dandam injuſtis, & malignis objectionibus replicationem: Tacebo nunc altum de ipſo judicium, multiplicatam, ante, & nunc recentem Reipublicæ confuſionem, & intolerabilem ſupremi Ducis Exercituum Regni, traductionem. Utar tandem aliquando jure meo, quod mihi, dum ſub tempus convocationis amniſtia legeretur, præcavi & reſervavi. Supremum Regni Cancellarium ſatis mirari nequeo, quòd me temerè, ex levibus Cancellarij Litvaniæ informationibus, non præventum ullâ literâ, aut amicabili præcautione, ut cum collega agendum eſſet, expoſtulatione ex ſupervacuo laceſſat. Contigit mihi in via, legiſſe obiter literas ad Regem ſcriptas, ad quas parcendo ætati & dignitati ejus, ſubticui. Nunc quia ſcripta hæc, majore copia, in vulgus ſparguntur, præſertim ex heſterna Leopolienſi poſta, unde dictus Dominus deſcripſit me, quæſita verborum acerbitate ad Gurzynium, illoq; pro inſtrumento creandæ mihi apud Exercitum invidiæ, apud Regni Mareſchalcum diffidentiæ, utitur, nec fortè in comitiolis parcet; non defero bonæ famæ, & vitâ majoris exiſtimationis patrocinium; hiſce paucis literis eo vindicias. Fateor, me, dum legerem ferventiores ejus invectivas pro data ex Cancellaria mea, ad caſtrenſia acta, manifeſtatione, id publicè in ſenatu propoſuiſſe, cur ea non vituperavit Vniverſalia; nunc verò plus ſuperaddit, laudando illa cum Elogio Paternæ Regiæ circa Patri- A. C. 1671

A.C. 1671 ca Patriam sollicitudinis: Manifesta ad manus ejus ex Cancellaria sunt ordinata, si videbantur devia, offensiva, nociva, licuit authoritate, qua pollebat, Cancellarij & Generalis eorum publicationem impedire, mittere ad informandum Regi, mihi ipsi & Cancellariæ meæ præmonitionem dare, quam velut à seniore, grato animo suscepissem. Scribit mihi & Regenti meo, se non cunctabundum illa ad acta expedivisse; non expectando etiam, donec illuxesceret dies, ut tanquam in re tam magni momenti, tamq; gravi non obstante die Dominico, possent publicari. Promisit se, adhibitâ curâ excitaturum nobilitatem, ut se Polonis solito more, cum apparatu requisito conscriberent, & lustrarent, essentque obsequentes Regi, ad tuitionem Reipublicæ, hæc sunt expressa manu illius verba. Quæ ergo offensæ causa, si ea, quæ in privato dixi, in publico probo? Ostendi Lublini in senatûs consulto scriptum, in quo non ita se res habet, ut maligno suo, scripto objecit Cancellarius Magni Ducatûs Litvaniæ, me eas subscriptiones impetrasse à Senatoribus: Nec enim vidi, aut quæsivi; quando Regens meus pro suo officio eas obtinuit. In quo memoriam & conscientiam omnium Senatorum appello. Id quoq; venerat domi meæ in discursum, cum Palatino Calissiensi & Castellano Posnaniensi, quòd Cancellario Regni, non placuerit expeditio ex Palatinatibus Majoris Poloniæ, id quod probat literis ad me datis, quibus aggravationem civitatum, præsertim Posnaniæ culpat; Bonorum Ecclesiasticorum allegat oppressionem. Ad alias objectiones an convicia non respondeo: Scripsit non quod mereor, sed quod solet, neque judicio, sed otio. Claudicat similitudo mei cum Mazaryno in nimis dissimili diversitate Imperij & ministerij; non tamen indecorum judico, me comparari non idiotæ. Describit vacua Regnantem in aula: corrigat stylum, scribatve; vacua laborantem in aula; Notum enim magnis rectaq; sentientibus civibus, qui me ultra mea merita invidendis, unici Reipublicæ custodis adornant titulis: Optabam optóve similem illi honorem: Scripsi toties, suadendo, & invitando, ad aulam, ut continua residentia, ingentibus, vixque tolerabilibus laboribus meis, vel umbra nominis sui, in judicijs saltem extracurialibus, levamen ferret, pacem & amicitiam, inter Rempublicam & Electorem Brandeburgicum, fateor mihi cordi esse, & causam propius habeo; verùm ut reddatur Elbinga non opto, sed potius, ut prætensionibus coæquentur, & quietentur, consulo; bono Patriæ & constanti securitati prudenter caveo. Ad alia objecta, si quæ sunt, aut erunt, (nam de ijs duntaxat punctis literarum tuarum inaudij) respondebo tibi & cuivis in Comitijs: Nec objicienda metuo, sed quinimò provoco, ut me per articulos & leges interrogent. Assecuro, non cedam campo, nec ejusmodi insultus frangent virtutem fidentis innocentiæ, sed aeuent. Mihi applico, quod aliquando legi: Marcet sine æmulo virtus, & ubi deest inimicus, deest victoria. Tibi pro defensione honoris mei, tibi cõmendatis, ut ea in medium collecta nobilitatis proferas, me ipsum impensè gratiæ tuæ cõmendo.

A.C. 1672

XXIV.

LEONI SAPIEHA PALATINIDÆ VILNENSI ANDREAS CHRYSOSTOMUS ZALUSKI

Parisijs 28 Aprilis

De actis in Comitijs

CRedebam & ego totum, & boni omnes nobiſcum, proſperum comitiorum finem felicitatis Polonæ fore initium, ſed ex ultimis tuis literis intelligo, rebus nondum ex integro compoſitis extremam malorum aeeeſſiſſe diſcordiam, Inter curas, & ancipites pro Patria Regis conatus, quando non leges, quæ vi, ambitu continuo, externâ pecuniâ, & minimè glorioſo civium in ſui perniciem obſequio turbantur. Cùm contra conſtitutiones ultimorum comitiorum vix non ſingulas factæ fuerint proteſtationes.

Nova proindè Comitia indicta pro 19 Decembris anni currentis à quorum fortunato exitu integritas Reipub. à concordia, & unione animorum expectatur præſidium. Initijs illorum modica Nuntiorum Terreſtrium frequentia, in Senatu ſolitudo erat, eum multi Senatorum; quamvis præſentes In urbe, venire in Curiam gravarentur. Triduũ electioni Mareſchalci impenderunt, & quamvis Enſifer Regni ab aula promoveretur, ille tamen non benè iſtis ominatus Comitijs, ultro huic honori renunciavit. Martinus verò Oborski Livenſis Capitaneus, in quo ſatis induſtriæ, ſatis ad res quascunque agendas animi. nec minus tecti, quamvis in multa facundia, ingenij. Comitia hæc ab inſigni civium cœpêre diſcordia, ne de tragico eorum exitu ultra ambigeretur. Uterque Magnus Regni, & M. D. Lit. Cancellarius, noſti illum benè, & qui vellet illum æſtimare, totumque ſcire qualis ſit, faſciam ſolvat, multùm mali ſub illa latet, ex privatis læſionibus, & offenſis publicum odium Avunculo meo Procancellario Regni excitare intentarunt, & poſtquam acta hæc res eſt, animo virili, conſilio puerili, per literas ad Palatinatus eo nomine datas, nihilque profectum, quis enim ſeeurus eſſet innocentiæ contra calumnias, atque injurias malevolorum, uterque in perſona in ſtubam Nuntiorum ingreſſi ſunt, & exulcerati pectoris exuberarunt querelas. Primus, tanquam ſuus honor magnitudine alterius vigoreque gravatus eſſet; alter læſi nominis ſui à Procancellario Regni vanam injuriam acerbis ſufflamminabat verbis, qui eùm jam ſuum munus expleviſſent, & quod in propoſito erat Procancellarium non leviter læſiſſent; illi, quibus Procancellarij honoris cura inerat, ad quam multi ſangvinis connexione, plures obvio obſequio effuſius ſtimulabantur, & frequentes admodum ad ſuppetias ferendas ibant re & conſulta, & explorata, contumelioſis vocibus eos exeepêre, nec illorum qualiſcunque reverentia retinuit. Inter primos vindicias honoris ex nexu ſangvinis ſumpſit Pater meus, non arbitratus eſſe amici, & cognati, non commoveri tam faſtuoſo Inimicorum nomini Procancellarij ſermone, cùm illi privatam cauſam, ipſe publicam defenderet, falſa eſſe quæ dicerentur, differebat, Litvanicam eſſe impoſitionem palàm proferebat. Exarſit ad hanc contumeliam gens tota Litvana, & per Integram ferè ſeptimanam vacavêre Comitia. ludieare Patrem meum illi volebant, ſed cum ſeveritas illa ſermonis non modò non invidioſa apud Nuntios Polonos fuit, ſed popularis, & eum bonis omnibus tum cuique gratiſſima, multò plures in defenſione perſeverabant, nunquam in judicium Reipublicæ debere venire vel ipſos accuſantes, vel Patrem meum accuſatum, cùm mala omnia o-

Bilinski

Oborski Mareſchalcus

Cancellarij Regni & M. D. Lit. contra Pro Cancellarii

A. C. 1672 diosa sint, prodest res asperas lenioribus mollire vocabulis, aut occultius indicare, quod quia curare Pater meus omnino non videbatur, scis (non loquor ex passione) quòd quidquid virtutis est, totum id honesto pectore contraxit, sub idem ferè tempus cognatam Archiepiscopi Primatis tunc post Matrem meam viduus in Matrimonium sumpsit. Sopita tandem hæc dissidia per authoritatem Majestatis, & Ordinum, & Patris mei probata est fides, & libertas excusata.

Votum Primatis

Vota Senatoria incepit Primas, & variè incusatis rebus, temporibusque occultâ vi fati ad Principem translatis, & exposito immani belli Turcici periculo, perstrictâ Principis tenuitate, dum quærit; an Princeps paria ad juvandam Rempub. in promptu media, viresque haberet? manifestæ cogitationis suæ, & magni moliminis indicium prudentioribus prodidit.

Procancellarij

At Procancellarius Regni, qui officium suum, quo tutela legum continetur, diligentissimè semper administrat, & sicut olim Iulius Augustus, & alij tulêre similia, & reliquêre exemplum, haud facile dixerim moderatione magis an sapientia, nam spreta exolescunt, si cruciare agnita videntur, deprompto egregio pro Repub: senlu, in sententia ejus plùs semper consilij, quàm timoris, differuit, pòst quibus medijs posset Reipub. luccurri integritati, quas Dux Minoris Borussiæ ad Rempub. prætensiones, quas Respublica ab ipso læsiones, & justissimos prætendendi titulos haberet, quodque approbatio Feudi jurejurando Regis subsequi nullâ ratione possit, nisi priùs sublatis amicâ compositione utrinque differentijs. Cætera in se, aut prælentem Reipub. statum invidiosè jacta, quibus sine periculo intensioris odij responderi non poterat, alienâ facundiâ exeruit, retenta modestiæ fama, quam in se ipso expetere, in alijs diligere, ac ornare velle solet, eminendo potius beneficentiâ, quàm potestate, credent quòd nullâ facilius re, quàm rectefactis, & modestiâ benevolentia comparetur, non tamen ideo M. D. Litvaniæ Cancellarij indomitam odij contumaciam lenivit.

Ensifer Prussiæ Sessionē vult solvere

Multa mihi scribuntur, quæ libens omitto de Ensiferi Terrarum Prussiæ contra Marescalcum Curiæ prætensionibus & querelis, cùm etiam aliquot diebus activitatem stitisset, quem, dum revocare per Deputatos Marescalcus voluisset, contradixit Capitaneus Oswiecimensis, usurpatâ voce differens. Abusum esse non sine gravi hujus sacrarij libertatis præjudicio Ensiferum Prussiæ vocis libertate, quod prolapsa die à Marescalco Equestri solutionem Sessionis postulasset, in termino eundi ex lege ad Senatum, quod non nisi omnium Ordinum consensu accedente, fieri potuisset, pariter debuisset. Quare tam nocivo procedendi modo, non tantum legem 33tij & Sacram Ordinationem Comitiorum, verùm etiam constitutionem de vacantijs, quæ solùm vacantia ad naturam pure vacantium extendi permittit, sub iniquam legis Interpretationem suum trahendo privatum interesse violaverit. At legem de excipiendis Senatûs consultis in præsentibus Comitijs penitus oppresserit, ipsaque Comitia ita distracta, afflicta, & in turbido reliquerit, ut nullam faciem publici consilij præferre videantur. Tot itaque Deputationibus precariam contumaciæ nescium servire Dominam, & olim sine socia felicis Imperij licentia, sui juris videre libertatem, indignum censere, quàm indignitatem, quod dico non quia de zelo Equestris Ordinis dubitem, sed ne contingat ut dubitem, continget autem procul dubio si zelum illum vestrum dissimulare vos comperio, & ferre non possim, & amplius spectare intolerabile duco. Hæc effatus ex arte libertatis æstuans, magnosque gerens Spiritus excessit, ingeminando, quòd necesse sit quærere, & invenire, quod Reipub. vulneri medelam adferat, & posteris valeat ad cautelam.

Lecta

Lecta tamen Senatûs consulta, in quibus cuncta fere consilij capita, non modò cum rationibus Statûs Reipub. sed etiam cum opportunitate temporis mirè congruebant. Tantò dignius est, minus quod administratur, quantò præstantior ejus est administrator, omnis enim operatio tantò melior est, & præstantior, quantò a meliore proficiscitur operante, quamvis verò Procancellarius, cujus ope hæc consilia formabantur, esset tanquâ signum ad sagittam, & dignitas hæc tanquam signum, cui contradicitur. Laudaverunt nihilominus omnes zelum ejus, & diligentiam in Reipub. negotijs. Insignes cæteris candore in Rempub. & solertiâ fuêre deliberationes. Satisfactio nimirum ratione Elbingæ Principi Brandeburgico, quæ ad totius Reipub. Ordines rejiciebatur, susceptâ auxiliorum oblatione. Sed quia serò, & post necessitatem belli dabantur, in commodius Reipub. tempus, maturioremque subveniendi exigentiam, fidemque sepositа. Fœdus quoque mutuæ defensionis, & amicitiæ cum Statibus Hollandiæ initum, quo salvis vectigalibus, damnatoque omni maiorum civitatum Terrarum Prussiæ præjudicio, in Portubus Reipub. concessa libertas Commercij, & hæc quidem jucundiore verborum apparatu ornata audiebantur: ne Pruthenæ provinciæ animus alienaretur, quàm quòd tam levia Hollandis mercari, mens, studiumve esset. *A.C. 1672*

Materia de liberationib.

Post expedita Senatûs consulta invitatus Primas à Rege, & Majorum Gentium potissima pars, quorum studio, & lenibus verbis pertractus ad Principem Cancellarius Litv. initâ reconciliatione ante Thronum Principis cum Procancellario amicitiam redintegravit, qui se non esse offensionum avidum ajebat, cum graves, & plerumque iniquas pro Repub. suscipiat, inanes, & irritas, neque sibi, neque publico usui futuras jure deprecatus, honestius enim, & libentius credo deponendas inimicitias Reipub. nomine susceptas, quàm contumacia, quanquam ille maximè doluit, nam plus apud se simulationem aliorum, quàm pacis fidem valere asseruit. Miohàcl quoque Radziwil Procancellarius M. D. Litv. splendidus Princeps Magno Ducatûs Cancellario data in signum mansuræ velut concordiæ dexterâ scenam illustraverat. Tum cæteri comparticipes læsionis, aut exercitis noti odijs, tanquam ad letheum fontem oblivionis molestiarum, an potius passionum animi vocabantur, hoc insinuando omnibus, quod magni animi esset injurias despicere, ultionis contumeliosissimum est genus, ne inaudiantur digni ex quibus peti debeat ultio.

Reconciliatio Cancellarij & Procancellarij Litvaniæ

Redditæ pòst sunt à supremo Exercituum Duce Regi literæ: Magnificæ erant, & ultro ambiguo sensu attollebantur. Damnabat reddendæ Turcarum Sultano Ucrainæ consilium, & rursus utilitates, si Respub. tanto pignore, à tam potenti, & metuendo hoste pacis sibi bona conciliaret edisserens, hæc illavè probaturus, prout invaluissent. Addiderat etiam liberaliori genio expeditius jam censendo, quasi salubrius, & à populi invidia remotius consilium, cuncta concedendi Doroszenklo rebellium Cosaccorum Ductori, ut ejus ope viribusque Ucraina ad pristinum obsequij ac fidelitatis Statum reduceretur. Id medium amplexus Regni Primas, inter alia retulit, posse sapientiâ, & industriâ Supremi Exercituum Ducis, & in eum Doroszenkij confidentiâ, pariterq; affectu, cujus ob acceptum vitæ beneficium debitor esset, facile obsequio Reipub. restitui, si Supremo Duci occulta à Repub. sed plena potestas concederetur, ingentibus quamvis promissis Doroszenklum ad usus Reipub. pertrahendi. Sed quis in perfido, & infenso Reipub. animo, jurato velut ad Aras Annibale, constantiam fidei expectaret? Is projectus velut altiori indagine dignus silentio transmissus est, nam hæc ardua sunt, & inter vota potiùs numeranda, quàm inter sperata.

A.C. 1672 Supplementum Legatis à Republica ad magnitudinem Ducis ſeptemtrionalis Dominij miſſis petebatur: quo fluctuans jam apud lubricam gentem fœderis fides, mollioribus licet ex temporum neceſſitate medijs firmaretur. Mareſchalcus etiam Equeſtris ſatis tempeſtivâ induſtriâ, ſi fortuna, aut cætera affuiſſent, in propoſitione ſua tribunitium Collegium ad dandas ratione contributionum declarationes invitabat, quæ cura, ſi pari diligentiâ, & candore habita ſucceſſiſſet, auſpicato finiri Comitia potuiſſent, aut certè tam fœdum, & gravem inter mala Reipub: exitum effugiſſent. Sed quibus rumpendorum Comitiorum maligna cura inerat. Verecundiâ profectò moveor, quòd hæc mihi ſcribenda ſunt, quæ illi faciunt, eructantes ex hoc in illud, in diverſum rapti. Fluxa per diſcordias Nuntiorum fides, & periculum ex ſingulis. Peſſimus enim quiſque diffidentiâ præſentium, mutationem pavens adverſùs publicum odium, privatam gratiam præparabat. Ita nunc omnia populus, omnia imperiti, omnia ut ſic dixerim omnes poterant. De numero Exercitûs (injecta pridie materia) tanquam ſine pecunia parari, aut ſine ſtipendio retineri poſſet, non jam de Comitijs, ſed de ſolo Comitiorum obice ſoliciti differebant, donec oblatus cupientibus fataliter caſus, hærentem in flagitioſo molimine Comitiorum ruinam traxit. Fortè Palatinides Ravenſis, inquies animo, & juventa feroci, ſpargens diſſidia, ac ſeditiones arte, quâ pollebat maximè acceptâ voce diſertus magis, quàm ſapiens; oblitus quòd nihil ſit bonum, niſi quod honeſtum, nihil malum, niſi quod turpe, ſe non modò ut Nuntium terreſtrem, ſed etiam ut militem libertate vocis uti prntulerat. Hinc importunè à Gąſiorovio Capitaneo Radziejovienſi interpellatus, de ingliſcente odio, & temeritate à Subjudice Breſtenſi Jaronovio (Venit mihi in mentem ille apud Terentium nugas garris, reſpondit, ſoleo nam propter eas vivo faciliùs) qui inconſultâ objectione argutus malevoli rumpendorum Comitiorum animi, iniquam injuriam, neque verborum vanum impetum egreſſam, cum diminutione Majeſtatis, manifeſtoque Reipub: exitio, pravo fervore ulciſcens, inter minas & inſolentes contumelias erupit, ac niſi prorumpentium prohibitus fuiſſet furor, rarò etiam inter barbaras gentes exemplo, eo uſq; provecta ex nimia libertate, inſolentia, auguſtum ſacrumq; Reipubl: Majeſtate locum, ſangvine civium fœdaſſet. Miſſi interim, qui Palatinidem revocarent, ſed nullibi invento de induſtria ſe in malum Reipub: ſubtraxerat, quaſi ipſo jam facinore manifeſtum faceret, quòd ultro caſum Reipub: acceleraſſet, vacui rediére. Iterum eâdem die nec meliori fato ſolicitus Princeps Senatum coegit. Judex enim Ravenſis orto cum Jaronovio Subjudice Breſtenſi jurgio, eum quoq; dimittendi Conventum præcipitem fecêre neceſſitatem. Proximâ Senatûs die quaſi ad inſolitum ſpectaculum ingens affuit multitudo. Cùm Mareſchalcus Equeſtris incuſatâ Palanidæ inipietate facinoris, velut ſub cenſuram Reipub: referebat, arguendi peritus; poſtquam malum medelam effugerat, multaq; cumulabat; quorum nec antea ignarus eſſet; eum pœnis Banitionum, & infamiarum innodatum eſſe, munus etiam Nuntiatûs extra legem petiviſſe. Quando Palatinatus Podolienſis juxta legis ordinationem, quæ ternos tantùm Nuntios legendi pro Comitijs Regni jus haberet, ad ipſius turbidam inſtantiam bis ternos miſerit, ſtatimq; ei validam famam circumdatam eſſe, ipſum contumaci ad convellenda Comitia animo veniſſe. Porrò ſeu ſponte in animo concepti, ſeu illecti maleficij atrox exſtare documentum. Literas

Caſimirus Grudzienski.

Numerus Nuntiorum ad Comitia.

nimi-

nimirum ab Episcopo Camenecensi, quod ad probationem rei satis esset, ad Procancellarium datas, quibus nuntiabat Palatinidem in Conventu Camenecensi ad munus Nuntiatûs electum esse, nec illum alio ad Comitia Regni, nisi disrumpendorum consiliorum animo venturum, & postquam venerat, ipsius in parricidij scelus parata mens, omnium ore celebrabatur. Dies quoq; Martis, quo tantùm facinus patraturus erat communi famâ vulgabatur, quod illi perficere, quæ cogitaverat licuit. Nihilominus tamen tantâ socordiâ universi egere, ut nemo tum mederi veliet, cùm anceps periculum foventis manum admitteret, quamvis non debuissent Respub: oblivisci sui tum præsertim, cum maximè opus sit meminisse. Senatus velut omnium ignarus, & attonito propior erat; Equestris Ordo sine cura, & mœrore, velut aliud agens hic populus spectabatur, multi malis publicis alacres, omnes suis periculis lætabantur. Opprimere eâ tempestate tam facilè Rempub: erat, quàm mercari. Igitur Procancellarius Regni ipse pullatus tristi facundiâ ad dandum de Republica consilium universos invitavit. Vastum primo silentium. Mox orto ab Episcopo Chelmensi initio, Episcopus Cujavienſis, cujus virtus magno experimento est approbata, nam est pietatis norma, doctrinæ solidæ exemplar, sanctitatis idea, acriter, sed piè in licentiosam ex nimia libertate vocem incubuit. Quòd unâ insanâ ac impiâ voce, ne dicâ pestifero halitu, destrui Majestas, exscindi senatus, omnis Respub: templorum sacra, augustus Religionis cultus, tot civium milliones, velut uno ictu subverti possent. Retinendæ nihilominus integritatis Patriæ superesse consilium, si Princeps indictis universalibus literis, non jam Relationum, quippe nullâ ruptis Comitiis referendi necessitas, verùm specialibus Conventibus, in quibus Equester Ordo, quoniam ad resistendum Orientis viribus, minor quinquaginta millium militia sine periculo resistentiæ vanitatis conscribi non posset, par contributionum genus admittere dignaretur, quod commodius, ac urgenti necessitati promptius reperiri non posse, nisi laudato per singulas anni partes, in singula capita censu, quæ contributio non ita exoleto tempore quâvis ob pravam quæstorum industriam minus justè exacta fuisset, tamen ultra duos milliones, & quinquies centena millia summam protulerat, quæ per quartenarium multiplicata decem milliones efficeret. Et cùm non nisi quatuor supra denos millionibus, quinquaginta millium comparari possit Exercitus, cur institui per universas Regni Provincias centesimus rerum potabilium nummus, vulgo acciza dicta, non deberet? soluto à qualibet mensura cerevisiæ, solido, quod datiæ genus sine notabili cujusquam gravamine probabiliter octo milliones pararet. Eâ contribuendi ratione, non modò tantas copias retineri, verùm eâdem summa ab onere Hybernorum eximi Rempublicam simulque ab Incursione Tartarorum, & contemptu hostium, impune toties inermes Imperij fines lacessentium, servante semper limites Relpub. justo Exercitu, vindicari posse. Hæc ingenti zelo, & fletu prolata, illi gloriam, in reliquis civium pietatis studium peperêre. Sed tum id quoque, quod in tristibus evenire consvevit casibus, accidit, ut omnes propalàm beatam voto cuperent Rempub. nemo subveniendo, dum malis opprimitur, succurreret. Mareschalcus tamen Equestris cæteris stupentibus, quo triste tempus falleret, oblatâ famâ Palatinidem in Cyrsko oppido substitisse, tragicam scenam composuit, datasque ab ipso ad se literas vulgavit, in hunc sensum compositas. Regredi se paratum esse, si certus modus satisfactionis prostrati honoris sui adinveniretur, quamvis multi, qui noscebant, crediderunt, quòd ille, de quo

A. C. 1672

Insimulatur voluisse parricidiũ cõmittere.

Episc. Cujav. contrà Ruptorem Comitiorũ

Contributionẽ suadet

A.C.1672 omnia bona sperata, & videri cœpta, in omnia bona desinet pravus, invisus, infelix, ut ij, qui jaculum mittunt, non in vanum dirigunt, sed scopum prospeculantur, ad quem colliment, ita istum contradicentem non pudor perdendæ Patriæ tenet, sed patrocinia suæ turpitudini fingit, ut etiam honestè peccare videatur. Procancellarius Regni à dextera Principis, nihil novum accidisse Reipub. protulit, exstare (quamvis ejusmodi silendi casus) triste exemplum. Sic quidam M. D. Litv. Nuntius licet cum protestatione, afflictis Regni Comitijs abiviſſet, quia tamen literis Mareschalcum interpellaverat, reductum esse, felicemque Regni Comitia exitum obtinuisse. Neque ideo nunc etiam de Repub. desperandum; posse pœnitentiâ ductum, & pietate in Patriam, quæ incestæ crudelitatis viperas monstroso non ederet partu, melioribus flecti consilijs. Eâ de causa optimum Regem plenum bonæ spei in diem Lunæ Ordinum Regni Conventum seponere.

Continuatio comitiorum urgetur

14 Martij illiciente Mareschalco Equestris Ordinis, universus ferè Senatus, quando plurimi etiam Pedarij Senatores flagrantissimè urgebant, spreto liberæ vocis arcano in continuationem Comitiorum consensérat. Sed reclamantibus nonnullis Nuntiorum, potissimum verò Piasecinscio, Rursus Mareschalcus, quasi omnibus viribus satisfacentia juvando Comitia, supposito consensu Reipub. continuandorũ Comitiorum, qui vacillabat, tantò magis affixit, urgendo à Collegis Palatinidæ declarationem, an ipsius desererent inconsultam contradictionis arrogantiam? quorum unus cum ipsum supra numerarium non fuisse docuisset, nam licet sex electi essent, quatuor tantùm ad Comitia Regni venisse, de convictionibus juris sibi porrò non constare, & si pœnis legum innodatus fuisset, habuisse quemque legitimum terminum, ipsum incapacitatis ad publicam obeundam provinciam arguendi, cumque insuper legitimè protestationem feciſſe assererent, neq; posse arcanum jus liberæ vocis infringi contenderent, ruentia jam Comitia impulerunt. Post hæc lethargico affine somno in omnibus silentium spectabatur. Nemo, quid tacitus sentiret, promere in publicum expeditus; multi, quorum ad vota fortuna propitiam manum ferebat, occulti, dum silentio tuti, lachrymis Reipub. lætabantur, nisi Episcopus Chelmensis vir militaris, & acris ingenij experrectus, arreptâ voce disseruisset: postquam, frustratam esse suam expectationem deprehendisset, ut Senatorum quisque Magistratus scilicet pro legum, & imprimis Patriæ defensione institutus, officij sui sequendo orbitam in gravissimis Reipub. periculis, auctoritate, & ope, quantùm valeret, potissimum verò consilio subveniendi, nunc quoque ordine suo de præsenti Reipub. casu censeret: an continuationem Comitiorum svaderet, dissvaderetve? modo eò rem devenisse, ut vulgare necesse habeat, quæ ad suam notitiam devenissent, quando id præstare teneretur, juratâ muneris Senatorij Religione, solennibus illis jurisjurandi verbis contentam; quidquid nocivum scivero, avertam, hoc crimen cum Patriæ faciat amor, et conscientiæ obligatio. Producere itaque se binas copias, originales verò literas, cùm ob flagrantissimas preces, & anceps, ac propè ultimum periculum illius, à quo communicatæ fuerant; rursus illi ab Episcopo Camenecensi redditæ sint, earum tamen fascias vulgo cooperpas signatas eorum sigillo ad manum esse, à quibus emanârunt in reale earum sufficere documentum, in quibus contestatis, militares viri, amico officijs, ego non ita miror, quàm huic rationi scribendi indignor, cuncta apud ipsos jam parata esse significabantur, & accelerationem agendi, quando ingens temporis opportunitas juvaret suo suffragio, unicè desuper voveri, nec deesse modum, cuncta ad libitum agendi, suppetente ad omnia rerum gerendarum nervo. Fortè illuc respexisse videbatur, nil in civilibo bellis

Sed sine effectu

Episc. Chelmensis binas literas pro ducit

bellis festinatione tutius, ubi audere, quam in ejusmodi consilijs deprehendi felicius esse, quando immensâ pecuniâ fortuna velut in pignŏ bonæ spei dedisset, quæ in civilibus discordijs ferro validior esset, stultũ est timere, quod vitari non potest. Quando non modò corpora, sed animos quoque sine strepitu telorum, ac funesto fusi sanguinis horrore, blandiendo norent expugnare. Hanc vocem quamvis publici sceleris manifestam, & communi periculo prægnantem, parvis quoq; curis, familiari alias magno animorum motu, tum mali consulto quieti, tũ boni fatali quâdã ignaviâ silentio transmisêre. Mota hæc anchora, sed tamen non simul turbata hæc Reipub: navis, quamvis nulla gravior pestis humano ingenio insideat, quam altè concepta suspicio, ea enim cùm semel irrepserit ægerrimè convellitur. Capitaneus interim Oswiecimensis accepto dicendi jure, deplorato tam acerbo Reipub: casu, narrando multa sine fine, quamvis cum fide, & quia non posset ingens vis liberæ vocis violari, nisi subversâ unâ ipsa libertate: magno animo Principem hortabatur, etiam post naufragia maria tentantur; ut universalibus literis Equestrem Ordinem, non jam ad Comitia, quæ semper maligno conatu disturbarentur, sed tantùm ad publicum consilium more Serenissimorum Antecessorum suorum, ratione sciscendarum contributionum invitaret, ut quisque de Repub: censeret, quod cuiq; placeret, sine confusione magni totius Reipub: consilij, & cæterorum restrictæ libertatis gravi præjudicio, si ipse vellet, solusq; nollet rectè uti affectu, & judicio de Repub: sentiendi. Tandem Marescalcus relictis speciosis cunctandi nominibus, consulto tamen priùs Principe, mœsta voce, & quasi ob nimium doloris sensum, angusti pectoris gemitu intercepta, erumpentibus lacrymis quo plus dignationis inesset mœrori, ultimum vale dixit, plùs ostentatio doloris exigit, quàm dolor, quisq; sibi tristis est. Responsum à Procancellario, Principẽ in rebus humanis, post præpotentem Conservatoris Jovis dexteram in benevolentia, fideq; Equestris Ordinis, omnem spei, fiduciæque tanquam ad securissimum portum reponere stationem, unaq; ad destinanda proximè Comitia, quod modo unicum è præsentibus malorum remedium esset, invitare simulque in signum Paternæ solicitudinis Regiæ dexteræ complexum alacriter præbere.

A.C. 1672

Capitanei Oswiecimensis votũ

Marescalcus valedixit.

Hinc cognita jam bonis quoque moribus invidia, audaces injuriæ, plena furoris odia, familiaris validioribus Magistratuum, legumque contemptus, verus factionum, rebellionumque fomes. Nihil prisci, sanctique moris inter disciplinæ aspernantes, & corrumpi faciles, tantum per clientelas, & potentiorum factiones publica animorum concordia, & civium salus distrahitur, ita magno tempore ædificamus, parvo destruimus. Nec in familiis quasi mare fervens, quòd quiescere nequit, nisi privata cuique stimulatio, & vile jam proscriptis veteris Reipublicæ institutis, decus publicum, vitia nostra quia amamus defendimus, & malumus excusare ea, quàm nulla decoris cura habita excutere. Nihil jam notus externis quòque gentibus, tantùmq; cum infamia Sarmatici nominis celebratur, fatalis nostra discordia, & projectus perdendæ Reipub: furor. Cùm tamen non alius lege fatorum præscriptus sit discordiarum exitus, inter summos, & potentes viros, nisi aut universus interitus, aut victoris Dominatus, & Regnum, vitiatæ, & â sæviente licentiâ proscriptæ libertatis certissimum fatum. Proinde senes fortitudine, & libertatis memoriâ, juvenes constantibus senum exemplis animum suum & honestis studijs adversus supremum Reipub: casum discant obfirmare &c. &c.

VLA-

A.C. 1572

XXV.

VLADISLAO PRZYIEMSKI CASTELLANIDÆ CULMENSI, ET POST PALATINO CALISSIENSI ANDREAS CHRYSOSTOMUS ZALUSKI Parisijs 2da Novembris.

De actis in Comitijs

LIbrum non epistolam accipe. Desideraſti ut omnia, quæ in ultimis Comitiis acta fuerint, tibi significarem, facio, nec omitto quidquam, quod mihi scribitur; vellem potius te hic videre, quam Lovanium scribere.

Scis benè, & doluimus invicem ultima Comitia magno in publicum damno, nullo privatorum commodo per supinam malitiam rupta, nec aliud ex usu & more publici hujus infortunij remedium fuisse, quàm novorum Comitiorum instaurationem. Jam ergo non remissa cura, nam ubi finem unius censeas, alia subnascitur, pauci dies ad requiem sumpti, cum nemo eodem tempore assequi possit magnam famam, & magnam quietem. Secunda hoc anno in Septembri indicta, nonâ ejusdem incepta bono omine, quia eâdem die Mareschalcus Equestris Ordinis Stanislaus Lubomirski Subdapifer Regni, & Capitaneus Spiscensis (Respublica in magno negotio magnis adjutoribus eget) electus est; sequenti die Ordo Equestris summâ sedulitate ad venerationem compositus in Senatu comparuit, propositionem Regiam audivit. Postquam in Stuba Nuntiorum atroces minæ in Castellanum Posnanienſem, & Regni Thesaurarium ferocibus vocibus detonuerunt. Ignorantia veri facit incertam, labentemque sententiam. Ingenti motu tertium edictum pro Generali bellica expeditione à Rege petierunt Nuntij, & obtinuerunt.

Stanislaus Lubomirski Mareschalcus.

Vota Senatûs absoluta, & magis pro consvetudine, quàm ex voto audita. Veniebant multa in sententijs Senatorum ad disquisitionem, sed de nulla privatæ, aut publicæ rei materia subtiliùs disputabatur, quàm de modo concludendorum consiliorum, aufert vim præsentibus malis, quod futura prospexit. Procancellarius Regni, sciens quòd nil referat eloquentem aliquem esse sermone, si ad rem auxilium emortuum esset, proposuit fore eâ methodo Reipub. consultum: si lege publicâ tribunitio Ordini intra unius diei indulgentiam, ut Mareschalcum eligendi, ita cætera Generalium Regni Comitiorum præliminaria, non excedendo unius quoque diei arbitrium necessitas imponeretur; tum ut Equestris Ordo Decretorijs Comitiorum quinque diebus, ternos adhuc, quaternosve adjiceret, quo publicæ materiæ majori cum commoditate Ordinum Regni faciliùs, rectiùsque possent expediri.

Vota Senatorum

Procancellarij

Post vota inter senatûs consulta lecta est propositio Legati Angliæ, cujus copiam tibi adnecto. Quoniâ verò Coronatio Ser: Reginæ ab universa Rep: concessa, & destinata esset, disputatû est, an Thesaurarius Regni in persona, an verò Subdelegatus tantùm ire deberet pro diademate cæteris Regni insignibus Cracoviam, qui tamen per legem dispensatus, est ab hoc itinere, quandoquidè ipsius præsentia ad intentatã actionẽ Cast: Posn. & sibi magis requireretur, nimiû est ponderis unum animũ curas ferre duorum. Post reditum Nuntiorũ in Senatum, legebatur ante omnia Oberbeckij Deputati Principis Brandeburgici præcustoditio, callidè facta coram actis castri Sochaczevienſis (postquam illi à Sereniſſimo Rege denegata fuisset confirmatio Feudi, seu potius in aliud rejecta tempus, donec priùs controversiæ materiæ R. Mtem, & Reip: statum afficientes definirentur, ille contra juramentũ Fiduciariæ obligationis præstare recusaret) multarũ querelarũ insignis acrimonia, verùm postquã ad declara-

Andreas Morstin.

Christophorus Grzymaltowski.

Oberbeckij

tionem

tionē ventū eſſet, ejuſdem Miniſtri nomine Principis ſui faciendā notorie apparebat, nam plus, quàm civilis in politico ſtatu, notisque inter Dominum, ac beneficiarium officijs arrogantia; Tolerare neſcit ſpiritus faſtu tumens, dum directi Domini Sereniſſimo Regi negare titulum damnatā humanis, diviniſque legibus pervicaciā auſus fuerat, majoremq; dē præſtando nonniſi per Legatos juramento difficultatem cieret, quod tamen à Procancellario negatum fuit, conſtanter aſſerente: Id quoque Principum benevolentiæ, non debito imputandum eſſe, quòd ad præſens Legatorum titulus ipſis utpote tantùm Deputatis non negaretur, verùm ad perſolvendum homagij Sacramentum, inter Dominum & Fiduciarium, cùm nullum ſit penitus grandioris notæ externum commercium, externos quoq; negotiationis titulos, nullā poſſe, nec decere ratione tolerari. Idem Deputatus Principis Brandeburgici, (hoc ſcire magis prodeſt, quàm Aventinum montem extra pomerium eſſe, ut ille affirmabat) Majeſtati valedicturus, cum multa erga Principem officia cumulaſſet, quaſi inſigne ſpecimen afferret benevolentiæ, declaravit nomine Principis ſui, libenter navaturum Majeſtati ejus operam, ut ii quæ inter Seren: Regem, & malecontentos intercederet diffidentia, non in contumeliam Serenitatis, & periculum Reipub: erumpat, illius fide, & arbitrio placide componi poſſit. Ad quod Oberbeckio Regni Procancellarius dignum Majeſtate Principis, & dignitate totius Reipublicæ reſponſum dedit, ſi quis eſt, qui dictum eſſe inclementius in ſe exiſtimaret, ſic exiſtimet reſponſum non dictum eſſe, quia læſit prior, amare nimium qui ſolent, ijdem ſolent odiſſe nimium, domeſticis malis intra domeſticos parietes medendum eſſe; at quæ medentis manum ferre non poſſint, aut vim medelæ atrocitate mali ſuperaverint, triſtitiā operienda eſſe. Illo beato temporis tractu à Regni Procancellario. Hæc quæ dico ſeu ſemper nobis rebus in liſdem ſe exhibent, cum plurimis publicis negotijs, tum potiſſimum laudatā transactione cum Nuntiis Principis Brandeburgici conſultum antiquo ſplendori imperij vindicata Reip: dignitas obviā itum publico dedecori, quod olim abjecta Principis conniventia & maiorum Miniſtrorum turpi obſequio, ac venali in omne nefas conſcientiā irrepſerat. Conſtantis porrò animi cauſa in Regni Procancellario, præter animi magnitudinem, & Patriæ charitatem, alienatio à Duce eſt. *A.C. 1672*

Procancellarij reſponſum.

Tractatus Coſatici lecti ſunt, ubi Religionis libertatem, & militaris imperij arcana ſibi integrè ſervari poſtulabant, quorum tractatuum confirmationem ab Ordinibus Regni petebant, & ob imminentia ab illa gente pericula, nullus cunctationi locus eſſe debet in eo conſilio, quod non poteſt laudari niſi peractum. *Tractatus Coſatici.*

De juramento tractatum fuit, & ſine cunctatione Mareſchalcus civilis diſſidij certus occultato altiore conſilio cætera ex eventu judicaturus, & omnes Nuntij jusjurandum præſtiterunt. *Juramentū*

Delator Tropezynſcius urgebat judicia Perduellionis, & id ipſum Nuntij Majoris Poloniæ promovebant, ſed cum ſummarium proceſſum horrerent omnes, negotium hoc tantiſper ſuſpenſum erat.

Vexillifer Sendomirienſis (venit in mentem ille doctus Archimimus ſenex jam decrepitus, qui quotidie in Campitolio mimum agebat, quaſi Dij libenter ſpectarent, quem homines deſierant) ut igitur ſummo fervore petiit Reipub: ſummam agi, erupturam in publicam perniciem clamitans, ne ſopitæ magis gliſcerent diffidentiæ, ut literæ à Primate Regni ad varios conventus Palatinatuum ſcriptæ publicè legerentur, ita

vivunt

A.C. 1672 vivunt multi non quomodo volunt, sed quomodo cœperunt, at unus ex illis, quibus omne in turbido consilium ex Siradiensi Palatinatu literas hasce produxit, & legit in Stuba, in quibus arguebatur, specialiter Princeps, quòd eosdem mores veteris aulæ retineret, æquè graves, non æquè excusatos, quòd nimirum aleret homines concessâ mercede potentes, & aura populari validos, qui ipsius privata adversus publicam utilitatem foverent desideria, ac tuerentur. Incusabat dein Principis causa rupta esse Coronationis Comitia, Pacta Matrimonialia cum domo Austriaca, insciâ & inconsultâ Repub. dum ipse, dum magna senatûs pars dissvaderet, inita esse. Super Pacta Conventa cum restrictione mentis jusjurandum à Rege præstitum constanter asserebat. Rupta iteratò Regni Comitia, ut circumscribendæ Domûs Regiæ fervens in populo studium evanescceret, concluditq; non cunctatione opus esse, ubi pernicioſior est quies, quàm temeritas.

Litera Primatis

Dum verò ad instantiam Equestris Ordinis eædem literæ Primatis ad Palatinatus in Senatu legi debebant, intravit tunc Senatum Primas, & statim post lectionem earum magnanimitatis, & magnæ indignationinis, manifestos, cum negare hæc nequiret, verâ interpretatione sensus suos explicare laborabat, & occupatâ voce differuit; Meminisse in ea Repub. se natum esse, in qua sentire quæ velis, quæ sentias dicere liceat. Nil se in ijs literis, quas famæ sacrasset, nisi vera, & certa mandasse, neque pro Primatiali officij sui debito, ne sibi diceretur, si non potes pascere, sine alium esse pastorem, ac dignitate, & illæsâ conscientiâ ex jurata fidei obligatione, quidquid nocivum scivero, avertam, ultra dissimulare serpentia mala, quæ non modò afficerent, verùm etiam premerent, ac fortè opprimerent Reip. Statũ, pro excubijs steti, & non dormivi, quomodo ille Pastor Israëlis. Etiam glorioſos Antecessores Majestatis Vestræ, si quid illis in Principum Regimine displicuisset, pari semper coercendis Dominationis artibus usos esse libertate, æmulatores enim erant, sicut & nos sumus hodie. Electio Majestatis Vestræ faciebat gaudium magnum omnibus fratribus. Meliora enim, & fausſiora tranquillioris in posterum Reipub. Status sumpti ex æqualitate Principis sperasse omnia, quàm nunc doceat eventus. Postquam Princeps observationem pactorum Conventorum penitus contẽpserit, ad quam quoque nullâ teneri se religione existimat, quando me præsente, & tot consciis in ipso Coronationis actu e vulgavit, sese eum restrictione mentis super Pacta Conventa jusjurandum præstitisse. Id speraſe se Principem ingenitâ ipsi magnitudine animi non negaturum, quod si inficiari constanter placuerit, recurrere se ad testimonia summorum in Rep. virorum, adeo ipsa veritas cogente ipsâ necessitate, etiam ab invitis pectoribus erumpit. Eam porrò mentis restrictionem causasse in Majestate Vestra, ut verso suo ac Ministrorum suorum omni studio postpositis Reipub. curis, & Patriæ commodis, privatis aulæ suæ negotijs studuerit; conjunctamque, seu verius clausam intra unam Domum suam Rempub. haberet, adhibitis duobus, aut tribus ad cuncta arcana Reipub. arbitris. Inde illum emanasse defectum, levem quidem primâ facie, sed si penitius inspiciatur, indignitate Majestatis Regum Poloniæ insignem, neque minus cum Reipub. periculo conjunctum, illud scilicet aureum vellus, hoc tintinnabulum avidius, quàm consultius à Mte Vestra amplexum. Quo susceptо, juramento sese cum summa indignitate Reipub. & diminutione Majestatis ad defensionem honoris Ducis Burgundiæ, ac Regis Hispaniæ obligavit, licet non indigus esset exemplorum magnanimitatis Regum Poloniæ, ac præcipuè Vladislai IV, qui non victus à malo, sed vicit in bono malum, nam eandem sibi aurei velleris à Legato Regis Hispaniæ oblatam prærogativam, rejectâ penitus omni conditione, ac vinculo juramenti, genero-

Primatis responsum ad literas latas

Restrictio mentis

Vellus aureum

so

ſo, & verè Regio Spiritu ægrè ſuſcepit. Ex hoc reſtrictæ conſcientiæ fonte emanaſſe cauſas convulſionis Comitiorum Coronationis male tractatis, ac ſtudio difficultatis, denique eluſis exulum deſiderijs, ut moti impatientiâ, contradictione ſuâ Comitiorum molem diſtraherent. Ruptis Comitijs conſultus de Matrimonio Majeſtatis Veſtræ per ludibrium Senatus nec de re tanta fuêre ſplendidiores nugæ, cum tamen lex in centuriatis Electionis Comitijs lata fuiſſet, appellare ſe In eo fidem, & conſcientiam Equeſtris Ordinis, ne Princeps inſcijs, aut non aſſentientibus omnibus Regni Ordinibus Matrimonium contrahere præſumeret. Hâc lege veniunt Purpuræ, ut Rex non ſibi, ſed Patriæ natum ſe ſentiat. Quod nocivâ neſcio cujus in damna publica ſagacitate, cum intolerabili bonorum civium dolore eliminatum eſſe. Neque etiam ſele in eo conſilio, multosque inſuper Senatorij Ordinis ſummos magnates, egregios Prælules, propenſioni ad Auguſtam Imperatoris domum contravenille (quamvis vetera nec ſperanda vaticinia ſummorum in Repub. virorum aliter ſvaderent, & occulto ideoque inevitabili metu futuri terrerent) ſed tantillam ſvaſiſſe moram, perluctantibus in multis ſine fine cogitationibus, qui flecti non minùs putabat turpe, quàm vinci, ac ſentientibus ut grande negotium, intimum Reipub. arcanum, ſine ſcitu, & authoritate Ordinum Regni non ageretur. Verùm enim verò tantum negotium In Senatûs conſilio, cum illuſtri decore publicæ famæ agitari cœptum, in privato conclavis receſſu, non ſine deterioris ſuſpicionis ignominiâ expeditum eſt contra morem ab ævo receptum, & à nemine unquam Regum Poloniæ violatum, mala æquè gravia, non æque damnata. Nam licet non eam inficias, Senatus conſilij complementum, eſſe Principis declarationem, tamen egregiæ conſvetudinis nullum extare exemplum, Senatûs conſilia in abdito terminandi. Ita veterem à ſæculis morem, ita conſulendi naturam, ipſam denique publicæ negotiationis jubere honeſtatem, ut ibi expediantur conſilia, ubi cœpta ſint. Eodem æſtu præcipitata eſſe pacta Matrimonialia, cum tamen nullam ob aliam cauſam jungendorum Hymæneorum moram a Principe petierim, non ut famam ad laudes advocarem, quam contempſi, quàm ne hæc ad præſens talia in futurum malo exemplo, inſciâ Repub. rationes Statûs perverterent, cum gravi diſpendio publicæ opportunitatis, hoc omnes laudare non intermittent, inimici non invenient, quod reprehendant, cùm nulla eſſet magis amica temporibus Reipub. occaſio recuperandi ab Imperatore ſuper Electionem Principis è domo Auſtriaca dati afflictis Reipub. temporibus diplomatis, reſtituendorum Wielicenſium contractuum, poſtremo ejurationem ad Pruſſiæ provinciam omnis juris prætextus. Iam propitiæ, faventesque bono publico prærogativæ; privatæ Matrimonij Principis commoditati, aut ingenio cedere debuerunt. Eandem laxatæ conſcientiæ libertatem ad præteritorum proximè Comitiorum luctuoſam jacturam ſuffeciſſe. Non aliâ cauſâ Reipub. concordiam, ac tranquillitatem miſcente, & velut ex inſidijs pervertente, quam privato conatu augendæ in immenſum Principis potentiæ: Ne illâ Comitiali temporis commoditate unico libertatis firmandæ ſubſidio, continuum in populo ſtudium, circumferibendæ domus Regiæ coaleſceret. An eſt Podoliæ Camenecum, unicum adverſus infinitas barbarorum gentes totius Regni fortalitium, juſto firmatum præſidio, ſufficienti munitione proſpectum? ad unicum hoc, & leve ſatis debitum per Pacta Conventa obligato à Repub. Principe, poſt tantas gratias, & beneficia ſine modo in Majeſtatem Veſtram cumulata? cùm etiam privati nullis ex Repub. acceptis opibus, de proprio pecullio, inſigni fortunarum ſuarũ diſpendio ad conſervationẽ Antemuralis totius Chriſtianitatis ultrò contulerint, & eo uſque conferre pari in Patriam amore, & Chriſtianum

A.C.1672

Matrimonium Regis

Orbem

A.C. 1672 Orbem benevolentiâ non desistant. Hæc inconvenientia (ut leviora omittam) ubi res loquitur, quid verbis opus, cùm gravem quandoque acceleratura sint Reipub: confusionem, ut perimentia mala à jugulo Reipubl: possent amoveri, nullus credat quod mentiantur, cujus arrogantia mitis Vestræ Mtis, & pro tempore flexile ingenium confundere præsumat, nullus doleat labem hujus temporis, quod lex Regi diceretur à subditis, dolebant quidem multi, quod cùm liberius admoneam, quàm debeo, fortè non emendabo, sed certò offendam. Sed ingenuo civi, sed Primati de lege competit, ut vel cum periculo offensionis honestum & necessarium credat admonere. Cæterum ut semper se è sinu Reipub: mala submovisse, ita eandem Regiæ dignitati promptitudinem cum vitæ sanguinisq; dispendio, laborum Provinciam sibi relinquens, alijs præmia, quoties occasio monuerit, devovere. Altum post hæc silentium, nec vulgaris admiratio, quia senes etiam tam familiariter libertatem cum Majestate agentem non meminerant. Cùm Regni procancellarius dignitati in summo fastigio vicem reddens, leni, & modesto sermone ad objecta non refutanti, sed diluenti proximior rerum præsentium disquisitione declinata respondit. Magnum dolorem penetravisse cor Principis, quod cùm nullius sibi delicti conscius, solâ modestiæ, & integritatis famâ, dum privatus esset, ad tantum evectus fastigium, nullasq; ad Principatum malas artes attulisset, tam iniquâ objectione innocentia gravaretur. Igitur ante omnia ab objiciente ostendendum est, cujus à Principe pretio aut promissis tentata fides fuisset? Aurei velleris susceptio usitata Regibus Poloniæ erga externorum Principum benevolentiam humanitatis contestatio. Nec Sigismundum III. quamvis à septemtrionali vocatum sceptro, hanc prærogativam secum attulisse, sed hic delatam sine onere conditionum aurei velleris ordini debitarum accepisse. Idem Serenissimum Regem fecisse, nullis vinculis, & obligationi se submittentem, cùm Regale fastigium nulli oneri subesse, quod dignitatem ejus imminueret, omnium gentium nationumq; consensus permiserit. Restrictionem mentis ad jusjurandum nunquam adhibuisse, atque in ea parte purâ respondere negativâ, imò clamare vult exemplô, quod promisit verbô. Scissionis Comitiorum Coronationis, quomodo in se jacta cum fide congruerent, non videre. Cum è re Principis fuisset ut coalescerent, palámque sit Principem omnes adhibuisse rationes, tentasse contradicentium animos, & cum Comitia, postremo urbem vecordiâ, & insano impetu deseruissent: Misisse eorum Collegas, qui fugientes sequerentur, ac omni meliori modo retraherent. Sed elusus circa publicum bonum Principis candor, nunc quoq; adversæ famæ per injuriam conviciorum prostituitur. Consilium circa Matrimonium Principis frequenti senatu expeditum esse, præsente, & consscio omnium Regni Primate. In præteritis Regni Comitiis redditam ad Imperatorem Legationis rationem: Lecta in facie Reipub: Pacta Matrimonialia, nihil omissum de obsequio in Principem, de fide in Rempublicam. Potuisse ab Imperatore tam diploma super electionem, quam Vielicenses contractus nullo repeti negotio, si quis in tempore tempestivam attulisset memoriam, cùm optimè affectus huic Reipub: Imperator, qui hoc invictissimum esse putat non vinci officiis, majora etiam ad minimam requisitionem Ordinũ Regni præstare facilis esset, nec quidquam minus prætendere, quàm juris prætextum ad Terras Prussiæ. De provisione Camenecensis fortalitij, quod adductum esset, quasi ejus conservatio cum violatione pactorum Conventorum à Principe negligeretur, id ex mala informatione initium

Procancellarius ad objecta respondet

initium criminandi traxisse notorium sit, cum Seren: Rex tanquam Patriæ verus Pareus, quia verus filius, promissorum nunquam oblitus, sui semper immemor, nunquam se miserum dolens, nisi cùm ærumnarum socios habere se videt, firmandæ munitionj prædicti fortalitij omnia Terrarum Russiæ telonia applicaverit, non plus exigere debemus, quàm quod quis præstare queat. Proinde ut hoc, ita & cætera pari licentiâ, ac ferocitate, sed nulla cum rebus ipsis probabilitate allata esse. Regressus verò à Principe, & suæ restitutus Sedi acceptâ voce, magno moderationis edito specimine, pro se modestè, pro causa fidenter, non tanquam livori occurreret, quamvis petitus invidiæ telo, sed quasi incertitudinem suspicionũ deprecaretur, differuit. Noscis mentem ejus seniper sagacem, rectum in rebus arduis judicium, erga Regem fidem, pro Patria immensam charitatem, cui fidem confirmare modis studebat omnibus, & ita ad materiam hanc paucis, & velut per transennam præmissis, ad publica conversus (colluctari cum minoribus malis non vacat, ubi metus major apparet) incursionem Tartarorum, & pericula ex ingenti belli apparatu à potentia Ottomanica recensendo, egregium de Republ: prompsit consilium, evulgato quantum superfit rebellionis ex perfidia Doroszenscij, quid sperandum ab illo Regni limite, cavendum, metuendumq; sit? concludens non nobis cum imbellibus, armaq; tantùm volatica, aut ornamenti causa ferentibus, vel vinci paratis, non cum disjunctis, aut seminudis Myrmillionibus, & optantibus mutare servitium Græculis, non cum assueta latrocinijs pyratarum manu, & pauperiem fugientibus trans mare Virmillanis, eadem fine magna gloria, quia sine magno periculo dimicatio obtingit, nec unius prælij eventu terminanda. Non placidâ re populi integrisq; Regni opibus, non coalitis omniũ animis, neq; florente concordiâ; magnæ deficiunt potentiæ, quibꝰ metuendis alias hostibus pares fuimus. Lonetat pòst ante omniũ oculos vivâ facundiâ operosas Principis curas, qui omne temporis spatium saluti suorum impendit, quia singulis momentis periclitari eam non ignorat, dum feroces gentes, tot cruentis prælijs, horrendis stragibus, perpetuis bellis, nunquam tamen domitas facilitate & benevolentiâ, etiam Barbaris non ingratis artibus ad magnos Reipublicæ usus, grandi publicæ salutis subsidio conciliare satagat. Sermonem Procancellarij omnium excepit silentium; Cùm Vexillifer Sendomirienſis senex juvenili fervore acceptâ voce, accedente privati odij stimulo, simultates ex nimia impatientia profiteri coram Republica non erubuit, multo verborum ardore in Primatem acriter invectus, libertate suâ, & oblatâ ad publica mala occasione satiabatur. Eam vocem Episcopus Cracovienſis suâ excepit sententiâ firmiter asserens, ibi non esse consilia, ubi deesset Spiritûs S. assistentia, illam certò deesse, ubi à consulentium pectoribus longè charitas abesset, quæ per convicia, & probra procul submoveretur. Postremò Regni Primatem non temere egisse censuit. Episcopus verò Cujavienſis leniter, & reluctanti propior incusato progressu Regni Primatis, magna locutus de benignitate Principis, qui eâ morum est comitate, ut magnitudinem suam, cum jam haberet, ad minimos etiam facili descensu inclinaret, à quo nullus non exauditur, nisi ubi negare esset beneficium, videmusq; palàm quòd, ut immensa Poloniæ mens ingens Regni spiritus fiat, toto & naturæ & fortunæ, & gratiæ incumbit apparatu, nihil magis optans, quàm confidentiam civium, tandè Principem per amorem Patriæ, Reipub: salutem, gravi sermone obtestatus

A. C. 1672

Vexillifer Sendomirienſis contra Primatem.

Episcopꝰ Cracovienſis defendit.

EPISCOPI Cujavienſis sententia.

A.C. 1672 itatus est, ut quidquid esset offensæ id supplicibus bonus Princeps condonaret civium votis, eum ideo fortunæ videntur affluere Regi, ne quisquam vivat infortunatus, declarat tuum, & domus tuæ esse quidquid summum videtur. Ad eandem quoq; operam invitato senatu, hoc inven-

Senatores accedant throno. to non minùs generoso, quam pio subitò consurgens, ac progressus ad Principem reliquis quoq; Senatorum eandem publicæ humanitatis fecit necessitatem. Illo motu, & felici occasione excitus sede suâ Archiepis-

Primas reconciliatur Regi. copus Regni Primas, Primusq; Princeps (hæc magnine sint, an parvi animi, licet ita credere ut cui ratio persuaserit) thronum Regis accedens commissâ paucis verbis submissione, Regiantis meruit reconciliationem. Vix regessus erat, res aliquantò expectatione omnium tranquillior erat, tum Procancellarius, Divinum illud est, omnia complere, agere ubiq;, ille tantùm egit, quantùm plurimi ne cogitatione quidem adequi potuerunt. Tum ille arrectis omnium animis læta, & placentia declaravit, RegemSeren: non inscriptos pyramidibus aut tumentibus colossis victarum gentium titulos, sed ob pacatos civium animos, & compositam Rempub. Fascibus Imperatorijs, lauruni addere. Proscriptam, & una non modo injuriam, sed & offensionum memoriam. Quare magnum Primatem non solùm ad solitam gratiam, & confidentiam recipere, verùm etiam omnes Illustris Domûs ejus, quod semel meruêre, semper expectent, opes, honores, Regiam deniq; habituri benevolentiâ. His peractis ingens colloquij ejus diei paratus, sequentis diei fœcundis sermonibus materiam dedit. At regresso ad atrium libertatis tribunitiæ

Sæpe Vasub missio Primatu. potestatis moderatore, iræ, dolori, indignationi mixtæ voces plurimæ non consiliis, sed minis propiores audiebantnr quærentium? An illa deprecatio Primatis solida esset? an solùm falsæ submissionis ostentatio, cum a renitente, & arrogantiæ, ac furoris manifesto fieret, non occultas totâ facie ardescentis vultus volvente minas. Legere quemlibet potuisse in fronte, quos in pectore gereret, ac invitos per simulationē premeret affectus. Verùm sive vera, sive falsa fuerit, parùm interesse, dum ea nullam Reipub: datam esse satisfactionem, parum enim pro nihilo reputatur, & parvitas rei in omni materia excusat. Læsam enim ab eo graviter Rempub: par fuisse singulari subjectione depreeari. Atrocius à prudentioribus, qui non usurpatâ voce, quo vitarent invidiam, sed vera differentium, fama ejus gravabatur, æstimatio distrahebatur. Cur si conscius esset Principem cum restrictione mentis jusjurandum præstitisse, non statim Regem monuisset? quo motivo? quo salutis publicæ respectu? quâ publici utilitate? privatæne, an publicæ rei amore tanto tempore intra se pressisset. Demùm si quid deliquisset Princeps, qui tamen cùm multùm deberet fortunæ, plurimum debuit virtuti, patronymicam enim acceperat virtutem, suam fecit. Debuit ergo Primas eum, præscripto legis insistendo, levi prius monnere sermone, non verò omissis & spretis institutis, quæ publicus Ordinum jussisset consensus, datis ad Palatinatus literis, velut ad seditionem populum vocare, quasi objecta Principi crimina pro approbatis essent, nec jam ullo civili remedio (perditis tanquam rebus) nisi civili cruore, & Provinciarum cladibus, populique strage vindicari possent?

Spiritualis ordo patitur ob Primatem. Cum verò multum vespere, & manè, & meridie, disputatum fuisset contra Statum Spiritualem, ita paucorum culpa cunctis exitiosa, quamvis omne simile non sit idem, non obstante eo, quòd Procancellarius Regni de instantibus ab Oriente periculis monuisset, utque literæ à Wysoccio ad Turcam Ablegato legerentur, postulasset, in quibus manifestè præcautiones,

nes, belli Turcarum apparatus palàm videntur, interim tamen ùt dixi contra Statum Spiritualem Equeſter Ordo ex occaſione Primatis inſilierat, quem ut emolliret, Epiſcopus Vladislavienſis non retinuit verbum in tempore ſalutis, ſed ad Equeſtrem Ordinem molli, aſt juncto gravitati ſermone obteſtabatur, rogabátque ut in convenientiori honore, majorique æſtimatione Spiritualis Ordo, & dignitas haberetur. Suſpiciones nimirum, & rumorum inania, infulatorum Patrum tot ſacris in Rempub. meritis, non ſine atroci injuria, & manifeſto dedecore nocumento eſſe debere, ut vetuſtiora intacta relinquam antiquitatis exempla, novum decus ſiiere puderet, pietatem ſcilicet, & heroicum pro Patria animum Magni Prætulis Epiſcopi Cracovienſis, qui nondum ſepultis magno temporum intervallo, à noſtra memoria civilibus bellis obviam iturus, cùm Senatus conſilium à Caſimiro Rege coactum eſſet, an latum in Lubomirſcium Mareſchalcum Regni Decretum executioni mandari expediret? ſede ſuâ conſurgens ad Principis thronum, quaſi Jovem oraturus, compoſitis manibus proceſſit, parúmque abfuit, quin ſupplex rogaret, immemor dignitatis ſuæ, quam pro ſalute Reipub. devoverat, ut Princeps rigorem ſuum mitigare dignaretur. Cùm ſe inde manifeſtò cernere atrocem turbandi Reipub. Statûs confuſionem, & inæſtimabilem civilis ſangvinis jacturam in perniciem Regni erupturam fateretur, quia abſurdum quandoque toleratur, ut evitetur abſurdius. His ab ævo mediatoribus feliciter usâ eſſe in arduis Remp. Tandem magnificis verbis commendatâ Principis clementiâ, quâ ſolâ Principes Divinæ Mtis attributa æmularentur. Violentis porrò conſilijs civium ſangvinem ſpirantibus, cur Principis benignitas oneraretur, quándo nullam ex bello ſalutem eſſe, & potiſſimum quod in ſubditos geritur, cum tranquillitas pacis non ſit vacua occaſione virtutis, proſpicere verò expedit in pace quod bellum juvet. Inclinatos proinde ad pacem, & publicam Regni tranquillitatem animos, quiſquis ille impio molimine diſtrahere intenderet; illum ſævas Reipub. clades, & extremum excidium meditari, unde metọ, & juſtæ preces invocantium; ltaque abſit omnis querela, & ſi quid offenſum in hoc genere à quopiam eſt, viciſſim alter alteri largiatur, annus acceptus, & dies eſt retributionis. Secutæ poſt hæc multorum non alienæ à temperamento ſententiæ, niſi quod nonnullorum auctâ odijs vecordiâ, & nimio adulandi ſtudio turbabantur.

A.C. 1672

Epiſcopus Vladislavienſis emollit Equeſtrē Ordinem.

Epiſc. Cracovienſis pro Lubomirſcio.

Cum autem omninò inſtarent Nuntij, ut ad judicium, perduellionis veniretur, eoque nomine in conſpectum Principis venirent. Ubi dum comparuerunt, Epiſcopus Cracovienſis ſic locutus: Ac imprimis velut in publicum vocatâ teſtimonium conſcientiâ ſuâ, ſuſpicionem partialitatis ex omnium animis exemiſſe videbatur, tandem in effeto quamvis corpore, coacto undique in ſubſidium fervoris ſpiritu, poſtquam dixiſſet ingraveſcere intestina mala, & quod cùm ab externis hoſtium non ſimus liberi, domeſticis tamen laboratur, ſummo impetu auctionem Deputatorum ex Collegio Nuntiorum, ad cauſas perduellionis oppugnabat, recitata ex volumine legum octogeſimi octavi conſtitutione quæ ſolùm bis quaternorum numerum præſcripſiſſet, adducto in ſubſidium legis exemplo, quod Reſp. judicaſſet quidem anno 1555 Palatinum Smolenſcenſem, aucto ad bis duodenos Deputatorum numero, ſed eâdem lege proſpectum eſſe, pro unà tantùm vice eam Ordini Equeſtri conceſſam eſſe judicij formam, nec ſimulato dolore, aut ambiguis verbis, ſed palàm indignabundus, queſtus eſt, quòd tam præcox declaratio à Throno Principis obnitente Senatu, ac ſeſe aliiſque contradicentibus, priùs cùm morem Senatus ſubverteret, & publicæ libertati palàm adverſaretur: quem, ne quis imminutũ iret, ſe conſtanti oppoſitione nunquam permiſſurum. Perſtricto obliquè Procancellario, quaſi per ipſum omnia facta eſſent, & ſine ipſo factum fuiſſet

Judicium Perduellionis urgentibus Nuntijs.

Reſpondet Epiſc. Cracovienſis.

A.C. 1672 nihil, qui ejus consilij Author esse Principi videbatur. Cujus excelsus animus, moræ impatiens, donec cuncta proferret, petitâ voce, postquam finierat: pauca præfatus in laudem Regis, ita semper doctrinâ, intellectuq; credit serviendũ Regi sine querela, asseruit ergo debuisse repetitis Equestris Collegij instantijs annuere, & quod jussisset populus bonum Principem facere. Tum prompto ingenio, rationes, ac exempla rebus suis accommodans, Magni Principis Ministri officium superavit. Hebetcere itaque acumina rationum Episcopi Cracovienſis ad Lydium plusquam lapidem rarioris eruditionis Procancellarii æstimabantur, nisi solidioris prudentiæ subsidio dignissimi Præsulis rursùs acuerentur. Acriter ille in populi impetũ invectus, si unquam clarias crudelitate quæritur, Senatoriæ dignitatis proprij muneris esse asseruit, legum custodiam. Quarum mutatio, si usui Reipub. esset, repudiatæ leges contrarijs legibus sufferrentur, non verò novæ impetu, & furore quodam ad perniciem rogarentur, ita morem gentium, nationúmque voluisse, ut prius publico leges consensu scriberentur, & postquam scriptæ essent inviolabiliter servarentur. Religiosè Majores nostros leges servavisse, eum enim judicandam proditi Moschis Smolenſci causam suscepissent, ne præcipitantiâ, & temeritate Statum Reipub. affligerent, in alteris Comitijs resolutâ priori lege constitutionem auctionis ex Ordine Equestri judicium sanciebant, in alteris demum judicium exercuêre. Verùm nec illud de Woynicio sacri Ordinis viro illatum exemplum suffragari posse, ad majorem evincendum, quàm lege concessus sit Deputatorum numerum, cum id olim bene dispositæ Reipub. uniformitas obtinuisset, ad præsens verò obstantibus multorum Senatorum contradictionibus, distracto universali totius Reipub. consensu, nullâ cuiquã ratione imponi posse, ut omnino sentiat, quod nocivum Reip. esse, haud falso augurio prævideat. Castellanus Cracovienſis ut consilij sui rationem, aliorumque Senatorum sententias tueretur, naturalem genij sui secutus ductum, sacro quodam, & male composito defendit impetu, quæ ratione & authoritate legum tuenda erant. Illum excepit M. D. Litv. Cancellarius, multis concinnâ oratione in favorem præmissis, datæ à Throno Principis Equestri Ordini declarationis promulgato suo, & universi Senatûs consensu super numerum Deputatorum ad causas perduellionis ex Nuntiorum Collegio assignandorum adjecit: duodenarium numerum, quem Equestris Ordo requireret, non modò legibus minimè adversari, verùm etiàm usitatum morem, & exempla in sui subsidium trahere, quò minùs novitatis argumento malignitas ad invidiam uti possit, nam vix possunt de hoc dubitare nisi historiæ imperiti. Ad causam ex remissis violatæ erga Patriã fidei Woynicij quamvis initiatæ sacris personæ; admissos fuisse anno 1661. Deputatos M. D. Litv. neque modò ullam justæ æstimationis subesse causam, cur debito respectu, & pari semper, ad quascunque functiones cum Regnicolis communione, gens nostra arceri deberet? non sine manifestæ æqualitatis jactura, gravique unionis, sed & animorum læsione.

Andreas Trzebicki.

Stanislaus Warszycki.

Tandem Episcopus Cujavienſis eximius inter homines, qui sunt, & qui fuêre, remisit de constantia, & acceptâ voce cedere se publico consensui dixit, ut duodecim Deputati ex Equestri Ordine ad causas perduellionis admitterentur. Idem fecêre & alij contradicentes, qui plerumque habent vehementem impetum, sed incursu fatiscere, hærereque solent.

Contra Grzymaltovium decretum

Acclamata causa Grzymaltovij & in contumaciam decretum latum. Dum verò Thesaurarius Regni in jus vocabatur Instigator Regni in hac causa tardè & cunctanter procedens honorato Principe, nullo se equidem favori obnoxium esse dixit; sed pro conscientia Thesaurarij honorem simili condemnatione gravari non posse, cùm lex expresse doceat, literas citationis

Thesaurius legem invocat

tionis in cauſa Perduellionis ſex ſeptimanis ante Comitia Regni extradi debere, quod hic omiſſum eſſet. Tandem frater Theſaurarij multorum animos flexerat, dum audaciter diceret, quòd quantò plus laborabunt inimici ad quærendas contra illum probationes, tanto minus de illis invenient, dum legum auxilia in ſubſidium vocavit, eum pondere rationum, nam peremptorio termino Theſaurario diem dici nec poſſe, nec Reipub. honeſtum eſſe. Vocatis ad ſe Rex ſigilli cuſtodibus, cùm pluralitas votorum libertatem à termino decreviſſet id ipſum per Mareſchalcum Regni promulgare juſſit. *A.C. 1672*

Aliquot poſt dies Equeſter Ordo à Principe ad judicia Perduellionis evocatus ſenatui denſo agmine circumfuſus eſt. Tum Inſtigator Regni in Caſtellanum Poſnanienſem invectus, cujus effigiem per varios ſculpſit colores dicens: quod Senator jusjurandum Senatorij Ordinis atroci perjurio violaſſet, quando peregrini aſtus impium pretium ſexaginta millia ad ſubvertendum civilibus diſcordijs Chriſtianum imperium, venali in omne nefas conſcientiâ à Lione Legato Regis Galliarum recepiſſet objiciente ei tantum ſcelus in Generali conventu Majoris Poloniæ Equeſtri viro Raczkowſcio, interceptis literis à Palatino Breſtenſi, Cujavienſi ad eum miſſis, id ipſum, quod objecerat probando, quòd familiariter in mutua confidentia Raczkowſcio dicta, quæ à Notario Thesauri Regij, Madaliniſcio ſibi communicata eſſent, nunquam in opinionem admiſſet, ut in publico vulgarentur, tantæq; ſibi confuſionis ac diſcriminis cauſam allatura eſſent, quamvis enim ſemper præſumit ſæva perturbata conſcientia. Hinc ſumpto impetu Inſtigator Regni miram ipſius animi inconſtantiam exagitabat, quamq; ſubdolo ingenio erga Patriam ſæpius charitatem ſimulando, continua virtutis oſtentatione, & populari amore ad privata commoda ac perniciem Reipub: uſus ſuiſſet, & quo ſemper privatæ libidini authoritatem accommodabat, publicam demonſtrabat. Ita ſub Caſimiro Rege, cum metus periculum ſubruendæ liberæ electionis univerſi Equeſtris Ordinis graviter animos commoviſſet, atque in conventu Generali Sredenſi Majoris Poloniæ Senatores poſt expedita vota de more ad propria à nobilitate deducerentur hoſpitia. Caſtellanus Poſnanienſis, apud quem ultrò in quæſtu habebatur, velut publicus aſſertor libertatis in Pomerio templi, in media nobilitatis Corona honorificentiſſimo loco donabatur, ut ab univerſis videri, & quæ pro concione dixiſſet velut ſacra Jovis Servatoris reſponſa percipi poſſent. Cumq; à quodam, qui ſciebat eum ingenioſiſſimè perverſum, & malo publico facundum, ex illo nobili cætu interpellatus publicè fuiſſet; an eandem excelſi animi conſtantiam erga Equeſtrem Ordinem, & Remp: perpetuo ſervaturus eſſet? reſpondiſſe innexis obligationi conſciętiæ verbis, adjectâ inſuper gravi maledictione (quaſi ab effato Divino communicata malorum ſuorum ſententia? an ſit nocentium pectori vi fatorum impreſſus, quidam futuri terror, qui ſeſe certo quodam futurorum prodat indicio) ſi quando devotum ſemel animum libertati labeſactare contigerit, vitâ ſuam in pretium læſæ fidei omnium telis obruendam non modò libenter offerre, verùm etiam eam ultionem, quodammodo à Deo hominibuſq; expetere. Sed ſtruentibus jam cauſas fatis, modico interjecto tempore ad id flagitiorum ſupplicium devenit, quod ſolicitis votis optaverat, impietate meruit. Fortè Raczkowſcius objecerat ei in conventu Sredenſi ſub tempus Interregni, externi avaritia lucri, corruptæ fidei crimen eo addito, quòd etſi multa dicenda haberet, quæ ille perpetravit commemoranda, libenterque illa exponeret, ea tamen cum præter

Inſtigator Regni agit contra Grzymaltovium.

A.C. 1672 rem eſſe putarent omittere ſe, utq; magis indicio percelleret, literas à Palatino Breſtenſi ad Palatinum Poſnanienſem ſcriptas in ſubſidium veritatis producens, tantum populi motum adversùs eum ſubitò concitaverat, ut in inſtanti è medio nobilitatis conſeſſu, ſtatimq; ex conventu cum ſumma ignominia pulſus fuerit, quam vindicaturus, ad Caſtrum quidem Radziejovienſe feſtinus perrexerat, & contra præfatum nobilem, & nonnullos, quaſi contra pacis violatores, ac publici motûs concitores proteſtationem fecerat. Verùm cùm illi in objectione infractos ſe confiterentur, & deductione probaturos, quæ vulgaverant, conſtanter aſſererent. Caſtellanus Poſnanienſis tam periculoſam honori ſuo cauſam non modò proſecutus non eſt, ſed etiam cum adverſa parte factâ reconciliatione compoſuit. Hoc facinore arrepto Inſtigator Regni objecta crimina velut approbata convincebat, nam cum gravia contenta objectorum Grzymaltovius in ſua manifeſtatione publicâſſet, injuriam verò proſequi flagitioſâ induſtriâ neglexiſſet, objecta ſibi eo ipſo pro approbatis agnoviſſe, demum quod majus ad convincendum ſcelus in jure documentum haberi poſſit? quàm propria oris confeſſio. Literas tandem à Theſaurario Regni ad eum anonymo charactere ſcriptas, eamq; ob cauſam, in conventu præſentia Comitia proximè præcedenti gravem ejus convulnerationem juſtâ nimirum cæleſtis iræ vindictâ noxium Reipublicæ caput monſtratum. Concluſit tandem illa Athenis illatâ inſtantiâ: non pudeat vos Athenienſes, cum in Nautas, qui Salaminem transportant, legem tuleritis, ſi quis eorum in trajectu navem invitus everterit, ne ei deinceps navicularia facere liceat, qui temerè Rempub: in diſcrimen adducit, qui illam funditus planè evertere voluit, quomodo ſinetis iterum conſiliis eum de Republica adeſſe; Nam ſi quæ eſt in rebus humanis improbitas, cujus ego ſi Principem eſſe Caſtellanum Poſnanienſem non demonſtravero, mori non recuſo. Cujus (DEo jam mentem ejus lædente) ſigillatim omnia vitia recenſere opus non dico, quod Veſtra Majeſtas, & Ordines Regni compertum habent.

Gilbaſzevius reſpondet ad objecta a Grzymaltovio.

Reſpondit Gilbaſzevius culpati Patronus præcipuas explodendo objectiones. Recepiſſe Caſtellanum Poſnanienſem pecunias à Lione Miniſtro Statûs Gallici quo teſte, vel auctore? nempè famâ publicâ, at quem ex fama publica damnari, aut convinci poſſe quærendo rogabat? ſed aſſeveraſſe Madalinſcium Supremum Notarium Theſauri Regij id ſe à multis audiviſſe, verùm eundem ſcripto dicta refutâſſe nec id pro re certa de Caſtellano affirmaſſe, ſed velut vulgaria, nihil ſilentio prætermittentis vulgi ore jactata in commune protuliſſe, lectæque ſunt publicè à Madalinſcio ad Caſtellanum Poſnanienſem Reſponſoriæ, quibus nil ſeſe in perſonam ejus injurij commiſiſſe excuſabat, ſi enim hoc crimen eſt, paucos innocentes habebimus, imò hercule neminem. Unde non poſſe familiariter alteri dicta in diminutionem ejus, & periculum trahi. Cœptam proteſtatione cauſam in judicijs Regni capturalibus contra Kaczkowſcium, Zbijewſcium, Cikowſcium non proſecutum eſſe? verùm id non culpâ, aut ignaviâ Principalis ſui ſtetiſſe, ſed præcipuorum Regni Procerum ad clavum Reipub. ſedentium inſtantiâ; & ſedulâ operâ factum eſſe, cum ea actione multi illuſtres viri, & magna nomina involverentur & quod unicũ tunc innocentiæ præſidium eſſet latere, & ita naturaliter quod procedere non poterat, retroceſſit. Studium cum ſpe ſeneſcit, & quid aſſequi non poteſt, ſequi deſinit. Datur inſuper vitio, Caſtellanum Poſnanienſem præterlapſo anno, & ſex Septimanarum ſpatio ad proteſtationem agere præſcripſiſſe, ne ille in leges Patrias nimis injurius fuerit? cum id tantùm tempore pacis, & concordiæ non gverræ intelligatur. Computato verò interregni ſequentiumque Comitiorum interſtitio, ne medio quidem fatalia conſta-

ſtabunt tempore. In criminalibus inſuper actionibus, quæ nobilitaris honoris excidium minarentur, nullam allegari poſſe temporis præſcriptionem. *A. C.* 1672
Literas Anonymas ad Principalem ſuum à Theſaurario Regni Cifris ſcriptas innocuas eſſe, non minùs oſtentatione verborum, quam arte ingenij demonſtrabat, legitque literas, quas Caſtellanus propriâ manu ad Regni Theſaurarium dederat, quæ temeritas eſſet id audere in ſiniſtrum ſenſum explicare, quod nemo ex vero clam interpretatus eſt, cum ex his literis, quisquis illas legit, aut nihil didicit, aut nihil intellexit, & quicunque aliter ſenſit, fortaſſe hoc illi in ſomnis Apollo nunciavit, nam deprompto quis eſſet illius de connubio Principis, alijſque publicis negotijs eâ tempeſtate ſenſus, rogabat tantùm Regni Theſaurarium, ut pro ea, quâ polleret apud magnum Exercituum Ducem amicitiâ, in cauſa ejus interponeret Inſtantiam, ne illius bona Regalia ad ruinam à milite fatigarentur. epiſtolam porrò, quæ crimini datur, ad Principalem ſuum à Theſaurario Regni ignoto charactere ſcriptam, reſponſoriam eſſe ad prædictas literas aſſerebat, atque etiam ut ex omnium animis evelli iniqua ſuſpicio poſſet, clavem ad enucleandas cifras Principali ſuo, adhuc ſub interregno à Theſaurario Regni communicatam obtulit, in quarum commendatione nihil atrox deprehenſum eſt. Poſtremò ne in aliquo Principali ſuo, quod ad ejus defenſionem conduceret, deeſſe videretur, apologiam, verbis æquè inviolatis, ac veris, ne cum aliud nihil deſit, ipſe olim defuiſſe ſibi diceretur, manu ipſius Caſtellani ſcriptam clarâ voce vulgavit, ex qua ſperabat & probandam ejus fidem, & libertatem excuſandam, in qua acerbiſſimè callidũ & perfidum Radolinſcy, mentitum ſe amicum homini, quem perdere deſtinaverat, animum incuſavit, quod in Conventu Sredenſi ſurreptis ex poſta, violato gentium jure, literis à Theſaurario Regni ad ſe datis, intercepto ſenſu eas legerit, ſubdolâ arte disjunctis invicem verbis, quæ ſeparata non erant, ſuſpicionem in populo primum moviſſe, dein poſtquam nullam in nobilitate videret reſolutionem, crebris interrogationibus, & ſeditioſis exprobrationibus accenſo, gravem ſui cauſaſſe convulnerationem, ita ut lethi jam limine fuiſſet in ipſo, templi altariumque ſangvine effuſo reſperſionem, & ſine judicio innocentis condemnationem, proculcato penè, tam execrando facinore, jure humano, divinoque. Apologia verò hæc non contra nobilitatem ſibi parum amicam, ne inimicè inſectari videretur, ſed ad nobilitatem ut humanè, & benignè conſulere putaretur, nondum enim illo tempore veſanos rabies nudaverat enſes, nec conſangvineis fuerat diſcordia nota, utinam verò abſint omnium gladij, qui in nobilem ſangvinẽ nudari poſſint. Tandem tertia die poſt vota Senatoria decretum formatũ, quod videre licet folio 272.

Hic exitus unde amici culpatorum gratulabantur, lugebant inimici, & indignabantur, quæ tamen virtus eſſet innocentia, niſi raritas laudem daret, reſperſi civili cruore Conventûs Majoris Poloniæ, ad tanti motus horrenda initia exterritæ factionis, integro ferè Comitiorum Regni tempore inſumpto Perduellionis cauſarum funeſto molimini ſubditorum negligentia reprehenditur, ubi de Regis clementia non dubitatur.

Cùm verò Stuba Nuntiorum juncta fuiſſet cum Rege, & Senatu, Palatinus Lublinenſis acceptâ voce intulit Pactorum Bydgoſtienſium in literis confirmationis jurium, levem equidem videri mentionem, at ſi penitus res introſpiciatur, graviſſimam eo ipſo patere occaſionem ad Reipub. læſionem, diſcamus ſi quid nobis cordi eſt. Nam cum hic Princeps multa è Repub. Pactorum Bydgoſtienſium medio lucratus ſit, ſublato ferè radicitus & re, & nomine Feudi, nec ullam pro tam prodiga Principis Caſimiri beneficentia exſolvendæ grati animi conteſtificationi obligationis reconventionem

A.C.1672 ventionem fecerit, præter duorum millium juvandi socialibus copijs externas belli occasiones, dein brevi post, velut pœnitentiâ superfluorum promissorum ductus, cujus in animo pridem immotum, fixumque esset, nullis Reipublicæ obligari conditionibus; reseriptum facili ad omnia Principe obtinuit ut mille solùm quingentorum subsidiarias copias ad Reipublicæ bellicos usus præstare teneretur. Intercepto dein sub interregno Drahimo, ad quã præfecturam vi occupandam, atque eo progressu violandam dignitati junctam Reipub. securitatem, modico fretus prætensionis prætextu, non aliud vicinum hunc Principem meditari, quam ut suam per dispendia Reipub. meliorem perpetuò reddat fortunam. Quare aut prædicta penitus verba, eliminanda, aut molliora, quæ nihil præjudicij Reipubl: adferant Majestati, nec de æquissimis ad Electorem Brandeburgicum detrahant prætensionibus, specificatarum conceptui literarum esse inferenda. Post quem sermonem dum plurimi de judicijs & judicatis actorum interregni disputarent, Castellanus Leopolienus post aliquas præmissas materias in articulum pactorum conventorum de juribus Majestatis, ac supremi Dominij in integrum restituendi magnâ contentione invectus est. Eas legum ambages, ut summo Reipub: ita communis libertatis constare periculo. Nec diu cunctatus Regni Procancellarius, præsidium bono ministro tutissimũ est in fide Regi debita, quem magnitudo animi, & conscientiæ innocentia impelleret, acceptâ voce ita orsus est: Auctorem se specificati in pactis conventis articuli profiteri, & factum esse consilio suo, sed in gravioribus impellentibus causis, sed publicâ exigente necessitate fecisse, etenim cum perspiceret, quo res Majestatis Regum Poloniæ, & Reipub: vergerent, cum Dux Curlandiæ absolutum sibi jus in districtum Piltensem usurparet, qui & re, & nomine Episcopatus Samogitiæ juris est, fretus reseripto, quod à Joanne Casimiro Rege obtinuerat, adeoque gravis esset nobilitati, ut etiam appellationes ad Seren: Regem, uti Supremum Dominum interpositas, vi aut dictâ pœnâ inhiberet. Cum Magistratus Gedanensis Privilegium super Bona Caduca subreptitiè à S. R. Majestate cum summa jurium Fisci, ac supremi Maris Sarmatici, portusq; Dominij non modò læsione, sed subversione obtinuisset. Princeps quoq; Brandeburgicus non dissimili arte beneficio reseripti à Rege Casimiro sibi concessi contra expressum articulum Pactorum Bydgostiensium jurejurando firmatorum ex duorum millium auxiliari subsidio quingentos subtraxisset Equites, vulgò Raitaros dictos. Nec illud amplius Rempub: latere debere Livonensium Nobilium, quasdam familias à Casimiro Rege privilegium impetrasse retinendarùm eousq; concessarum sibi Præfecturarum, donec universæ Livoniæ corpus ad jus, & imperium rediret Reipubl. Cui hoc in passu graviter illusum esse manifestum est, cum enim Princeps Casimirus omni juri Livoniæ per Pacta Olivensia in perpetuum renuntiasset, quomodo æquum esse possit contra salubrem legum publicarum dispositionem in certis familiis perennem esse Reipub: bonorum possessionem? Hæc & alia mala, quæ in dies Majestatem & dignitatem Reipub: imminutum irent, Majestatica ac Reipub: jura pessundarent, statum demiq; Regni inverterent, obligatam integritati Reipub: conscientiam sibi persuasisse, ut inserto prout legum volumini, ita; utinam propitium faxit Numen, Principum pectori studio suo, & innocenti industriâ, Regum Poloniæ, ac Reipublicæ indemnitati prospiciatur. Igitur Castellanus Leopolienſis de quo dici potest, quòd quæcunque homines bene aut dicere possunt, aut facere, hæc ab illo dicuntur fiuntque, rursus impetratâ voce abunde sufficien-

Supremum dominium

Piltinensis districtus

Privilegiũ Gedanensiũ super bona caduca.

Auxiliares milites ab Elect: Brandeburgico.

Præfectura in Livonia.

ficientiam Reſponſi Procanceliarij teſtatus eſt. Sed cum ſemper interpretatio legum periculoſa ſit Reipub: ſtatui, & eo periculoſior, quo diuturniori tempore legis ambiguitas in ſubſidium veteratorum Reipublicæ malorum coaluerit, dum inſciam anteactorum, aut plerumque dubiam poſteritatem antequam in conſiliis ſalutem reperiat, penitus opprimi, cum rarò admodum rebus publicis Magni cives contingant, qui non modò rerum eventus, ſed initia eorum, cauſaſq; prudentiâ ſuâ complectantur. Proinde cum omnis inde ſit cauſa querelæ, obnixè petere, cùm hæc corrigi, aut meliora fieri poſſunt, ut præfatus articulus eâ declarationis methodo, prout allata eſſet, illuſtraretur, ne nos, vel poſteritatẽ noſtram ut pœniteat poſtea facti faciamus noſtri. Votum Fredronis Palatinus Smolenſcenſis firmavit, eandem illuſtrationem articuli petens, adjecto, quòd multùm ab Hiſtoricis Auguſtus Cæſar reprehenſus fuiſſet, quia legem Majeſtatis revocaſſet. Poſt hæc Princeps invitato ad ſe Regni Procanceliario ob inſtantem Sereniſſimæ Sponſæ ſuæ Coronationis actum, maturè ſeſſionem ſolvit, manſitq; materia illa indeciſa, & fatis potiùs, ac vi fortunæ, quàm humanæ diſpoſitioni, aut prudentiæ reſervata, neq; fortè & authoris mens alia, quàm ut proferre ingenium, ſtudioque ſuo, ſi tempora moreſq; Principis paterentur, gratiam apud inſurgentem Dominationem pareat. *A.C.* 1672

Die Dominico ſubſequente actus Coronationis peractus eſt, horâ ferè undecimâ Rex arce digreſſus, ſeptâ undique Prætoriano milite viâ, univerſo Senatu, ac ſplendidiſſimo Equitum Collegio præeunte, Regali paludamento, & diademate inſignis, Præſules Cujavienſem, & Poſnanienſem Pontificalibus indutos ſequebatur. Reginam Maximi Legati Summi Pontificis & Cæſaris ſuſtinebant. Ubi ventum ad Baſilicam, Theatrum in medio extructum Eccleſiæ, theatro impoſitæ Curules, quarum alteram Rex Majeſtate impleviſt, Regina ſub Baldekinum concedente, ne loci religionem nondum coronato capite imminuere videretur. Sacra Archiepiſcopus peragebat, ubi Evangelia ſtans mortalium veneratio excepit, Archiducciſſam Auſtriæ ad altare progreſſam Coronatus ſponſus ſecutus eſt, pro gradibus magnæ aræ recubuerat utrinque inſignis tyaris ſacra infulatorum Majeſtas, quam intermedia ſuſtinebat Primatialis magnificentia, eam decenter Rex veneratus, oblatis pro conſvetudine auxit muneribus, rurſusque ad ſuas Sedes à Principibus utrinque diſceſſum eſt, agebatur interim tremendum ſacrificium, & iterum poſt Myſterium Incarnati in terris DEI, Sereniſſima Princeps altare accedens, acceptâ à Primate benedictione, ad templi Sacellum receſſit, ibi exornato capite æmula Phæbo coma inſigni, quẽque crinem decore diſtingvente ad ſacrum reverſa Epiſcoporum Collegiũ, accedente quoque Rege ſtatis mortalibus exuvijs, uterque Divinum Numen in venerabili præſens, venerati ſunt. Tum Regni Primas expedito ceremoniarum ſplendore, Auguſtam Reginæ fontem revinxit diademate, pro gradibus altaris Rex cum Regina devotioni vacabant, ſed ubi ſacrificium finem ſpectabat auctâ Majeſtate Regina cum Rege thronum aſcendit. Ubi exitus ſacris Impoſitus, à privato Regis Theſaurario, ob abſentiam Regni magni opum publicarum Præfecti, miſſilia numiſmata in omnes partes, & in multa ſterilia affectus in Principes pectora ſparſa ſunt, fauſtas populi acclamationes, vivat Regina, quæ ita purpuram induit corpore, ut ſuum erga Poloniam candorem proferat in animo, quibus non modò ingens templum, ſed & circumjectæ tempio ædes magnificum lætumque reſonabant. Rex fauſto omine, & propriâ lætitiâ populique, qui eum diligit, eum tuetur, illi omnia, quæ optaverit præſtare deſiderat, auctus in arcem reductus eſt, modicâ jam lucis libertate, ac ne anguſtum tempus exquiſitæ *Actus Coronationis Reginæ.*

A.C. 1672 sitæ magnificentiæ derogaret convivio, ad quod omnis Senatus, & selecti Equites, universa velut Respub. vocabatur, proxima nox in subsidium lætitiæ adjecta est.

Disputatum tandem diutius in Senatu, alijs alia volentibus, de præstando bellico servitio, quòd multi, ex facultatibus optimè præstandum credebant, multi tamen Senatorum, & Equitum intercedebant, è quorum numero Palatinus Czerniechovienſis magni vir ingenij differuit nimiâ spem videre se quam vellet in hoc consilio, nisi tanè curæ non sit quorsum eventurum hoc fieret, quia hæc nobis penè dixerim, aliud agentibus excidit. Revocemus in memoriam quos nihil latet quod scire oporteat, quòd antiquis temporibus tentaverit Respub. magnâ curâ & labore ex facultatibus bonorum militarem juvandi expeditionem, exigentibus id olim aneipitibus belli Turcici periculis, & quo felicius hæc ratio publicæ Regni totius utilitati succederet, universalem bonorum omnium taxam lege publicâ assignasse, sed postquam eam consilij vim haud sufficienter eventus docuit, cum ejusmodi progressu magis arcana imperij vulgarentur, nudata velut publica Regni fortuna, expositis nimirum externorum etiam oculis, privatis omnium Indigenarum facultatibus, quæ magnifico publicarum opum nomine melius continebantur, à tam arduo opere non invitam, subtraxisse manum. Proinde agraria militia transmissa utpote universis onerosa, & in publicum non profutura. Svetum militem Patrio vocabulo Quartianus dictum, quasi ex quarta bonorum Regalium parte perpetuo alendum, felix poli ager, qui domi nutrit capram, Respub. in armis potiùs ad custodiam Regni, militum exeursiones, excubias, cæteraque belli onera sustinenda retineret, extremum universæ Equestris Ordinis militiæ robur, antiquitus recepto more, supremis periculorum casibus reservaret, spretis, ac rejectis inventionibus, quæ magnificâ virium specie, plus confusionis in Rempub. inferrent, quàm certi auxilij firmitatisque pondus haberent, concluſit proinde aliud sic differere, aliud rem sentiscere. At Vexillifer Sendomirienſis pro aris, focisque, & libertate certamen aggressus, repetitis identidem vocibus, miscendo dolorem verbis, questum affectibus: illud esse, illud intolerabile malum, quod præcipuum libertatis fundamentum communem Equestris Ordinis æqualitatem violaret, & publicis in defendenda Patria detraheret viribus, clamitabat, cùm quisque nobilium tenuissimæ quamvis fortunæ, objectu proprij corporis arcendo Reipub. occurrat excidio, idem illi quoque nec plus Patriæ præstent, qui ampliſſimis instructi facultatibus magno fortunæ vivunt censu, ingentibus opibus in pace ad luxuriam, in bello ad segnitiem utentes, erroris agnitio optima est ad emendationem dispositio, sed hanc frustra forte expectabimus ab illis, qui semper excusant. Cæterum ex facultatibus quisque Nobilium ad præstandam Reipub. teneatur defensionem, duplicari copias, immensum augeri magni Exercitus corpus, Generali bellicæ expeditioni pristinam apud exteras nationes restitui gloriam, apud vicinos metum, & ex terrore venerationis opinionem parari, invictam demum propriarum virium consideratione, sine ullo externæ potentiæ adminiculo fore Rempub. neque id sese ab universis petere, quasi rationibus mens esset, publicum lucrari consensum, sed enixè obsecrare omnes, ne aliena nos delectet calamitas, non sit potentior auri fames, quàm cura famæ, ne leges publicæ saluti repertæ, quæ ex facultatibus bonorum bellicæ expeditioni ordinem præscripsissent, & inprimis statutum Casimirianum, tum Constitutiones 1554ti, 1555ti, 1667mi, perverterentur, & postquam omnia tentasset media, quibus persvadere posset, metum quoque addiderat, rejiciendam ad fratres pro mœnibus in Castris excubantes eam negotij difficultatem, ut illi resolverent, quid utilius

Bieniewski

Quartiani

lius pro Repub. haberetur? & an leges sacrosanctè servandæ essent? tandem ut legi adjiceretur, ex facultatibus bonorum tolerandum in posterum bellicum servitium, nemine palàm refragari audente, sed ut vultus monebant, tacito multorum resentimento, & pudore pervicit. Nihilominus tamen quo convenientius tanta difficultas negotij expedìri posset, atque hoc velut amoto obice, cætera liberius tractarentur negotia, publicus consensus obtinuit, ut Princeps ex Senatu, Mareschalcus Equestris è Collegio Nuntiorum Deputatos assignaret. *A.C.* 1672

Auctio Exercitus

Cùm autem de auctione Exercitus quæstio in publicum veniret, opponebant se ei Episcopus Cracovienſis, & multi alij. Procancellarius verò acceptâ dicendi facultate, fatigata omnium ingenia ad consensum impulit, ad metum, & terrorem dispositâ vi dicendi: Deplorato magnorum imperiorum consilio, & armis apprimè instructarum Rerumpublicarum funesto constare experimento, quàm efficaces, & terribiles sint infractæ Turcarum potentiæ vires, non modò ad unius, alteriusve Regni, sed totius ferè orbis ruinam, & validarum excidium nationum, nostrum robur fàmâ potiùs, & existimatione apud exteros constare, nam introspicientis penitus Regni vires, citius consternatio, & pavor animum irrumpet, quam fiducia excitabit. Falli enim Rempub: Generali bellicæ Equestris Ordinis speciosò expeditionis nomine, cui tantum per publicâ decessit calamitatem, quantum post occasum solis orbis universi splendori derogatur, dici enim potest filius meus plus dimidio minor est. Eximit se imprimis Ducatus Masoviæ, unde non exigua virium pars Reipub: esse posset ab onere belli, ob publicâ nobilitatis paupertatem, quando multis nobilium ex nimia generis propagine arcta domi fortuna, modicæq; res, vix ferro ad colendos agros, ne dicam ad justa adversùs hostem comparanda arma sufficiant. Dives commercijs, & opibus valens provincia Prussiæ, singulari jure, legibusq; sese tuetur adversùs incommoda in longinquum hostem belligerandi, & quamvis aliquando Borussorum querelæ in Curia resonuerint, quòd adversùs Paganos ducti in aciem non fuissent, attamen generosi fervoris potiùs jactantia, quàm virium confidentia fuit. Jam Terrarum Russiæ Satrapia virorum, armorumq; ferax, aut suis sese viribus confecit, aut alienis in spolium cessit, dignæ quondam ingenti æstimatione vires, modò vix considerantium admirationi sufficiunt, quas si fortuna publica voluisset concordes, habuisset ad usum Reipub: dexteritas, domari oriens poterat, nunc Reipubl: sæpiùs periculosæ, quàm utiles, hostibus despicatui extitére. Czerniechovienſis enim Districtus Moschoviæ Duci concessus est, Kijovienſis, & Volynenſis Palatinatus adeo hostili ferro, flammâq; exhausti, ut præter illustria magnorum olim auxiliorum nomina, nihil amplius ad publicum Regni præsidium conferant. In auxiliis Septentrionalis Ducis, ut parum fidei, ita nihil spei, converso etenim ad euras domestici atrociter flagrantis dissidij, externa libenter transmissurum, cùm super difficultatem belli, virium quoque prematur tenuitate, cujus notorium indicium, quòd Kijoviâ universum ferè deduxerit præsidium, quo rebus suis in arcto positis possit succurrere. Quare Reipub: nihil ad præsens utiliùs, quàm ut Pactorum Podhaiecenſium approbationem publicâ declaret lege, & Rebellem id temporis Dorosenkium Ducem, quo magis addictiores Reip: Cosaccorum Gentes in obsequio & fide firmentur, pro hoste Patriæ faciat publicari. Dico id ex zelo publici, dico pro veritate, cùm sit nefas eum, qui veritati studet, in aliqua re esse fallacem, atque ab ipsa quæ sequitur veritate discedere. Cùm ex Inferiori Modlavia continuò certis

Provincia ab onere belli se eximentes

Nuntijs

A.C.1672 Nuntijs adferantur præcultoditiones, ne tam grande metuendi belli discrimen, noſtris viribus, fucata rerum ducti opinione, luſſerri poſſe arbitremur, niſi externas quoque bonorum vicinorum vires in ſubſidium noſtri ad manum habeamus, quid enim aliud Rempublicã ex atroci hoſtilis Sueticæ tempeſtatis inundatione diſcuſſo belli turbine, propitio jam rebus polonis Polo ſerenavit? ſi non externorum obligata mutuæ amicitiæ commercio Principum potentia. Qui per diverſiones belli, imparem ſimul Martijs operibus Sueeum, interq; continua fatiscentem discrimina, & de victorijs, & de vitæ illecebris ſpoliarunt, & hoc eſt unicũ remedium, quod ſeſe offert in jactura fortunarum, rerumq; omnium, miſeriaque ipſa. Magnum profectò in eo bello a Cæſare Occidentis præſtitum eſſe ſolidioris benevolentiæ Reipub: experimentum. At eundem Principem non ita pridem Turcico bello ingruente, cùm ad univerſos Chriſtianitatis Principes auxilia petiturus, Oratores adlegaret, noſtram Rempub: nullâ penitus legatione compellâſſe, quod amicitiæ noſtræ, ſeu diffideret, ſeu nimis arduum eſſe cenſeret, aliquid in Repub: & diſcordi, & ſuſpicionum plenâ obtinere. Hæc, & alia dum animo meo aſſiduè obverſantur, plurimum ad ſalutem Reipub: conducturum puto (inimicum quamvis humilem docti eſt metuere, e.. magis tam potentem) ſi lege publicâ ſanciatur, ut Principi ex ſenatûs conſilio cum Cæſare, cæterisque vicinis Principibus, ex neceſſitate Reipublicæ liberum ſit mutuæ conferentiæ commercium, moleſta fortè hæc res videbitur, neceſſaria tamen.

Non placuit multis ſermo hic Procancellarij, dicebatque Palatinus Lublinenſis inficiari neminem poſſe, ratione & experientiâ edoctum: fœderibus cum externis Principibus, virium combinatione, mutuis utrinq; animorum colligationibus plurimum imperiorum juvari ſecuritatem, & ne facilè vi hoſtili, doloq; lædantur, provideri. Sed ea iniri inſcijs Reipub: Ordinibus, ad quos vetus Regni conſuetudo, receptus mos, fundatæ longâ praxi leges, ipsâ deniq; legibus ad libertatem provecta Reip: natura, cuncta negotia referre juſſit, libertatis exitio propiùs eſt, quàm auxilio. Magnam olim in Romana Republ: ejuſmodi arcanorum fuiſſe curam, proinde talium conſiliorum tædium, publicis commodis, & ſæpe ſalute Reipubl: penſabatur, eædem nec aliæ prudentiæ rationes etiam conversâ Repub: Auguſtum (quo ſecurius regnaret) intaminatè ſervarunt. Tantæ civilis ſapientiæ teſtis Suetonius inquit, quam ob cauſam Senatui reliquit Auguſtus, ſanxitque, ut de bellis triumphiſque ſenatus conſuleretur.

Sarnovius Succamerarius Lenciciensis multa priùs locutus de meritis Wiſniowiecij Ducis, Campi Ductoris Exercituum Regni, ad Domûs Regiæ condeſcendens circumſcriptionem, poſtremò adjecit, nemo pro crimine accipiat, quòd petitur ab omnibus, non modò Duci Wiſniowiecio, quò excuſatio ab invidia foret, verùm etiam univerſæ Reipub: plurimum expedire ſecuritati, ut Campiductor Regni legem patiatur ferri, quâ ab ambitu ſigilli, & ultro eum maximis quibuſque ſequentibus honorum faſtigijs ſit immunis.

Poſtulata exercitûs. Proximâ die lectæ ſunt ante omnia ab exercitu literæ, quas Deputati Reipubl: ad mitigandam militarem contumaciam ablegati attulerant. Intima exercitus deſideria perſcripſerant, læſi nimirum Ducis ſui ob magnitudinem rerum, quas difficillimis temporibus egit, honoris reſtitutionem, præteritorum facinorum beneficio Amneſtiæ condonationem, & deſervitorum inſtantaneam exolutionem ſtipendiorum, quæ niſi

cæte-

cæteraq; eorum postulata, militari potiùs ardore, quàm ex sano consilio vano ostentui valituro, si casus daretur, habent illi particulares voces, per quas se etiam, cùm nolunt, produnt, accommodata præsenti usui conniventia Respubl: prono ad seditiones militi indulgeret, non occultas addiderant notas, quid Reipub: expectandum esset, preces erant, sed quibus contradici sine manifesto non posset periculo. Verum tamen memor Respublica Majestatis Suæ, quo inanem terrorem proscriberet, pauca ex solita in concives clementia indulsit, cæteris ipretis, aut rejectis ad futura Regni Comitia instantijs. *A.C.*1672

31ma Octobris tandem post multas, easque diversas disceptationes, præcipuè cum Litvanis ad quos Sarnovius conversus dixit, quibus dictum est non merentur in periculo liberari, si non succurratis, non meremur auxilium, si negatis. Nam qui sic à præstando auxilio se movet, etiam ab accipiendo se removet, necesse est, quia nullus ope indigere se putat, qui alteri suam denegat. Sed illi postquam duas integras hebdomadas in separata sessione disceptassent, paratasque constitutiones (id enim mos obtinuit) pro M. D. Litv. attulissent, & post longas controversias ad proportionatas Regno, & necessitati declinassent contributiones, unanimi voce omnes Nuntij valedictionem Principi, Marescalco suo constanter insinuaverunt, tunc ille, qui nunquam committit, ut lingva interpres animi, à sensu, & cogitatione discedat, toto vultu, & corpore compositus ad venerationem publico in Principem Equestris Ordinis affectui, verbis comptâ, auribus gratâ facundiâ, in ea prorumpens verba parentavit, ergo dum nullâ concussam proterviâ Rex Serenissime Dne Dne clementissime, & jam jam optatissima publicorum consiliorum floreſcentem prosperitate, posita in auge orbis Sarmatici Mte, manifesta pudoris virtutem fortuna veneratur, neque aliter decebat, nisi ut fortunam virtus præveniret; quando amor pacisque concordia comes, & firmata legibus felicitas, unicam spem decusque suum Majestatem nimirum Serenitatis Vræ prosperè transactis Regni Comitijs, omnes eluctata suspicionis difficultates, sincerè in venerationem ruens, modò primùm voto salutat, ego valedico. Quando antiquitatis gloria, Illustris inclytorum Polonorum virtus, candor, promptitudo, & fervor, glorioſum Mtis præsidium, & Immemor vitiorum, efficacium olim pro salute publica consiliorum fama, ab ea pridem devia orbita ad sacra felicis throni Serenissimæ Mtis Vræ, discordi hucusque fessa labore dum regreditur limina, nos quoque revertimur, cedimus felicitati tuæ, desunt jam aspera, ut tentatæ Dominationi serviamus, Ingens olim gloria, & ob partam, magna Inter avidi eruoris Martis certamina virtute laurum, insignis lætitia Romanorum Heros, si quid collisâ fragmentorum hastâ, aut robustâ dexterâ emissa reliquere tela, quod hiantia non absumpsere vulnera legebat, & egestâ cum lachrymis humo velut perennatura fido servabat monumento, tum fixis auspicatis gentis suæ aquilis, non alios ratus certiores sæculorum custodes memoriæ, Infracta demum cura, & animosâ dexterâ, projecta in unum spolia, in grandes, & decoras firmando pyramides trophæa appellabat, lemmata addebat, ita demum magno labore, ac virtute invictæ fortitudinis relinquens documenta victricem ensem, gloriosè inter triumphales quieturum lauros, ex acie referebat. Revertitur hodie ex Palæstra certantium animorum pro felicitate Imperij Serenissimæ Majestatis Vræ ingenito triumphans zelo ac virtute, efficax proprij pectoris animorumque victor, fidelitate, & amore satis sibi probatus, orbi monstratus Ordo Equestris, imò ingenuitas confitendi posuit necessitatem, eum non sine insigni experimento ex hac descendere arena, dum concordium votorum, addictissimorum Serenissimæ

*A.C.*1672 Mti Vræ subditorum glorioſis illuſtratur manubijs, propriâ ejus clementiâ victus, in hoc fortunate transacto Comitiorum receſſu, magno Sereniſſimæ Mtis Vræ nomini conſecrat. Dignus eras, à quo tandem vinceretur fortuna. Excellere profectò decore hæc ſpolia, vireſcere palmas gloriâ, excellos trophæorum apices memoriæ inſcribi æternitatis, quos prius conſtans Ordinis Equeſtris amor, quàm denieſſorum luctuoſâ ſtrage hoſtilium capitum terrore accinctus, Martius extruxit faſtus, ſalvum Regem in aperto clementia præſtabit. Nunquam adeo fideliſſimorum civium pectora, ulla ſævientis fortunæ molimina terrori aperuerunt, quin valido robore firmatarum legum, auſpicata Sereniſſimæ Mtis Vræ in ſecuro bearent primordia imperij ortum fortunæ, fatisque debet redivivus ex duorum abortivorum cineribus, hic novus, & auſpicatò renatus Phœnix Generalis Ordinum Regni conventus. Enim verò originem ejus ſi quæras? Verus Polonæ Aquilæ pullus eſt, cujus ardorem in campo Electorali vidit orbis, nonne oſtendit conſtantiam? nunc vires, & effectum largiendo imperio, æternam meruit gloriam, quidquid enim glorioſa non ita pridem generoſi pectoris in Electione Sereniſſimæ Mtis Vræ candidi, & zeloſi obiequij expreſſit voce; vivat, idem non minus grato, quàm perenni in eodem ardore ferventium affectuum firmavit & ſtabilivit concentu; pacem continuò, & concordiam relonando. Recipit igitur Sereniſſima Mtas Vra à valedicentibus, ſed non ſubtrahentibus ſeſe ab expetito obſequio exhibitum, qua late patent famæ termini, Majeſtati tuæ ſtabilimentum. Eam autem Sedem ſuperbos orbis Principum thronos prægravantem Mte, quàm in ſtabilibus inclytæ Nobilitatis ultrò oblatam acsepiſti pectoribus, paternâ poſſideas benevolentiâ, ſatis firmam legibus adverſus temporum corruptelam, & injuriam hominum. Nos verò immutato gentilitiæ Mtis Vræ Aquilæ, lentâ ab initio fortunâ, magnum expedienti curſum, hucuſque ſervienti lemmate: lente feſtina, hodie perfectius adjicimus, ſanctiusque procede, & regna, & jam feſtinando cum humili oſculo ad innutritam beneficijs Sereniſſimæ Mtis Vræ dexteram ex manubijs triumphatorum pectorum noſtrorum immortale latarum legum trophæum nomini Mtis Vræ, & ampliſſimæ conſecratum veneratioui, in perenne linquimus fœderatæ civium benevolentiæ documentum, adjecto, quòd candor, & fides jubet exprimere, quos verus amor tenuit, tenebit.

Ad oſculum pòſt Regis dexteræ, cujus Inſatiabilis apud Polonos dulcedo, quia immenſæ diſpenſatrix eſt munificentiæ, acceſſit promptamque ad par officium, ſervato Palatinatuum præcedentium ordine, excivit alacritatem. Manumiſsâ Rex ceremoniâ fortunato Comitiorum exitu, velut deſponſatâ ſibi ſuæque domui fortunâ, nec vultu nec animo diſſimulavit lætitiam, gaudebat enim ſuo, gaudebat noſtro, gaudebat etiam publico nomine, quid mirum ſi ante inter proſpera fluctuaret, & adverſa, qui nondum ſtatuerat ſupra petram pedes ſuos, ſed nunc apparet, quantum in illum dignatio divina contulerit, quæ illis aperuit rectum ad felicitatem iter.

Poſt aliquot dies ſenatus conſilium more ſolito inceptum, in quo omnium animos occupaverat pertinax opinio, poſſe Rempublicam priſtino flori, ac dignitati reſtitui, ſi Regnum avitis regeretur conſilijs, & ſolùm ex ingenio boni publici latis ſanctè legibus Reſpub: adminiſtraretur. Cùm verò in ſenatus conſiliis vis concludendi penes Principem ſit, cui tamen ut pluralitas ſenatus ſententiarum velut menſura eſſet, inſigne libramentum Dominationi, prudens legum moderatio poſuit. Sufficiet ipſius Principis voto finire, qui accepto ab univerſa Senatorum convocatione conſilio, facta ſibi per Mareſchalcos attentione, & conſur-

gente

gente ad venerationem vocis Principis universo senatu, omnes propositionis suæ articulos percurrendo, quid ex ijs diligeret, aut reprobaret distinctâ retulit oratione. Felicem Comitiorum coronidem publicâ equidem lætitiâ fortunâ, tamen adhuc multum superesse molis, in restituendâ domi, & foris conservationis Reip: tranquillitate. Superat hoc planè, quascunq; vires opus, ut liberis liberæ gentis vocibus imponi possit, ne sentiant, quod velint, aut velint, quæ jubeantur, in eo tamen promptam se daturum operam, ut magna nomina in futuris Postcomitialibus conventibus apud nobilitatem Palatinatus Siradiensis tantopere ambitam procurent articuli eliminationem, quamvis nihil plus sibi ultra verba arrogans injuria, verbis commode retelli potuerit, lætionumque, quas securus invidiæ, publicus commisit error, optimum sit, ac honestũ in oblivione depositorium. Commissiones ad continuandam cum Septentrionalibus gentibus perpetui fœderis pacem, simul qui fluctuantes Cosaccorum animos in constantia fidei ac obsequij molli obfirment tractatu, datâ sufficienti utrisq; Commissarijs instructione, sine mora expediturum, dilata ad majorem temporis opportunitatem ad Regem Sueciæ legationis destinatione, quamvis nos, & Rempub: festinatis officijs coluisset, at ingruente bello, quod universæ Christianitatis manus subterfugiunt, cum certissimum, totissimumque sit in domesticis consiliis, viribusque præsidium, quibus concordes, aut male cohærentes Ducum animi, maximum ad fortunam, vel calamitatem addunt momentum, similibus commendatum Reipub: casibus, libenter sese medium amplexurum convenienti tempore, & loco bellicum destinandi consilium. Cæterum se animitus precari, ut idem ac semper sibi constans cæli favor, qui meam fortunam auxit, prosequendo, salutem Reipub. fovendo, publicæ adsit securitati. *A.C.1672*

COPIA ORATIONIS STANISLAI LUBOMIRSCII SABDAPIFERI REGNI CAPITANEI SCEPUSIENSIS MARESCHALCI NUNTIORUM EQUESTRIS ORDINIS. 9. Septemb.

JAm tertiò, faxit DEus, feliciore eventu quàm quem jam geminam vicem mole suâ laborantia lætis dederunt initiis, auspicamur Comitia, & coram Vestra Majestate Terrarum comparemus Nuntij, Equestris Ordo. Comparemus, inquam, non jam animpto, ac si à fortunæ vicissitudinibus dependeremus, vultu; sed eodem inter aduersa & prospera, imò altiore utrisq; genio in Sarmaticæ gentis collimare certi felicitatem, quærereque bonum populo, vera nec deneger grandis Aquilæ, ac Magni Equitis propago, & eam quam non pridem, vocibus, corde, coronâ, eleginus, adamavimus, decoravimus, & non invitis ad stabilitatem succollavimus humeris; nunc pronâ veneratione, manifestoq; vivi solatij ac spei invictæ corde submisse salutamus & adoramus Majestatem. Non falletur ille; quisquis senserit, hoc à Majestate Vestra congregatum jurium & libertatũ Patriæ sacrarium lætitiæ impar esse, suaq; ingentia & omni comparatione majora non capere solatia; dum illud intuetur opus, quo cælitus præviso, liberis gentibus expetito, faventibus demùm votis exhibito fruitur, fruaturq; in serum exoptat. Quid pulchrius? quàm regnare optantibus cunctis, in tantum: in hoc Reipublicæ compendium, ceu cælum sideribus visendum, quod sol propitio dignatur vultu, gloriari illo meritò possit lemmate: Non nubila vincent.

A.C. 1672 Spectat hodie Magnificam & lætam beneficæ Majestatis faciem, & de suis propriis tibi aggratulantia civium corda gaudijs, à candido illo & festivo die, quo primùm exultantibus vocibus Majestatem Vestram in Poloniæ extulerunt solium, frustratam irritisq; bina vice studiis retroactã, jam nunc liberè reducem recipiunt lætitiam, redditaq; solatia de felici Principis sui aspectu illis olim Magno Cæsari adscitis condiunt dulcorantq; verbis: Talem nobis Principem esse oportuit; qualem non bella civilia, nec armis oppressa Respub: sed pax & adoptatio & exorata Terris Numina dedissent. Salutat Majestatem Vestram collectus in compendium (seu potiùs dixero) in pupillam providentiæ jurium & libertatum suarum totus Equestris Ordo, præsentat Majestati V. illibatam, & Principibus suis sacratam fidem, exhibet infractam utraque fortuna Majestati V. fidelitatem, profert examinatam bilance libertatis & obsequij gloriam, & quò Majestatem liberè Electi Principis tueatur, bonumq; publicum stabiliat, indivisos in unum colligit conatus. Quid jam reliquum est, quod testetur? hoc utiq; inexpugnabile munimentum est, quo libera Nobilium pectora tuentur Majestates, Amor Civium: hæc selectissima Regum virtus, cujus palæstram ipsa Equestris Ordinis promptitudo suis clarissimis gloriâ & munificentiâ Principibus aperuit. Principis est virtus maxima nôsse suos: quando autem justiùs nôsse? quàm dum ad hunc Comitiorũ campũ congregantur, quando & quos inquã si non hos? Quantò justiùs his jubes hominibus, liberis, ingenuis, honestis, quos gradu antecedas, quorum tibi non tradita servitus, sed tutela? Cælitùs illa Majestati V. liberè & à libera gente Electo Principi concredita est: non per extera regna quæsita, sed ex medio fratrum assumpta regnat de throno progenies. Quid magis suum inveniri potuit? sui tuum elegerunt! suus suis dominatur! Quam etiamnum jucundum meminisse est, quis sensus omnium fuerit? quâ omnium inclinatione, quo favore, quo affectu thronum Majestati V. adjudicaverint? difficilis illa distinctio fuit, corda an ora Principem nominarent? Cælum an Comitia eligerent adeò ut cum admiratione Orbis & gentium dici potuerit: An fas erat, nihil inter Imperatorem differre, quem homines & quem Dij fecissent? Hic & illa zelosi cujusdam Electoris verbis expressa facta jure meminerim: Quare ego illum ipsum furorem motumq; Castrensem reor extitisse; quia magnâ vi, magnoq; terrore modestia tua vincenda erat. Speciosum enimvero spectaculum in utrisq;! pulchrum cernere hos zelante affectu, illum certare demissione: hos eligere, istum recusare electionem. Hic quid speciosius & pulchrius occurrit. Congenita erga suos confidentia, vicissim suorum non adscititia aut coacta, sed spontanea & cordis partus submissio; innata subjectorum sympathia, securus ad Principem accessus, non aliunde petita aut accersita ab Exteris de dotibus Rege dignis informatio, Patrij idiomatis peritia, Paterni cordis Princeps, quodq; amplissimum est, velutiq; Divinum, omnes tres Ordines Reip: unius gentis sangvis una compages coadunavit.

Meritò ea repræsentat solatia Majestati Vræ universus Ordo Equestris, renovat pro felici Majestatis Vræ regno ea vota; quæ non pridem in libero Sarmaticæ Aquilæ campo de affectu cordium in publicum resonuêre, subjicit Regiæ providentiæ fidem & tutelam jurium ac libertatum suarum, submittit se & declarat omnes in his comitijs conatus eò derivaturum; ut glorioso more indivisa à libertate bonoque publico Majestas vel objectu laterum subditorum experiatur defensionem; non terretur nec alte-

ratur

ratur, quamvis geminorum Comitiorum irriti conatus ſuſpenſam ſine con- *A.C.* 1672
ſilio reliquerint Rempub. & quamvis plurimum ſiniſtris hiſce indoleat fatis; procedit tamen audentior contra procellas, probè eallens, quàm arduum, quàm ſubjectum fortunæ regendi euncta onus. Quin imò fortunatum inde deſumit omen, futurum; ut hæc in contrarium nitens primitusque moderationem recuſans fortunæ baſis, tantò firmius ſecuriuſque gloriæ longævo, quod precamur Mtis Vræ regno eriget fundamentum. Semper ſpinoſa virtutis via eſt: ingentis famæ decus ſtabilisq; in ævum gloria nonniſi de pertinace flecti vincique conſurgit carduo: quantò magis hæc inclyta & glorioſa Nobilitaris virtutis moles, quam conjuratæ Patriæ vires & poſt tot calamitates ruinasque ſecundæ Majeſtatis Vræ Electio in auguriũ perennaturæ fortunæ erexerunt, primos conatus eluſerit, nutumque vicerit? habet illa quandam eum grandibus celebratisque Coloſſis ſimilitudinem, qui compluries in anteceſſum humanas fatigant ad laſſitudinem manũ & vires: quàm tandem ad votum ſolidâ ſubſiſtant baſi. Ita prorſus & Majeſtatis V. fortunati Regni primordia felicibus prævisa auſpicijs, amore univerſorum, fortunâ & omine conſequentium admodum ponderoſa ſunt: quid igitur mirum, quòd non unis ex nunc conatibus reſpondeat exoptata ſtatio. Non ignorat Equeſtris Ordo, qualiter V. Majeſtas conatu, activitate, dexteritate, id unum egerit; ut unionem animorum perſvaderet; quomodo uti bene gnarus moris & jurium Patriæ natus utpote & educatus in regno Princeps omnes eò curas converterit; ut diviſa civium corda & ſtudia in unum coaleſcerent. Probè & illud novit nunquam grandia magnorum Regum omina præcoci ſorte elareſcere; ſed poſthumè niſi, perenni ſupraque ruinas ſecundâ frui in ævum famâ:

Magno æterna parantur
Regna DEIS cœlumq́, ſuo ſervire Tonanti
Nonniſi ævorum potuit poſt bella Gigantum

Veniet illud tempus quo V. Majeſtas ut ſpei magnæ, ſic nominis Princeps; ut cœlo prævisus, ſic cœlo datus? nauclerus excitatâ in priſtinum decus ab adverſæ fortunæ ludo Patriâ infelicitatis portum cum Reipub. invehatur carina, quando felicitate, prudentiâ, moderatione ceu conſecratæ immortali nomini columnæ architectus ſecuturi s ſeculis ad memoriam *ſuum relinquet, non plus ultra*, quando jam felix fortunatumque Regali rubore & conſtantiâ Regnum auro jam coronatum, lauro victoriarum, olivâ pacis coronabit. Ipſi cœli utramque, ipſa pupillorum vota accelerabunt ſecundas palmis olivas, noſtrum interim pectore, corde, animis debitâque tueri fide eſt, Mtem electumque tam ornando throno quàm defendendæ Poloniæ Principem tegere, nobiſque medijs hoſtium invidiæ veluti eripere Serenitatem. Sacra verò Regia Majeſtas in primordijs Regni ſui ingens immortali nomini, & conſtanti fortunæ ſuæ jaciet fundamentum, dum magnanimo ſupra fortunam, paterno amoris in Patriam corde ſupra arma potentior hæc aſpera rerum bonus piusq; in plana deducet Princeps, dum ſanis conſilijs & animorum concordiæ authoritatem ſuam per exempla & ſtudia ſua accõmodabit, ſciſſos in diverſa cives clementiâ componet, bonitate devinciet, lætoque vultu ceu magnete attrahet, digna gratijs & laude pectora ad incrementa præclaræ virtutis munificentiâ accendet, nimiũ nobilitatis zelum & forſan, quandoque errorem ſapientiſſimus teget, in melius interpretabitur, imò ceu candor fuiſſet veniam dabit. Non enim poteſt ſine experimento patientiæ ad laudem clementiæ pervenire. Ita nõ ſine gloria libertatis columen juriumque Soſpitator audiet: ita generoſus reviviſcet ardor, exardeſcet amor, unitas ſumet incrementa, iterum priſtinus animus Equeſtris Ordinis ſubibit vigor, affectus, generoſitas, ita Ma-

A.C. 1672 jeſtas Veſtra Patriæ pacem, fortunam, & decus ſuſcitabit, corriget, reſtituet, quodq; ſupremum eſt ad gloriam de patria patrioque ſangvine ſumpto Princeps obligatam Patriæ fidem, civibus gratitudinem, ſeculis memoriam, immortalem magno ſuo nomini relinquet famam. Et hæc ſunt auguria, hæc omina, quæ in primordijs (faxit DEus) feliciter inchoatorum Comitiorum devotiſſimâ ſubmiſſione ſuâ tota Nuntiorum camera S. R. Mti conſecrat & ominatur. Ego iſthoc claudo: Tuum erit Auguſte conſulere Reipublicæ, noſtrum obſequijs provideri Majeſtati. Dixi.

QUID SENTIAT IMPERATOR ROMANUS DE MOTIBUS INTERNIS POLONIÆ.

SAcra Cæſarea Majeſtas ad animum ſibi revocans amicam vicinitatem, quæ inter Provincias ſuas, ſacrumq; Romanum Imperium ab una, & Regnum Poloniæ ab altera parte ſemper interceſſit, ac præterea memoratum Regnum conſiderans, ceu Olympeum Orbis Chriſtiani contra Hæreticos & infideles alios Chriſtiani nominis hoſtes, nihil habet, quod ipſi cordi magis ſit, quàm prædicti Regni conſervatio, quæ cùm obtineri nullo modo poſſit, quamdiu in ipſo diſcordia viget, omneq; Regnum in ſe ipſo diviſum tandem corruit; S. Cæſarea Majeſtas animitus exoptat, ut animorum conſenſus & ſincera concordia in memorato Regno reſtauretur, ejuſq; Proceres & Magnates offenſas privatas, quas in perſonam modò regnantis Poloniæ Regis conceperunt, utilitati publicæ remittentes cum ipſo ſincere in concordiam redeant, & ad cogitationes de communis Patriæ defenſione conſtituendas ſeriò accingantur.

Sicut autem ex ſolo conſenſu omnis ipſorum ſalus, & è contra diſſenſione certiſſimum eorundem exitium dependet, ſic acerbiſſimo cum dolore S. Cæſarea Majeſtas comperit, quòd tam difficili tempore, quo bellum ab hoſte adeo terribili, qualis eſt Turca, proximè inſtat, prædicti domini Magnates, majori, quàm unquam ante hac ſtudio ſe applicent negotio, jam inde ab initio Regiminis & Electionis prædicti Sereniſſimi Regis formato, ipſius nempe è ſolio ejectioni, qua vix fieri poterit, quin bellum civile nunquam non periculoſum in ſæpe memorato Regno accendatur.

Et ſanè conſervationem pacis & concordiæ in Polnnia, quibus ipſummet Regnum ſalvum & integrum permaneat tanto cum deſiderio exoptat Sacra Cæſarea Majeſtas, ut quorumlibet mediorum præcavendorum, omneſque turbarum prætextus tollendi cauſa non abnuat S. Cæſarea Majeſtas ſuperſedere Juribus, quibus innixa Induci poſſet ad poſtulandam per media canonica disjunctionem Matrimonij inter prædictum ſereniſſimum Regem Poloniæ, & Reginam Sacræ Cæſareæ Majeſtatis ſororem præſumpti contracti, quemadmodum & eadem Sereniſſima Regina publicum bonum proprio & pecularili commodo ſuo, ijſdem ex cauſis præferre parata eſt. Attamen ſi ſæpè memorati DD. Magnates in ſupradicto propoſito perſeverent, & neq; rationibus in contrarium adductis à S. Cæſarea Majeſtate, nec eo, quòd tam ipſe, quàm Sereniſſima illius Regina ad promovendam tranquillitatem tolerare non recuſant, nec periculis belli civilis, ſi hoc executioni mandetur inevitabilis ab eo incepto ſe dimoveri patiantur. Hoc in caſu S. Cæſarea Majeſtas permota eodem deſiderio conſervandæ Poloniæ, impediendiq; ne per diſcordias internas Turcis alijsq; ejuſdem Regni vicinis Infidelibus, Schiſmaticis & Hæreticis ejus occupandi, aut divellendi ratio præbeatur, quantum in ſe eſt, facere non recuſat, ut aliquomodo incommodis iſtis occurratur, & defenſio, bellumvè civile, nec tempore diuturnum, nec eventu noxium eſſe poſſit.

Itaq;

Itaque cum diſcordiæ & bella civilia ob mutationem iſtam à Dominis Proceribus quæſitam veriſimiliter ſubſecutura non aliâ ratione minus diuturniora evadere poſſint, quàm ſi S. Cæſarea Majeſtas rebus ſe immiſceat, & dicto Sereniſſimo Regi auxiliũ ferat, & Imperiali potentia ſua illud conticiat. Nihilominus ut eo facilius totum incendium extingvatur, S. Cæſarea Majeſtas in animum inducere, ac ſibi proponere non poteſt, ne ullum dicto Sereniſſimo Regi contra memoratos DD. Proceres ſubſidium ferat, cum ſciat abſq; ſuis auxilijs dictum Seren. Regem proprijs viribus deſtitutum, facili ac brevi tempore eò deducendum, ut factæ mutationi acquieſcens, condignâ penſione, alijſq; commodis æquis contentus ſit, quibus eo caſu Principi huic provideri, S. Cæſarea Majeſtas exoptat, & aliter ab eo adjuvando abſtinere poteſt. *A. C. 1672*

Quemadmodum autem ſacra Cæſarea Majeſtas, ut publicum Poloniæ bonum promoveat, bellúmque civile ab ea avertat, vel ſaltem ejuſmodi belli diuturnitatem Regno Poloniæ, ut dictum eſt, procul dubio hoc ſtatu rerum exitioſam impediat, abſtinere non debuit à præſidio memorato Sereniſſimo Regi contra prædictos DD. Proceres ferendo; ſic ex adverſo Sacra Cæſarea Majeſtas ſperat ipſos & debito gratitudinis, & eâ quâ par eſt, optimæ voluntatis habitâ ratione, nihil, quod ipſorum in poteſtate eſt omiſſuros, ut efficeant, quo S. Cæſarea Majeſtas ab hoc ſubſidio Regi dando, ita abſtinere poſſit, ne honori, exiſtimationi & utilitati ipſius, ulluni inde præjudicium, & diſcrimen oriatur: aliàs enim neminem ſanâ ratione præditũ à Sacra Cæſarea Majeſtate exacturum, ut rem honori, commodiſvè adverſam fieri patiatur.

Jam verò clarum eſt, ac notorium, quod meditata à Dominis Proceribus mutatio, abſque Sacræ Cæſareæ Majeſtatis detrimento, tam reſpectu honoris & exiſtimationis, quàm commodi provinciarum hæreditariarum, ſimul & imperij non niſi in duobus caſibus evenire poſſit.

Quorum primus eſt, ne hac revolutione Sereniſſimæ Sacræ Cæſareæ Mtis ſorori ulla injuria, aut immutatio afferatur.

Alter ne revolutio iſta in favorem Principis alicujus, qui S. Cæſareæ Majeſtati & Auguſtiſſimæ ejus domui ſuſpectus ſit: quin è contrario ut fiat in gratiam ejusmodi Principis, à quo Sacra Cæſarea Mtas optimæ vicinitatis & ſinceræ amicitiæ inter Auguſtiſſimam domum Auſtriacam & Poloniam conſervandæ ſpem veriſimilem concipere poſſit.

Priorem caſum, quod attinet, qui Sereniſſimam Reginam Sacræ Cæſareæ Majeſtatis ſororem ſpectat, tantâ ratione nititur, ut Sacra Cæſarea Majeſtas non credat quenquam ex prædictis DD. Magnatibus adeò ſanæ mentis expertem eſſe, qui à Sacra Cæſarea Majeſtate velit exigere, ut ſororem Germanam deſerat, quæ inſuper eâ prudentiâ, modeſtiâ, affabilitate, alijſque virtutibus in Polonia vixit, ut non modò ſimilem, quem prædictus Sereniſſimus Rex injuſtè, an ſecus incurrit, contemptum & odium experta non ſit; ſed potius amorem & reverentiam omnium ipſorum, & DD procerum quoque dicto Sereniſſimo adverſantium, ſit promerita.

Quin etiam tunc temporis, cùm aliquando ante Baronis Majerbergij Sacræ Ceſareæ Majeſtatis in aula, Polonica Reſidentis diſceſſum, negotium hoc inter Celſitudinem ſuam Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum D. Archiepiſcopum Gneſnenſem Primatem Principem, & ipſum agitaretur, Celſitudo ſua nihil eunctata eſt, tam ſuo nomine quàm Generoſi Dni Mareſchalci Supremi Exercituum Ducis, ſimul totius partis ipſorum promittere, in caſu propoſitæ mutationis Reginam conſecuturam thronum, & throno ſucceſſorem prævia diſſolutione Canonicâ, & Apoſtolicâ Matrimonij; quam diſſolutionem Sacra Cæſarea Majeſtas per rationem impotentiæ Regis Sereniſſi-

A.C. 1672 reniſſimi brevi & congruo temporis ſpatio, vel in aula Romana, vel alibi, ubi opus foret, ad dijudicationem factam proſequi teneretur, nec ullum ex parte ſua impedimentum afferre, quominus præfata mutatio ad effectum deducatur.

Atque ita, quod attinet articulum, qui Sereniſſimam Reginam concernit, Sacra Cæſarea Majeſtas Serenitatis Suæ frater eo contentus eſt, hoc ſaltem poſtulato, ut ad tollendas omnes, etiam neceſſarias huc ſpectantes, difficultates, ijdem DD. Archiepiſcopus, Magnus Mareſchalcus, alijq; partium illarum præcipui, de prædicta Regina, caſu ac ratione ſuperius memoratis, throni, ac throno Succeſſoris conſequendi, debitam aſſecurationem dantes, ſecurâ inſuper eam faciant, conſenſum ſe ab eo obtenturos, ut eâdem dote, ijſdem conditionibus in contractu præſumpti matrimonij dictæ Sereniſſimæ Reginæ comprehenſis contentus ſit, ſummas memoratæ dotis, Sereniſſimo Regi aſſignandæ vel ex Ducatu Zamoſcenſi, alijſq; bonis ejuſdem præſentibus & futuris ſit recuperaturâ, utq; reformationem per Comitia 1670 conſtitutam, eandem conſervari, & effectui dari curent, Cæſareâ Majeſtate non impediente, quin ex Staroſtiarum in iſta reformatione comprehenſarum numero eruantur illæ, quæ nunc ad aliquos ex iſtis DD. Proceribus ſpectantes inibi comprehenſæ ſunt, ſimul & illæ, quas dictâ reformatione, ceu in confinio Regni ſitas comprehendi non potuiſſe Palatinatus quidam aſſeruerunt dummodò aliæ Staroſtiæ æquivalentes pro eraſis eidem reformationi ſtatim rurſus inſerantur.

Secundum & poſteriorem articulum, quod ſpectat ſuper quo memorati DD. Proceres mentem ſuam necdum explicuerunt, nimirum ut is, qui in ſucceſſorem Sereniſſimi Regis aſſumetur, Sacræ Cæſareæ Majeſtati, ejuſq; Auguſtiſſimæ Domui ſuſpectus non ſit, ſed potius acceptus, aptuſque ad bonam vicinitatem, & amicitiam inter illum, & Poloniæ Regnum, conſervandam. Ipſi DD. Proceres pro magna providentia ſua, quâ pollent, facilè judicabunt S. Cæſ. Mtem, in omnis prudentiæ, politieiq; præcepta, inque illud, quo Provinciarum hæreditariarum, & imperij quieti obſtricta eſt, debitum, quin & in propria Auguſtiſſimæ Domûs ſuæ commoda peccaturam, ſi toleraret, ut loco moderni Sereniſſimi Regis Poloniæ, à quo nihil timendum habet, ſed potiùs omnia bona vicinitatis, & amici commercij commoda ſibi promittere poteſt, alius aliquis Princeps ipſi ſubſtituatur, qui præbeat occaſionem ſuſpicionum, & cauſam metuendi potius affectum vicinitati adverſæ, odium ac turbas, quàm benevolam vicinitatem, & amicum commercium.

Subſtructo hoc fundamento, & præſuppoſito eo, quod firmiſſimè credit Sacra Cæſarea Majeſtas dictos Dominos Proceres tam validis rationibus eeſſuros, idque faciendo conſtantiſſimè, ſecuros eos reddit, Sacram Cæſaream Majeſtatem memorato Sereniſſimo Regi Michàëli contra ipſos ſe nullius generis auxilium, nec directo, nec indirecto modo laturam, quod prædictam mutationem aut remoraretur, aut impediret, Sacra Cæſarea Majeſtas declarat duos tantùm Principes ſibi ſuſpectos eſſe, Hæreticum nempe, & eum, qui eſſet natione Gallicâ. Hæreticos quod attinet, Sacra Cæſarea Mtas tolerare non poteſt, ob eum, quo maximè ducitur, zelum, ad conſervationem & augmentum ſacroſanctæ fidei Catholicæ Apoſtolicæ Romanæ, quæ ſub tali Principe diſcrimini foret obnoxia, ſimul ob antiquam quæ eſt inter Auguſtiſſimâ Domum Auſtriacâ & Hæreticos antipatiam, à quibus memoratæ Auguſtiſſimæ domûs declinatio, & ruina omnibus modis poſſibilibus quæritur, & exoptatur: quemadmodum & ipſa illorum aut exitium, aut converſionẽ, plus quàm propria cõmoda expetit, & promovet.

Jam

Jam verò Principum Hæreticorum nomine S. C. Mtas comprehendi arbitratur, non solùm eos, qui in præsens hæresi actuali addicti sunt, eamq; profitentur, sed quemlibet Principem, qui respectu exaltationis suam Religionem abjuraturus esset. Quoniam ejusmodi Princeps id agendo, testatum faceret, aut nullam se habere Religionem, aut veros, quos de ea habet sensus, ob fortunæ augmentum dissimulare, ejusmodi sub Principe Religio Catholica Apostolica Romana nimis evidenti periculo foret exposita. *A. C.* 1672

Quantum Principes nationis Gallicæ attinet, Sacra Cæsarea Majestas nec salvâ existimatione, nec statûs ratione tolerare potest, ut quisquam hujus nationis Princeps Poloniæ throno imponatur, quin è contrario & honor, & statûs ratio Sacrâ Cæsareâ Majestatẽ obligant, ut totis viribus id impediat.

Nemini enim per totam Europã non est cognitũ, quòd Regnante Serenissimo Rege Poloniæ Casimiro, & post illius abdicationem Gallia nihil intentatum reliquerit ut tam largitionibus pecuniarum, quàm viribus armatis, & rationibus alijs Principem Gallicum post Regem Joannem Casimirum ad Coronam Polonicam proveheret, quâ in re defunctam Reginã faventem experiebatur, & è contra Sacra Cæsarea Mtas & Augustissima Domus Austriaca semper illud impediens, tum magnas nũmorum impensas fecit, tum pluribus subsidijs alijs, eos qui libertatem Electionis contra machinationes Gallicas tuebantur, adjuvit. Quæ factio Gallica ob oblata ab Augustissima domo Austriaca impedimenta, nihil, nisi confusionem, ex hoc incepto suo cum ingenti laude Augustissimæ domus Austriacæ, & singulari honore Sacræ Cæsareæ Mtis retulit. Si verò Sacra Cæsarea Majestas in depositionem Serenissimi Regis ita nunc consentiret, ut Princeps Gallicus in ejus locum substituatur, totam rerum hactenus à se gestarum rationem ipsa redargueret, & Gallicam omni ignominiâ liberaret, eamq, in semetipsam transferret, ut nihil dicatur de jactura, & detrimento, quod inde pro ipsa exoriri posset.

Præterea impossibile est, ut Princeps Gallicus in Polonia regnet, quin totus à Rege Christianissimo dependeat, tum ratione sangvinis, cognationisque, & hæreditatum, vel feudorum, quæ habiturus esset in Gallia, quâ vel maximè ob subsidia, si res poscat inde accipienda, inprimis contra ipsãmet Nobilitatem Polonicam, si fortè motus aliquis civili jure, vel injuriâ suscitatus eveniat. Jam verò is, qui in Polonia regnaturus esset, hoc modo à Gallico fœdere & vinculis, tam arctè eorundem commodorum illi adstrictus esse non potest, quin det amplissimam suspicionem, & metûs materiam Sacræ Cæsareæ Majestati, & ejus Augustissimæ Domui. Id præbent in eũ Regẽ, qui tam arctè adhæreret potentiæ semper æmulæ, & nunquã non vel secreto, vel apertè in prædictã domũ Austriacã, quæ Europã affectandi obstaculo & impedimento est, inquieta, igneaq; Gallorum natio, & perpetui eorum in omnibus locis & contra omnes status, præcipuè contra S. Cæsaream Majestatem & Catholicam machinationes omnibus sunt cognitæ. Ita fieri non potest, si Princeps Gallicus in Polonia regnaret, quin quoties id Regi Christianissimo (cui fastigium suum debiturus esset) collibitum foret, turbas ille cum vicino ex commodo, & usu statûs Gallici misceret, nec in ijs per eam, quâ Regimen Poloniæ constat gubernandi rationem, nimis impediretur. Quoniam Rex Poloniæ omnium munerum & officiorum arbiter, plurium, quàm ullus in Polonia Princeps beneficiorum distributionem habens, parvo negotio eos, qui rebus gerendis admiscentur, in suos usus perducit, maximè si Gallia, de cujus commodo ageretur, ad corrumpendos eos pecuniam profunderet.

Ideo

A.C.1672 Ideo Sacra Cæsarea Mtas Principem Gallicum in throno Polonico non aliter considerat, quàm instrumentum, quo Rex Christianissimus ad infestandam S. Cæsaream Majestatem & ejus Augustissimam Domum uteretur, datâ temporis & occasionis facilitate.

Præter hæc ingenio inquieto, & eunctis Europæ negotijs, seu vera, seu affectatâ statûs sui ratione se admiscens Gallia, si quid eveniret, in eo commoda illius Suecorum, seu Brandeburgici, aut alterius cujuslibet Poloniæ vicini commoda, contrarius esset, vel si vicinorum illorum aliquis ipsius libidini servire abnueret, non segniter illi statim negotium faceſſeret; Svecis sub prætextu prætentionis in Livoniam, Brandeburgico sub prætextu prætentionis in Prussiam Ducalem, cæterorumq; vicinorum cuilibet.

Sperat item S. Cæsarea Mtas prædictos Dominos Proceres serio hæc omnia consideraturos, ac præmaturè trutinaturos, Galliæ vafris semper consilijs, tum opum ad factiones & oppressionem profusione, quibus in Polonia Princeps Gallicus in comprimenda libertate, Regnoq; per liberam Regis Electionem libero, in hæreditarium transformando, uti posset, observata quoq; & illa perpetua consiliorum Gallicorum astutia, quæ sub defunctæ Reginæ regimine, tot tantisq; malis Poloniam innodârunt, quæq; sub Gallico Rege longe potentiùs essent exarsura. Consideratis deniq; contentionibus, & turbis, quibus hujusmodi Princeps ipsos cum omnibus vicinis suis esset immixturus, quoties aut ambitio, aut usus Galliæ, & innata ad rixas libido postulaverit, utpote quæ nunquam toto triennio in quiete sese continere possit.

Ipsos DD. Proceres facilè judicaturos exclusionem Principis Gallici à S. C. Mte non alio fine expeti, quàm ut vicinitas, & antiqua amicitia, tum commercium, quod inter ipsam, Regionesque hæreditarias ac imperium ex una, Rempublicamq; Polonam ex altera parte intercessit, tum & ipsi Regno Poloniæ pax foris, & domi altissima quies & concordia servetur.

Præterea, plus quàm evidens est ad commune Polonæ Reipub: bonum pertinere, si unquam, præcipuè præsenti à Turcis & Cosaccis imminentis belli tempore ut mutatio quàm cautissimè fiat, & quàm minima fieri potest, aut saltem brevissimâ cum contentione transeat. Jam verò si in solium Polonorum Princeps Gallicus assumatur, indubitatum est obstinatissimas exinde rixas, & diuturnum bellum, & planè inexplicabile emersurum, idq; ob eas, quæ interveniunt contradictiones à nobilitate Polona, cui in universum, & præcipuè vulgari nobilitati, & maximè numerosæ nomen exosum est Gallicum. Proinde S. Cæsarea Majestas ab has & superius allatas rationes nullo modo supersedere poterit, quin totis viribus sese opponat, ne Princeps Gallicus & S. C. Mti, Augustissimæq; illius Domui, & Poloniæ, libertatibusq; illius adeò perniciosus in Regem Poloniæ evehatur.

Desiderium illud, quo mota S. C. Mtas in salutem & publicum Poloniæ bonum, exoptat, ut ex mutatione ista, quam nullatenus expetit, oritura fortè contentio, quàm citissimè extingvatur. Unicum, & sibi gratissimum hoc in casu S. Cæs. Mtas advertit remedium, ut prædicti Domini Proceres Serenissimi Principis Caroli Lotharingensis rationem habere velint. Sicut enim ipsius nomen grati apud nobilitatem Polonam odoris est, utpote quæ postremo electionis tempore in eum in Poloniæ Regem eligendum inclinabat, nisi factio Gallica potentissima ad excitandas inter cives discordias inclinationem istam impediviſſet. Proinde hæc mutatio commodissimè Reipub: cederet, ut arbitratur S. Cæsarea

rea Majeſtas, ſi nobilitas, in cujus arbitrio hæc res ſita eſt, adeo inclinata Sereniſſimo Principi Galliæ, adhuc à DD. Proceribus ad hoc duceretur, ut propter commune Reipublicæ commodum, non alius, præter nominatum Seren: Principem Lotharingenſem in Regem eligeretur. *A. C. 1672*

Secundo cùm memoratus Sereniſſimus Princeps Lotharingenſis, nec à ſe ipſo, nec aliunde vires habeat, libertatibus Poloniæ metuendas, nec Vicinus ejus ullus foret, qui ſtabili mente ipſius impedimentum offerre conaretur, exceptâ forſitan Gallîâ, ob nimiam diſtantiam, tum ob bella, quibus implicatur, non eſſet extimeſcenda.

Tertiò cùm omnibus notum ſit S. Cæſaream Majeſtatem Principem hunc protectione ſuâ dignari, facileq; quis arbitraretur, abſq; conſenſu & placito S. Cæſareæ Majeſtatis illum Polonico ſceptro ſe non ingeſturum, exinde nemo dubitare poteſt illam directè & indirectè nullum Sereniſſimo Regi Michaëli ſubſidium laturam. Et quia prædictus Rex nullis legibus inſtructus, auxiliumque, quod ipſi Sacra Cæſarea Mtas, & Auguſtiſſima domus ejus ferre poſſet, hac ratione vix ſperandum, propoſito mutato, atque abſque contradictione, aut ſaltem poſt brevem & invalidam conſultationē perficeretur.

Quartò præfatus Lotharinglæ Princeps ad regendam, tuendamque Poloniam foret aptiſſimus, cùm ſit ætatis maturæ, & vegetæ, animi firmi, moribus humaniſſimis, oriundus ex ſtirpe fæcunda Principis, tam animi magnitudine, quàm Catholicæ Religionis zelo conſtantiſſimi, ipſe quoque tam fortitudinis, quàm prudentiæ ſuæ clariſſima experimenta dedit in bellis Hungaricis, inque muneribus, quæ in exercitu Sacræ Cæſareæ Mtis ſummâ cum laude illic ſuſtinuit, ac præterea nullam, nec propinquè cum ullo Poloniæ vicino contentionis cauſam habebit, ab omnibus alijs amicam & benevolam vicinitatem exiget.

Quintò Ducatus Lotharingici, & Barrus Coronæ Lotharingicæ, aliarum plurium Provinciarum hæres eſt, is Princeps quàm magnos reditus annuos ex ijs, quos Longavillana Domus habet, majores inferet, præterquam quam iſtæ provinciæ abſoluto ſuperioratûs jure, ad Dominos pertinent, militibus fortibus abundant, qui inter copias Polonicas non forent inutiles, eóque omnia in bonum Reipub. redundarent. Quamvis in præſens Rex Chriſtianiſſimus provincias iſtas poſſideat, id tamen titulo tam notoriè vitioſo, violento, ac injuſto factum eſt, ut ipſemet earum reſtitutionem quotidie offerat, ſed conditionibus iniquis intricatam, quarum petitione proeul dubio abſtineret ſtatim, ac prædictum Lotharingiæ Principem in ſolium Polonioum evectum, & amicorum ope ad facti iſtius rationem cernendam inſtructum cerneret.

Sextò Principis hujus in ſollum Polonicum evectione Polonia hoc Sacræ Cæſareæ Mti judicium daret, quòd antiqvum amicitiæ commercium cum illo ſartum, tectumque conſervare velit Sacra Cæſarea Mtas, & in caſu mota deſiderio conſervandæ Poloniæ, ceu clypei orbis Chriſtiani, mox ab illius electione, magnum, validumque copiarum, tā Equeſtrium, quàm Pedeſtrium numerum ſubſidio mitteret, & cum Regno contra Turcas defendendo proprijs ſumptibus, ac ratione utrinque conductâ in Poloniam traduci curaret.

Denique Sacra Cæſarea Mtas & Rex Catholicus prædictum Principem, æquè ac ſi ex Auguſtiſſima ipſorum domo prodijſſet, charum habens, totis viribus eum adjuvaret, pecuniâque pro omnibus rebus alijs ad gratitudinē erga prædictos DD. Proceres, & alioqui neceſſarijs non minùs abunde, imò largiùs inſtruerent, quàm unquam in gratiam Principis Gallici Rex Chriſtianiſſimus facturus eſſet.

RESPON-

A.C. 1672

RESPONSUM CÆSAREÆ MAJESTATIS ABLEGATO DATUM.

POlonia tametsi pacem, cum Turcis nuper stabilitam agerrimè ferat, abrumpere tamen in præsenti statu eam non poterit, nisi bonis fœderibus vicinorum Principum, ac remotiorum pecuniarijs subsidijs valde fulciatur. Præcipuum momentum collocat Polonia, in colligatione cum Sacra Cæsarea Majestate, & cum Magno Duce Moschoviæ.

Fœdus offensivum proponitur ad belli diversionem, in hosticum uno tempore, à Colligatis faciendam, id est, ut exercitus Cæsareanus per Ungariam, Polonicus per Valachiam, Moschoviticus per Ucrainam, Turcas aggrediantur.

Auxiliares aliquot millium copiæ, tametsi à Cæsarea Majestate Poloniæ submitterentur, non tamen satis juvarent Poloniam, adversus potentiam Ottomanicam, neq; propter summam istius anni sterilitatem, & difficultatem annonæ, præsertim in Russia sustentari possent, neq; induceretur Polonia ad molem belli suscipiendam & sustinendam, nisi confœderati Principes, prout supra, quisque pro virili bello offensivo hostem lacesserent.

Ablegationes in Italiam, Hispaniam, Galliam, Sveciam, Moscoviam à S. R. Mste, & consensu Reipublicæ, certi aliquid ratione fœderis offensivi, & diversionis faciendæ, declaratũ fuerit, in hoc enim fundamento colligationis, imprimis cum Majestate Cæsarea, consilia sua Polonia resolvet & non aliter.

Licet enim pax cum Turcis, præjudicios & pudenda videatur, tamen necessitate temporum excusatur, & tolerari poterit, præsertim si Turcæ conditionem munerum, annuatim mittendorum, Poloniæ remiserint, aut commutaverint, & securitatem ab incursionibus Tartarorum præstiterint.

Moscovia recentissimis literis suis declaravit, quòd velit auxiliari Poloniæ, datis jam opportunis ad id mandatis, exercitui suo in Ucraina, clausula, si alij Principes Christiani, ad juvandam Poloniam concurrent, ad quos officia Legationum suarum Dux Moscoviæ obtulit ultro.

Ablegatio Cæsareæ Majestatis ad Moscoviæ Ducem valde utilis, & efficax foret. Interim commodum esset ut literas suas Cæsarea Mtas præmitteret, quas ex Polonia Moscuam transmitti curabimus, authoritas Cæsareæ Mstis plurimum valet apud Moscum, qui facilius flecteret ad bellum contra Turcas suscipiendum, cum eandem intentionem Cæsaream animadvertet.

Idem Magnus Dux Moscoviæ Persas adversus Turcas posset impellere, pro ut id per Epistolam suam ad Regem Poloniæ datam sponte promisit Simul Cosaccos Dunenses, Astrachanios, Zaporovianos, & alios terrâ & ponto Euxino in hosticum iturospactis & literis respõdit.

Offi,

Officia à Sacra Cæſarea Majeſtate juxta promiſſum interponenda ad Regem Sveciæ, ad Electorem Brandeburgicum, ad Principes Germaniæ, multum proderunt Poloniæ & fœderatis, ad ſacrum bellum gerendum, etiam Regem Hiſpaniæ compellari decet, & expedit. A.C. 1672

Ex multis conſiderationibus optaret Polonia, ut negotium fœderis Varſaviæ ſecrete tractetur, per Miniſtrum Suæ Cæſareæ Majeſtatis, atque per Nuntium Apoſtolicum hic agentem.

Summus Pontifex, Reges, & Principes alij per legationes ſecretas compellandi, ut Poloniam ad belli ſumptus pecuniâ adjuvent, id eſt, ut exercitus in Polonia, viginti aut amplius millium ſtipendia conjunctim numerentur, quam diu bellum duraverit, ſeorſivè Polonia proprijs ſtipendijs exercitum conſcribet & fovebit, prout de numero, per tractatum fœderis conventum fuerit.

Utiliſſimum foret, ſi viginti millia talerorum, quamprimum Coſaccis, ſeu eorum Duci Hanenkio darentur pro navigijs per hyemem præparandis, quibus æſtate per oſtia Boryſthenis in Pontum Euxinum excurrere, & ditiones Turcicas infeſtare poſſent.

Majeſtas Cæſarea ſatis habet cauſæ ad rumpendam pacem cum Turca; indubium enim eſt, rebellium Ungarorum audaciam Conſilijs & favore Portæ Othomanicæ concitari, ac proximo tempore bellum Hungariæ imminere.

Tumultus civiles in Polonia non debent ſollicitam habere Cæſaream Majeſtatem; iſti enim, cum exercitus colligi, & bellum ſeriò præparari incipiet, facile ſedebuntur. Exercitus etiam licet bona regalia, ut vocamus & eccleſiaſtica ſtativis hybernalibus cum diſpendio privatorum gravabit, quod non novum eſt, utiliter tamen in publicum arma & equos in hybernis meliorabit, ac civiles iræ tandem in hoſtem vertentur.

COPIA LITERARUM AD ELECTOREM BRANDEBURGICUM.

MAximo in diſcrimine, quod Regno noſtro, à validiſſima Turcarũ potentia, & aperta eorum in nos hoſtilitate impendet, cum ad amicam Chriſtianorum Principum opem reſpiciamus, tum nullibi certiorem auxilij nobis ferendi ſpem quàm in fœderata amicitia, & teſtata ſæpius erga nos, remq; Polonam propenſione ſerenitatis Vræ reponimus. Communis & juratus Chriſtiani Orbis hoſtis, tot Regnorum, tot Gentium ſpoliis tumidus, præſertim occupatæ Candiæ ſucceſſu, immanè elatus, contractis maximis exercitibus, motoq; ſedibus ſuis Oriente, & Tartarorum, totiuſq; barbaræ vicinia colluvie ad obſidendum Camenecum validiſſimum Regni iſtius propugnaculum, tum ad oppugnandam Ucrainam, & Ruſſiam tota armorum mole imminet. Jam ultra feroces prænuntiæ hoſtilitatis ad nos verborum minas numeroſi exercitus undiq; conglobantur, jam truci claſſico Iſtri ac Thyræ ripæ, totaq; perſtrepit Vicinia. Metimur res vireſq; noſtras

A.C. 1672 *stras, quæ continuis tot per annos bellis, & uarijs casibus, attritæ ac defessæ, nisi aliunde fulciantur, vix est ac ne vix quidem est, ut formidolosi hostis impetum sustinere valeant. Neq; in incerto habendum rupto velut aggere Poloniæ, aut etiam bellicosæ plebis multitudine, & robore Othomanicam potentiam diluvio quodam bellorum uicinas ditiones, ac reliquam Christianitatem inundaturam, inde grauis causa & maxima necessitas, nobis omnino persuadet, ut ultra auxilia Pactis Bidgostiensibus præsentia & seorsim requisita, ualidiores copias justi exercitus à S. Vra obtinere cupiamus, eoq; nomine Christianam conjunctionem, fœderatam amicitiam, arctam necessitudinem, bonam uicinitatem, & quid quid in sacro caroq; ducitur memorantes, ferendo quàm primum à S. Vra rebus nostris subsidio aduocemus, glorioso sum id & immortale erit S. Vræ, quid quid tam arduo & difficillimo tempore uirium, opumq; suarum juuandæ Poloniæ impenderit. Quod uti amantes cupimus planeq; nobis pollicemur, ita memorem & gratum animum S. Vræ, ejusq; domui Electorali conseruabimus. De reliquo S. Vræ bonam à Deo ualetudinem.*

SCRIPTUM EPISCOPI CUJAVIENSIS, AN SVADENDA ABDICATIO REGI MICHAELI.

QUæris quidnam faciendum sit in moderna Relpub. calamitate, & utrum svadenda sit abdicatio Principi, ad quidve se quisque honesti amans, juxta ingenitæ nobili pectori virtutis exigentiam, & conscientiam resolvere debeat. Quia ergo hanc mihi proponis quæstionem, non seducam meam tuamque animam, edisseram quidquid de aliquo sentiro.

Priusquam respondeam; quæro, quodnam motivum esse possit abdicationis Regiæ? respondes, pro motivo, esse bonum publicum, & juvamen in tam manifesto à Turcis periculo labentis Patriæ, quam Dominus, non habens naturalem ad bellum inclinationem, nec experientiam aut resolutionem tantis malis parem, inopsq; cum sit, & sola nonnisi cum Austriaca domo colligatione, quæ semper huic Patriæ suspecta fuit, subnixus, nequit; unde id facere debet amore Patriæ, ne pereat. Dato enim abdicationis eventu (siquidem proprijs viribus in tot periculis subsistere non possumus) non deerunt media efficaciſſima, quæ nobis servire poterunt.

Ad hanc tam arduam & horrendam toti Patriæ propositionem, respondeo. Toto hoc discursu tolli & perimi commune bonum, has ob causas. *imo.* Quis hoc capere potest, quòd sub tempus Turcici belli, melius sit inducere interregnum, quam pati talem qualem Dominum? si hic non placet, quis sponsor foret, ut alter sit melior? imò audenter dico, futurum incomparabiliter deteriorem, collidet enim Christianas potentias, Gallicam cum Austriaca, si cum potentia intrabit, opprimet libertatem, accendet inevitabiliter civile bellum, quod omni est tyrannide deterius, consequenter malis artibus, quæsitum per oppressionem Imperium, bene gubernare non poterit; non fidet populo, nam terrebunt Antecessoris vestigia nobis ipsis diffidet; unde infida semper consequenter dubia omnia erunt in hac Patria, Pagani, nostras videntes discordias invadent nos, & si civibus concitare multitudinem facillimum est, regere autem difficile, à potiori evocare Pagana subsidia facilè, regere impossibile. Sic periêre Hungari, dum Turcam evocarunt, contra Ferdinandum Imperatorem, Budam Metropolim,

& de-

& deinceps majorem Regni partem amiſerunt, idem nos edocet caſus Orientalis imperij, primi enim ſubſidiarij facti ſunt Orientis tyranni. Dicis Auſtriaca auxilia eſſe ſuſpecta; reſpondet uno ore & ſenſu tota Patria, agnoſcens acerbiora ad præſens eſſe Gallica. Altera ratio, contra jus id eſt naturæ, ſicut enim tu (ſi te Deus ad hanc eveheret dignitatem) id tibi duceres injuriæ, ſic nec debes juxta conſcientiam, quod tibi non vis, alteri facere, imò facere non potes, cùm lex divina prohibeat, invocare in vanũ nomen Domini; juraſti huic Domino fidelitatem, & obedientiam, retro abire non licet; & Regi ſvadere abdicationem, ſive publicè, ſive privatim, eſt ſvadere perjurium, id enim in pactis conventis cautum, quod non debeat abdicare. Eſt inſuper id contra jus Regni per quod vivente Principe, nullatenus Succeſſorem promovere licet eſſetque crudele, de privilegio cõmunitatis ſcilicet totius Reipub. velle privatos diſponere, cùm hoc ſit crimen, evertens ſtatum & communem libertatem. *A. C.* 1672

Tertia ratio, eſſet id indirectè licet, verè tamen velle ruinam liberæ electionis, & inſcijs populis obtrudere Dominum, unde ſequitur incendium belli civilis; generoſa enim pectora non patientur ſe tam indignè tractari, mallentq; mori, quàm hanc maculam poſteris relinquere. Unde frater quisquis es, pandis viam gentilibus ad Chriſtianitatem, ex quo ſequitur innumera multitudinis Chriſtianorum cædes, captivitatis inæſtimabile damnum. Si mi frater intuliſti vicino damnum, ſub pœna æternæ perditionis animæ tuæ obligaris illi ad reſtitutionem; quantò magis ſi non uoi hominum, ſed totu Patriæ irreparabilia feceris damna, quorum reparatio impoſſibilis: huc adduco ſalutaria, ſed omni fulmine horribiliora Salvatoris verba: Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ autem ſuæ detrimentum patiatur. Item, quam dabit homo commutationem pro anima ſua? Dices, habemus noſtros Theologos, qui noſtras reſolvunt & aſſecurant conſcientias. Reſpondeo, cum magno in Eccleſia Doctore Bellarmino Cardinali, qui intrepidè in ſimili caſu cuidam Monarchæ dixit: Neminem Monarcham Regem & Dominum iturum ad infernum ſine Theologo. Inexcuſabilis es ô homo, ſi videns manifeſtum periculum S. Catholicæ fidei, civilis belli, fractionis juramenti Regi & Reipub. blandiris tibi falsâ conſcientiâ, affectatâ ignorantiâ, ſanam doctrinam (ut ait Apoſtolus) non ſuſtines, ſed ad tua deſideria coacervas tibi Magiſtros prurientes auribus, à veritate quidem diſcedens, ad fabulas autem te convertens. Introſpiciat ſuam quiſque conſcientiam, interroget omnes Epiſcopos, Presbyteros, Religioſos; non obturet aures ad voces & gemitus pauperum, totius Patriæ, cœlum penetrantes: Quærat ex orbis Chriſtiani vicinis Monarchis, & ipſo Chriſti Vicario, ipſam conſulat rationem & conſcientiam, unanimi omnes voce & ſenſu reſpondebunt; non licet, per DEum! in propriam ſævire Patriam, ſitire fratrum ſangvinem, interitum quærere fidei, Eccleſiarum paupertmve hominum.

Objicis inhabilitatem Domino, ſed non probas, damnas non convictũ, deſeris illum, & vis, ut ſe defendat; converte in orbem Chriſtianum oculos, in Hiſpania, Rex eſt puerulus, tamen preces illius gentis civilia bella extingvunt, cum externis belligerant, Domino in cunis fere poſito, fido miniſterio obſeqvuntur. Confundat nos diſſidentium fida in Svecia ſubditorum Regi adhæſio, in his celebribus Regnis, Principes vix non infantes impedimenta neſciunt, ſupplente cuncta, fida, ſtabili, & generoſa ſubditorum activitate. Inauditum omni nationi eſt, vixque in barbaris gentibus reperibile, Dominum ſimul & Rempub. invadere. Non inferamus hanc notam genti noſtræ, fide erga ſuos Principes per orbem celebratæ. Vel enim certum eſt bellum Turcicum? ſi ita? domeſticum excitare interea incendium,

A.C. 1672 magna profectò esset crudelitas; vel incertum? & sic triennio rumpendo comitia, casui exponere Rempub. est ne pietas Christiana? fiat voluntas Dei, cadente Rege, & Regno, avita fide Catholicâ, cultu Dei, & tot antea triumphis clarâ Patriâ. Ita quidem tibi promittis, gratiâ Dei, in libera conscientia vitam habebo in patientia, mortem in desiderio; Melius esset in tanta confusione, nec esse, nec vivere, quàm infelicitati publicæ cum gravi offensa Dei cooperari. Aliter sentire vetat ratio, lex, consequenter conscientia; quod verò dicitur de obedientia, à fortiori locum habere debet, (quod etiam dicere horret animus) in Principis detrusione.

RELATIO DATA IN SCRIPTO CARDINALI URSINI COMITIORUM VARSAVIÆ RUPTORUM SUB MARESCHALCO SOKOLNICKI.

OBedio mandatis tuis Eminentissime Princeps, & omnem relationem, quam de infeliciter ruptis Comitiis habeo, in ordinem latino redigo idiomate, ut jussisti, superflua quandoque memorantur, ne necessaria scitu omittantur. Tam ad rei claritatem, quàm ad brevitatem forte non nihil jubaris deerit, etiamsi justi luminis nihil spero defuturum. Nulla alia frequentiora ex Polonia veniunt nova, quàm quòd finis Comitiorum aliis novis Comitiis det occasionem. Pessimè finita ultima: principium dedêre sequentibus, quæ 18 Maji inchoata. Læta primò auspicati eventûs Sokolnicio Litvaniæ Notario dirigente, & regimen Maresehalci non proprio ambitu, aut industriâ adepto, sed alienâ curâ & potenti suffragio. Ambulat ille recto itinere, & timet DEũ.

Sokolnicki Mareschalcus.

In ipso Comitiorum initio fecit imprimis semotis arbitris Wysocius legationis suæ ad Portam, relationem in senatu, præsente Nuntiorũ Collegio: ubi multos arguebat, accusabat, & deferebat: ambiguis tamen verbis, & perplexo sensu interpretationem in utramq; partem reliquit. Volebant statim Nuntij, cùm extraordinaria Comitia ista fuerint, jungere se cum senatu, sed Piasecinscio Braclavienſi Capitaneo præeunte, multi cum protestatione exiverunt. Post breve temporis dispendium quærebatur, an delegandi essent ex Gentibus, qui protestantes ad regressum, unionemq; animorum invitarent? itaq; cùm multi passivè, nec nisi ad passiones loquerentur; judex Ravensis disseruit: inspicienti volumina legum ex confusa Reipub: rectitudine mirum occurrere, quòd usq; ad Comitia 1633tij anni, nullæ privatorum desideriorum reperiebantur constitutiones, donec auctus feritate ac licentiâ proscripto Patriæ amore, ab anni 1633tij Comitijs, erupit fatalis ambitus. Hinc metu malorum, & ruentis Reipub: statûs dolore quæsitum à bonis ex lege remedium, ad restringendum velut temporis angustiâ ferocientem in damna publica ambitum; ut Comitia extraordinaria dum sine solennitatibus aguntur, medius mensis terminaret, poneretque modum tempori, frænum exitiosis affectibus, & noxiæ circa privata studia certandi licentiæ, quæ in tantum crevit ex privato interesse, ut ampliùs assurgere non possit: ita prævalidi opibus plerumque nimis, ad ruinas mitiorum elati sunt; quamvis angustæ hæ, inopesque divitiæ, quas nec habere totas pluribus licet, & ad quemlibet sine publica paupertate non veniunt; ipsa res, ut testis fidelis non mentitur disseruit: Discordiarum civilium fontes exorbitantias esse, quæ ab ipsa Sereniſſimi Regis Casimiri Coronatione ad eam usque temporis periodum grandi numero cumulatæ, magnã dedêre diffidentiæ inter cives occasionem. Cui cùm antiquitus mederi inter-

Relatio Legationis Wysocij.

Protestatio

An Legati ad Protestantes mittendi.

Tempus extraordinariorum comitiorum

intermedius Ordo, medius à mediando inter Majeſtatem & leges jure dictus, ſenatus ſcilicet conſueverit, modò iratâ rebus noſtris fortunâ etiam malorum vertente ordinem, quo ſuperbiam, ſtultitiamq; noſtram velut conſilio & aſtu magis affligeret, quando ſenatus cum Majeſtate diſſideat, eam Provinciam in ſe debere ſuſcipere Equeſtrem Ordinem, ejurato omni partialitatum nomine, id honeſtiſſimum, ac univerſæ Reipub: utiliſſimum fore: cui licet, quod majus eſt, non debet, quod minus eſt, non licere. Si ſuccedet, ut animi mei ſententia eſt, bene erit, in minus, laudanda eſt opera, quâ & Patriæ prodeſſe, & conſilium hoc, ſi non optimum, ſaltem non malum, & protunc neceſſarium promere volui. Agamus, quod poſſumus, quod agimus, poterimus. Mareſchaleus interim Nuntiorum valedicere Stubæ Nuntiorum, & ſuperius in ſenatū ire intendebat, illud jam ab omnibo concedi credebat, ſed cùm ad Regē veniſſet, multos proteſtantes inferiùs remaniſſe invenit, ad quos redire ab illis, qui jam ſuperius erant, prohibitus eſt. Tandem dum diu diſputaretur, an ſcilicet deputari deberent ad illos invitandos, contradictionesq; à multis occurrerent, Epiſcopus Cujavienſis, qui ſolet per vota quærere, quod optat, obſtinatos animos efficaci facundiâ inclinavit. Neminem mortalium infectas ire poſſe, Mareſchaleum Equeſtrem, & magnam Nuntiorum Collegij partem legitimè coram Majeſtate Veſtra comparuiſſe: quando univerſali conſenſu lex abbreviationis Comitiorum Tribunitiæ poteſtatis in atrio libertatis concluſa, ac inſuper Deputatorum manibus ſubſcripta eſſet. Verùm cum nota Reipub: turbidis caſibus per ſummam injuriam fortuna, nihil integrum, ſanctumq; ſervare velit, quod non prius turpi violatum diſcordiâ, corrumpat: quaſi alijs omnia liceant, alijs nihil: proprium eſſe ex demiſſione magnitudinis Imperatoriæ Principibus remedium, cujus non expertem eſſe animū Serenitatis Veſtræ, quantæcunq; modeſtiæ parem. Quare nunquam eventurum puto, ut me conſilij aliquando pœniteat; cùm propter bonū pacis, neq; laborem, neq; privati honoris jacturam, nullum deniq; periculum ſubterfugiendum eſſe, ſuprema lex charitatis patriæ, & incorruptæ dictamen conſcientiæ pridem obtinuerint, ad ea, quæ frequenter accidunt, jura ſe adaptant potiùs, quàm ad ea, quæ rarò. Fortiter agere in adverſis rebus quid aliud eſt, quàm ſævientem fortunam in adjutorium ſui pudore victum convertere. Parum eſt enim nobis, ſi perdamus tempus, niſi etiam nos ipſos perdamus cum tempore, & tempus quidem perit, perditio autem manet. Mitti proinde præcipuos ex ſenatu & Equeſtri Ordine viros ad remanentes in atrio libertatis Nuntios expedire: vel ſi id quoq; eorum moderationem non conviceerit obſequij, ipſi Mareſchaleo Equeſtris Ordinis eundum eſſe, neque enim quidquam novum, aut grave pro obtinenda tranquillitate ſtatûs cenſeri debere. Hoc medium ſi plaeandis animis non ſuffeeerit, ruptorum (quod ſuperi avertant) Comitiorum omne in eos recumbet onus, infauſtaq; Reipub: nomina decumani belli civilis fluctus ad ſtygias allident paludes. Vitæ ſpatium breve ac definitum, malitiæ iſtius maculam ſempiternam fore. Actus, qui opponitur actui ſummè bono, ſummè malus, & nos promptiores ad abſolvendum, quàm ad condemnandum eſſe debemus; quod nobis non nocet, & patriæ prodeſt, facile eſt concedendum. Neceſſitate urgente multa licent, quæ alias non licerent. Non eſt mutare Reip: formam, ſed reſtituere turbatam, ac pro utilitate, ac ſalute publica firmare. Laudabimus certè, quod timemus, neq; enim Serenitatis Veſtræ ac Reipub: Majeſtas convelli ſine convellentium exitio poteſt. Æ-

A.C.1672

A.C.1672 grè tamen Nuntij in Deputationem consensere. Tandem Episcopus Kijovienſis & Palatinus Czerniechovienſis à Rege nomine Senatûs, alij à Mareſchalco nomine Equeſtris Ordinis miſſi ſunt. Excepti honorificentiſſimè, multa rationum congerie, convenientem ab ipſis evicere declarationem. Craſtinâ nimirum luce univerſos ad Senatum ire paratos eſſe, dummodo Mareſchalcus Equeſtris cum cæteris tribunitiæ poteſtatis conſortibus ad illos deſcendere dignaretur. Quando nulla alia tam conſtanter illos in honeſto propoſito cauſa detineret, citra egregiam voluntatem conſervandi ſacrarij libertatis, immunem ab injuria & periculo dignitatem, quæ ejuſmodi procedendi modo ab occupatis ingenijs in præceps daretur. Ubi hæc in Senatu Bienlewſcius Palatinus Czerniechovienſis retulit: ſtatim fremitus & incertus clamor, ominoſa malè conſultorum indicia, facto tamen per Mareſchalcum Curiæ ſilentio, arreptâ voce Subdapifer Lencicienſis, valido ſermone, cum fletu ita volutæ per genas lacrymæ perorabant, ut verborum jacturam penſaret lenocinium plorandi: obſecrabat Epiſcopum Cujavienſem, ut Confœderationem Majoris Poloniæ, quam ei fraterno affectu concrediſſent; in inſtanti ad acta porrigere vellet, libenter illum comitaturos, dum pro Religionis, Patriæ, Principis conſervatione, quidvis pati deſtinaviſſent. Cæteri poſt hæc eadem ferè obſtrepentes eò uſq; fervoris proveſti ſunt, nec quidquam in vulgo medium, ut Mareſchalcum Equeſtrem ad valedicendum Principi repetitis vicibus identidem urgerent. Crebris tamen Senatorum ſententijs, & præcipuè Epiſcopi Culmſ. perſvaſione, & ingenij ſolertiâ mitigati, qui diſſeruerat: paucas interjecti temporis horas, diſſidentibus nihil utilitatis, nobis nihil incommodi allaturas. Imò verò ſi illorum recollectioni conceſſerint ſpatium, & nihilominus exitioſâ morâ, malâ ſcilicet illorum induſtriâ extrahi rerum momenta, damnificari tempore conſiliorum publicorum fortunam viderint, tum factâ palàm orbi univerſo illorum malitiâ in convellendis Comitijs ad ultimum remedium, nimirum confœderationem, magno animo pro aris, focisque condeſcenſuros; quando minora majoribus coæquantur, inferioris comparatio ſuperioris injuria eſt, ſed hic cùm omnes æquales ſimus, nihil nobis decedet authoritatis, quando ad pares noſtros deſcendemus: cum iterando preces, expectando, moras contradicentium patientiſſimè ſuſtinendo: quia quicunq; cùm ſemel pulſaverit, indignatur mox, ſi non fuerit auditus, iſte non eſt petitor ſupplex, ſed eſt imperioſo exactor, quod in libertate noſtra eſſe nullatenus poteſt. Capitaneo quoq; Oſwiecimenſis cùm ſe paſſivâ uti voce ob vetera inſtituta & Equeſtris libertatis arcanum ſtato dixiſſet: recenſitis facundè periculis quæ ex præcipitantia accidere poſſunt, ſuum adjecit exemplum non tam ſimilem, quàm germanum planè ſub directione ſua tribunitiæ poteſtatis caſum accidiſſe. Cùm enim ſub Rege Caſimiro majori Nuntiorum parte comitatus ad Senatum deſcendiſſet, neceſſe tamen ſibi fuiſſe, rurſus ad remanentes regredi, à quibus comiter exceptus, ſine diſpenſatione vocum, non exercitâ activitate, poſt familiare colloquium cum univerſo Nuntiorum collegio ad Senatum gloriosè revertiſſe: neq; tamen defactò quidquam de authoritate directionis, multò minus de libertate amiſſum eſt. Cùm alij contra auctam quoq; eo ipſo ſacrarij libertatis dignitatem exiſtimarent, ac profiterentur. Tandem Mareſchalcus Equeſtris Ordinis perſvaſus non poſſe illorum animos, niſi debitâ placari ſubmiſſione; reſolvit, magnâ Nuntiorum comitatûs frequentiâ ad præſtolantes, & in ſuis locis cum Majeſtate quadam diſpoſitos, deſcendere, ſalutareq; familiari colloquio, viditque poni ſtatim inflatos, tumidosque vultus, ita, ut minimo momento in lætitiam ex mœſtitia, in ſpem ex metu conjecti fuerint. Sic res Deus no-

Miſſi Nuntij ad Proteſtantes.

us noſtras celeri turbatas turbine verſat: quàm multæ ſunt in hominum mentibus latebræ quàm multi receſſus, ita tamen, ut homini mediocriter prudenti penetrare ad intima illorum cubilia liceat, nam ſtatim univerſi magno fragore ruebant, ita; ut quidam provoluti penè per tumultum obtererentur; & ad Senatum venerunt. Ibi factâ propoſitione legis conceptum circa abbreviationem Comitiorum legere parabat, cùm à Capitaneo Braclavienſi prohibitus eſt, poſtulante: ut ante cæteras conſtitutiones, lex de ſecuritate Nuntiorum legeretur. Varijs ea vox jactata ſententijs, cùm alij abbreviationis Comitiorum, alij ſecuritatis ſcripti nimirum ad archivum dandi conſtitutiones præcedere debere contenderent. Alij damnatâ lege abbreviationis Comitiorum, utpote quæ in tantum conſulendi tempora extraxiſſet, ſolam ſecuritatis materiam tractari poſtulabant, avebantque: quaſi omittenda ex toto eſſe deberent, quia ex toto adimpleri non poſſunt. Multi de periculis Reipublicæ informari anxiè petebant; cùm audire ſe neſcio, quæ ſiniſtra quæ etſi non pro certo, quamvis ſint certis certiora, credimus tamen, ſive veritate, ſive mendacio noſtram videmus decollari opinionem, quia ſi nulla eſſent, poſſe tempus conſultatione trahi; ſi eſſent manifeſta? cur abbreviatio Comitiorum diſpliceret? an conſilijs & inani verborum ſtrepitu, hoſtium arma & ſtricti enſes depelli poſſint? minaci, triſtique voce quæritabant: itanè verificabitur ſcriptum in nobis: filii Matris meæ pugnaverunt contra me. Igitur cùm nihil in publicum proficerent: nam nonnulli auræ popularis captatores breviſſimis iſtis obſequijs ſumma Reipublicæ præſidia perdebant. Princeps Invitato ad ſe Senatu, exploratis ſententijs, dimiſſo, Magni Cancellarij Litvaniæ ore & Ingenio declaravit. Multa ille ab Oriente certitudinis periculorum documenta cumulabat: quorum cùm indubitata fides ſit, quem tam protervum aut malitioſum eſſe poſſe, qui Comitiorum abbreviationem reculet? ſed potius morâ, & pernicioſis eunctandi artibus fortunam Reipublicæ affligere ſtudeat. Neque immanitati atque audaciæ finem vel modum componere nolint, ex ingenio per ſe imbecilli, neque ſalubri ratione confirmato: nam ſæpe cornicula vult eſſe aquila. Proinde Sereniſſimum Regem pro Paterna ſollicitudine animitus vovere, ut conſtitutio abbreviationis Comitiorum cæteras antecedat; indifferens illa, nec certo tempore circumſcripta, cùm ſine hac conſtitutione, nec comitia abbreviationis vocari poterunt, nec comitia ſexſeptimanalia ex mente legis ordinata, ipſum denique nomen Comitiorum non modò res in anceps diſcrimen trahi poſſint. Cùm verò tot negotia ſuperſint Reipub. conſenſu terminanda: judicare Sereniſſimum Principem addiem Sabbati ineluſivè protrahi poſſe. Nam ut res verbis, ſic rebus temporum ſpatia, quibus ſine præcipitantia commodè expediri poſſint, concedi debere. Exortæ nihilominus voces, quæ improbato ſaluberrimo conſilio prolongationem Comitiorum nullatenus admitterent. Tum Palatinus Lublinenſis acceptâ voce differuit: abrogata equidem per legem 1647mi duarum ſeptimanarum Comitia eſſe, attamen interjectâ temporis morâ Reip. neceſſitate exigente, publico uſu introducta, nec ad præſens etiam, niſi ancipiti urgente caſu à Principe indicta, conſenſu Ordinum Regni celebrari: ſed cum in anguſto tempore non legationes expediri, non rationibus theſauri, non diſpoſitioni hybernorum cæterisque Reipub. negotijs, ritè, ſanctèque conſuli poſſit, prolongationem Comitiorum pro principali inſtrumento publicorum conſiliorum eſſe debere, nullâ tamen ratione ad paucos dies comitijs adjiciendos pertrahi poterant: donec pars melior Senatûs & Equeſtris Ordinis ad meliora monebat, & tandem movebat ut precibus mitigarentur; adjectâ nihilominus declaratione, ſe nihil præſentibus diebus, præter materiam ſecuritatis Reipub: tractari paſſuros.

A. C. 1672

An tempus comitiorum abbreviandum

Inter

A.C. 1672

Inter diversam confessûs publici faciem, Moscoviticæ quoq; legationis relatio subsecuta est, cui gloriam simulq; suæ functioni favorē concilians Palatinus Culmensis, conquisitâ vi elegantioris Eloquentiæ, itinerum incommoda, horridam Septemtrionis intemperiem, atrocia frigora, inediam, populi barbariem, difficultates negotiationis cùm recensuisset; velut in subsidium haud sufficienter commissæ verbis gloriæ. Relationem in scripto multâ curâ conscriptam Secretario M. D. Lit. legationis socio legendam commisit. Opus erat egregium, sed dubitares: Apellisne, eruditâ manu, an Oratoris curâ & labore consummatum. Mira lineamenta spectabantur, non modò rerum, sed etiam umbræ Moscoviticæ politicæ, magnificentiæ animorum, ingenijq; continebantur. Putares tantam curam jactantiæ studuisse, sed veræ gloriæ ardor, cupiditasque erat, magnis bonisque viris familiaris ex æquo affectus. Rursus Palatinus Culmensis acceptâ voce, commendatis Principi & Reipublicæ universis legationis suæ Comitibus; qui gratiam Regis, & Reipublicæ gratitudinē non tam postulant, quam merentur; addidit: se quoq; in eo Majestati Reipub: consuluisse, quòd causæ, quæ inter famulitium nostrum intervenirent, composito ex nostris & Moscoviticis Deputatis judicio terminarentur. Et quoniam legis ordinationi ad extremum parendum esset, in confirmanda jurejurando legationis realitate: consurgens è Senatoria curuli, tacto pectore (quod idem Referendarius & Secretarius Magni D. Lit: fecêre) solennia verba pronunciavit; nihil se præter institutionem sibi à Principe & Repub: datam amplius tractâsse; DEum testem invocabant. Displicere id visum est Tribunitiæ potestati, sed erumpentibus vocibus obviam ivit Magnus Cancellarius Magni Ducatus Litvaniæ, qui progressus ad thronum, nomine Principis pathetica oratione, statimque regresso ad Sedem Cancellario, Regni Primas æmulâ facundiâ, commendatis Principi ac Senatui illustribus legatorum meritis, parentavit: Mareschalcus quoque Equestris dum promere grati animi testificationem parat, à Nuntijs cohibitus est: urgentibus ferociter ipsorum tractatuum publicationem. Lectæ post sunt semotis arbitris conclusiones tractatûs, quæ 20. articulis continebantur: quorum solenniores fuêre: Pactorum Androszovienſium Anno Dni 1667mo initorum, & rursus 1670mo reassumptorum approbatio. Kijoviæ pacatâ undequaque Republicâ intra biennium restitutio: cujus conservatio, & impensi in præsidium sumptus circa restitutionem Reipub. imputari non deberent. Aversionis Turcici belli tam mari, quàm terrâ procuratio, & destinabantur statim eo in negotio à Magno Moschorum Duce ad Regem Persarum literæ. Cosacci quoque Zaporovienses provisis impensis in myoparones, ut nigri maris oras Mahometici Imperij infestarent, jubebantur. Subsidiorum ratio, ac modus justo exercitu Reipub. dandorum ad magnos Legatos, quos propediem magnus Czar celebratis circa festa Pentecostes populi sui Comitijs, expedire deberet, rejiciebatur. Post lecta hæc puncta judex Wielunensis, quasi judicantem cuncta oporteat rimari, impetratâ voce: animi non tegens sensus sui, multum legibus, multum Christianæ pietati, plurimum divinæ Mtis reverentiæ decessisse imminutâ Religione, leviter habitâ jurisjurandi pietate: an dignum non esset, ut supremum illud ac venerabile Numen pari honore, ac hominum mortale fastigium colatur; qui justus est, justificetur adhuc. Proinde obsecrare sese Legatos, ut genibus flexis, totâ spectante Republicâ, non intermissâ svetâ ritûs Christiani ceremoniâ, jusjurandum in facie Reipublicæ exolvant, quod velle se persvadere, & posse credit. Multi huic sententiæ indignationis vultu, voceque manifesti

Relatio legationis Moscovitica. Joan. Gninski.

Tractatus Legationis Moschovitica

Juramentū exigitur à Legatis

nifesti adstrepebant. Palatinus igitur Culmensis, quamvis callidè hæc fieri credebat, fecit tamen & candidè & promptè, cum insitâ sagacitate necessitati aut invidiæ obviam eundo, acceptâ voce libenter assensit. Ergo positâ in medio Senatûs curuli, cui addita crux Archiepiscopalis, ad quam processêre Legati, provolutique genibus, jusjurandum, quod magnus M. D. Litv. Cancellarius mente concepit, præsente Regni Primate & Episcopo Cujavienſi præstitêre. Nondum erecti stetêre; & jam Nuntiorum vocibus Senatus personabat, quibus Mareschalcus ad gratiarum actionem nomine Equestris Ordinis invitabatur. O felix hominum genus, si illorum animos amor, quo cœlum regitur, regat. *A.C.1672*

Instante in crastino corporis Christi solennitate, inter certantes voces, & dissonos clamores ad instantiam Primatis per Mareschalcum Curiæ sessionem in diem Veneris destinavit. Nondum finiverat; cùm alij dimissionem Senatûs vetare, quidam acriter vocem petere; donec Mareschalcus Curiæ ad suam sedem progressus, facto silentio disseruit. Ita se sub Antecessoribus Regibus didicisse, eundem sub auspicato Serenitatis Vræ regimine retinuisse morem, ut post solutam à Principe sessionem, nemini unquam facultatem dicendi concesserit, cùm id sui juris esse non præsumat, & manifestæ confusionis ex turbato rerum ordine, labem, notamq; videat. Proinde petere à Principe, rogare Senatum, ut in præsenti casu resolveretur, an ex dignitate Reipublicæ vocis concedere posset libertatem, ita victi sunt veritate & imprudentibus ratio vera subrepsit. Omnibus fere indignantibus, ne studio infectandi viderentur eligere pejora, multis importunam instantiam ridentibus, Rex throno discessit. vetante discessum Principis Inani conatu Kosowscio, quem diu tristem & querulum idem locus vacuo jam Senatu, quem occupaverat, detinuit. *Sessio soluta à Principe.*

Cùm destinato die Rex in Senatum venisset, multi multa disseruerunt. Alij legem de securitate Nunciorum, Senatorumque, functionem officij sui exercentium sancitam legi à Mareschalco petebant, alij defensionis Reipublicæ tractari materiam flagrantissimè contendebant, alij alia cupiebant, in commune nihil concludentes· acceptâ voce Palatinus Czerniechovienſis digoâ intermedij Statûs gravitate, ac Senatoriæ vocis existimatione diseruit. Potentissima quæque Regna; Respub. & imperia, duas tantum numerare certissimas interitûs sui origines. Primam è cœlo venire: Fatum scilicet, id est divinæ voluntatis effatum, quo regitur orbis, cùm certâ stent omnia lege, quam neque effugere datur, quia fugiendo in media sæpe fata ruitur, multique ad fatum venêre suum, dum fata timent: neque ingenio aut arte eludere promptum: nam fatorum lege immobilis rerum humanarum ordo seritur; neque ulla vis humana, vel virtus meruisse unquam potuit, ut quod præscripsit fatalis ordo, non fiat. Persas ajunt, cùm supplicium de illustri viro sumpturi sunt, vestem etiam ei detrahere, eamque suspensam verberare, & hominem ipsum. Facit hoc noster ille Pater qui omni castigatione nos tangit, corpus, agros, opes, & omnia externa. Altera ex corruptis moribus in præceps vergentium rerum publicarum emanat diffidentia: ex qua dissidia inter cives, publica belli semina, quæ populos semper mersêre potentes. Fatum evitari non posse: cùm præcipuè nos, propter nosmetipsos hoc patimur, de te verò & submississimè loqui, & præclarè sentire debemus. Diffidentiæ nullum salubrius remedium: quàm exulceratorum animorũ inita concordia, aut datâ satisfactione reconciliatio. Sanandorum porrò ex diffidentia vulnerum, grande Regalis facilitatis dedisse Majestatẽ Vestram documentum, quando in propositione sua benignissimè declarare dignata est Majestas Vestra; ut si quid in legibus, aut pactis conventis *Duæ originis interitûs Regni* *Persa vestes etiam punit*

A.C. 1672 ventis labaret, justo deniq; titulo displiceret, id liberè quisq; salvâ Majestatis reverentiâ coram Repub: profitetur: sanè sibi non molestum, nec in aliquo honoris jacturæ loco ponendum. Proinde videntur res nostræ velut in vado quodam adhærescere, idq; eo tempore, cùm velis & remis festinandum sit; suadere sese colloquium; cujus cunctationem nec res ipsa desiderat, & ratio præcedit: utq; ad illud tam Senatorius status quàm Equestris Ordo sua suffragia conferre velint, universos ac singulos invitare. Pacatâ intùs Republicâ, egestoque è visceribus, quidquid turbidum saluti obstaret, ab externa potentia, & venientibus à foris periculis facilè securitati Reipub: & intra paucas horas consuli posse: cùm nulla media defensionis sui adversus hostiles impetus Respubl: habere possit, quàm toties repetita, praxi feliciter probata, quæ in legum volumine præscripta continerentur, & quæ sulmineo sæpe sine igne tonat. Nam nova experimento difficilia, usu plerumq; Reipub: fuere sterilia. Relabentibus post hæc ad diversa studia Nuntijs, Regni Primas in fervore & vehementi spiritu: incusabat præcipitantiam consiliorum, quòd unico diei angusto spatio ingentia Reipub: negotia complecti destinassent, quòd defensionis, bellique rationes sine magno Exercituum Duce, ad quas à Principe ministerio literarum vocatus esset, tractare destinassent. Cùm tamen nunquam melius, exactiusq;, quàm nauta de ventis, Mathematicus de stellis, Medicus de morbis, Dux de bello consuli possit: ijs gubernandi Regni habenæ committuntur manibus, & ijs tractantur, quas robur & magnitudo commendat: cujus præsentia faciet gaudium magnum omnibus fratribus. Usq; adeò publica libertas magno parabilis est, cùm plures in eam incumbant. Sed ante omnia, curanda vulnera, quæ ex differentia Respublica accepisset, his nullâ ratione convenientius mederi posse, quàm colloquio, idq; in ablentia Principis habendo, ne cujusquam libertas Majestatis reverentiæ umbrâ obfuscetur, aut plus in verbis inhonestæ assentationis, quàm ingenuæ veritatis præseferat. Venit mihi in mentem locus scripturæ sacræ: En famuli tui flagellis cæduntur, & injustè agitur contra populum tuum. Non dixerunt, injustè agis, ne Regem offenderent, aut honori Regio detraherent, sed dixerunt; injustè agitur, scilicet ab exactoribus tuis, à ministris tuis, & fortè contra intentionem tuam. Proximam porrò diem deputationi ad materiâ securitatis tractandâ, suffecturâ. Die lunæ eradicandæ è pectoribo civiũ diffidentiæ destinandâ, invitatis ad salubre opus, quot quot haberi possent, Senatoribus. Relinquendũ callidis prætensionibus tẽpus, quo senescant, plerumq; innocentes recenti invidiæ impares. Nolle potest, qui velle. Vocabat interim Princeps senatum, & acceptis sententijs, suppressâ colloquij facultate, constitutionem de securitate Nuntiorum legi permittebat; quod Marescalcus quidem Equestris promptè executus; reliquũ tamen sessionis inter incerta disceptatũ abijt: quia Regni Primas; qui semel sibi induxit in animum, licere, quod velit; patheticè votum suum finiendo, postremò addiderat: proinde amplecti, aut exequi non suspectum velint consilium, dum sessionem ad candelas extrahi nunquam se permissurum ob præsens periculum, quòd, quidam pugionibus accincti siccarij reperiantur.

Venit interim Marescalcus Regni, & Supremus Exercituum Dux. Certatim, prout quisque è Procerum, aut Equestri Ordine splendidior, in adventum ejus effundebantur. Multi certandi officio quidem quasi ad insolitum spectaculum confluebant, avebantque videre, quis ille? quantumque nomen, quod Mtem obumbraret; cur elevamini super populum Domini, & ut majora

jora ſemper ſolet de magnis vulgare fama, percrebuerat per urbem rumor venientis ſecum exercitûs, concilando odium, quod parabatur in amorem, ſicuti inerant non temnendæ comitatui copiæ. Cracovienſis Ruſſiæque Palatini, Vexillifer Regni, caſtrorum & vigiliarum Præfecti, ſat grandi ſatellitio, Rex quoque lenitate, & officio Imperatoriam gloriam apud populum meriturus, ſplendidam Germanorum turmam, venienti obviam ivit; quod autem non venit gratum, perditum eſt, non datum. Incuſabant Terreſtres Nuntij uti Ubyzius Vexillifer Goſtinenſis, Gomolinſcius Palatinus Syradienſis, & Capitaneus Oſwiecimenſis Ducatûs Nuntij, qui incuſatis militibus quòd curiam eâ die irruperant, factâ repetitâque proteſtatione ex Senatu exceſſerunt. *A.C.1672*

Sequenti die Mareſchalcus Equeſtris Ordinis, qui cùm ſe in res magnas accingat, nihil eſt, quod in illo deſideres; relationem datâ copiâ Senatui coram Rege fecit: Sereniſſimæ Mtis Vræ indefeſſæ curæ, ac Senatoribus vicem implentibus auſpiciorum Serenitatis Vræ adſcribendum, quòd obdurati proteſtantium animi admiſerint moderationem, & magno conſilio ſint parati reſtituere activitatem: dummodo reliquis Comitiorum diebus nil, præter materiam ſecuritatis, tractandum ſuſcipiatur. Diffidentiæ porrò: non ego Regnum unquam ſtabile putaverim, ubi in diſſidijs, aut odijs quis regnat, quæ nihil aliud, niſi malè affectorum læſio eſſet animorum, ut non in Comitijs, & theatro Regni facilis ad omnia, multoque mobilioris ad violentiores affectus populi, ſed in receſſu conclavis per deputandos ſummos quoſque è Republica viros remedium adhiberetur. Conſilia Regni, adhibitis ioſùm, quos lex ad tractanda negotia authoraſſet, pacatè haberentur. Id poſtquam proteſtantes obtinuerint, regredi paratos eſſe, neque enim Rempublicam, quæ omnem ſalutem in rectè expenſis conſilijs reponeret, mentem eſſe proteſtantibus, nimiumque crudele ſtudium deſerere: ita malus, ubi bonum ſe ſimulat, tunc eſt peſſimus. At Procancellarius Regni, factâ per Mareſchalcum Curiæ audientiâ, ut occupatos rumoribus, & converſos ad famam civilium deſideriorum animos, terrore externi belli occuparet, & tractabiliores conſilijs de Republica redderet, præfatus de promptitudine ſua, & egregio in publicum animo, ut quantũ per abſentiâ conſilijs defuiſſet, tantum curâ & vigilantiâ promptum haberet compenſare. Turcici belli magnitudinẽ extollebat, & quo certitudine periculorũ, tanto magis ad conſulendũ de Patria univerſos cõmoveret, variâ, certaq; indicia memorabat. Supereſt aut de veſtra citius correctione lætemur, aut de veſtra imminenti ruina certè inconſolabiliter lugeamus, areſcentes & tabeſcentes præ timore, & expectatione, quæ noſtræ ſupervenient Patriæ, jam aliquoties Occidentis Imperatorem pro ſolito erga Chriſtianam Rempublicam amore, firmum Regem de molimine Turcarum monuiſſe, paria è Valachia adferri, eoſdem ex Tranſylvania Nuntios. At Rempublicam orbatam conſilijs, deſtitutam viribus, extra ſpem auxiliorum, tantùm egeſtate, & diſcordiâ conſpicuam, diffidentiâ & civilibus diſſidijs ad exilium ruere. Qui adverſatur multis, multorum in ſe iras accendit. Proinde de pecunia, & cogendo valido exercitu cogitandum potius ſvadere, quàm diffidentiarum ignem in civium pectoribus tectum, ægreque latentem, inanibus, ac ſæpe falſis rumoribus ſufflamminare. Ad hoc porrò conſilium invitari expedire magnum Mareſchalcum Regni, utpote ſupremum Exercituum Ducem, in cujus laudes multi ſe antecedenter effuderant, ita illum togam iduiſſe, ut ſagum nunquam exueret, ita pulchro quodam connubio honorem Bellonæ, dignitatem Marti junxiſſe, dum Senatorem agat, Martem profiteatur, honorarijs faſcibus triumphales inſerendo laurus. Extollebant plerique, quàm ſit in privato ſermone gratus, in reſponſis gravis, & circumſpectus, acer in ſententijs,

Joannis Sobieski encomia.

A.C. 1672 tijs, sed sine supercilio, in judicijs severus, sine immanitate, in pœnis decernendis adeo moderatus, ut etiam ipsi facinorosi, quos pœnis afficiendos, leges sanxerunt, animadverterint illum non homines, sed crimina insectari, atque punire, morbos, non ægros tollere. Eundum proinde iterum repetijt Procancellarius, idque negotij per selectos è Republica viros, rei militaris gnaros, in pauciſſimo numero tractandum conducere. Nam quod

Litera Vezyri. majus contingere potest tam atrocis belli documentum? quàm ipsius Vezyri suprem Ottomanicarum copiarum Rectoris, quartâ Junij datæ ad Principem literæ, quas Referendario Regni è Turcica lingva in latialem commentas legendas tradidit. Literarum series erat, quâ neque quidquam certi, neque atrox continebatur. Asseritis Ucrainam ditionem Vestram, & Cosaccos subditos vestros esse, cum hæc gens antiquitus libera, & sui juris fuisset, Regnoque vestro per Commissiones, & certis quibusdam tractationibus sponte accessisset. Verùm cùm vestram tyrannicam dominationem, & intolerabiles injurias diutius sufferre non posset, arma corripuisse, & vobiscum pro libertate bellando, sese in pristinum statum vindicâsse. Liberè proinde ad Celsissimam Portam invictissimi Cæsaris mei supplicâsse; ut illorum Patrocinium susciperet dignaretur, quod Serenissimus Cæsar solitâ erga miseros, & supplices facilitate, facere dignatus est, concesso vexillo & frameâ Doroszenkio. Itaque nisi tempestive cum invictissimo Cæsare meo composueritis, postquàm Exercitus, & infinitæ copiæ fines vestros cum Serenissimo Imperatore, jam Adrinopoli movente, attigerint, sciatis non tractatu, sed feroci gladio, & judicio altissimi, negotium istud dirimendum.

Judicium superliteris Addidit Procanceliarius: timendum ergo; ne fortè cùm venerit, non quales veliemus, inveniat nos, & inveniatur à nobis, qualem nolienus. Certum est, consultiùs esse periculis credere, quam diffidere, quia citiùs tristia, quâ læta eveniunt. Rationis tamen judicium nunquam negligendum esse, svadet prudentia. Cur enim post perpetui fœderis cum Ottomanica domo pacta pax nunquam violata rumperetur? cur clarigatio vicium personarum Ministerio ageretur? fortè quia sublimitatem nostram suam ruinam existimat? cur literæ ad Principem non ab ipso Cæsare, sed à Ministro ejus scriptæ essent? potuisse efferam nationem, & superbum tyrannum, innutritū arrogantiæ, contra Patrium morem, contra Majestatem, decoremq; magnitudinis Imperij, denunciato bello, pretium pacis petere, aut distractis Imperij viribus & attritâ expeditione Circassiensi Tartarorum potentiâ bellum Reipub. & ob metum vicini exitij universæ Christianitati facere, cujus vires jam pridem manifestiùs in confervanda amplitudine imperij, quàm quærendis provincijs laborarent. Repetita memoria collati Doroszenkio à Porta Banderij: Quibus de causis vir eruditæ artificio simulationis, modò harum, modò illarum Partium Legatos, alia palàm, alia secretò mentiendo, ac pollicendo ipsâ spe ineundæ Societatis mirificè sustinebat, cui facile rebellare, ad mendacium felicitatis venturæ non difficile placari ad veritatis præsentiam, repullulat aconitum, quod non radicitus extirpaveris. Idem rebellionibus ingenium est, quod calidis morbis, celeritate indigent, ut opprimantur, nam opprimi non poterunt facile, ubi vires sumpserint. Vetera hæc & quid nisi minæ? an non potius fuisset vigentem factione Doroszenkium, viribus integrum, bello non concussum, in tempore auxilio firmare, & Ucrainæ imperium petere; quàm invalidi, enervis, ac crebris prælijs exhausti, incertam sequi fortunam, sed industriæ & ingenio quid non in rebus humanis liceat, famâ quoque populum teneri certum est & hæc inventionis, artiumque seges est. Nec hoc inane, aut sine pondere medium fuit: invitandi ad consilium defensionis Reipub: Magnum Marescalcum Regni; quando aut spernenti

nenti ingens invidia subeunda esset, aut si venire dubitaret, specie offi- *A.C.1672*
cij pertrahi posset. Neq; multũ interesse putabant, an ancipitem seu propitium rebus, consiliisq; affectum adferret; dummodo rectè præsentibus rebus consuleretur: ut scilicet armatas preces in aciem promittamus, & opportunitate longè maximâ captus, parùm sincerâ fide veterum, & recentium nuper pactorum, conditionem acceptare queat. Salubrem interim moram, tempusque aliaturum animis lenitatem sperabatur. Posse & fortunam suum negotium agere, quæ sæpè malè consulta, actaq;, quoties voluit, etiam ferro ad jugulum adacto, in melius mutare novisset. Peritus nimirum auctor consilij, artis, erat tranquillæ potestatis, quæ sine violentia cuncta rectius peragere, mandataque fortius urgere imperiosa quiete soleret. Expeditis literis progressus ad thronum Procancellarius, exortæq; turmatim voces quod solutione sessionis non nisi violatis veteris Reipub: (sæpe enim talia exempla necessitas exigit) institutis magnum conciliorum dimitti posset: quando neque Comitia elapso termino prolongationis, neque activitas ad prolonganda longius Comitia obstantibus protestationibus absentium Nuntiorum posset haberi, magno tumultu per summam confusionem testabantur. Jam Princeps paulum à throno progressus erat; erat res spectaculo digna, & æstimatione sortis humanæ istâ varietate miranda; cùm auditis Nuntiorum vocibus, quibus compellabatur, rursus regredlebatur, nec ficto pavore aut habitu virtutis, sed institutorum, legum, libertatis patriæ, verùm in cunctis retinendi studium monstrabat, neque aliter decere summa Rerumpublicarum capita; quàm ut persona Principis, non solùm animis, sed etiam oculis civium serviat.

22. Junij medium sole tenente diem, Supremus Regni Marescha-
lcus procerus & pulcher, si quis alius, (suberant victoriæ suæ testes, ac præcones plurimi, nam ex eo, tanta authoritas fuit, ut ad illius præsentiam omnia bona in publicum quisq; sibi polliceretur) splendidissimo comitatu aream ingressus, Principem in conclavi præstolantem, & aliquot pedes officij causâ progressum comiter salutavit, verbis, gestu, ac vultu magnificentiæ studiosus dum præconceptæ de se contulit magnitudini. Nulli post hæc sociato sermone, tantùm se ad Regiualem Majestatem ire declaravit. Ubi velut propitiam votis suis precaturus Junonem, ac speciosâ humanitate rehabitus, rursus ad Principem regressus est, nec diu moratus ex aree ad epulas Primatis abijt. At jejuna consilij Respubl: plurimis frustra tritis diebus occultâ mœstitiâ, & calamitate suâ satiabatur. Nemini tamen, maximè eum tabella, aut idæa externorum morum, & regulari absoluti imperij prudentiâ venienti, insolitum, mirumq; videatur: cùm id ex libertate sit vitium; quod non simul nec jussi conveniant; sed & alter & tertius dies cunctatione coeuntium absumatur, potentioresq; cuncta consilijs trahant, non trahantur: nec patrias timeant leges, quamvis servire noluerint. Diffiteri tamen contumax, aut importunum esset: versam esse ob validiorum nimiam potentiam, invalido, spretoq; legum auxillo, omnem Comitiorum, quia nullo in hoc communi consensu Tribunitiæ potestatis, sine prolongatione protracta comitia, & usurpata activitas solvendarum sessionum, cùm Comitia deliissent: non temerè adversa casuum æstimat, quem fortuna subinde decepit. Nam & eâdem die vocatus dilabente luce senatus, &

A.C.1672 limitata consilia. Sessio quoq; apud Patres de Societate, quæ lenimentum animis ac diffidentiæ allatura sperabatur, nudavit vulnera; stimulante privati odij pertinaciâ in publicum exitium. Primas enim Regni incusatis Reipub: temporibus, & perstricto ambiguis verbis, nec quo ducerent, inclinaturis, Principis regimine: tandem acerbè increpuit Ministros Regni, qui præteritis Comitijs nullâ publicâ necessitate, sed ad manifestam oppressionem civium, & infinitorum occasionem malorum vocatorias motûs ad arma nobilitatis literas extradere præsumpsissent: præstat tamen scire, quòd melioribus legibus ministri statûs pugnabant, quàm ille cecinit. Cæteras quoq; exorbitantias, sub obtentu privati, aut publici juris, levi verborum attigerat impetu: quæ casus obtulerat, in sapientiam vertenda ratus, non tanquam in arena, sed quasi in proscenio paratas ultrò in scenam erumpere monstrans. Ad extremum fervore, & malè cuncta ministrante impetu patefacto velut pectore, & nudatis ultimis arcanis, quæ gloriam mereri non possent; Quamvis tam grandis diffidentiarum fomes uteunq; obrui & sopiri posset; nihilominus tamen ingruente Ottomanici belli mole, & supremis propè periculis, fateri se necesse habere, neq; nos defensioni propriæ sufficere, neq; Principem pares vires tuendæ securitati nostræ, & conservandæ saluti, ac libertati afferre posse; ut idem locus munimentum afflictionis ejus esset, qui ante fuerat ornamentum honorum. Quomodo ejus auxilium implorabimus, qui nullius auxilij copiam habet. Permittat Majestas Sua se non lædi, sed admoneri. Nuncius autem Siradiensis non observato ordine dixit: Quid interest, quis Dominus est, semper una servitus est. Sed altius ista penetrabant, quàm dicebantur. Alienæ scilicet vires, & externæ potentiæ accessio monstrabatur. Nam cui peregrino, rerum tamen Europæ gnaro imponi poterat, ne dum erudito Patriotæ legum, morumq; perito, externis Principum vicinorum auxilijs, non benignitate DEi, & propriis viribus sese, Rempub: adversus hostiles impetus tot per sæcula tuendo, conservâsse. Magnus quoque Mareschalcus Regni, res expectatione cunctorum paciatiores adferendo, adversus prospera & adversa vultu & animo æquabili, molliori sermone, sed non multùm distantia, insigni tamen prudentiæ temperamento moderata differuit: Utiq; DEus cùm inchoaret hoc opus mundi, quo nihil potest esse nec dispositius ad ordinem, nec aptius ad utilitatem, nec ornatius ad pulchritudinem, nec majus ad molem, quæ fieri ab homine non poterant, fecit ipse.

Turca appropinquat

Cùm autem dissensiones continuarentur, cùm jam ob abitum Ubyszij rupta esse Comitia multi proclamarent, Procancellarius Regni appropinquare in dies cum infestis nationibus Turcarum Cæsarem Reipub: finibus, qui 12 Junij Adrianopoli movisset, monstrabatque Italico idiomate à præcipuo Ottomanicæ domus Ministro Statûs scriptas ad se literas quibus significabat: si Respublica Legatum ad Portam ablegaret, antequam Exercitus Danubium transmitteret, posse consuli Reipublicæ quieti, si id spretum aut neglectum fuerit, impossibile esse non modò transigere, sed nec de tractatu quidem cogitare. Tandem idem Procancellarius à throno Principis declaravit: graviter quidem peccasse Ubyszium, quòd cum protestatione abiviisset, non legis, non violati Patrij moris necessitudine, sed vano arcendorum à consilijs arbitrorum prætextu, & in summa nihil profuturo, verùm illum Principis curâ, & circa bonum publicum vigilantiâ revocari posse, fatali Reipub. infelicitati, quo nam modo consuli possit? non videre; cùm humana hic deficiat prudentia. Non tamen deferere Serenissimum

simum Principem debitam sibi supremæ pro Republica curæ stationem. Proinde oblatis unicuique Procerum punctis, quibus ad privatum consilium invitabantur, Reipublicæ saluti & integritati Patriæ studuisse, sed spreta Majestas; visi sunt pigri in re publica, qui solent in privata esse diligentissimi; neglectum consilium, augentibus in dies fatis perituræ Reipubl: non tam signa, quàm portenta, qui ut imperium evertant, libertatem præferunt. Verùm ut detur adhuc meliori fortunæ Reipub. locus, rejicere Principem præsentem ad diem lunæ sessionem. Igitur impetratâ sibi audientiâ Judex Wielunenlis senili vultu eóque mœstitiæ accommodatiori tristi sermone, auditis ingeniosis salubre Reipublicæ consilium superaddere voluit, inculavit obstinatos civium ad perdendam Rempublicam animos, actisque Principi gratijs, quòd eò usque magnorum procerum operâ in reconciliandis non tam sibi, quàm libertati & Reipub. infentis animis adlaborasset, obsecrabat per viscera Patriæ intermedium ordinem, ut, qui amore nolunt, obligentur stare in officio metu. Sanctus Petrus monet: servite Dominis non solùm bonis, sed etiam discolis, ut universus Senatus, Marschalcus denique Equestris Ordinis cum Nuntiorum Collegio si non affectum Primatis; liceat nobis tanti viri pace id, quod sentimus, eloqui; erga Rempublicam, ac certè conscientiam, Patriæ & Religioni obnoxiam, quà pervalionibus, quà precibus aggrederentur. Postremò protulit: Coriolanos equidè hæc Patria non habet: sed exempla timet. Marschalcus interim Equestris, quia vera forma abierat, speciem Comitiorum usurpabat, consulebatque privatim accedendo Palatinatus, an prolongationi subscriberent? permittentibus universis (quia tamen prolongatio sine activitate liberæ vocis non modò concedi, sed nec ritè nominari poterat) non interpellare Equestrem Ordinem, magnum pro Repub. consilium die lunæ habendum pronunciavit. *A.C.* 1672

Sequenti die Sessio Majoris Poloniæ celebrabatur, ubi promiscuè confœderationi Ordinum Regni à Nuntijs subscribebatur: insurrecturos sese contra quosvis hostes, qui pacem internam perfidiâ & seditionibus turbando, in Majestate Principis libertatem, in Republica communem statum, in perversione statûs Religionem, cultumque Numinis turbidi cives, divorum, hominumque obliti: quis enim lætam Principis fortunam deseruit, destruere molirentur: strepebantque continuò minaces voces, arma fratrum, & vindictam ultoris DEI in defectores vocando. Jamq; nihil, nisi ipso omine atrox Comitiorum Catastrophe expectabatur, cùm coacto Senatu, offusâ ingenti multitudine, & factâ per Cancellarium M. D. Lit. audientiâ; Episcopus Culmensis ita incepit: mentiri, veritatē celare non possum: iteratâ toties deputatione socijs Episcopo Kyovienſi, & ex Equestri Ordine Oszviecimenſi, & Golubienſi Capitaneis, ad Regni Primatem, cæteroſq;, quorum amplissima adfuit copia: ad extremum non infeliciter sese officio functos esse. Quando unus ex illis mitis Pompej moderatior ingenio, accepto omnium consensu, nos eâ instruxit declaratione, quam in publico renuntiare nos impositum stringit officium. Quieti se Reip: ut par, egregios cives, consulturos. Proinde neminem frequentaturū magnū Reip: consilium sele polliceri, nisi quē lex ad eam admitti prærogativam persvalerit. Verùm diversis materijs corrumpi consulendi tempora, nunquam se passuros. Hominū generosorū esse honestis rationibus victoriā quærere, turpibus, ne salutem quidem: quando solo securitatis Reipub: negotio, consumptis per inania Comitijs, per tantæ jacturæ pretium rependi posset. Abdicationem Principi, quo uno ad præsens medio, ab imperitis, & ad violenta pronis velut oblato flagitio, mobiles populi mentes concitarentur, nunquam se publicè, nisi in privatis apud Principem audientijs svasisse, idque tantum Principis deliberationi leniter insinuâsse, dum licet, quidquid libet.

Confœderatio.

A.C. 1672 Disquireret apud se prius, statueretque, quid illi in extrema Regni calamitate, in destituta omni ope humanâ Repub faciendum esset, non enim se Reipub. statûs, ut quibusdam suggillatoribus videretur, adeo imperitos, ut sine consensu id omnium Regni Ordinum, & recentis exempli abdicationis rationibus probè expensis posset contingere, aut sine violatione pactorum & manifesto Principia tam crudè practicari perjurio; ad quæ flagitia non modò impellere, sed ab illis Principem reducere mentem mihi, rationemque esse: sanare, si quæ vulnera, non rescindere, nec in omnia anxiè inquirere, ut apud exteros sit notum inveniri bonos, non fieri; fortius semper bonos pro Rege, quàm alios contra Regem pugnatores, agere. Obedientiâ Principi interdicere voluisse, quid mirum, quando jubente novissimâ lege; si Principem quemcunque articulum Pactorum Conventorum violare contingat, jam ipso facto, vi, judicioque, lege subditos à præstanda manumitti obedientia. Constitutiones sub Stephano Bathoreo & Sigismundo III latas, quæ restrictâ libertate, ter Principem moneri prius à Primate in Senatu præscripserint, antequam obedientiæ renunciandum esset; præjudicare præsenti legi non posse; cùm in jure sequentia legent, nihilque conformius ad libertatis ingenium accommodari possit, quã habere velut in promptuario ad manum remedia, ne leges & libertas Reipublicæ vel levissimis Dominationis flagitijs, & nunquam sine flagitio Regnantium artibus læderentur: quod si non esset, nihil felicitati nostræ deesset, præter moderationem & fruendi artem. Eam in nobis resolutionem non modò legum, sed promiscuè Pactorum Conventorum excitavêre læsiones; quas salvâ conscientiâ & Religione Senatorij muneris reticeri non decuit. Ne tamen tanta moles oneri esset & dispendio temporis de Reipub. securitate consulendi, graviores tantùm exorbitantias, magisque Reipub. statum afficientes, cùm authoritas Regum semper tempore valescat, ita subditorum mora interit; per Regni Cancellarium proposituros. Tum Procancellarius Regni diffidentiam esse asseruit; quæ eò usque salubrem vim tractandorum negotiorum moraretur. Verùm non minus obstare protestationem Nuntij, quâ ademptum omne jus de Repub. consulendi, id præsenti casu, quàm nocivum sit, edoceri: cum deputatio ad modificationem exorbitantiarum sine activitate ritè institui non possit. Proinde compellare se collegam protestantis, ut omnia sub rati habitatione ejus, quæcunq; ad præsens Respublica constituisset, acceptare non recusaret. Quidam vidisse eum in urbe; judex Sanocensis obvium sibi familiari excepisse sermone, arguebat, omnibus deinde placitum cogitantibus consilia, quæ non poterant stabilire (quandoquidem lex disponeret; ut eâdem die, qua cœpissent Comitia, finirentur) rejici Sessionem ad proximam diem. Idem Procancellarius Regni à throno declaravit cum voto Principis: ut ad primam Julii Comitia prorogarentur, nominatisque è Senatu Deputatis ad exorbitantiarum discretionem, Cujavienſi, Plocensi & Posnanienſi Infulatis, Marescalcum quoque Equestrem ad eandem operam hortabatur. Sed fremitu rejectum. corrupti enim & abominabiles facti sunt in studijs suis. Lingva eorum gladius acutus; spretumque cum præjudicio liberæ vocis, ademptâ scilicet activitate publica tractandi negotia, consilium.

Altero post die erumpebant voces, quibus Marescalcus Equestris ad valedicendum Principi impellebatur, multique gravibus Comitijs & aeribus contumelijs, quamvis in clamore, & tumultu verborum suspectam cunctationem, nec sine malevolentia immeritam Rempublicam tanto tempore per ludibrium haberi incusabant, cùm pars petitâ Sessione porrecturam se præcipua exorbitantiarum puncta per magnum Regni Cancellarium proposuit. His sermonibus tandem, & pudore negati colloquij exstimulati: ex-

orbi-

orbitantiarum puncta in scripto Episcopo Cujavienſi porrexêre; quibus ille acceptis, impetratâ audientiâ, apud aſpernantes omnem moram, ut conſilijs, ita Reipub. inimicam, ita cœpit: parvas moras habere magna commoda, difficultates obortas intervallo debellari; tenere ſeſe, quamvis antiquos caſus recenti memoriâ: nunquam diebus divino cultui ſacratis proſperum ſortita eſſe quæcunque conſilia ſucceſſum. Proinde cùm ſpes concludendorum affulgeat Comitiorum, donarent id Chriſtianæ pietati, quoniam tribulatio proxima eſt, concederent honori Principum Eccleſiæ, ut ſaltem ſi nollent ampliùs de Reipub. negotijs conſulere, die craſtinâ ſub actu hodierno Comitia terminarent. Feſtum diem feciſſet niſi eſſet. Exortus interim clamor, nam noluerunt intelligere, ut bene agerent, tertias univerſales literas bellicæ expeditionis continuò petentium, ſed præſumptâ dicendi voluntate Epiſcopi Cujavienſis: utique eſt DEus judicans in terra: paulùm quievêre, tum ille, laudatâ eorum in Patriam & Principem pietate, illorum conatibus ut aſſoret, Numen precatus, ſupplicare ſeſe Principi protulit, benefac Domine bonis & rectis corde; ne vota Equeſtris Ordinis in concedendis literis Generalis motus moraretur. Vocabat interim Princeps Senatum, & exploratis ſingulorum ſententijs, currentibus non occurrebant offendicula, per Procancellarium Regni declaravit: non deponere animum Sereniſſimum Principem, quin cuncta in melius ceſſura ſint, quando ad deſideria veſtra inclinat aurem ſuam, quando vota ſua reddit Domino in conſpectu omnis populi, quando vellet ſua Majeſtas dimittere omnes ſecundùm deſideria cordis eorum, quando congregati de Nationibus in oblatis exorbitantiarum articulis, nihil atrox, à civilibus medijs alienum proponant. Sed cùm non modò tractatus, verùm ipſa lectio, quando in tribus phiuris continerentur, diſcretionem temporis petant: unico id Principem ab Equeſtri Ordine flagitare voto; ut exiguæ tolerantes moræ eſſe vellent, ne Comitia, neſcientes corruant, ne internam Reipub: pacem præcipitantiâ perverterent. Vocatorias armorum Equeſtris Ordinis literas, etſi Rex extradere vellet ut ſuis conſilijs timore malorum ſublato ſaturentur ſine publicis Palatinatuum declarationibus extradi non poſſe. Ad eam vocem fremitus & execrationes; tanquam pretioſior eſſet ob metum peſſimorum reſpectus invidiæ, & vilior cum exoidio bonorum Reipub: ſalus. Urgentibus deinde acriter Mareſchalcum Equeſtrem ad valedicendum; ipſe miſerabili oratione inſtantibus occurrit: Ut ſi damnatis tantillũ temporis in ſupremam recollectionem concederetur, cur ſibi ad infelicem Comitiorum exitum, ſuæ nimirum calamitatis compendium, brevis mora, & nullum ulli mortalium allatum diſpendium in præmium laborum privilegio fraterni affectûs non Procancellarius ſtans pro gradibus Majeſtatis rurſum excepit; quandoquidem ita omnino videretur vobis, ut Equeſter Ordo ad beneficam expeditionem ultimarijs literis vocetur, non refragari eorum deſiderijs Sereniſſimum Principem, modò in id univerſorum conſenſus accederet. A. C. 1672

Non obſtantibus his, ſine intermiſſione Maraſchalcus Equeſtris, vocibus, & continuis clamoribus compellabatur; ut erga Principem ſupremo officio fungeretur: id ſi negligere præſumeret; plurimi Nuntiorum ituros ſe ad Principem, & valedicturos teſtabantur. Sed Magnus M. D. Litvaniæ Cancellarius ſolitis ſibi artibus, cùm eum vix intelligeres agere, cùm ageret tamen; cunctationem, torpentemq; Mareſchalcum juvare volens, à throno Principis declaravit: non deſperare Sereniſſimum Principem de facilitate Equeſtris Ordinis, ac proinde præſentem ſolve-

A.C. 1672 re ſeſſionem, edoceens, vel edoctus anteactis temporibus: nihil eſſe utilius Regno, quàm validum, ſpernendis rumoribus populi, juxtaq; invidiæ haberi Principem. Sed non eadem ſemper arti fides, quando non idem dominantibus ingenium, temporum ratio, & tolerandi in ſubditis patientia; major experientia monſtravit aliud conducibile, facta cernebantur, & animus videbatur. Eam itaq; vocem ſecutus atrox clamor dicentium & clamantium: egebant pedes capite, & pedibus egebat caput, ſtatim apparebant valedicentes; deſcendentiq; de throno Regi quidam Nuntij obvij fuêre, exhibitâ reverentiâ quaſi uſitato erga Principem officio fungerentur.

Ita Comitia accelerandis rebus præter ordinem indicta, cunctatione & metu vani terroris protracta finivêre: quæ ſi in ſpatio duarum ſeptimanarum finita fuiſſent: eludi oſtentatio virium adverſæ partis poterat, & ſi non melius, certè maturius conſuli venienti ab Oriente tempeſtati, quàm contra naturam penè è ſaxis veriùs, quàm fluctibus violenter turbidi Æoli cierent, provocarentq;. Non vidiſſet Senatus & Eques ademptâ activitate ob metum, pavoremq; potentiæ, non minus cum turpi ludibrio, quàm extremo liberæ vocis periculo prolongata Comitia. Non ſpectaſſent oculi civium, quodq; magis dolendum etiam externorum, vacillantem Senatum, trepidos, feſſoſq; labore Miniſtros, & vix ſecretos eorum ſermones, ſine formidine, temporarias inter magnos viros amicitias, falſaq; odia; utinam tãtum compati poſſim, quantum doleo; nihil ſancti priſciq, moris inter projectos ad ſervitutis artes, Dominationemq; volventes, & cæteros libertati, quam palam tuerentur, in ſecreto inimicos, converſam conſiliorum formam, in tranſverſum actis Comitijs, immutata Majorum inſtituta; dum nimia lenitate miſera Reſpublica ambitum, furoremq; fert Civium, aut declinat. Ita apparebat, ut virtuti bellum indictum eſſe videretur. Non vidiſſet reſpub: occupatum præſidio, velut pro manibus hoſte, Regni armamentarium, ad calamitatem quilibet rumor valebat; & quanquam quies urbi eſſet, ſtrepitus telorum, & facies belli erat, militibus ut nihil in commune turbantibus, ita ſparſis per domos ac palatia, ſimul in rabiem erupturos timebatur. Forttuna permiſſa facere id, quod faciebat. Hinc metus per omnes, paſſimq; fuga, nocens habet aliquando latendi fortunam, nunquam fiduciam, & in baſilicas, ſacraq; aſyla ſupellectilis exportatio; qui timore aliquid agit, nihil agit. Egregij cujuſq; judicio, jam pudebat incepti, jam pœnitebat, pace ſuſpectâ, tutius bellum Reipub: erat, conſilium in hoſtes unicum, armari manu; ſed tunc ſpecie conſiliorum, tanquam in arena ante acies tractatus inſtituebatur, deponendi Principis, qui gaudebant de aſcenſu, timebant de lapſu, quod Reipub: defendendæ par non eſſet, nec Reipub: tantum virium, & ſeipſam ſalvare poſſet, altius conſilium ſpeciosâ ſapientiâ tectum, trahebaturq; à mora Comitiorum tempus, ſæpius ſparſo rumore, declaratoq; ſtudio: jam ſe callida de exobitantijs, jam de ſecuritate tractaturos; & eum nihil horum præſtaretur, non modò conſulendi tempora, ſed & rerum gerendarum opportunitas palàm Reipub. eripiebatur. Expectabantur nimirum triſtes Nuntij irrumpentium Orientis Exercituum in ditiones Reipub. ut ad externi belli molem, rumoribus inteſtina audacis diffidentiæ facinora obſcurarentur. Gravia hæc & vix toleranda mala, ſed civilis prudentiæ judicio ſtandum: ſecuritati prius, quàm ultioni fuerat conſulendum, projectæ contumeliæ quonam modò tolerari poterant, cùm non modò virorum, ſed etiam mulierum, ad tantùm facinus adhibitum ſit conſilium, ideoque deterius: felices cicadarum mares, uxores quorum nullum de ſe edunt ſonum. Tentanti fœmina ſolo ingenioque ſuo fortiter animata, ut eſt ingens animi contra fas juramenti, da-

tamq;

tamque Reipub. fidem, Principi ſvadere abdicationem imperij; malitia ut pejor veniat, ſe ſimulat bonam. Quæſitum deinde omni arte & colore; ut Principi obedientia interdiceretur. Conſcriptas exorbitanti calamo magno numero exorbitantias, quæ ſi juſtè examinaveris, ſapienter dixeris: petentium Reipub. orbitatem inſtantias fuiſſe, & quia ademptâ activitate in Senatu lugubri ſcenæ facultas non dabatur, ut declaratis ferociter, quæ exorbitata eſſent, poſtremò obedientia interdiceretur; hinc dici poterat à Rege, & reſponderi ab alia parte: cur me verberas? quia tu vis. Ideo lætaſſe Principem, & amicos Principis inani ſpe reconciliationis: præcipua ſe tantùm puncta, idque ad modicum reſtricta ordinem, quo tempori conſuleretur, declaraturos, & quia iſtæ artes aſtu colebantur, tandem innumeras tricas & querelas produxêre. Expectabatur lucrum ex tempore, cujus mortem appetebant, vitam oderant, ex certamine circa materiam exorbitantiarum, validum in Senatu diſſidium. Invidia id, quod ridet, loquitur, non quod ſubeſt; & hinc votiva negandæ Principi obedientiæ opportunitas. Verùm eluſi tam iniqui conatus propitio in rem Polonam Numine, ſubtractâ Comitiorum activitate, donec mitigati animi in fidam concordiam coaleſcerent, quæ quando non modò non ſequebatur, ſed nullum ipſius ſincerum deprehendi poſſet indicium. Iratus dum ad ſe redit, ſibi tunc iraſcitur. Secuta eſt Comitiorum jactura, quæ triſtiori Reipub. fato, & grandiori periculo aliunde parabatur. Quare quaſi nihil gravius obſtinatio pati potuiſſet, quòd intra invidiam, & furori ſimillimum nocendi ſtudium, citra publicam ſtetiſſet injuriam: aliena commoda & ſua damna pari dolore partiebatur. Sed tacita erat in animis ira, quidquid Patres faciebant, diſplicebat: quod nocuiſſe non ſit conceſſum. Hinc ob pudorem prolati facinoris, & metum armorum claſſicum tonantis Equeſtris Ordinis. Et quoniam manifeſtis erroribus ſubſidium ab audacia petendum eſſet, præcipitia conſilia, ad extremum deſperatio, paſſimque ferales voces: ut niſi eorum animi favorabilibus conditionibus placarentur, ſubſequeretur-que ante diſcrimen venientium Palatinatuum reconciliatio; cuncta valſitas & extremus furor occuparet. Movere hæ minæ quemlibet poſſent, ne dum homines Patriæ amantiſſimos. *A.C. 1672*

Poſtcomitiale tandem conſilium mirâ frequentiâ celebratum eſt. Puncta conſultationum hæc erant: Utrum mediatio cum Cæſare Turcarum per Ducem Tranſylvaniæ ſuſcipienda? an ſubmiſſio Doroſzenki Reipub: acceptanda? & nobilitas Regni ad Generalem bellicam expeditionem convocanda eſſet? Primas dixit, oblitus cavendum eſſe in alijs dicere, quidquid in ſe ſtatim retorqueri poteſt: quòd ſe non modo conſilij dandi in tanta Reipub. calamitate poſt rupta denuò Comitia, velut multiplicatâ in publica damna malitiâ, ſed & verborum inopem, ac pœnè elingvem eſſe, videre ſe palàm nullas in Repub: opes, opemque, ac proinde impoſſibile deſperatis jam rebus afferre conſilium. Nihilominus tamen cùm ſeſe contingat reflectere ſuper puncta præſentis conſultationis (miſerum eſt tacere cogi, quod cupias loqui, quomodo regere poteſt, cùm regi non poſſit) diffiteri ſe tamen non poſſe; egregia prudentiâ conſcripta eſſe, plùs tamen lenire Reipub: vulnera, quàm ſanare. Metuendum ſemper eſſe ſcivi Reipubl; quam tutam velim. Non quàm multis placeam, ſed qualibus, ſtudeo. Circa reliquas deinde materias illuſtri ingenio executus deliberationem. Vocari ad arma Equeſtrem Ordinem, & extremas Reipub: vires exponi exitio diſſuadebat. Recenſitis querelis, & ambiguâ multorum Palatinatuum nobilitatis de Principe famâ, quòd non ita pridem, ſed & antè ſæpiùs ad communem motum

Puncta conſultationũ

evoca-

A. C. 1672 evocata nobilitatis arma, non tam saluti Reipublicæ & defensioni Patriæ, quàm privato usui, & ficto pavori militarent. Pericula timidus, etiam quæ non sunt, timet. Jus quoque Sereniſſimo Principi convocandæ ad arma nobilitatis, ruptis præteritis Comitijs, evanuiſſe. Proinde quamvis ſuadere bellicum motum Equeſtris Ordinis non poſſim; volo tamen cæteras Senatorum operiri ſententias. Ubi ventum ad Epiſcopum Cujavienſem; cujus hoc pretium eſt, non poſſe pretio capi, ad ſingula conſultationis capita facundè, & magnâ cum cura, ut Senator; ſanctè, quia Præſul: candidè ut bonus, rectuſq; civis pro Rep: diſſeruit: Noluimus conſulere de Rep: cùm potuimus, non poterimus, cùm voluerimus, neque enim atratam hanc malorum ſeriem deſtinatam in nos venire irâ DEûm; ſed prægravantibus peccatis noſtris, & obcæcatis jam animis ipſi flagitia noſtra in ſupplicium nobis vertimus. Velut ſi avis feſtinet ad laqueum. Aperiuntur labra mea, ut recta prædicent, prævideo, quòd noviſſima erunt amara, quaſi abſynthium, & acuta, quaſi gladius biceps. Cuncta tamen expendenti media, quibus pax refovendis ægris Reipub: viribus retineri poſſet: duas occurrere principaliſſimas rationes, adeoq; rerum agendarum fundamenta; diffidentiarum ſcilicet medelam; cùm univerſa delicta operire deberet charitas, & virium Reip; paratum. Illæ nudatis velut vulneribus, promulgatis nimirũ e xorbitantijs, medentis manum facile pati poſſunt, datâ illis à Majeſtate Veſtra, quà publicè, quà privatim ſatisfactione: multis communi Reipub. auxilio medendum eſſe, reliquas utpote aeriori affectu, quàm juſtioribus cauſis natas, civilis prudentia facile tranſmitti à bonis civibus impetrabit. Subita porrò pericula, quibus viribus à Repub. ſuperari poſſint? nuſquam ſe cernere, niſi ultimo Equeſtris Ordinis armorum robore. Ad eam hominum, temporumque malitiâ Rempub: deveniſſe ſortem, ut aut vincendum neceſſe ſit, aut moriendum fortiter cum gloria ante ſervitium. Cæterum ſe haud vano ſperare augurio; ſi exulcerati continuis diffidentijs animi modum quietis, ac lenimentum amoris in Patriam admitterent, evaneſcente atroci ab Oriente tempeſtate, abituram Reipub. armorum neceſſitatem; & revicturam velut è cineribus ad gloriam gentium, utilitatemque populorum Rempublicam domi legibus, & concordiâ, foris armis, famâque, & ſacro per juſtitiam fœderum cultu. Hæc vatis inſtar cæteraque locutus, perinde inſigni amore, quàm egregiâ in Rempub. fide ut parem illi eâ ætate meritò in Curia deſiderares Senatorem, quæreres in Republica civem.

Caſimirus Princeps Czartoryſki.

Differebant alij, quamvis fuiſſent, quorum memoria deberet eſſe cum laudibus, ſed his tanquam minus neceſſarijs morari te Eminentiſſime Princeps nolo, concludoque, quòd ſteterit tandem intra ſolitum Equeſtrium virium præſidium, Reipub. defenſio. Timeo, ne fidei erga Regem magnũ quidem, ſed triſte non ſit monumentum.

COPIA LITERARUM S. R. MAJESTATIS AD SEREN: IMPERATOREM ROMANORUM. Varſaviæ 16. Martij.

MAgno in diſcrimine, quod Regno noſtro à validiſſima Turcarum potentia, & aperta contra nos hoſtilitate impendet, reſpicimus ad opem & auxilium Majeſtatis V. quam & arcta neceſſitudo, & proxima vicinia rebus noſtris proſperis, adverſiſque connectit, jam plenè certi ſumus Turcarum Imperatorem occupatæ Candiæ ſucceſſu elatum, contra Poloniam conſilia & arma dirigere, contractiſque maximis exercitibus & moto jedibus

ſuis

ſuis Oriente, ac Tartarorum, totiuſque barbaræ vicinia colluvie A.C. 1672
ad obſidendum Camenecum, validiſſimam Civitatem & arcem, occupandamque, qua longè patet, Ukrainam & Rußiam ſummâ armorum mole imminere. Iam contractis, conglobatiſque in unum viribus, non longè à conſpectu finium numeroſi exercitus conſpiciuntur tanto apparatu, ut veniſſe ſummam Regni diem, & meluſtabile fatum, vix eſt, qui ambigat. Terrent nos tot funeſti Provinciarum caſus, tot ante oculos Gentium, Urbium, Inſularum magna cadavera Turcicæ immanitati in prædam & famam facta. Metimur res, vireſque noſtras, quæ continuis tot per annos bellis attritæ, & defeſſæ, niſi aliunde fulciantur, propè eſt, ut immaniſſimo hoſti facilè ſuccumbant. Iam afflicto Regni noſtri ſtatu, planeque præcipitio, eximiam ſanè ſpem reponimus in auxiliis Mtis V. cujus optimum animum florentiſſimi olim, nunc afflictiſſimi Regni calamitate, ac vicinorum gravi & proximo periculo commoveri non dubitamus. Rupto enim hoc velut aggere Poloniæ auctu magnarum & bellicoſarum Gentium præſertim acceſſione Coſaccorum ſchiſmaticorum, quàm immane excreſcens Turcica vis in proximas terras & ditiones Chriſtianas effundetur. Quod cùm prudentia Majeſtatis V. facilè dijudicabit, tum non deſerendam ſpem ac ſalutem periclitantis Poloniæ, opibuſq; & armis tum juvandam pro gloria DEI, & Religionis Catholicæ integritate, proque ſuo erga nos propenſo affectu, & propulſando communi diſcrimine, haud gravatè in animum inducet. Prolixius Generoſus Baro Syri Reſidens noſter, deſiderium noſtrum, ac periculorum magnitudinem coràm exponet. Quod ſupereſt, Majeſtati V. longævum ac feliciſſimum Imperium ex animo apprecamur.

COPIA LITERARUM S. R. Mtis AD NUNTIUM APOSTOLICUM VIENNENSEM. 16. Martij.

Cùm præterito anno viſum fuerit ſummo Pontifici ſpeciali legatione per Reverendiſſimum in Chriſto Patrem Archiepiſcopum Florentinum de propulſanda invicem Turcarum hoſtilitate, nobiſcum & cum Sereniſſimo & Potentiſſimo Imperatore conferre, induximus in animum, impendente nobis graviſſimo Turcico bello, uti operâ Paternitatis Veſtræ, ut rem noſtram, adeoque totius Chriſtianitatis officio ſuo iſthic adjuvet, ſuſtentetque. Communis & juratus Chriſtiani orbis hoſtis Turca, tot Gentium, tot Regnorum ſpoliis tumidus, attritis, defeſſiſque viribus Regni noſtri, vix ac ne vix quidem retundi, reprimique poteſt. Quo in tanto diſcrimine ad amica & Fraterna auxilia ſuæ Majeſtatis reſpicientes, eorum non dubiam ſpem pro fœderum ac neceſſitudinis nexu, proque non tantùm Regni Noſtri, ſed communi Chriſtianitatis propulſando periculo, in animo fovemus. Gratiſſimum nobis erit, quidquid curæ

&

A.C. 1672 & solicitudinis in tam gravi negotio publici boni, ac imprimis gloriæ Divinæ, & Religionis Catholicæ causâ Paternitas Vestra impenderit. Uberius desiderium nostrum Reverendissimus in Christo Pater Archiepiscopus Damiatæ, apud nos Nuntius Apostolicus significabit Paternitati Vestræ, cui interim bonam valetudinem à DEO optamus.

COPIA LITERARUM AD SUMMUM PONTIFICEM.

Varsaviæ 16. Martij.

POst oscula &c. Hactenus necdum lassata neque satiata tot Christianorum Regnorum ruinis Othomanica tyrannis suas in arcano cogitationes alebat, donec adversis Regni hujus casibus, arctisque rebus in consilij sui fortunam adhibitis, bellum immane nullis agitatum causis, solâ publicè latrocinandi libidine tandem Poloniæ constaret. Et fecit fidem atrocis istius suæ mentis, arrogantibus juxta & minacibus ad me perscriptis literis, quibus Ucrainam & gentem Cosaccorum subditorum meorum expetita à Rebellibus Protectionis titulo, in suum jus devenisse affirmavit, cui tuendo ferrum se capere, & in campum Martium vere novo descendere. Iam contracta toto Oriente in unum vires conglobantur, jam non longè à conspectu finium validi, ac numerosi exercitus panduntur, jam Scythæ intima Russiæ persultant, cricumsonantia, Istrum, Tyram, Hippanim, barbara arma latè per campos funduntur, ut venisse summam Regni diem, & ineluctabile fatum, vix est, qui ambigat. Terrent me interim tot funesti provinciarum casus, tot ante oculos Gentium, Urbium, Insularum magna cadavera, Turcica immanitati in prædam & famam facta. Accedit Moschus, cui semper fides & religio post sua commoda, & fallere jurejurando perinde, ac loquendi modus habetur, ex insidijs gravissimo Reipub: tempore id agitans, ut occupatis cum Christiano hoste à tergo in Russia incumbat, vires, quas Turcæ objiciamus, sanè fateri S. V. non erubescam, haud invenio pares. Camenecum Regni mei antemurale primum impetum agrè sustinebit. Fuerunt Poloni, fuit inclyta quondam bellisq; virisq; Sarmatia; nunc mutatus est color optimus. Bellis ex se invicem nascentibus, ac nexis, diversisq; hostibus, postremò civilibus malis fessi, non jam de victoriæ gloria, sed de salute dimicare reliquum habemus. Ego sanè non faciam animam meam pretiosiorem, quàm Sanctam Matrem meam Ecclesiam, & Sedem Apostolicam, quàm Reipub: Christianæ integritatem, ac meorum subditorum tutelam feram. Usq; ad reliquias hunc sanguinem, quem non impiger pro DEo, & populo mihi concredito devoverim. Video enim in illis ipsis campis penè adhuc pulchrè stantia Majorum meorum signa, video fusum unctis Regum corporibus, mistumq; barbarico sanguinem, video Poloniæ Regum & Ungariæ valida pectora in victimam concidisse, fortunæ loco habiturus, si ad Serenissimas illas umbras maligna luna Ottomanica

nicæ aſpectum obſcuraturus addar. Deniq; in his præcipitiis nihil remedij jupereſſe uideo, quàm ut Dominum Exercituum humilibus uotis fatigem, ne iſtam hæreditatem ſuam det in opprobrium, ut dominentur ei nationes, tum ſupplex ad S. V. accedo clementiſſimi Patris benignitate præſens Regni mei periculum, atq; in eo totius Chriſtianæ rei incolumitatem, ut ſummæ curæ habendam ſibi exiſtimet, atq; cùm Supremo Numini uota ſoluere, tum bello nervum utilem efficaci providentiâ quamprimùm ſubminiſtrare, Principeſq; Chriſtianos ad auxilium Regni mei excitare dignetur. Prolixius deſiderium meum Sanctitati Veſtræ exponet Illuſt: & Rdmus in Chriſto Pater S. R. Eccl: Cardinalis Urſinus, Regni mei Protector. De reliquo Sanctitati Veſtræ longævum ac felix rei Chriſtianæ Imperium auguror, ac mihi, ſubditoq; mihi populo Pontificiam benedictionem humiliter exoro. A.C.1672

COPIA LITERARUM S. R. MAJESTATIS AD GENEROSUM DE BOY. Varſaviæ 25. Martij.

PErſpectam habentes Fidelitatis Tuæ dexteritatem, ac de nobis, & de Repub: Poloniæ bene merendi ſtudium, committendum tibi duximus, ut literas noſtras Regias, Sereniſſimo Regi Galliarum, nomine noſtro decenter reddas, quarum deſcriptum tenorem pro informatione Fidelitati Tuæ hiſce annecti juſſimus. Enixè Regni noſtri periculo, auxilia adversùs Turcam Copijs militaribus, & aliquâ parata pecuniæ ſummam nobis ſuppeditare optamus. Diverſio etiam belli per mare ſi claſſe Gallica fieret, conſilia & potentiam Turcarum valde diſtraheret, plurimumq; rebus noſtris commodaret, adjungimus & de efficacibus officiis, per Legatum Gallicum apud Portam Ottomanicam interponendis, poteſt enim dehortatio nomine Sereniſſimi Regis Galliæ, aliorumq; Principum Chriſtianorum facta, Imperatorem Turcarum à bello contra Poloniam ſuſcipiendo deterrere, vel retardare. Confidimus Sereniſ: Regem Joannem Caſimirum interventoris partes ſedulò obiturum, neq; omittendus Cardinalis Bonſius ſi præſens in aula Gallica reperiatur, ut conſilijs officiisq; ſuis cooperetur. Gratum nobis ac meritorium Fidelitas Tua præſtabit ſervitium, quod occaſione data Regali noſtrâ gratiâ recompenſare non gravabimur.

COPIA LITERARUM S. R. MAJESTATIS AD REGEM GALLIARUM. Varſaviæ 25. Martij.

NON ignotum eſſe exiſtimamus Majeſtati Veſtræ, quanto in diſcrimine belli Turcici Regnum noſtrum verſetur. Communis & juratus Chriſtiani orbis hoſtis, tot Regnorum Gentiumque ſpolijs & ruinis tumidus præſertim occupatæ Candiæ ſucceſſu elatus, ruptâ fœderum obſervantiâ, apertam nobis hoſtilitatem denuntiavit, contractisq; magnis exercitibus, & moto ſedibus ſuis Oriente, ac Tartaros

A.C. 1672 rorum totinſq; barbaræ vicinia colluvie, ad occupandam quàm latè patet Ucrainam & Ruſsiam provincias noſtras, præ primis ad obſidendum & expugnandum Camenecum, validiſsimum propugnaculum, tota armorum mole imminet. Jam non longè à conſpectu finium prævalidi & immenſi exercitus hoſtiles panduntur, jam propè Danubium & Tyram truci claſsico, Ottomanica arma circumſonant; Terrent nos funeſti tot Regnorum caſus, tot ante oculos gentium, Urbium, Inſularum magna cadavera, quæ Turcicæ immanitati in prædam & famam ceſſerunt. Metimur res viresq; noſtras, adeò continuis bellis, varijsq; caſibus attritas & defeſſas ut niſi aliunde fulciantur, verendum ne immaniſsimi hoſtis & potentiæ orbi formidolosè ſuccumbant. Tam afflicto & ancipiti Regni noſtri ſtatu, eximiam ſanè ſpem reponimus in auxilio Majeſtatis Veſtræ, cujus numeroſi & inſtructiſsimi exercitûs ingenti fama celebrantur, quàm uti Chriſtianiſsimi nominis decus ad defendendam Chriſtianitatem armat animatq;, ita ultra veterem inclytorum majorum gloriam propria etiam adjutæ nuper Candiæ & Hungariæ exempla, ad præclaram ſuimet imitationem pro DEo imprimis & ſancta religione, proq; tuendo Ortodoxo Poloniæ Regno haud dubiè ſtimulabunt. Animadvertit facilè Majeſtas Veſtra in Poloniæ noſtræ adverſo caſu reliquæ Chriſtianitatis periculum verti, neq; dignius & ſanctius opes Regias impendi poſſe, quàm ſi exhauſtis & deficientibus florentiſsimi quondam & amici Regni viribus ſuppeditentur. Dabit Mtas V. propenſi erga nos animi & pro Repub: Chriſtiana ſummi zeli glorioſum ad præſens, & in ſeram poſteritatem documentum, ſi partes noſtras contra Chriſtiani orbis prædonem, tam ſuppetijs ærarij, quàm ſuis efficacibus per Legatum apud Portam Ottomanicam Reſidentem officijs adjuvet; noſtri viciſsim conatus erit, præſtito à Majeſtate V. difficillimo rerum noſtrarum tempore, auxilia mutuis quacunq; occaſione ſtudijs, & devinctorum animorum documentis gratè remetiri. Quod reliquum eſt Majeſtati V. longæuam incolumitatem & proſperrimos rerum ſucceſſus à DEo precamur.

COPIA LITERARUM PROCANCELLARII REGNI, AD WEZYRUM. 28. Martij.

Hortatur ad pacis conſervationem.

PRæter ſpem & expectationem noſtram accidit, quod cum Seren: & Potent: Rex Poloniæ Michaël ad præſens feliciter regnans, cum Seren: & Potent: Turcarum Imperatore amicitiam inviolabiliter colere & bonam vicinitatem obſervare intendat, ac proinde in teſtimonium ejusdem bonæ amicitiæ, poſt felicem electionem & coronationem ſuam plenas officij literas, per expreſſum Ablegatum ſuum atq; ſatisfactionem ultimo tractatu per Legatum Poloniæ Radzjejovium mutuam confirmationem pactorum miſiſſet, econtra à Sereniſsima Porta Ottomanica diverſa experimur, cum rebellem Pe-

trum Doroſzenko fovere non intermittit; & per Czauſium ſuum offenſivas literas, miſit, nec non per Tartarorum aliorumq; vicinorum copias, Regnum Poloniæ contra omne fas, & æquum infeſtatur, Wysocius inſuper Ablegatus Regius contra jura gentium hactenus detinetur. Equidem ſatis confidit juſtitiæ Cæſareæ Sua Sacra Majeſtas D. Clementiſſimus, (ſuper omnes vires & arma quibus non deſtituitur) imprimis DEo omnipotenti, qui bellorum arbiter & violatorum fœderum ſeverus vindex eſſe ſolet, tamen nihil adhuc intentatum omittimus quo veterem, & fœderatam amicitiam omnibus modis conſervemus ac mutuis etiam officijs magis magisq; augeamus. Magnum enim commodum eſt, Regnis & vicinis populis, ut ſecuritate plenâ pacis & opum ſuarum liberisq; commercijs ab utrinq; ſubditi fruantur. Quocirca informationem hanc veram & candidam mitto Excellentiæ V. Doroſzenkium falſa vobis referre, neq; mereri ut ejus cura habeatur, qui nullum jus habet ad Ukrainam, quæ propria eſt hæreditas Regis Poloniæ, nec Princeps eſt aliquis, ſed ſimplex homo, unius ruſticæ caſæ incola qui ad commendationem Ductoris Tartarorum declaratus fuit à Regia Mte Poloniæ Joanne Caſimiro Ductor Coſaccorum prout literæ ipſæ Baterage, quas mitto Originales documento ſunt, itaq; liberũ fuit eundẽ deponere & aliũm Ductorem quem ſibi Coſacci ẽlegerunt, ſubſtituere & confirmare, eſt enim Doroſzenkius ebrioſus, leviſſimus toties proditor, qui minimè ſuo arbitrio res egit, ſed dependet à directione cujusdam Tukalſcij Monachi aſtutiſſimi, qui ſcribendo epiſtolas & Nuntios mittendo omnia perturbans, omnes principes decipit. Nuperrimè ante quatuor ſeptimanas, cum Regiam Mtem & Rempub. Poloniæ Doroſzenkius humillimè placaret, eodem tempore ad Magnum Moſchoviæ Ducem miſit cujus ſe protectioni ſubdere, & juramentum fidelitatis præſtare obtulit prout ea de re nobis idem Magnus Moſchoviæ Dux ſignificavit. Expendet itaq; pro ſua prudentia Excellentia V. laudabilius & honorificentius eſſe pacem & amicitiã ac fœdera antiqua integrè & inviolabiliter retinere, revocando in memoriam nihil unquam hoſtile Poloniam contra ſereniſſimam Portam Ottomanicam attentaſſe, nullis ſe bellis, in præjudicium imperij Turcici immiſcuiſſe, & cum aliquando Divæ memoriæ Vladiſlaus Rex Poloniæ magnum apparatum feciſſet, ac de bello in Provincias, & ditiones Turcicas inferendo agitaſſet, Status & Ordines Regni Poloniæ Regis protunc ſui voluntati obſtitiſſe, neq; quidpiam in violationem pacis & vicinitatis permiſiſſe. De Wysocio Ablegato noſtro, quod hactenus ibi detineatur, juſtè conquerimur, quem ut Excellentia Veſtra, juxta priorem ſuam per literas ad me datam declarationem in Poloniam remittat, iterum inſtamus. Quod reliquum eſt Excellentiæ Veſtræ bonam valetudinem & proſperos ſucceſſus apprecor. Datum Varſaviæ &c. ut ſuprà.

A.C. 1672

Tukalſcij doli.

A.C. 1672 COPIA LITERARUM S. R. Mtis, AD SULTAN MECHMET CHAN PER CZAUSIUM 28. Martij.

Sereniſſimo & Potentiſſimo Principi Domino Sultan Mechmet Chan Imperatori Maximo Conſtantinopolitano, atque Aſiæ, Africæ, Europæ, Perſarum, Arabum, Synce Cypri, Ægyptique Domino Amico & vicino noſtro chariſſimo.

MICHAEL DEI GRATIA REX POLONIÆ, M.D.L. &c.

EX literis Serenitatis Veſtræ, ante aliquot menſes, per expreſſum Czauſium, ad nos miſſis, intelleximus, quod Serenitas V. Doroſzenkium rebellem noſtrum ad protectionem Suæ Portæ Ottomanicæ confugientem receperit, & vexillo ac veſte eum donaverit, ac exinde tanquam voluntariâ deditione factum ſubditum ſuum unà cum ejus adhærentibus Coſaccis & cum tota terra ac Provincia Ukrainæ poteſtati & imperio ſuo vendicet nec non pro injuria & violatione pactorum quaſi per nos facta Serenitas V. id decernit, quod partem Exercitus noſtri, præterito autumno ad firmandas præſidio aliquas civitates & arces præcipuè propter reprimendas incurſiones Tartarorum Bialogrodenſium miſeramus atq; ex ea cauſa, nobis & Regno noſtro primo vere hoſtilitatem minatur. Equidem nihil ſanctius duximus & hactenus ducimus, bonâ vicinitate & fœderum obſervatione cum Sereniſſima Porta Ottomanica. Iam ſatis conſtat orbi terrarum Anteceſſores noſtros, Sereniſſimos & Potentiſſimos Reges Poloniæ omnibus modis præcuſtodiviſſe, ne Coſſacci irruptionibus ſuis, terrâ vel mari per Pontum Euxinum ditiones ſereniſſimæ Portæ Ottomanicæ lateſſerent, proinde non tantum inſolentes Coſaccorum Ductores, ſæpiùs extremo ſupplicio affecti fuerunt, ſed & tota gens Coſaccorum ſummo labore & ſumptu arcibus erectis, ac præſidiis impoſitis, miſſis etiam validis exercitibus Polonis coercita fuit, ne limites Poloniæ excederent. Ex hac cauſa ob adeptam prædarum & incurſionum felicitatem originem habuit rebellio Coſaccorum, qua auxilijs Tartarorum poſtmodum Moſchorum aucti, tot per annos coerceri totaliter minimè potuerunt. Tam ſincerum pacis amicitiæ, & obſervandorum fœderum ex parte noſtra, ſtudium profectò non pari ſtudio, ex parte ſereniſſimæ Portæ Ottomanicæ recompenſatum eſt; Nam Tartarorum excurſiones & cum rebellibus conjunctiones ſæpiùs permiſſæ fuerunt, ac tandem nunc Doroſzenko per ſpeciem protectionis ad rebellionem magis, magisq; animatur. Poſtremò Serenitas Veſtra, terram noſtram propriam, & hæreditariam Ukrainam, ſibi jure Dominij vindicat; Quod igitur in nobis eſt ſincerè informamus Serenitatem Veſtram Ukrainæ Provinciam ad nos hæreditariè ſpectare, Doroſzenkium ſubditum noſtrum alienandæ noſtræ hæreditatis poteſtatem nullam habere, ejusdem Doroſzenkij, hominis

vilis,

vilis, & apertißimi proditoris, qui nuperrimè etiam Magni Ducis Moſchoviæ protectionem affectavit, & obtinuit, fraudes & dolos fidem non mereri, certiorem nobiscum & perferendam amicitiam eſſe, qui fœdera & jura vicinitatis ſemper obſervavimus, & conſtanter obſervabimus. In cujus rei documentum, deſtinavimus mittere ad Serenitatem V. Legatum noſtrum, ipſum etiam Doroſzenkium, & Coſaccos in eo ſtatu prout fuerunt, relinquemus: uſq; dum per tractatus, & conferentias amicabiles omnes controverſiæ, & prætenſiones ſopiantur & componantur. Minimè dubitamus Serenitatem V. æquitati locum daturam, neq; antiqua fœdera, ſine juſta cauſa violari & abrumpi (quod DEus ulciſci & punire ſolet) permiſſuram. De reliquo Serenitati Veſtræ longævæ valetudinis incolumitatem precamur. A.C. 1672

COPIA LITERARUM SAC. R. Mtis, AD SUPREMUM TURCARUM WEZYRUM. Varſaviæ 28. Martij.

REmittimus Czauſium cum literis noſtris reſponſoriis, ad literas Seren: & Potent: Imperatoris Turcarum, ex quibus edocebitur Illuſtritas V, quàm ſincero animo & omni conatu conſervandæ paci, bonæ vicinitati, & antiquorum fœderum obſervantiæ, cum Porta Ottomanica ſtudeamus, cum verò præcipua authoritas ſit Illuſtritatis V. compellandam eam duximus, ut ad retinendam inter vicina Regna tranquillitatem conſilia ſua dirigat, cùm nulla omnino ſufficiens cauſa ſit, ad abrumpenda nobiscum fœdera, quæ ex parte Poloniæ nunquam violata, nihilq; hoſtile à Sereniſſimis & Potent: Regibus Poloniæ anteceſſoribus noſtris, multò minus à nobismetipſis attentatum, imò optima ſigna conſtantis amicitiæ, & bonæ correſpondentiæ demonſtrata eſſe variis argumentis etiam orbi univerſo conſtat; Prolixiùs id expreſſimus in memorata epiſtola noſtra Regia quæ Sereniſſimè informabit. Quod reliquum eſt Majeſtatem Veſtram bene valere cupimus.

COPIA LITERARUM VICE-CANCELLARII REGNI, AD EUNDEM PER EXPRESSUM MISSIONARIUM. Varſaviæ 29. Martij.

POſtquam Sereniſſimus & Potentiſſimus Rex Poloniæ D. meus Clementiſſimus cum ſuis Palatinis & Senatoribus, atque belli Generalibus Ducibus conſilium magnum abſolviſſet, ſtatuit primis & decrevit mittere Legatum ſuum ad Sereniſſ: & Potent: Turcarum Imperatorem, ut decenti modo ſinceram amicitiam, bonam vicinitatem, & antiquorum fœderum obſervantiam ex poteſtate ſua conteſtaretur, quod literis ſuis Regiis ad Seren: & Potent: Im-

A. C. 1672 peratorem per remiſſum Czauſium declaravit. Ex more itaque & inſtituto præmittimus certum hominem exhibitorem iſtius epiſtolæ qui de adventu Legati Polonici prænuntiet, & de propenſione ex parte Veſtra, ad amicabilem tractatum notitiam reportet, minimè dubitamus, eam legationem ad renovandam amicitiam, ad amovendas omnes diſſenſionum occaſiones proficuam & efficacem fore. Quod ex mandato Sereniſſimi Regis mei ſignificans, expectabimus quàm primùm reſponſum. Interim Excellentiæ Veſtræ bonam valetudinem, & proſperitatem à DEo apprecor.

ANDREÆ OLSZOWSKI PROCANCELLARII REGNI AD SUPREMUM REGNI MARESCHALCUM.

Varſaviæ 1. Aprilis.

Acta in Senatûs conſilio.

EXcerpta tuis ex literis, ſtatum concernentia puncta, propoſita ſunt in hodierno Senatûs conſilio. Ad commendam Camenecenſem Rex Varios deſtinabat, ſed ſuo quiſque ſe excuſavit obtentu. Generalis Łaczynski dicitur velle hanc obeundam ſpartam ſuſcipere, ad quem Rex dedit literas Radomium, ubi his diebus ſuæ uxoris funus celebrat, nunc interim vices ejus ſupplebit alius. Pro neceſſitatibus præſidio debitis, ex ſuo Rex dedit ærario 2000 aureorum per Referendarium Regni devehenda. Peditatus ex minoribus fortalitijs, Camenecum eſſe deducendos, viſum eſt Senatus-conſilio; habito tamen reſpectu Mohiloviæ, & Braclaviæ; ſuſtentatio nihilominus eis aliunde provideri nequit, niſi ex contributionibus Palatinatuum, & hybernis. Legati ab Hanenko & Valachis venerunt hodie, literasque mihi reddiderunt, in quibus eſt, quod ſeriò perpendatur, cum, ſicut abjicere ad nos refugientes, ita acceptare ſit periculoſum; & hæc enim irruptio in Valachiæ terras, timendum, ne bellum nobis Turcicum acceleret. Optant & requirunt deſignandum uxoribus, & liberis reclinatorium in Pokucie; ipſi verò ad bellicum obſequium, ſuam devovent reſolutionem; his tamen eorum deſiderijs ſatisfactio à nobis haberi nequit, niſi tuo decidatur judicio, quidnam fieri expediat: Doroſzenko qui oſtendit ſe ad pacem propendere, concluſum, dandam tibi eſſe poteſtatem, cum eo vijs ſecretioribus conferendi, & quàm utiliſſimè tractandi, ſub futurorum Comitiorum ratihabitione, non tamen id ſignificando Hanenko probatæ fidei viro, literasque cautè ad Doroſzenko mittendo, quas ille Portæ communicare ſolet, ac ad credentiales deferendas, idoneum ſubjectum adhibendo, perſvadendo, ut fidum quempiam cum plena poteſtate, ad te mittat, palámq; renuntiet protectioni Turcicæ & Moſcoviticæ. Ex Moſcua ſcripſerunt Commiſſarij Mnohogreſzny Ducem illius Boryſthenis, dedere ſe cum tota Ucraina Czaro, motivo potiſſimum vindicandæ ab oppreſſione Religionis, quod Miniſtri Moſchovitici in diſcurſu ſcripto expreſſerunt: affirmat idē Mnohogreſzny etiam Nizanos non habentes à Rege ſatisfactionem, ituros ſub ſupremam Czari poteſtatem. Licet itaque perfidus Doroſzenko poterit illum tamen tua rectificare authoritas, cum contra eum inſurrexerit Korſun & Cerkasy. Palatinus Braclavienſis proximus licet limitibus, nullam in ſuis literis facit mentionem periculorum à Turcis; pene ſolus ego affirmo, & præmoneo, reliqui extra metum ſe eſſe judicantes, ominantur illa à nobis avertenda.

RESPON-

A.C. 1672

RESPONSUM VESPASIANO LANCKORONSKI EPISCOPO CAMENECENSI ET IOANNI MALACHOWSKI REFERENDARIO REGNI, LEGATIS REGIJS AD SUPREMUM REGNI MARESCHALCUM AB EODEM MARESCHALCO DATUM, die 18. Aprilis.

CUm debita (ut ſemper ſolet) reverentia & obſervantia Mareſchaleo & Supremus Dux Exercituum Regni, ſuſceptis, tam literis Regiæ Majeſtatis, quàm oretenus expreſſa Epiſcopi Cameneeenſis & Referendarij Regni, voluotatis & intentionis ejus explieatione; gratias imprimis refert Regiæ Majeſtati, quòd Regio & Paterno affectu eondoleat indiſpoſitioni valetudinis ejus, quæ fuit unieus obex (ut id etiam ipſa Regia Mtas innuere dignatur) tam ad recipiendam in publicis defiderijs eontentationem, ex Domini, erga perſonam ejus reſpectu, quàm ad præſtandum debitum, & promptum ſemper erga Regiam Mtem & Rempub: in hoc publicorum conſiliorum theatro obſequium. Et quia per prædictos dolorem ſuum Rex Mareſchalco, & Duci Exereituum Regni explieat & aperit, quẽ ſentire dignatur, ex muitiplicatis inter ſtatus & perſonas, diffidentijs, præſentiſſimumq;, in communieatione earum omnium Mareſehaleo & Duci ponere dignatur remedium: quidquid ergo integerrima eonſeientia, inviolata fides & amor erga eharam dictabit Patriam, quæ etiam ipſam Regiæ Mtis perſonam compiectitur; totum id breviter per eoſdem Legatos Mareſchalcus & Dux Exercituum Regni exprimere, manifeſtareque vult, & ex fundamento, oceaſionem malorum, & diffidentiarum demonſtrare, quæ hactenùs tumultibus eonfundebant Rempub. Quod Regiam Mtem grato animo ſuſeepturam eſſe, minimè dubitat Mareſchalcus, cùm in hoc expreſſam voluntatem Regiæ Mtis, & mandatum exequatur.

Tria potiſſimum Mareſchalci ſenſu, pro genuina, & infallibili male eontentorum omnium & diffidentiarum aſſignantur, eauſa ex quibus velut quibuſdam fontibus promanârunt omnia alia, quæ his temporibus in malum Reipub: agebantur. Primus fons eſt nimium libera, aeclinisq; Regiæ Mtis auris, tum ijs, qui alio modo gratiam mereri nequeunt, aut neſciunt, tum ijs, qui non tantùm placere, Dominique ſtudent favori ſe inſinuare, verùm etiam his artibus, quæ jam antecedentibus annis ſunt practicatæ, indueendo Regem inter, & ſubditos diffidentias, radicando quaſdam in corde ejus ſuſpiciones, ſuam ſuorumque erigere, & fundare conantur fortunã: quos etiam ſubindè in falſitatis deprehenſos delicto, ſuâ Rex gratiâ protegit, eò tamen eorum hominum devenit auſus, ut illas impoſturas auſi fuerint, confingere, quæ non tantùm in Poloni mente & corde, verùm etiam in crudeliſſimi & impijſſimi reperiri non poſſe viderentur: unde malum id totam inundavit Poloniam, ut optimæ quæque actiones, conſilia, & intentiones in reprobum ſenſum malevolum id hominum genus interpretetur: & licet quid ſummum, & Reipub. ae libertati utiliſſimum conſulatur, proponatur, & perſvadeatur, inimicus ille communi concordiæ homo diſſenſionum ex nunc ſuperſeminat zizania, calumniando rectè agentium opera, in everſionem vergere & ordinari libertatum. At utinam hujuſmodi cum domo & tota familia deleatur, de numero viventium ſuper terram, æternumque, eui non eſt amor libertatis vitâ carior, quique tam excors eſt, ut nolit poſteris ſuis ea relinquere, quibus ipſe nihil eharius in vita habuit. Præſentiſſimum igitur nomine Mareſehalci, Nuntij, hujus mali Regiæ Mti dabunt remedium, ut hujuſmodi ſeminator non toleretur ad latus Regium,

A.C. 1672 ſed combinatis veritatibus cum ejus fallitatibus, excludatur, illi verò in favore & confidentia Regis conſerventur, quos probata fides & inſignia merita, ſive in ſago ſive in toga, commendant.

Secundus fons eſt malecontentorum & diffidentiarum, metus conſervationis, primò S. fidei & Eccleſiarum DEI, deinde ſui ipſorum, fortunarumque ſuarum; non mirum enim, quempiam contentum non eſſe, dum tam proximum impendentem ſibi, ſuiſque fortunis, videt interitum: & inde fors ferventiores, contra quos Mtas Regia conqueri dignatur, ad menſas & in conſeſſibus diſcurſus ſolent erumpere. Licet enim omnes non ſumus extra periculum manifeſti interitûs, alij tamen vel ſunt remotiores ab hoc periculo, vel naturas habent moderatiores vel ſuo ſtudentes intereſſe; reliqui verò vel ſunt expoſiti primis hoſtium impetibus, vel zelatores S. fidei & Eccleſiæ, & præterea ex natura ferventiores, conſequenter impatientes. Deindè gens noſtra ut & aliæ libertatibus innutritæ; ſuâpte naturâ in ſermone liberior eſt, non tam occultè, ut in ſervitute, ſub Tyrannis, ſua mala gementes; hac forſan de cauſa DEus vult, Reges noſtros eſſe ſine aculeo, ut eſſe ſolet mater inter apes; non ut in alijs nationibus, ubi minimum etiam verbum, incautè prolatum, ſub Monarcharum cadere ſolet Inquiſitionẽ, ſi ergo ex exteris & remotis nationibus, liberis Polonæ gentis vocibus vocati ad ſolium, aſſveſcere & accommodare ſeſe diſcebant libertatibus liberæ gentis: à potiori id convenit Regiæ Mti, quæ eſt os ex oſſibus noſtris, utpote Princeps in eadem nobiſcum natus & enutritus libertate, & quidem ſub ſimili non pridem conſtitutus poteſtate, vel ipſe vel S. M. Parens ejus his ſimilia habens reſentimenta & impatientias; Polonæ ſe accõmodare libertati. Ab hoc igitur metu, ex quo hujuſmodi ſermones & malecontentationes procedunt, ut omnes poſſit Mtas Regia liberare, efficaciſſimum Mareſchalcus adinvenit remedium, quod per Legatos eoſdem Regiæ Majeſtati proponit, ut ſeriò & efficaciter Mtas Regia ſe exemplo Majorum & Anteceſſorum ſuorum applicet, ad ſuperandos S. Crucis & Reipub. hoſtes, ſopiendaſque male contentorum prætenſiones.

Tertius fons diffidentiarum, pacta conventa & exorbitantiæ; in pactis enim conventis omnia attingi non poterant, quæ ſtatus hujus Reipub. requirebant, quia illa ſcripta ſunt jam poſt nominationem, & quidem in præſentia Regiæ Mtis, quod antea aliter ſolebat fieri, & in tanto tum jam fervore & numero partiſantium videbantur multa tacenda, quæ ſcribenda erant Reipub. Exorbitantiæ verò plures antiquis acceſſerunt, quæ, ne in orbitam reducantur in Comitijs, duæ tantùm obſiſtunt perſonæ, volentes per hoc favores mereri Regiæ Mtis; dum verò quis liberè vult loqui, aut agere pro juribus, hoſtis Patriæ per eos audit apud Regiam Mtem; cùm tamen longè liberioribus vocibus offendi non ſolerent, Anteceſſorum Regiæ Mtis aures: & ideò fors univerſam nobilitatem communi motu ſuõ tempus Comitiorum evocandam ſuadent, quòd id pro felici habeant concluſione, dùm nihil concluditur prout hujuſmodi fomentatores volunt, non conſiderantes, quòd per hoc Cardinalia legum vim patiantur. Ad omne igitur malum, præſentiſſimum & adæquatum per Legatos dat remedium Mareſchalcus, ut Mtas Regia concedat, nec per ſuas impediat creaturas, addere illa in pactis conventis, quæ tum, ſive ob inadvertentiam, ſive ob metũ, addita non ſunt; eaque quæ ex orbita legum & conſvetudinum Patriarum exciderunt, paternè in ſtatum reduci permittat. Contentos per hoc faciet Mtas Regia, non tantùm malè contentos, verùm etiam totam Rempub. quæ nihil magis deſiderare poteſt, quàm ſui ipſius conſervationem; conſervatio verò illius pendet in defenſione & legibus, defenſio in applicati-

one

one ad eam Regiæ Mtis. Fundamentum verò legum eſt earum executio. *A.C.* 1672
Quoad utrumq;, ſi Rex agere dignabitur ominari & promittere ſibi poterit, fore; ut omnes ceſſent diffidentiæ, & malè contentationes, quæ, (ſecurè huic Mtas Regia fidem præbeat) nunquam ad eum, etiam cogitatione, deveniebant gradum, ut quiſpiam odio præſentium & cupidine mutationis, novam ſibi formaret Theologiam in documentum hujus, tam juſtis Regia Mtas annuat deſiderijs, & Mareſchalcus & ſupremus Dux Exercituum Regni, à ſe incipiendo, omnes ſuos privatos diſguſtus, (in publicis enim injurijs, & recenti exorbitantia, contra ſuam poteſtatem, pro reparatione, & ſatisfactione Regiæ Mti ſupplicabit) donabit amori Patriæ ſuæ, non exigendo ullum præſertim cum detrimento menſæ Regiæ, reſpectum; ſalus enim civium, & integritas jurium & libertatum Patriarum, eſt, eritque ſemper ſummæ ejus contentationi. Hæc ſunt civilia media, (præter quæ, alia adhibere Regiæ Mti Mareſchalcus non ſvadet) quæ non tantum humana ſuppeditabit prudentia, verùm etiam Divina benedicet dextera; quibus non tantùm animos ſedabit ſubditorum Majeſtas Regia, verùm etiam de inimicis S. Crucis, Deo dante, feliciter triumphabit.

Ad partem Exercitûs Samborij in conſiſtentia locati nullam habuit offenſam Mareſchalcus Regni, niſi tantùm ad unam aut alteram perſonam quia tamen debitam præſtiterunt ſatisfactionem, ex corde illis Chriſtiano more remiſit, adhuc ante adventum Epiſcopi Camenecenſis & Referendarij Regni. Quia verò ad propoſitum ſuum per Gurzynium expreſſum, per eoſdem Legatos nullam Mareſchalcus habet declarationem, & reſolutionẽ, & graviſſimæ Reip. neceſſitates ulteriorem non patiuntur moram; nec niſi ratione unius Agrarij (vulgo Łanowy) Peditatûs, ex mente Regiæ Mtis accepit declarationem; ideò petit per eoſdem Legatos, realem, tam ad illas ſuas propoſitiones reſolutionem, quàm etiam, ut Mtas Regia ſua ad dictos Peditatus Łanowych dare dignetur univerſalia, admonendo eos, hanc expeditionem illis non fore damnoſam. Multi enim in Palatinatibus ſculteti, loco expeditionis, ad ærarium Regium pecunias contribuerunt.

Troſcianenſibus Vexillis bene de Regia Mte & Repub. meritis, quæ ex ſuo erexit ærario, contracto ampliora in ſua bona debito, ſtipendium unius quartualis, in parata pecunia, ſolvit Mareſchalcus; pro altero quartuali, in vim recompenſationis de publicis contributionibus ex varijs Staroſtijs, etiam ſuæ non parcendo, colligere conceſſit, ut illos eò facilius ad ulteriora Regiæ Mtis & Reipub. obſequia habilitaret, & ad ſimiles reſolutiones incitaret. Quod inter merita erga ſe, & Rempublicam Regem ſuſcepiſſe non dubitat Mareſchalcus, ſperatque interpoſitione authoritatis Regiæ ad ſtatus Reipub. in futuris Comitijs Regiam Mtem effecturam, ut ſumma in hos homines erogata ex primis Reipub. proventibus reſtituatur; altera verò in Staroſtijs, bonisque Regiæ Mtis, & Reipub. deſignata, in computum publicæ contributionis ſuſcipiatur: quod demiſsè poſtulat Mareſchalcus. Quæ omnia ſolitâ prudentiâ, prout magnis hujus Reipub. civibus innatus erga hanc Patriam, ejuſque conſervationem dictabit amor, Nuntios Regi delaturos, non dubitat Mareſchalcus Supremus Dux Exercituum Regni.

MANIFESTUM MALECONTENTORUM.

Datum Varſaviæ in Junij.

NOS infra ſcripti, noſtro & eorum omnium nomine, quibus integritas & conſervatio jurium & libertatum, conſervatio S. fidei Catholicæ, totiuſq; Reipub. in antiquo ſtatu, quies & tranquillitas

A.C.1672 tas publica in primo sunt respectu, siniſtris interpretationibus, non non tantum in Regno Poloniæ & M. D. L, verùm etiam in variis exteris nationibus iniquè diffamati, imprimis coram DEo omnipotente, velut ſcrutatore cordium, deinde toto universo, & civium animis in varias ſuſpiciones abductis, notum facimus, quòd eo animo & intentione alij ex vi dignitatis ſenatoriæ privatis Regiis literis ferventius invitantibus, alij ex vi functionis ſuæ Nuntij, à fratribus deſignati ad comitia præſentia, ultimo, (quod avertant ſuperi) Reipub: caſu, ab iis ſtudioſè & malitioſè rupta, qui Rempub: ſciſſam, & in turbido videre volunt, & ſub ſpecioſo boni publici prætextu, incommoda Reipub, ſat jam attritæ quærunt, convenerimus, ut imprimis compoſitis civium animis per talem qualem ſaltem coloratam compoſitionem in exorbitantiis, & juribus Cardinalibus læſis, & convulſis; fundatum, in unione animorum conſilium contra tam formidabilem Reipub: noſtræ imminentem tempeſtatem, belli Turcici, provideremus. Verùm, quia comitia hæc ad duas, deinde tres, & tandem quatuor ſeptimanas ob ſpem abbreviationis dirigebantur, ut exclusâ omni mentione exorbitantiarum, confœderationibus per Provincias, in privatis ſeſſionibus, in monaſteriis, in caſum rumpendorum comitiorum, per ſciſſionem Reipubl: in anteceſſum concluſionis comitialis, conſtitutis, ijdem ipſi (quod ſubſequenter evenit) eadem ruperunt comitia. Nam ſicut modum comitia celebrandi inſolitum aggreſſi, de iis abrumpendis agentes, vacantias ante ſenatus-conſulta, & ante deſignationem ad calculationem fiſcalem, ac nominationem Deputatorum ad conſtitutionem, aliaq; præliminaria, proponebant; ita eadem comitia jam à duabus ſeptimanis inchoata, captis aliquot ſupra decem Nuntiis, ad concludenda conſilia, quinque diebus ante concluſionem comitiorum lege circumſcriptorum non habitâ ratione alterius legis vetantis, ne ſuperius legerentur, pro quibus in Camera Nuntiorum communis conſenſus & concordia non præceſſerit, cum everſione ſtatûs, & Cameræ Nuntiorum, 1633 & 33, ad ſenatum abiêrunt, biduoq; mutuis concertationibus & perſuaſionibus inſumpto iterum ad Cameram Nuntiorum, in graviorem ejus deſtructionem, & everſionem rediêrunt, ibiq; numero & ſatellitio aucti, ſub prætextu arbitrorum, varias anſas, & occaſiones, magis ad rixas & contumelias excitantes, dando, rem ad tumultum præmeditatum deduxerunt, in quo, in Piaſzczynium Capitaneum Braclavienſem evaginatis armis irruerunt contra Łukomſcium Nuntium Palatinatûs Witebſcenſis, ut per feneſtra ejiceretur, contra Chełmſcium Subdapiferum Sandomirienſem Nuntiû Palatinatûs Cracovienſis, ut in partes diſſecaretur, acclamationes fecerunt; ita ut ægerrimè à cæde & ſanguine ſervati fuerint. In craſtinum verò & die 3tiâ, poſt illum tumultum, loco ſatisfactionis, alij exceſſum illum contemnendo, & alleviando, alij de hoc ſermonem ad ſenatum reſervando, aliquot ſupra triginta variorum Nuntiorum conſpirantes, Mareſchalcum Nuntiorum, non dicto vale: Nuntiorum Cameræ, nec actis gratijs pro exanthlatis laboribus, per ſimilem priori tumultum, fruſtra reclamantibus, & revocantibus, octoginta & duobus Nuntijs reliquerunt, ſuperiuſq; venientes ex nunc propoſitionem & conſtitutionem de abbreviandis comitiis, per Mareſchalcum legere cæperunt; Et certè activitatem, non habitâ ratione tot Nuntiorum contradictionis ſibi uſurpâſſent, ſi ab iis intentis per quoſdam Senatores ad pleniorem numerum reducti non fuiſſent. Triduo poſtmodum contendentes, dum

octogin-

octoginta & aliquot variorum Palatinatuum Legati permisissent sibi pro bo- *A.C.1672*
no publico ea quæ Intenderant persvaderi, nihil habendo in parato, de abbreviandis Comitijs iterum laborârunt, quæ jam post elapsas quatuor septimanas, necessariò in orbitam sex hebdomadum reducenda erant; Imposuerunt perversissimè, exponendo Invidiæ, quasi armati Proceres & Primores Regni magni Senatores, in oppressionẽ liberæ vocis eũ 8 millibꝰ ad hæc venissent Comitia, suâque potentiâ Rempub. turbare, & ad præjudicios ejus statibus inducere voluissent. Dum verò jam modestissimè & cum pollo comitatu Proceres convenissent, & restituta activitate ad consilia publica venire declarassent excogitatum, ut sine arbitris occuparent subsellia, non factâ mentione, palàm ne id, an secretiùs tractabitur, propter quod nobilitas à solitis consilijs arceri debuerat. Interea Vexillifer Gostynensis & Gomolinius auditâ aliquot Nuntiorum contradictione, quasi signo accepto, abiêrunt nec redire Vexillifer voluit, donec sibi id, quod per collegam suum Mareschalcum Nuntiorum prætendebat, concederetur, scilicet, ut Comitia ad terminum sex septimanarum traherentur: expeditus ad eos quispiam cum promissione restituendæ activitatis, sed ut de exorbitantijs, nihil oretenus diceretur; quod est in oppressionem liberæ vocis, verùm ut in scripto darentur, & per deputatos, velut Ravennæ tractaretur, ne Archiepiscopus errores Regi exprobraret, ne abdicationis (de qua nec cogitatum) mentio fieret, ne obedientiæ (de quo similiter nec somniatum, sed non nisi credulæ plebis auribus, ad invidiam insusurrabatur) renuntiaretur. Hæc omnia puncta per Cujavienſem & Kijovienſem Episcopos, per Olwiecimski & Gosupski Staroſtas, Bykowio Nuntio Czerkenſi, ad confessum quorundam, apud Mareschalcum & supremum Regni Ducem, tum præsentium à Rege sunt delata. Agnovit ergo Rex omnem in hoc facilitatem; annuerunt illi, ut materia exorbitantiarum absente Rege tractaretur, ut non oretenus, sed in scripto exhiberentur, ut mentio de abdicatione & de renuntiando obedientiæ non fieret. Voluntati Regiæ & fraternæ condescendendo persvasioni, id tantùm petierunt, ut Nuntij Vexilliferum Gostinensem ad Comitia redire juberent, promittebatur id, quavis die diligentia In quærendo illo ostendebatur, qui bene sciebatur, intra vel extra mœnia in proximo residere. Tandem dum jam terminus Comitijs præfinitus, activitatẽ perimeret, misit Mareschalcus Regni ad Procancellarium Regni ad latus protunc Regium commorantem, ut quàm ferventissimè à Rege postularet, quatenus activitas restitueretur, comitiaque ad dies aliquot prolongarentur; verùm aliter concluſum & decretum; Ij enim, quibus confœderationes placebant, instantissimè urgebant, ut Regi valediceretur, quidamve eorum ex nunc cum protestationibus exibant, in quantum, non tantùm prolongationis mentio fieri, verùm etiam valedictio protelari deberet. Tulit itaque tempus ipsum, agonem communi Illi consilio; & Respub. sine consilijs, sine provisione securitatis contra pericula, in tam premente remanet casu; & quod summum est, tam modicè Rex de nobis persvasus, fidem nobis detrahit, insolitam sibi providens custodiam, insvetis circumseptus assistentijs, diu noctuq; velut in hostico esset, excubias agere circa se jubet, quo nos publicis exponit odijs, ac si hostile quid pacati cives moliri deberemus, hactenus fidi Dominis, & extra omnem positi suspicionem, nunc reos nos sola invidiæ pœna experimur.

In tam gravibus itaque malevolorum existentes oppressionibus, nec valentes sine sensu ferre structas vitæ, decoroque nostro insidias, manifestamus nos coram DEO trino & uno, totaque Repub. quòd non tantùm concursu, aut assensu, vel cointelligentiâ ad Comitiorum ruptionem non concurrimꝰ

A.C. 1672 currimus, verùm etiam omnes curas & conatus noſtros eò direximus, idq; ſemper nos facturos appromittimus, ut mater Patria, periculis erepta, in quæ tot calamitatibus conjecta eſt, in ſanioribus conſilijs Invenire poſſit reſpirium. Unde ſi (quod DEUS avertat) quid adverſi ex tam perverſis conſilijs in ejus malum profluxerit; DEO id imprimis omnipotenti, cui manifeſta ſunt abſcondita cordium relinquimus, quem teſtem, ex filiali erga hanc Patriam propenſione invocamus, non nos ſed illos eſſe cauſam, qui inter Principem & Ordines, hoc diffidentiarum fecerunt ſeminarium. Et ſicut nihil diſſonum libertatibus & immunitatibus ſtatûs nobilium moliri cogitamus, conſervareque æqualitatem curavimus, nihil violentum, non tantùm agere ſed ne cogitare quidem voluimus: communi motui, dummodo eſſet ſine diviſione belli & ſciſſione nobilitatis, ac vaſtatione Provinciarum, in caſum Turcici belli, non contradiximus, ita ex hoc conſiliorum ſacrario abimus pacatis animis, In ſinum Patriæ offenſis depoſitis.

Quæ ut omnibus innoteſcant, manifeſtum hoc pro tunc manu Primatis, Mareſchalci Regni & ſupremi Ducis Exercituum Regni ſubſcriptum, (quod eum habere valorem debet, acſi omnes ſubſcripſiſſemus) ab ijsdem ex commiſſione noſtra pro primis comitiolis, omnibus tam Regni Poloniæ quam M. D. Litv. incolis mitti debebit.

M. Prazmowski Archiepiſcopus Gneſnenſis. Joannes Sobieski, Supremus Dux Exercituum Regni.

REMANIFESTUM.

ITa quidem cuivis bono civi agendum eſſet, ut ſemper non tantùm præ oculis, ſed etiam in corde habeat conſervationẽ imprimis S. fidei Catholicæ, deinde integritatem jurium, libertatum & immunitatũ patriarum, utq; totius Reipub: ſeries, & tranquillitas publica in antiquo ſtatu, primoq; conſervetur reſpectu; ut in exordio manifeſti hujus ſpecietenus potiùs quàm ſincerè deſcriptum. At falleretur nimiùm quiſquis his p. æberet fidem. Et ſicut in teſtem aſſumunt DEum cordium ſcrutatorem, quod nihil mali contra Principem & Rempub: moliti fuerunt, neq; nunc moliantur; ita idem DEus vindex & judex humanorũ arcanorum manifeſtè oſtendit eorũ molimina, quæ clandeſtinè quidem olim machinabantur, nunc jam ubi in reprobum ſenſum abierint, Dominus DEus perverſas eorum manifeſtavit intentiones. Scribunt in illo manifeſto, ſe injuriosè in ſuſpiciones eſſe datos; Reſpondeo ibi nonniſi eſſe ſuſpicionem, ubi clara res non eſt, & manifeſta. Non ergo ſuſpicionis nomine vocari debent, quæ illi egerunt, & hactenus agunt, ſed realiũ & manifeſtorum contra Principem & Rempub: molimina. Quis enim imprimis non videt obſtinatos eorum conatus & auſus contra Principem, quod ſub prætextu exorbitantiarum, quas ſuis in capitibus fabricârunt; non præmonitis de hoc priùs comitiolis antecomitialibus, in hoeque non ſervatis gradibus, de non præſtanda obedientia, in legibus expreſſis, obedientiæ Regi præſtandæ renuntiare volunt. Et licet ſtatim poſt propoſitionem ſuam comitialem, Rex per os Miniſtri ſignaturæ, à throno invitare clementer dignatus fuerit ſtatus Reipub, ad exprobrationem publicæ earum exorbitantiarum, licet deinde in curſu comitiorum, tam per Senatores, quàm per terreſtres Nuntios, data fuerit occaſio, tractandi & expoſtulandi cum Rege de iis, quas aliquis prætenderet, exorbitantiis: Cur tamen præſens tum in ſenatu Archiepiſcopus non egit aut dixit de ijs, quæ à Rege prætendebantur, exorbitantijs? Verùm ſi-

luit

luit tum eas ille, expectando numerosiorem adventum eorum comitiorum, cum quibus extraordinarie venerunt Varsaviam. Et quod summum est, spoliatis præsidio, illis in Ukraina partibus, aliisve Regionibus, quæ eo ipso hostium periculis sunt expositæ, stipendiarios milites Reipub: tam ex varijs vexillis commilitonibus, quàm alios, quà Polono quà externo more militantes officiales, peditatum quoq; & alium desultorium militem secum ad comitia duxerunt Varsaviam. Unde ex hoc antecedente manifestè patet, non aliam eorum fuisse intentionem, quàm ut ex occasione exorbitantiarum, obedientiæ Regis renuntiaret: De quo in præsentia variarum Personarum Archiepiscopus publicè sermonem fecit. Molimina verò eos feciſſe contra Principem, quis ignorat? contra legem enim noviter sanctam, & contra pacta conventa à Rege jurata, abdicatio est proposita; unde voluerunt arguere Regem ratione contraventionis pactorum conventorum, interim illi ad perjurium, per propositionem abdicationis Regem inducebant, volentes per hujusmodi abdicationem penitus liberam tollere electionem, opusq; totius Reipub: concursu confectum in aliquot personarum numero penitus annihilare: Quod ita esse confirmavit Princeps Episcopus Cujavienſis in sua relatione, in facie Reipub: facta, his formalibus: Quod licet proposita esset Regi abdicatio, erat id tamen in ejus arbitrio; consequenter inquit videntes Majestatem Vestram non acceptare eorum persuasiones, recedunt à suo proposito, declarantq; per me amplius se nolle Vestræ Mti proponere abdicationem. Præterea revocet sibi quisq; tã ex Senatoribus, quàm ex Nuntijs Terrestribus, Archiepiscopi sermonẽ in senatu, ubi dixit, se nec in communem motum, ne in auctionem Exercitus ullo modo consentire, sed necessariò quærendos esse alios Reipubl: modos, quibus seipsam tueatur. Quasi diceret, Rex alius opus est nobis; licet enim in publico id non dixerit, in privato tamen coram varijs, tam qui nunc præsentes adsunt, quàm in præteritis comitijs sæpius repetebat, Rempub: aliter sibi non posse succurrere, nisi alium Regem providerit; Cujus aliud etiam documentum est in literis scriptis ad comitiola antecomitialia, in quibus suasit ut auxiliares inducerentur copiæ Regis Galliarum. Consideranda præterea est ruptura comitiorum, à cujusnam subjectis, & in quibus materijs rupta fuerint; consideranda traductio Exercitûs ad confœderationem, & exhibitio formularũ juramenti, consideranda etiam hæc ultima confœderatio, jam condicta & fabricata in Ukrainã per Stokovium nisi major pars Exercitûs faventis Regi & Reip: se illi opposuisset, noluissetve accedere, per quod illa debuit evanescere: considerandum quàm pridẽ Ucraina sine magna sangvinis effusione recipi potuisset, ut literæ Castellani Podlachiæ scriptæ ad Ducem Exercituum abunde testantur, si illi tempestivè succursus militaris fuisset missus: consideranda præterita campania, quando scilicet Exercitus ad fortalitium sine ulla redierunt necessitate, cùm potuissent sub moderamine Polanovij dare represſalia Tartaris, ipsis affirmantibus militibus, potuisse hos Tartaros per nostrum tolli Exercitum: consideranda causa, ob quam auctio Exercitûs est impedita: communi motu ad denuntiationem periculorum nobilitas evocata; postea verò ubi hæc pericula approximante cõmuni motu, velut hæc, quæ nunquam in re fuerunt, evanuerunt; cum ingenti quà Reipub. quà privatorum damno ijdem communes motus infectis rebus rediêrunt. Quod factum est de industria, ut per hoc abrogaretur fides Mtis apud populum, adeoque licet necessitas ingrueret Regi convocandi communi motu nobilitatem, Palatinatus fidem non præberent, nec

A.C. 1672

succur-

A.C. 1672 succursum Regi, tempore necessitatis & periculi subministrarent, ut sic inermem & sine præsidio, eo facilius Regem throno possent detrudere: planè quisquis habet sensum rationis & usum sincereque sine interesse, sine omni passione, has omnes transactiones profundiore consideratione perpenderit, deprehendet manifesta contra Principem molimina. Revocet sibi Archiepiscopus impudentes suas in præteritis Comitijs contra Dominum blasphemias; ubi in præsentia tot hominum, asseruit, quòd post quatuor septimanarum intervallum non tantùm coronam Regi de capite, esset detracturus, verùm etiam Reginam recepturus, addiditque, se habere aliquot centena millia, in bona moneta, convertenda in id, ut non sit Rex; non tantùm verò se verùm etiam plures alios esse tales. Denique revocet sibi, qua de causa expediverit Parisios ad Regem Galliæ Palatinum Plocensem fratrē suum, cum tamen non liceat Senatori, insciā Repub. tanto præsertim tempore extra limitibus. Revocet id etiam sibi per quemnam tractaverit Viennæ, divortium Regis cum Regina, appromittens, quod futurus Regnans ducturus esset Reginam in consortem, illaque thronum occupatura, licet modernus Rex illo detruderetur. An ergo hæc manifesta non sint molimina? orbis judicet. Quæ verò in hoc manifesto scribuntur de processu Comitiorum, eorumque ruptione, puto potius daturos fidem Palatinatus suis Nuntijs, qui illis relationem facient in Comitiolis, quam inani manifesto. Pridem feliciter & pacatè Comitia hæc concluſa, & defensio fuisset provisa, si de ea loqui & tractare voluissent; verùm de industria, in rixis & contentionibus, varijs protractionibus Comitia extrahebantur, donec illa alia factionum capita, ad opprimendam potius libertatem, & Mtem Principis, quàm ad consulendum de Repub. conveniissent. Invenietur proculdubio recta conscientia, & prisca Polonorum veritas, virtusve in Nuntijs Terrestribus, qui dabunt genuinam relationem, & elucidabunt fratribus suis domi remanentibus, transactionem Comitiorum illorum, edisserentve sincerè causas & occasiones tam protractionis, quàm ruptionis Comitiorum. Enarrabunt, in quanta oppressione & periculo, tam Rex, quàm ipsi Nuntij ciuē Reipub. repræsentantes, fuerint; quanta irreverentia Mtis Regiæ in privatis consessibus, per blasphemiam & impudentiam malevolorum? Quantæ cædes & rapinæ in plateis Varsavienſibus ab eorum assistentijs succesſerint, quanta, quamve intolerabilis, pauperum nobilium fratrum oppressio, per excursiones pro victualibus, per totum Palatinatum Mazoviæ, quantæ explosiones, in præsentia Regis, totiusque congregatæ Reipub. Referent receptionē armamentarij in coq; suorum hominum locationem: dicent contemptus, & contumelias, impetitiones quà jaculationibus quà armis alijs, Peditatûs aliusve militis Regij; quæ omnia præludia erant præsentis malevolorum nequitiæ: & nisi succesſisset resolutio Regis, quà ob securitatem Mtis suæ in arce se concludere & defendere statuit, & declaravit, infallibiliter amplius eorum serpsisset obstinatio; per hos enim ausus adigere minis & terroribus Regem ad abdicationem omnino voluerunt. Quia verò in hoc manifesto memorant confœderationem à tota Provincia majoris Poloniæ factam: judicet & discernat orbis, an non ad solam defensionem Regis & Reipub. & imprimis S. Fidei Catholicæ est inita? certè enim non ad oppressionem, & concitationem belli civilis; cùm se eadem confœderatione, obliget tota Provincia Majoris Poloniæ, diffidentias, si quæ fuerint medijs civilibus quietaturam. Et præterea videns, quòd de nulla dicatur aut agatur defensione, nec ulla spes concludendorum appareat Comitiorū, nolens Rempub. indefensam relinquere, hunc modum confœderationis Provincia Majoris Poloniæ arripuit & concluſit; cùm naturalis defensio etiam brutis animalibus

malibus multò magis cuivis hominum ſit licita. Quæ verò cauſæ ſint hujus tam obſtinatæ, contra Regem & Rempublicam malevolentiæ, brevlter innuo. Prima, quòd illis faſtidio ſit libera electio, nec potuerunt ſuum efficaciter promovere Candidatum, ut intenderant; qui illis non tantùm varia officia, dignitates opulentas, pingves ſtaroſtias & tenutas appromiſerat, verùm etiam magnas ſummas pecuniarias deſignaverat & diſtribuerat. Secunda cauſa eſt invidia, quòd ſcilicet de medio civium electus ſit, & non illorũ aliquis. *A.C.* 1672

Tertia ratio eſt, quòd velint, ut Dominus pictus ſit Rex in throno, illi verò pro libitu teneant gubernium. Quarta cauſa, quòd noluerit ducere in matrimonium Gallam, quam illi promovebant.

Quinta, quòd à Rege in ſuis intentionibus non ſint contentati; alij enim exigebant Oeconomiarum tenutas, ut ex eis aut nihil aut vix aliquid contribuerent: alij volebant ſalis fodinas Wielicenſes & Bochnicenſes; quidam aſſecurationes & privilegia in futurum pro officijs & dignitatibus varijs, ut ſigillo ſpirituali & ſæculari, Mareſchalei ſcipione, Epiſcopatibus, eorumq; coadjutorijs, Senatorijs ſubſellijs, pro quibus, quia illis Rex conſenſum non præbuit, præbere verò ejusmodi conſenſum, juramentum Regis, in pactis conventis expreſſum, vetuit; ideo exarſerunt contra Dominum, & in quo ipſi exorbitârunt, inducentes Regem ad perjurium, id ei objiciunt. Pro concluſione addo, expedire ut Reſpub. profundiore conſideratione, perpendat totum proceſſum belli cum Doroſzenko & Tartaris à tempore coronationis Regis; certè ab ipſis militibus imò captivis Tartaris per noſtros acceptis, magnam de bello hoc capere poterit informationem. Quanquam etiam hæc reſidentia ad Portam Ottomanicam Bani, & hæc correſpondentia inter illum, & Theſaurarium Regni habenda eſſet in conſideratione Reipub. Expediret hæc documenta revidere, cum quibus auditur Wyſoccius, & nec dubito, ſuo tempore adhuc audiendum Reſpub. licet hæc omnia ſint ſuppreſſa, modernisque turbinibus involuta. Reducendæ eſſent in memoriã literæ illæ cifris ſcriptæ & in Comitijs per interpretationes explicatæ, & conſideranda omnia puncta earum literarum, combinandæq; modernæ omnes, quæ ſunt ſubſecutæ, conſequentiæ; ut concludatur, inferaturve, quidnam nobiſcum actum ſit, agaturve, niſi Reſpub. ſibi tempeſtivè proſpiciat, obvietur malis, priuſquam obſtinata hæc malitia matureſcat.

ANDREÆ OLSZOWSKI PROCANCELLARII REGNI, AD SUPREMUM REGNI MARESCHALCUM. Varſ. 28 Julij.

ID ego præſago ſpiritu metuebam, ne Palatinus Podlachiæ acrioribus quàm cautis conſiliis & nimiã reſolutione Rempub: ſeduceret; non mihi placuit debiles Exercitûs vires in præſidio Humanium, & ad Iarus Hanenenko, diſtractas eſſe. Ut intelligas, quomodo nam hoc afflictiſſimo rerum ſtatu conſilia concluſa ſint, mitto ſenatus-conſultum, & copiam literarum ad Palatinos pro tua informatione. Suadeo expediendum aliquem ad Doroſzenko, cum eoq; tractandum quibuſcunq; conditionibus non ponendo rumores ante ſalutem. Univerſales præcautorias de periculis, opto expediendas ad acta. Legati ad Hanum & ad Portam hodie primum hinc abeunt, deflexuri etiam ad te, quos ad celerius properandum exſtimulare velis. In Comitiolis de civili potiùs motu, quàm de bello externo agitatum: Mutabuntur intentiones acceptâ notitiâ de clade noſtri Exercitûs, ſi huic etiam fidem præbuerint. Suppono lauda variorum Comitiolorum tuas ad manus perveniſſe, præſertim à theſaurario Regni.

A. C. 1672

UNIVERSALES LITERÆ AD NOBILITATEM DUCATUS CURLANDIÆ. Varsaviæ 11. Augusti.

Revocatio eorum qui extra Regnum militant.

UNiversis & singulis, Generosis Nobilibus Strenuis Ducatûs Curlandiæ, & semi-Galliæ atq; Terræ Pultunensis, cujuscunq; statûs & conditionis incolis, fideliter nobis dilectis gratiam nostram Regiam. Non sine graviore animi nostri sensu percepimus eo planè tempore, quo validissimus Christiani nominis hostis, Regno Dominiisq; nostris imminet, Illustrissimum Curlandiæ & semi-Galliæ Ducem, collectum in Feudali Curlandia, tum & nostris Provinciis militem, iteratis vicibus extra fines Regni nostri expediviſſe & externis statibus venundediſſe, ac tali facto contra debitum juratæ Clientelæ officium nos, Rempublicamq; Polonam subsidio destituisse. Equidem non ferendum ducimus cum præteriti temporis ausum, quod sine consensu, & authoritate Regia, sub ductu Illustris Principis filij sui aliquot millia militum, cum lectissimis Officialibus peregrè eduxerit, tum crescente magis audaciâ, etiam nobis jam feliciter regnantibus, idem repetierit potioremq; rationem peregrinæ amicitiæ & privati lucri quam nostri supremi Dominij, & Feudalis officij duxerit. Proinde post maturam cum Senatoribus, ad latus nostrum residentibus deliberationem commonendam inprimis Illustritatem ejus diximus, quatenus supra memoratos milites in instanti revocet, ut illi ad defensionem communis Patriæ suæ, prout bonos cives, & fideles subditos nostros decet, accingantur neq; sangvinem suum alienis emolumentis, commodare teneantur. Damus porrò literas nostras patentes ad Fidelitates Vestras, ut nemo ex Incolis Provinciæ Curlandiæ naturalibus subditis nostris, pronunc externorum Principũ partibus adhæreat, & signa eorum sequatur, & quicunq; nomen externæ militiæ dederunt, ut sese ab innotescentia harum Universalium nostrarum intra mensem Patrio solo & naturali debito, restituant, sub pœnis in contravenientes confiscationis bonorum & aliis gravissimis, quibus desertores Regis & Patriæ subjeciſſent: Atq; hæc mandata nostra, quemadmodum æquitatis & justitiæ plena & juri, & tam antiquis quàm recentibus practicatis inter Principes exemplis conformia nemo est qui diffiteatur, ita minimè dubitamus sæpè memoratum Illustrissimum Curlandiæ Ducem postulatis nostris, & præsenti quam serio facimus declarationi obtemperaturum, prout & Fidelitates Vestræ obtemperabunt, nobisq; eam fidem, obedientiam & virtutem, quam toties bellicis occasionibus cum dispendio, etiam vitæ & sangvinis testati sunt, libenter præstabunt. Facturæ erunt Fidelitates Vestræ pro gratia nostra officiorum suorum debito & sub pœnis in contraventores mandatorum nostrorum Regiorum legibus sancitis, quas universalium seu edicti nostri Regij literas more recepto publicari, Actis publicis Districtuum & civilibus inscribi, proclamari, illisq; ac earum copiis authenticis plenam fidem adhiberi, & indilatè executioni demandari volumus.

ANDREÆ OLSZOWSKI PROCANCELLARII REGNI, AD SUPREMUM REGNI MARESCHALCUM. Janoviâ 13 Sept.

Commissarij expedi. endi.

PRidem idem meum erat consilium, ut Commissarius ad tractandum paratus, resideret Leopoli. Infelices nos, quibus consilia non nisi post eventus. Deputavit hodie Rex ex Concilio Commissarios Volhinen-

hinenſem, & Czernichovienſem Caſtellanos ac Slotnicecium; Verum Volhinenſis non citò venturus eſt; hic interim res momentis conſtant. Optarem ego, quiſquis in promptu eſt, expediendum, ut quibuſcunque tractet conditionibus: agitur de fortunis veſtris, omniumq; illius Regionis Incolarum, cum præſertim celer ſit hoſtis, & ſucceſſu ferox. Nona jam labitur dies, ex quo graſſari cœpit, qui, quidquid curſu armorum occupaverit, ſuum judicabit, nec tractari de hoc permittet. Palatinum Ruſſiæ in Commiſſarium propoſui, ſed aliud ex hac potiſſimum conſideratione viſum; ne Turcæ illum detinerent, Ruſſiæq; Palatinatum ſibi, cùm ejus perſona uſurparent, in tam præcipiti Reipub: caſu etiam nobis non compellatis, conſulite vobis, totique Patriæ, non in omnibus ſcrupulizando, quando ferri hoſtilis poteſtas jus omne confundit. Exercitum ad defenſionem congregare non poſſumus, (quod arcanum tibi eſto) cum vix Palatinatus Sandomirienſis & Siradienſis aliquid moliantur, quibus determinata ſunt caſtra, ſub Wąwolnica, Legatio Moſchovitica heri circa decimam noctis finita eſt; Dolos hæc natio nobis ſtruit, literas noſtras Imperatori Turcarum & Hano mittunt, illisq; noſtra ſecreta pandunt, Sirkum malitiosè in favorem Hani detinuerunt, de quo me documentaliter informavit Moſchus, aliàs natione Polonus. Suaſi pridem Regi, ut rectà pergeret Zamoſcium, ſeriòq; curaret, quæ belli ſunt, nam Regis ad exemplum nobilitas componitur. Id quoq; è re boni communis fuiſſet, ſi omnes illi Palatinatus, cum Palatino Podlachiæ, & Hanenko, ad te Exercitumq; tuum in unum congregati fuiſſent, caſtraq; circa Leopolim conſtitiſſent. Hac enim (quod DEus avertat) amiſſâ; Imperator Turcarum uſurparet ſibi dominium uſq; ad Viſtulam. A.C. 1672

COPIA LITERARUM ARCHIEPISCOPI GNESNENSIS AD SENATORES REGNI LOVICIO. die 19 Octob.

NIſi me ſcirem in hac eſſe Patria natum, in qua potiorem jam meæ ætatis tranſegi partem; niſi conſtaret mihi me vitam habere & ſenſum, judicarem me turbine quopiam per æthera in alias delatum eſſe Regiones, ut tanti ſcelerisin libera hac Patria ſpectator eſſem, ubi inter Cardinalia non pridem fuerat, neminem captivare, niſi jure victum, nunc verò non ſine gravi doloris ſenſu ſolâ pœnâ experimur non tantùm non victos jure, ſed ne auditos quidem, fuiſſe reos, ubi ſubhaſtantur non bona tantùm, verùm etiam capita noſtra. Hæccine contra nos luce meridianâ clariora documenta? hine gradus jure deſcripti? hoccine judicium lege civibus roboratum? heu per DEUM & juſtitiam! velitis ultimam hanc concivium, fratrum veſtrorum preſſuram, jurium & libertatum interitum veſtra cohibere authoritate, civicam à poſteris, ob ſervatos cives, coronam meriturі. Aſſecuró me jus expectaturum, nec pedem de loco Archiepiſcopalis moturum reſidentiæ. Detur mihi, cum alijs correis, juſtificandi locus, indicantur Comitia, provideatur cuique inſimulato ſecurus ad judicia acceſſus. Ut quid hæc præcipitatur condemnatio? quis in illo theatro nobilum ſangvine decolorato comparere poterit? velitis Principis mentem aliò prudentibus vertere conſilijs,

A.C. 1672 ſilijs, audiat vos, ut debet Dominus, ne uno ictu concidant libertates, quæ omnibus nobis hactenus fuêre communes, id à te obnixè poſtulo, primus tam infelix hujus Patriæ Primas. Qui ſum &c.

AD REGEM.

NEſcio quidnam coram Mte Veſtra totoque univerſo incuſare debeam, meum ne infortunium, an alienam injuſtitiam, quæ me non auditum, multò minus nocentem condemnavit, pœnâ mihi prius impoſitâ quàm crimine. Ignoro penitus, qua de cauſa, ſim declaratus pro hoſte Patriæ, in qua hactenus ſine noxa vixi. Servivi pro tenuitate mea Reipub. prima occupando ſubſellia, tandem meritorum comitatu, ad primam hanc in Patria ſum provectq dignitatem, propter quam, vitam toties periculis expoſui, offenſæ nullius erga perſonam Vræ Regiæ Mtis ſum conſcius: nam ſi quid, quod videbatur offenſivum, dixi aut ſcripſi, dedi publicam in judicijs juſtificationem, dedi & privatam, quoties me Mtas Vra ad malam informationem citavit, toties agnitum innocentem, humaniſſimè dimittebat, amplexu & vix non oſculo dignata. Nullius ergo in Mtem Vram, aut Patriam, criminis me agnoſco reum. Per ſuperos, recolligat ſe Mtas Vra, nec velit exemplum ſine exemplo ſtatuere in Polonia, quo juſtitia ſimul cum libertatibus corruat; meminerit Principibus omnia ad famam eſſe dirigenda. Quod ipſe cum pluribus obnixè acclini poplite à veſtra poſtulo Majeſtate.

AD MARESCHALCUM EQUESTRIS CIRCULI.

ACcepto Nuntio de tua in hoc loco ſubſiſtentia, ſpem concepi, fore, ut ſub præſente Equeſtris circuli directione, tua æquanimitas, inaudita in hac Patria ſtatui non patiatur; Nobilis, Senator, Archiepiſcopus & Primas, invenire debueram innocentiæ meæ aſſertione locum. Non efferam extra Poloniam pedem, nec de mea cedam ſtatione, hic me Lovicij paratum ad juſtificandum invenient jura Patriæ. Obnixè poſtulo, ut mihi tua evincas authoritate, quod nullibi negatur etiam nocentiſſimo, ſi juſtitiæ viget cultus; ut ſcilicet mihi alijſve accuſatis inveniatur ad juſtificandum locus, qui nonniſi in Comitijs eſſe poteſt.

LITERÆ ALIÆ.

SUggeſtus modus non tantùm Chriſtianus non eſt, ſed nec humanus; ubi tamen non affectus & paſſio, ſed ratio & judicium deberet diſcernere. Cumulabis plurimas excelſas virtutes tuas, congenitaſve dotes, hac coronide; ſi tantùm in affectibus hominum te potuiſſe, poſteritati probaveris: non tamen addo ſtimulum ſponte ad magna quæque currenti; illi me tantum tuæ commendo gratiæ, pro qua tibi domuique tuæ, ſi, prout merebaris, ſervire non valui, ſemper tamen ſaltem volui.

AD

A.C. 1671

AD CONFESSARIUM REGIS.

ALium profectò recipio effectum declaratarum Regiæ Mtis gratiarum & favorum, à nupera tua interrogatoria: eo fine forsan accire me ad vos voluistis, ut Episcopali cruore colorarentur hæc inauspicatissima castra, quæ in tumulum facta sunt priscarum libertatum Poloniæ, & in tumbam, funusve justitiæ. Cum itaq; nec literis meis, multò minus amicis accessus pateat, ad inauditam hanc tyrannidem sacerdotem mitto, si fortè hunc saltem pallio vestro protegaris, ut melius hanc scenam introspiciat, meque sincerè informet, quidnam ibi agatur. Dedi illi ad Regem literas, in quibus nihil amplius peto, nisi dari locum justificationis characteri meo competentem, protestando si quid in personam meam, aut bona Ecclesiastica decernetur, me usurum fulmine, quod mihi jus in manus dedit. Velis itaque in hoc præmonere Regem, ut me sinat circa characteris prærogativam, nec ad sancta sanctorum extendat manum; cùm jam ad id post maturam deliberationem me resolverim, licet mille mihi morres subeundæ forent; nec judicium, nec judicem, modò sit utrumque competens, declino. Probabo meam clarioribus documentis justitiam. Quòd si mihi hîc campus negatus fuerit, cum hoc saltem solatio decedam acie, quòd libertas & justitia, in eodem mecum sepulchro tumulabuntur. His amissis, non est cur amplius vivar homo ingenuus. Reliqua tibi meus Gurovius, quem, sed nec me minus tuo commendo affectui.

LITERÆ EPISCOPI CRACOVIENSIS, AD EPISCOPUM VARMIENSEM. Cracoviæ 29. Octob.

NOn dubito, famâ publicâ tibi delatum esse, quomodo nobilitas congregara ad Regem bellandi gratia, pro tuitione Reipub, relicto gentili hoste, verterit iras in concives & Proceres præsertim Archiepiscopum Gnesnensem, & prætextu Reipub. (quæ ibi non est, sed nonnisi Palatinatus congregati ad bellum, cùm nec nos Episcopi, qui statum Ecclesiasticum repræsentamus, eò vocati fuerimus) usurpatâ sibi super eum jurisdictione, abjudicârint Archiepiscopatu, bona ejus Archiepiscopalia, jusserint sequestrari, ipsumq; in claustro sub custodia tenere statuerint; imò bona illus hæreditaria distribui caduco curaverint: quæ omnia, ex hoc eorum scripto, quod tibi mitto, plenius intelliges. Non licet nobis Episcopis factum hoc insolens & temerarium silentio premere, ne hic eorum ausus pessimo exemplo trahatur in sequelam; cùm, quod uni hodie factum, fieri cras aliis possit, in tanta insolentia & infrænata nobilitatis licentia. Unde quidnam hac in parte agendum, quomodove violatæ immunitati Ecclesiasticæ, in confratre nostro, principali in Regno hoc, sacerdote, sit consulendum; tuum mihi, peto, sensum

Alia contra Primatem.

A.C. 1672 communices? Scripſi jam ad Nuntium, ut, ſiquidem Archiepiſcopo judicem non habet in Polonia niſi Summum Pontificem; petat Regem, quatenus cauſam hanc remittat ad Suam Sanctitatem, Archiepiſcopus verò gaudeat ſuis prærogativis & loco, donec deciſio fiat à Summo Pontifice. Non dubito, Nuntium id facturum, mihique ſenſum ſuum ſignificaturum, quomodo ſcilicet poſſimus dignitatem ſtatûs noſtri contra præſentem auſum tueri. Te quoq; velut virum magni conſilij & conſummatæ prudentiæ, obnixè peto, ut quidnam hac in parte ſentias, mihi edifferas; ſuccurrendum enim omnino eſt hoc in caſû Archiepiſcopo, ſi ſtatui noſtro inpoſterum in hoc Regno conſultum volumus. Unus enim fruſtra id opus tentare præſumeret, ſi tamen omnes in unum, conſilia contulerimus, & operam, poterimus hoc vulnus inflictum immunitati Eccleſiaſticæ utcunque ſanare.

RESPONSUM AD PRÆCEDENTES LITERAS.

SErò nimis tuæ ad me perveneruut literæ, quas exoſculatus, brevi reſponſo veneror. Ante omnia verò, quod ſibi Romanorum quiſpiam optaverat; ſcilicet tam pellucidam habere domum, ut quidquid in ea ageretur, omnes ſpectare poſſent: id mihi quoque in votis eſt; ut omnes tuæ reſidentiæ, ita ſint diaphanæ, quatenus ſuam in eis mundus ſpectet imaginem; Ibi enim nihil cernet aliud, niſi magnæ mentis opera, imbutum generoſo pectus honeſto, & prudentiſſimû boni publici zelû. Hic profectò in prototypon nobis ſumendus eſt, cùm ſit in eo, quod admiremur, ſit quod imitemur, & pro quo referamus grates, quas primus fundo. Hæc Archiepiſcopi aggravatio, non tantùm perſonam ejus, ſtatûſq; ſpiritualis prærogativas, verùm etiam Polonorum jurium & libertatum cardines convulſit, vel tremefecit. Eccleſiaſticis agitur de incõpetentia fori, juriſq; & immunitate; Omnibus verò aliis de gravibus & horrendis conſequentiis, quas quicunq; mente revolverit, tinnient ambæ aures ejus: Arma opponenda hoſti, converſa ſunt in propria viſcera, quaſi nobis illa facta eſſet imprecatio: Gladius illorum intret in corda ipſorum. Loco unius hoſtis, qui irruperat ab Oriente, tot hoſtes declarati, quaſi unus non ſufficeret; pro hoſtili tabo, nobilis civium funditur; utinam non juxta Poëtæ vaticinium, ſacer nepotibus cruor. Quis ſcit, an profuſus hic ſangvis non ſit irritamento futurus ad ulteriorem inpoſterum plebotomiam? Rubens hoc diluculum, an non grandiores procellas ominatur? Facilius eſt commoveri quietum, quàm commotum quietari; faciliùs via panditur malis, quàm clauditur. Non dubito, hæc in conſiderationem venire fratrum, quorum fervor laudabilis eſſet, ſi moderatus; imò forſan, ſi libertatis tam cura placeret, quàm vindicta placet. Noviter conſtituerunt ordinem juris, quomodo nam agendum eſſet cum accuſatis crimine læſæ Majeſtatis &

perdu-

perduellionis, ex nuncq; illum inverterunt. Sicciné lex vix primùm *A.C.* 1672
facta, jam fracta? Non dubito, Regem etiam considerare, hæc esse acria nimiùm Dominationis fulcra, quæ hisce mediis volunt sustentare Majestatem: Abominandum remedij genus est, sanitatem morbo deberi. Certissima igitur hoc in puncto, esse debet nostra consolatio & medela; communis omnium reflexio; Recedente enim prioris illius vehementiæ nebulâ, succedet recollectio; non videbitur expediens illa Manlia austeritas, illa stylo ferreo & sangvine scripta ordinatio, sicq; illi ipsi descendent ad molliora, magisve proportionata & æquitatis & gentis genio. Executionem interim ipsa res suspendit, & Principis Archiepiscopi circa se cura. Utiq; Divina etiam statuta severè mandabant oculum pro oculo, dentem pro dente: erutos tamen vigore decretorum DEi oculos, aut excussos dentes, in chronicis veteris Testamenti non legimus. Nobis etiam convenit, communi non deesse causæ, modò simus (ut innuis) uniti. Urcunq; ergo, (Senecæ verbis utor) se Respub: dabit, utcunq; fortuna permitter, ita aut explicabimus nos aut contrahemus. Id optimè factum, quod Nuntium Apostolicum induxeris, ut hac in causa debitam apponeret diligentiam; nec hoc consilio salubrius esse potuit: Quodsi præterea, Summus Pontifex, (ut hic auditur) miserit ad complanandas res Poloniæ, præsens erit remedium. Dolendum tamen, hac labe & indignitate notatam esse dignitatem statûs Ecclesiastici: At quid agendum contra publicam vehementiam? Uniq; illud etiam laudabile non fuerat sub Sigismundo III. Anno 1588, quando impositæ sunt in processum contra Rebelles duæ personæ spirituales, miror tamen dignæ memoriæ Episcopos, Viros insignes Antecessores nostros hæc scribere permisisse, Comitia fuerunt formalia Cracoviæ non in campo, non considebant sub ictu inter arma & militaria signa, ubi obmutescit libertas; licebat cuiq; sentire quæ voluit, & dicere, quæ sensit; permiserunt nihilominus id statui, scribi, & typo mandari; intravit id in volumen legum, manetq; velut monumentum ære perennius, quod tamen aliter fieri potuit. Parcendum judicabant tempori, quia non est consilium contra vim publicam, ubi velut aggere rupto, vertit subvertitque vias. Hæc ego tibi pro meo sensu, cui velut unico integritatis nostræ columini, diuturnam precor incolumitatem.

COPIA LITERARUM MARESCHALCI ET SUPREMI DUCIS EXERCITUUM REGNI, NOMINE TOTIUS EXERCITUS

ILlam, quam re ipsâ opponendo nos S. Crucis hosti, pro dignitate Vestræ Regiæ Mtis & integritate Patriæ, in conspectu orbis totius, in præsenti probavimus Campania, fidem & obsequium, eodem cum alijs concivibus nostris Vestræ Mris cultu sociaturi eramq; sub Lublino, quatenus unitis pro Repub. (uti per Commissarios invita-

A.C. 1672 vitabantur) armis, turbatâ discordibus consilijs Patriâ ex nubilo obstinatarum diffidentiarum in serenam communis unitatis tranquillitatem deductâ, validius, concatenatis inter nos animis, contra tam potentem hostem possemus insurgere; quia tamen congregatos sub Lublinum, propter elapsum tempus & prætereuntem bellandi commoditatem, non licuit invenire Palatinatus, ut eò documentalius constare posset, Mti Vræ matriq; Patriæ, mea totiusque Exercitûs, tot licet jam documentis probata vitæ jactura & subitantiæ, pridemq; sacrata veneratio: cum Exercitu ad judicium Reipub. & pro dignitate majestatis Vræ eam inter nos fecimus constitutionem, quâ dignitas Mtis Vræ, integritas jurium & libertatum, & in ejs cujusvis in particulari civis securitas sancta & illibata conservaretur. Approbabit Mtas Vra fidelium suorum conatum, nec præbebit sinistris aurem interpretationibus, calumniantibus non eâ, quæ statuta est, sed aliâ nos sub Lublino juravisse rotâ. Hæc enim via, mutuâ confidentiâ & amore civili trita, in primis juris civilis: neminem lædere, suum cuique tribuere, fundata casibus, visa est ad curandos intestinos tumultus efficacissima; cui facilè insiliet Mtas Vra, si id penitius perpenderit quàm severis legibus media asserendæ Mtis cum eo lenimento, Majores nostri circumscripserunt, ut leges magis timeantur quàm delatores: glorioſiùs erit Mti Vræ, circa assertionem Mtis non recedere à consvetudinibus juribusque Patrijs quàm extraordinarijs remedijs magis consulere ultioni, quàm publicæ tranquillitati. Quia verò in hoc vinculo addidit Exercitus, pro hoste Patriæ illum habendum esse, qui contra Ducalem authoritatem insurrexerit, gaudensque titulo militis eorum noluerit subjacere jurisdictioni: non dignetur vitio vertere Mtas Vra, cùm & jura toties reassumpta sibi hac in parte habeant faventia, & honorem (qui vitæ à quovis amante honesti æquiparatur) suum suique Ducis ita cordi habeant, ut pro eo mille oppetere mortes sint parati. Iteratò itaq; supplico, quatenus hanc propensionem meam Mtas Vra inter decora obsequiorum meorum acceptare dignetur oculo clemente & respectu, cui me impensissimè commendo.

COPIA LITERARUM SUPREMI DUCIS EXERCITUUM REGNI AD COMITIOLA GENERALIA MARIÆBURGENSIA. 30. Novembris.

Licet rerum à me gestarum pro hujus Patriæ conservatione, gloriam, in cordibus animisq; vestris, gratâ recordatione & merito perennare non dubito, debita enim gratitudo omnes malevolas, quibus in affectib9 Vestris vapulabã, refutavit calũnias; ut tamen manifestiùs civilis meus in hanc Rempub: animus, cultus in Principem, sanctitas & Religio, erga jura Patria, erga vos reverentia vobis innotescere possit, mitto in gremium consilij vestri, (quod ut felix,

faustum

fauſtumq; Patriæ eveniat, ohnixè precor) *Gurzynium Chiliarchum Regiæ Majeſtatis, cum relatione conſtituti noſtri Szczebrzeſenſis, in quo, ut nihil invenitur, quod amantem pacis & libertatis publicæ ſcandalizare poſſit, ita veſtro, non dubito, calculo comprobabitis, quidquid in defenſionem jurium & libertatum Patriarum eſt inter nos ſancitum: Aſſecuro enim eum lacte imbibitum erga hanc Patriam amorem, privatis in me extinctum non eſſe paſſionibus, nihilq; mihi eſſe carius honore meo & integritate jurium Patriorum, quæ omnia declarabit Nuntius meus in concredita ſibi inſtructione, cui ut benevolam concedatis aurem, demiſsè poſtulo, fraterna deferens obſequia—.* A.C. 1672

JOANNES SOBIESKI.

INSTRUCTIO AB EXERCITU REGNI AD STATUS OMnes Palatinatuum & Terrarum Pruſſiæ pro Comitiolis generalibus Mariæburgenſibus, congregatos, data Joanni Gurzynski Chiliarcho Sacræ Regiæ Majeſtatis.

PRoperabit, ad locum Comitiolis deſignatum, Nuntius, ubi delatâ fraternâ, totius exercitûs propenſione, gratulabitur eventum.

Deferet Exercitûs promptitudinem, quam ut ſemper in arduis huic Reipub: ita in immediatè præterita campania exhibuit, quando in pauco numero, gravibus totâ hyeme exhauſtus laboribus in medio numeroſorum hoſtium, invicto robore gloriam Polonæ gentis ſuæ fortunatis auſpiciis heroi Ducis (cui grata poſteritas immortalia, interituræ nunquam eriget gloriæ monumenta) inſtratis Biſſurmanico cadavere campis, generosè extulit, priſcæq; Polonæ virtutis & fortitudinis hoſtilibus impreſſit trophæum cervicibus ademptâ cuivis hoſtium gloriandi apud poſteros materiâ quòd non inultus, nec ſine cæde & ſangvine, magnam Regni hujus ademerit portionem. Exponet quomodo optaverit Exercitus, ut ſociatis cum Statibus animis & armis, de proſecutione belli contra tam potentem hoſtem, poſſet excipere conſilia. Referet ſimul grates fratribus, quòd velut concives ſuos, actu & opere pro Patria ſeſe opponentes, pro fortunis & integritate Regni agentes excubias, ad conſilia quæ pro ordinanda & pacificanda Republ: illis formare ſub Lublino placuit, per Commiſſarios miſſos, vocare ſint dignati.

Conqueretur, quòd tam longo paſſu procedentibus, hyemante jam cælo, poſt tam graves labores, hactenùs ferè ſub papilionibus degentibus, ſterili eventu hic Exercitûs ceſſerit conatus, quòdve contra datam fidem publicam, quod eſt per Commiſſarios declaratum, Exercitu non ſit conſecutus, cui, nec Majeſtatem Regiam, nec ad ejus latus congregatos ſubvenire licuit.

Aſſecurabit præterea, quòd Exercitus non tranſgrediatur modeſtiæ ſuæ limites, nec quartum hujus Reipub: formet ſtatum, ſciens, quòd ſibi conveniat, contra hoſtes exercenda fortitudo foris, fratribus verò procuranda concordia domi; nec ſe etiam modò in materiam ſtatûs ingeſſiſſent, niſi à fratribus velut concives vocati fuiſſent; Verùm quia noviter & extraordinariè facta ſub Lublino confœderatio per diſpenſationem juris publici contra expreſſum Regiæ Majeſtatis in coronatione jura-

A.C. 1672 juramentum (dispensationem juramenti à nemine petâ neq; oblatâ accipiam) novitates juribus & libertatibus Patriis contrarias in Rempub: introduxit, cùm sanctam & illibatam priscam, in qua fundatur nobilitatis libertas, velimus conservare æqualitatem; ut nihil sine nobis statuatur; Quòd se facturos fratres, per Commissarios fide publicâ Exercitû assecurârunt, quòd scilicet hæc confœderatio non in vim conclusionis, sed præparationis esset statuenda. Enarrabit rationes, ob quas factam sub Lublino confœderationem acceptare non potuerit Exercitus; siquidem insueto statui Equestri modo (ut in diplomate suo Palatinatibus recenter dato Majestas Regia cum admiratione fateri dignatur) dispensatis juribus omnibus cardinalibus hujus Reipub: jura, in quibus status ejus, consiliorum & judiciorum forma, jus intercedendi & & protestandi, sine M. D. L, Ducatu Prussiæ, Palatinatu Lublinensi & Podlachiæ, Terra Halicien si, aliisq; Terris & Districtibus, uti & tot Senatoribus, Dignitariis, Officialibus Regni, nobisque statum Equestrem constituentibus, sunt immutata.

Id etiam addet quòd facta sub Lublino confœderatio longè à suo aberravit scopo; quandoquidem protestata coram DEo totoque Christiano orbe de servanda, procurandaque charitate, unione, & securitate civium, sublatâ illâ lege, quæ Regnantium Majestatem, ne essent libertati formidolosi, sustinebat: Neminem captivabimus, nisi jure victum, loco concordiæ, unitatis, & fraternæ confidentiæ, horrendam omnia Regna ad interitum ducentem diffidentiam induxit & discordiam.

Informabit, de constante Exercitûs erga Regiam Majestatem, fide & obsequio, quòd, sicut impendio sangvinis sui toties sacravit Regiæ Majestati, ita nunc mutuo inter se juramento confirmavit, quo relecto juramento, postulabunt; ut inter decora & merita Mareschalci & Supremi Ducis, totiusque Exercitûs hoc fidele obsequium dignentur acceptare, assecurando eos; quòd hanc unicam duntaxat viam, amoris & confidentiæ publicæ, Exercitus ad internam pacificationem videns, in hoc suum fundamento fecit juramentum, quòd jura & libertates Patrias, ita, prout à Majoribus relicta, nihil immutando aut corrigendo, sangvine & vitâ suâ tueri velint. Quodsi tamen quispiam inventus fuerit læsæ Reipubl: reus adeòq; descriptam legibus animadversionem promeritus, declarabit Nuntius talem ab Exercitu non defendendum, dummodo ordinaria juris remedia à Majoribus nostris severè satis constituta adhibeantur, & insimulatis omnis detur dandæ rationis securitas; ut enim in corpore humano vitiosi humores non impetu purgantur, nisi cum periculo; sic & in Repub.

Et quia omnia jura Patria & consvetudines constanter tueri volumus respectu quorum etiam Mtas Regia in suo diplomate Palatinatibus dato in tantùm hanc confœderationem approbat, in quantum antiquis juribus Reipub. non est contraria; ideo Exercitus videns in eadem confœderatione tã grandem injuriam illatam potestati suorum Ducum, quando contra tot constitutiones, & novellam sub tempus coronationis à Rege juramento firmatam; alteri cuipiam noviter erecti Exercitûs datur regimen, ususque ejus in capita civium conceditur: committit Nuntio idem Exercitus declarandum, quòd pro honore & authoritate eorum, ita, ut eam leges circumscripserunt totis viribus agere sit paratus, quemvis verò militem sive novæ sive antiquioris militiæ, pro hoste Patriæ declaret, qui ordinationibus Ducũ pare-

parere noluerit, quorum honorem cariùs ſangvine & vitâ æſtimat. Unde quia toto hoc anteacto tempore, malevoli homines in honorem & merita ſupremi Mareſchalci Regni & Ducis acutis ſæviebant lingvis, falſisque delationibus grandes ejus pro Repub. deturpando actiones, avertebant ab eo fratrum animos, debitamque pro tantis obſequijs impediebant gratitudinẽ; ideò ut tandem aliquando hiſce figmentis extricari Reſpub. & illi canes, qui lucentem hunc ſolem, hactenus impunè allatrabant, ex ſuis latibulis produci poſſint, & ad juſtam protrahi pœnam, in omnibus his objectionibus, quales ſunt; diſtributio potionum, inductio peditatûs in armamentarium Varſavienſe ſub tempus Comitiorum, electio commilitonum de præcipua nobiltate pro Comitijs, alijſque ſimilibus objectis, in capite confœderationis ſpecificatis, ut in arenam judicij producantur, tempus juſtificandi concedit Exercitus, non dubitans; quòd Reſpub: perpendens nihil enumeratorum Duci ſuo deductum eſſe, ubi ſe occaſio & campus obtulerit, juſtam vindictam ex delatoribus per pœnam talionis faciet, juſtamque læſo honori providebit ſatisfactionem. *A.C.* 1672

Licet ipſa conſcientia & pietas Chriſtiana fidem præbere vetat, bellum Turcicum, quod nos, DEO permittente, inundavit, partum eſſe aliquorũ civium: tamen, literæ ad Regem & Procancellarium Regni ſcriptæ & votũ Legati in Comitijs infeliciter ruptis, quibus per valetudinem intereſſe non potuit, apud poſteritatem ſupremo Duci noſtro & Mareſchalco Regni dabunt teſtimonium; quòd avertendo tam crudeli bello ſeriam curam impenderit; ipſe epiſcopus Cracovienſis, quem ſumma cum veneratione nominat Exercitus, & merito, gravitate & ſanctitate vitæ conſpicuum, debito veneratur cultu, in omni fatebitur foro; quòd, ſi conſilium eorum auditum fuiſſet, quibus bellum hoc perſpectum eſt; tranſiviſſet nos forſan hæc tempeſtas; & ſi Ucraina ad deſperationem adducta non fuiſſet, pro quo Dux noſter totiès ſupplicavit; aut ſaltem ſi Legatus tempeſtivè fuiſſet ad Portã expeditus, quod etiam Dux impetrare non potuit; hactenus forſan ſub melioribus ſaltem pacis conditionibus quieviſſemus; & Camenecum conſervari potuiſſet, ſi cautæ legibus commendæ ceſſio facta fuiſſet, vel Palatinus Podlachiæ, cui à Regia Mte data erat ſuper Exercitum commenda, deduxiſſet ex Ucraina Regimina additis Hanenko duobus millibus, ut ſuprem⁹ Dux ordinaverat; pro erogata enim ab Epiſcopo Cracovienſi ſumma, ſatis loco illi commeatibus proviſum erat. Verùm ipſi Commiſſarij cum relatione ſua pleniorem dabunt informationem, cujuſnam ſtultitiâ id in nos ſit derivatum bellum.

Quia verò proſpera quiſque ſibi vendicat, adverſa uni imputantur, ne inpoſterum, ſi (quod DEus avertat) periculum quodplam in Rempub. ingruerit, incuſent fratres noſtri, id hujus aut alterius culpâ factum eſſe, maturè invigilandum erit, quomodò nam ſincera, & non infida, cum Porta pax coaleſcat, computatisque omnibus tam ab extra quàm ab intra fortunis noſtris, ſeriò deliberent, paxne, an bellum placeat. Si tamen bellum eligere cũ hoc hoſte voluerint, committit Mareſchalcus Regni Dux noſter eorum judicio decernendum, ut omnia in Podolia exiſtentia fortalitia novis firmisq; præſidijs muniantur: Quod ſi præſens temporum & fortunarum noſtrarum conjunctura bellum arripere non permiſerit, ſeriò pacta conſervanda, nec Legationibus ad Principes Chriſtianos pro ſubſidijs ad bellum Turcicum quæ forſan jam expediuntur, Porta irritanda: Illi enim ubi id intra aliquot ſeptimanarum ſpatium reſciverint, Legationes has pro ipsâ acceptabunt clarigatione belli, ſicque imparatam, & reſiſtere vix valentem, uti factum hoc anno, finaliter oppriment Rempub. Nam etiam modò, pro cauſa belli id potiſſimũ

A.C. 1672 tissimum statuebant, quod ad Imperatorem Christianum miserimus pro conjunctione cum eo contra Portam. Quibus omnibus malis, quòd saltem post tanta damna, prudentia, & serium fratrum judicium prospiciet, minimè dubitat Exercitus. Ad extremum supplicabit Nuntius, quatenus id quoque oblivioni non detur, ut fratres nostri pro præsenti congressu congregati, rationem habeant desideriorum bene meriti Exercitûs, quæ in suis instructionibus, toties ad Comitia, nullo licet eventu, mittebant; præsertim verò postulabit, ut stipendia Exercitui tam Polono, quàm externo more militanti, & illi, quem Palatinatus abjecerunt, nec solvere volunt, aliunde provideantur. Expensa quoq; pro obsequijs & necessitatibus hujus Reipub: ut belli Ducibus à Republ: restituatur, præsertim pro uno quartuali erogata ex proprio ærario vexillis Trostzczanecensibus summa, ut Mareschalco supremo Duci Exercituum Regni refundatur, ruentium item militarium, ut per instantiam concivium apud Rempub: ratio habeatur, lexq; ad effectum deducatur, ferventer instabit. Assecurabit præterea, quòd quidquid ex ratione contentationis desideriorum Exercitus fraterno contribuent affectu, non vanæ gratitudinis in occurrentibus occasionibus, heroum cordibus ingenerabunt obligationem.

Quam instructionem nostram fidei & dexteritati Gorzynij commendantes, subscriptione manûs & sigillo Mareschalci, Ducis nostri roboramus.

JOANNES SOBIESKI.

ROTA JURAMENTI FACTI AB EXERCITU IN GENERALI SZCZEBRZESENSI CIRCULO IN TEMPLO PP. FRANCISCANORUM. 24. Novemb.

EGO N. juro DEO omnipotenti, Uni & Trino, quòd circa fidem S. Catholicam Romanam, Majestatem & dignitatem Regiam, prisca Patria jura & libertates constanter perseverabo, & eo usq; persistam, donec omnes libertates, jura, & immunitates, quas Majores nostri sangvine acquisitas nobis reliquerunt, nunc verò per dispensationem præter legem & consuetudinem hujus Reipub, in absentia Ducatuum Litvaniæ & Prussiæ totq; Terrarum & Districtuum, Senatorum spiritualis & secularis Status, Officialiũ, & sine nostro Equestri Ordine de nobis sine nobis statuendo, labefactæ, in orbitam antiqui moris reducantur. Et quoniam per eandem injustam dispensationem, authoritas & potestas Ducum tot constitutionibus firmata sublata est, & in alias personas translata; illam tueri nec ulli alteri subesse declaro. Nec hac confœderatione exvinculabor, donec eorum officiis debita restituatur authoritas: Pro restituendis stipendiis utriq; Exercitui seriò agam. Omnes alios novæ electionis quocunq; titulo milites, qui ordinationibus Ducum parere nos luerint, pro hostibus Patriæ reputabo. Quidquid nocivum scivero, Majoribus meis deferam, secretum non revelabo. Sic me DEUS adjuvet & innocens Christi passio.

COPIA

COPIA LITERARUM MARESCHALCI SUPREMI DUCIS EXERCITUUM REGNI AD EPISCOPUM CRACOVIENSEM Tarnogrodo. die 19. Novemb.

A.C. 1672

Literæ tuæ ex posta Lublinensi redditæ mihi Jaworoviæ, ad quas, solito erga me affectu, gratijsque plenas, brevibus respondeo. Et licet vellem patienti silentio ingentem dolorem meum & oppressionem premere & contemnere, quibus innocens vapulo, obtrectationes, sublimie tuum, hoc in puncto, secutus judicium & consilium, supra possibilitatem tamen est, contra tam grave & ima cordis penetrans vulnus non querulari: quandoquidem obstinata malevolorum nequitia non contenta verbis, scriptis, & actionibus, irruit contra me, nec huic parcens, quod in Regno hoc primum est & maximum, loco cujuspiam compensationis & gratitudinis, tam pro antiquis qualibuscunque, quàm recenter præstitis obsequijs, detrahit, & aufert honorem, authoritatem & reputationem ministeriorum meorum. Positus sum in capite confœderationis, quæ statum antiqvum Reipub. convellit & susque deque evertit. Electus est tertius Dux, cui commissus est noviter authoratus miles, ut cum eo faceret, quidquid placuerit; hocque expresse scriptum, id vero nihil aliud ominari potest, quàm oppressionem civium, siquidem residentia Duci huic, ejusque militibus, non circa Trębowiam, aut Krzemiencum, verùm Bolemoviæ, & circa Lovicium designata. Pro clenodijs ad ærarium Regni missus Cursor, non in ordine ad dandum subsidium emerito Exercitui, aut ad defensionem Reipub. contra gentilem potentiam, verùm ad fovendos civiles motus. Nam & Hanenko, qui in Zaporoviam, aut saltem versus Kijoviam, expediendus erat, in visceribus Regni, circa Zamoyscium est collocatus, ut per eum infaustæ contra libertatem nostram promoverentur intentiones: Pro me totoque Exercitu missi Commissarij, tam ex Senatorio, quàm Equestri Ordine, ut passum moverem sub Lublinum, quo dum appropinquo, ab obvijs informor Palatinatibus, neminem jã ibi superesse, sublatoque tribunali & formâ antiquorum Comitiorũ, assignatam esse pro die 4. Jan: hujus confœderationis continuationẽ; ubi ex nunc sine mandatis, citationibus, regestro, & inquisitione judicaturi sunt, quem pro placito voluerint, & quem malitiosa suggesserit invidia: non enim hoc insimulatorum regestrum inclusum est, aut subscriptum, minima privata injuria illi se potest insinuare. Quod ergo nobiscum est tam brevi tempore factum; limato tuo vetis trutinare judicio, & cum alijs, quà Spiritualis quà sæcularis statûs, bene de Repub. sentientibus quærere remedia; per quæ hæc pertinax malevolentia ab intento contra libertatem, & innocuos cives amoveatur effectu, hæcque clenodia ad Comitiorum decisionem detineantur, ad quæ nunc sine Thesaurario & Senatoribus,

Queritur de variis

A.C. 1672 claves habentibus, aperire jussum. Nos enim quamdiu vita nobis & gladij supererunt, non permittemus opprimere Rempub. nostrasve libertates. Obvios habuimus alios quoque designatos ad eandē hybernam Commissarios, nondum tamen omnes convenerunt; quid cum illis & cum Exercitu futurum sit, tibi denuntiare non intermittam, qui sum &c.

XXVI.

CARDINALI URSINI ANDREAS CHRYSOSTOMUS ZALUSKI ROMÆ DEGENS die 20 Novembris.

Relatio eorum, quæ aguntur in Polonia; & conflictuum Joannis Sobiescij Supremi Mareschalci & Exercituum Ducis.

TAm infelix est nunc Patriæ nostræ status, ut magis defleri, quàm calamo præcipuè Polono describi queat. Tam fatali confusione civium magis (ut justè quæri possit, an fortè nobis ipsa jā libertas expiravit) quàm vi & fraude hostiū, Resp. periclitatur, quamuis & hi nihil magis lucro habent, quàm communes nostras calamitates. Senatores consilijs, cùm sibi acriter diffidant, viribus distrahuntur, apud plerosque (dolendum) Episcopos, & Ministros, plus valet malitia, vindicta, quàm justitiæ respectus, dicuntur illi esse Senatores, & custodes Legum, cùm verò delinquentes se deferre simulant, ipsi imprimis custodiendi essent. Ii, qui populo consulere deberent, pro publico pugnare, accusandis incumbunt, idque admiratione dignum est, cùm calumniando vitam sustentant, dicunt se nihil accipere de publico, qui antequam id acceperint, inopes, nunc ditati, nec Regi quidem gratias habent, à quo temeritatibus eorum nulla fides adhiberi deberet, quia eam apud amicos, & inimicos pariter habere non merentur. Sed hæc leviora. O ubi estis fontes lachrymarum! fatalis semper Christiano nomini Turca jam inundavit Ukrainam tam pulchram Poloniæ provinciam, adegit Podoliam, Camenecum antemurale non Poloniæ solū, sed totius Christianitatis non tam externâ vi occupatum, quàm civili perfidiâ traditum. Gravia sunt ista, & plùs quàm gravia. Tum primùm sentit Respublica & infelicitatem suam introspicit, & quasi ad commune incendium universas nobilitatis sub Lublinum excivit vires. Congregatæ omnes Provinciæ, & Palatinatus, exceptis Ducatibus Litvaniæ, & Prussiæ. Sed quid ibi agitur? dolendum iterum, & erubescendum, quòd cùm hosti invalidos disturbare, & opprimere visum, cùm destinatus huic operi, Tartarorum Equitatus erepto Reipublicæ ostio ad citeriores Regni Provincias gentium suarū colluvie inundandas, Turcarum Imperator exercitum Leopolim movebat, eratque in extremo metu, & discrimine, non munimentis, non copijs firmata civitas, loco, quòd in defensionem ejus congregata illa Nobilitas movere deberet contra exercituum Ducem sub Golembio,

bio, parùm affecti, ita molliri inceperant, ut, dum hæc Sobieſcius audivit, ea protuliſſe eum nuntiant verba; ſi illa, quæ accuſatores objiciunt, atque recenſent, vera eſſent, Reſpublica nec dignas, nec dignis proximas pœnas de me ſumere poſſet, ſed ille magnus vir, quem calumniari nec calumnia ipſa poſſet, ſciens, quòd injurias inferre, non niſi viliſſimus, ferre non niſi magnanimus poteſt, nequaquam conſiderans, quid alij contra illum facerent, ſed quid ille boni facere debeat; conſcientiæ teſtimonium irridet calumnias; nam innocentia illi maritata virtutem concipit, gloriam parit. Actus, qui mendacijs, & calumnijs proſcindebantur, heroicis geſtis voluit excutere, &, cùm belli neceſſitates non expectarent illa conſilia, omiſſis cogitationibus de ijs rebus, quæ contra illum fiebant, in eam partem, ubi periculum Patriæ majus erat, exercitum ſuum movit, & ita ſolertiam pugnandi adæquavit, felicitate, ut omnes ſpes fortitudine expleret. In die, quâ non ſperavimus, & horâ, quâ neſcivimus, venit notitia exacta eorum, quæ in rem Reipub. contra Tartaros, vijs greſſuum eorum diſſipatis, egit, fideliter ex ipſis Caſtris deſcripta, quam in ſolatium triſtium, quæ vel jam ſunt acta, ſub illud planè tempus, vel in proximo agenda, in idioma Latinum verto, ubique reverenter porrigo. A.C. 1672

RELATIO CONFLICTUUM.

TRanandus amnis barbaro fult; ad Rozdoliam è ſenſu captivorũ trajectus copiam illi adimere imprimis curæ, Comarnum viam offerebat eripiendo trajectui opportunam, ſed clauſus eluvione Comarni aditus. Victa undæ intemperies, quæ pontis impatiens eundem ſubmoverat. Nam pontem nox refecit, mapalibus in opus ſubitum diſſolutis, alibique impoſuit undis ſtagnantibus, qui poſtero die partem copiarum tranſtulit. Iter illud nova pietas illuſtravit. Effuſus extra aggeres gurges è quingentis trecentos comites abſorpſit Oſmani Muſæ in fugam formidine acti, hinc nata vinculis libertas, quæ plebs captiva impleverat. Strata per vias quiritabat pubes, & emolliit Ducis animum ætatulæ orbitas, quam proinde in tutiora auferri imperavit. Quæ quidem toties repetita virtus encomium rurſus ferat. Una hæc plurium Ducum extingvet gloriam, quibus facilius eſt hoſtem extra ſternere, quàm domi parſimoniam. Huic tantùm affectui ſuccumbere pulchrum eſt, quo aliena calamitas in animum agit, vincitque, ut ipſa vincatur. Nondum Mareſchalcus pontem ſuperaverat, cùm poſt expugnatam argento calamitatem alienam (nam cornucopiæ & gaza liberalior, pietatis armamentarium eſt) nova iterum palma ingeri viſa; nec imbellis, eò quòd adverſa, quæ magnis conatibus obſiſtunt, magnanimos requirant, hæ quidem præter auſus in oppoſitum, ſuperantur ferendo; Sed id lacertoſæ virtutis eſt. Rem jam profero. Agreſtis vernulæ monitu Dux intelligit vicena Getarum ultra Tyram millia ſuo cum ductore, immodicas è proximo prædas præ ſe agere, argumento eſſe lentam profectionem, quæ diem ſolidum ne dimidio quidem leucæ frangat: non ultro leucam id loci differri, unde noctu exceſſerit: hoſtem inſecuturis

Ducis pietas.

Præliminaria victoriam Kalusienſem.

(Adzi Geroy Sulmus)

A.C. 1672 turis iter offerre Tyram ponte opertum, quem modicum hinc intervallum distrahat. Ergo illuc frena flectuntur, & novum ante hostes cũ fluctibus bellum. Polanovium cum hastato milite, & sclopetario equitatu se tolutario passu prosequi jubet. Dux ipse pontem agresti indicio non longè defixum frenis præcurrentibus perquirit, sed verna ille inter siccum & diluvia non discreverat, quæ pontem velut quoddam amnium juguni non ferunt. Ripas tunc Tyræ alveus superârat, per campos latius evagatus. Per sic inundatos iter fuit, nec ubiq; equitibus vadosum. Sesquileucæ spatio thermæ hujusmodi, & Dux exemplo hæc ardua imperabat. Nondum pons ille inter discrimina patuit, cum & pontis indicem paganum amisimus. Hic jam primores militiæ (hucusque mollia contemplit virtus) Duci secura ingerere; suadere effictim reditum: Difficilius esse cum undis per procellas intumescentibus bellum, nec facilè voraginem illam vinci posse: pericula in aquis tegi, quæ non ante pateant, quàm exitio nocuerint: ultima hîc adiri facile, nec gloriæ quidquam colligi. An item sic Tyras aboleat nomina bello invicta? Malè in aquis quæri triumphos, ubi vitæ naufragia certiora. Proclive erat, ut ejusmodi voces, ceu nubium murmur, fulmen à Duce elicerent, & mox id effusum, cùm is non ardentiore vultu intonuit, quam ut fulgur hinc emicaret; nam prima in vultu, iræ justioris tempestas est, & oculorum ardor est pro fulgure. Mox adductâ ad collum dextrâ: Ego verò, inquit, vel collotenus immersus, vadum ante omnes primus tentavero; ne quidquam periculi exigam, quod primus non proculcem: aliud quiddam suadenti certa pernicies, & is primus præceps in vorticem, viam per fluctus dabit: qui se prodromum sequi detrectet, per hunc proximus à primo trames & trajectus erit. Noverit virtus & de fluctibus triumphos agere; atq; adeo solius ignaviæ pœna esto, his fluctibus hauriri, in quibus eadem de stratis corporibus pontem mox efferet. Admirationem virtutis & terrorem ea vox expressit, nec discrimen orsis ullus opposuit, quod gravius inviolata imperij reverentia foret. Inter hæc cespes ductorem obtulit, qui monitu periculum averteret, si audacia hucusq; undis superior adhuc pericula calcaret, is vadum se indicaturum pactus, indicij pretium lembo adnavigans extemplo tulit. Pontem dimidia leuca amoverat; huc paulò mitiori vado Dux cùm gemina cohorte deducitur, Polanovio in continentem robur reliquum rursus referre jusso. Nam solidam extra stagna tellurem insistere, ultra alteram leucam haud licuit, cùm tamen pronior jam in noctem rueret dies. Noctem in vado Dux ipse transegit, Ponti supra Tyræ alveum moliendo intentus, non sopori, postridie reliquas cohortes creperâ luce vadum ingressas, meridies tandem ab aquis extulit. Miraculum id Polonæ virtutis fuit, in hostem sic iviisse, sic Ducibus paruisse, ne in molli tantummodo magnanima jactaret, quæ per ardua fastigiuni laudis perduxerit. Duriùs est per aquas, quàm Annibali per Alpes iter, cedunt cautes, ubi fluctus nescium. Et vulgus id facinus suspexit, cum nec tabellarium equitem illac sub pari eluvie transmeantem viderit, quà gravior mearet armatura. Hostis aberat, ubi in terrarum solida evasit madens adhuc post non molles balneas exercitus. A pugna cum fluctibus vix datum respirandi spatium, cum affertur Drohobyciâ, duos exisse dies, ex quo geminos Scytharum exercitus ora illa expaverit, quorum alter grandior furorem eum præda verterit in Stryenses campos. Movit cupido gloriæ ac impunè prædatrix licentia, statimque lapso in ve-

Per ardua sed pulchra.

Urgente ab exemplo Ducis.

Aliis pericula diffunden tibus.

Ducis oratio.

Thermæ Exercitûs.

in vesperum die mota in barbarum signa ad ejus cædem jam exercita. Viam humida aeris tempestas molliverat, sed nullus hinc aquilis obex: itur, & sub noctem luce facinorum magis, quàm siderum illustrem, amnis affusus oppido transmittitur. Hîc increbrescens murmur sed nondum disertas voces exeipimus. Stitêre incerta reliquos: Polanoviũ & Robyleeiũ comitatu modico in sonum provexêre. Hi adhibitâ in dolũ cautelâ, sermonis ductũ sequi, propiore auditu explorare sermocinantiũ idioma. Sed rustieana hæc colluvies erat, quæ lingvæ addidit facti audaciã. Prompsit in equitem nostrum tela, tubos etiam lævis ignibus ferales exonerans. Tenebræ facinus excusârant, si vim furor monitus tenuisset. Polanovio ne quiequam illum blandius cohibente, nec fidem, dum se sociosque Polonos esse oggerit, apud agrestes merito bilem exercitûs extorsit, hæc loci vesania, nec jam tenebrarum crimen visa incredulitas: exeidij ream censuit militiæ vindex indignatio, nisi leniorem Ducis indulgentia effecisset. Dies errorem aggrestium detexit, veniam tamen reperit etiam in tuto minime secura, etsi cautior formido. Hic jam de hostili vicinia, fama disertior, noctis à Sultano exactæ, & jam exigendæ locus ferebatur, unde ob iter silvestre dejectis arboribus obstructum, vicina Kalussiæ viam præberent Haliciam moturo. Profuit explorâsse. Nam notitia hæc facem victoriæ præluxit, nec iter hoc rectiùs in hostem, quàm duxit in triumphum. Kalussiam vota militiæ spectabant nec aliud crebrius in ore, in votis fixius nomen. Et mox, quo vota, illuc & habenæ vertuntur, neque pòst substitit occursus generosior, donec leucæ unius tantum intereapedo à nobis hostem distrahebat. Vicus erat, quò primò signa promovimus, Krechovicijs nomen accolæ dederunt, & emergunt etiam talia post eladem nomina, nec Cannensi vico fastos invident. Hinc Maresehalcus sita circum oppida, quæ timor impleverat, eum imperio admonet, ut silvas Bednarovienses viritim incolæ petant: arma capere jubet, quæ hostile odium justusque daret vel euperet furor. Præsagio Ducis ansa ex præcognita rerum serie, quæ impetito a fronte pulsoque hosti in proximæ tantùm silvæ latibulis asylum offerret, quod arma aggrestia negarent. Ductore adhue eguit iter, quod à fronte Sultanorum clam nos sisteret, nec enim averso Marte deeernere, & qui hostilem occursum paveat, Polono placuit. Dedit præduces Kalussia, & deductæ illuc copiæ, qua Scythæ jam jã signa eum spolijs promoturo certum patuit iter, nec fatum incertius. Mons intererat opportuna dolo latebra, quæ dum nos occultat, fulmen subitum velut in nube parit. Sultanum spolijs captivâque libertate tumidum nox prope defixerat, suorum duodena millia in armis trahentem. Eadem mox auxit ternis millibus Nuradini fuga, quæ Comarnensi propudio, mortem probris perendinans illum subduxerat. Non modicus in prædam ac imbelle vulgus, non in Heroas exercitus, qui orbem etiam prælijs fatigant, ut victorijs peragrent. Piget hos laureæ, quæ non Morathoniam clade hostili aut Cimbrieam sub Mario adæquet. Porrò prima hîc victoria fuit, contemptus hostis, & nullus numeri timor; dum è montis post imbres lubrici supercilio Dux Polonus effusam late barbariem conspicatus, animo haud coneidente: certus, quòd virtus in acie, non arma decernant, adeoque paucis contingat vincere. Nostri vix mille, & satis fuerat ad virtutis prodigium, pridemque ad Scythiæ ruinas erudita est paucitas Polonorum. Plerosque insuper nostrorum spolia tardârant, quod retrò cum cænosis trajectibus decertare eogerent. Hic utrinque numerus. Jam hostium copiæ in terrorem dispositæ, imbelles oculos primo sui objectu facile vicissent. Sultanus uterque Princips loco inter tot comitantium signa perieuli intrepidus: captivæ hominum myriades velut indagine clausæ medium

A.C. 1672

Oppido & Amnisnomã Stryi Agrestium in nostros explorantes audaciam.

Iter Kalussiense

Ducis prænotio

Numerus hostium

Et nostrorũ

A.C. 1672 conflabant agmen: hinc reliqui hostiles manipuli: ubique non campus, sed hostis, quem ordo latius distraxerat. Sed ordinem turbârunt infortunia, nec rerum ordini studet fuga, uti nec ad eundem attendit timor. Prælia Dux Lechicus indixit, & primum à nutu, belli classicum fuit, cum adhuc alia per imperium silerent. Illicò signa deorsum invergi, copiæ conglobari: lentius dolus & virtus admoveri. Propior jam hostis & triumphus erat; sed hostem adhuc sua latuêre fata. Tum cohortes aliquot conflictûs auspicia præripere jubentur, reliquo exercitu in imperia & fortium morem intento. Primus turbo hostilem frontem impetijt: & valuit in terrorem repentinus, cui fusam ex arcubus procellam Scytha impunè oppossuit. Graviùs dein à latere fulmen, immissis cum Georgio Boruchovio securis laureæ cohortibus, nil actum non strenuè à triumphi prodromis, & è primo congressu capta reliquæ fortunæ auguria. Plurium facinora, proferre non vacat. Latuêre ituræ cum Duce copiæ; sed jam, ut per inopina terrorem intenderet, motæ, at verò his sese in barbari conspectum inferentibus, jam pene vicimus: subita mentem perculêre, ipse item prænitentium galearum fulgor, sui spectaculo barbarum fregit. Auditus illud ingeminare hostis: magnum adventare militem, qui certam illis perniciem ferat. quod quidē cataphractæ militiæ encomiū est vel hinc invidendū, quòd ab hoste manârit, totis ergo trepidatū castris, & animos excussit pavor, qui à Sultanis eorūq; Satellitio ad turmales transijt, inde ad omnes. Belli auspicia non alia fuêre, quàm quæ dare soleat communis timor. A Sultani utriusque fuga conflictûs initium, quæ ab alijs glomeratim captata vix ullus hosti manuum usus, totus in pedes transijt Mavors. Actum ibi à nostro milite, quod victorem agere decet, victum perferre necesse est: ibi palam propositum, quid ardor militis, quid timor possit; item quantum primis bellorum initiis alteruter vel officiat, vel prosit. Sinistrum pugnæ latus silva tenuit, & eis extima silvæ non incommodum profugis iter; Sed Michaëlem Kozubscium illis Ducis imperium defixit. Sic erepta barbaro pone silvam, & metui fuga; hinc pugna atrocior, & nostro militi lassæ cædibus vires: abunde ibi funerum, quæ ferrum per jugulos, per præcordia adactum dedit, nec inter insigniores barbaros discrevit. Verùm quos mucronis ira præterijt, nexuêre vincula; idque unicum illis profuit ne perirent. Non paucis fugæ consilium equos adenit, quos satius visum est prædæ objicere, ut silvæ receptibus facilius abderentur. Sed nihil tutum trepidis, ne sylvæ quidem, quæ mox Polonis in laureas viruêre, & non una arbor rursus victrici militiæ in trophæum aruit. Ad leucæ spatium silvam ferro pervagatus miles, profugos inter arbusta scrutatus, unde plurimos in apertum dedecus necemque protulit. Vix vulneribus ferrum, vix nexis vincula suffecêre. Quin & pharetris imbelli fugæ inutilibus, spoliisq; ditioribus viæ passim instratæ, quò injectâ sequacibus morâ felicitatem effugij obtineret, ac expeditior sine onere volaret timor. At ne sic quidem securos reddidit, cum in agrestes centurias per silvarum avia sparsas incurreret, crevitq; cæsorum dedecus, quod telo ignobili, & imbelli manu sternerentur. Vix jam in cædē quisquam superfuit, nec sequi per angusta paucos classicum permisit, quod signa receptui cecinit. Et revocatus quidem à cædibus miles, sed nondum vetita silvarum spolia, ubi nova pulchrior indicta præmiis venatio. Deducti in pactum aurei centum, & equus splendidè phaleratus, ei præmium, qui Sultanum è fuga vinctum retraheret. Studia scrutantium rursùs accendit aurum, quòd etiam Scythæ cujusvis captivitas aureo

Pugna cum Tartaris & victoria in signis ad Kaluffiam.

Silva etiam Polono triumphales.

Clades hostilis.

reo nummo taxaretur. Capti cum plurimis primæ notæ barbari, Murzæ Agæ, quos inter Nuradini Vezirus Aliſſa Aga, capti præterea Turcæ & Coſaci, auroque repoſitus capientium labor. Sero tandem Mangones noſtri comperiunt, ſe hac in merce diſtrahenda haud indemnes, nec mercì ſuam mercedem congruere, cum dives captivorum ſupellex & præda aurea ſuis Dynaſtis obnoxia tantillo pretio conſtaret, quare, ſi quos poſtea Scythas è latebris eruiſſent, non jam in forum illud herile venales animas traxere, ſed illatæ repertis cædè, vitâ cũ auro rapuerunt. Deniq; illud argumentũ barbaræ cladis accipe: vix ducentos arena & ſilva illa fatalis dimiſit cum utroq; Sultano, cui, (ut neq; aliis) nec equi in fugam, nec capitis operimentum ſupereſſet. Fuit qui è Scythis arte vitam quæſierit, ruſticum in ſylvis Martem ſubveritus. Is arbuſtorum latibulo non ſatis fiſus, prodiit in apertum, ob longæ perticæ chartam opportuno aſtu inſerens, ſeque tabellarium mentitus, qui codicillos ad Polonum perferret. Roxolanum dein idioma in precem adhibet, quo ad proximum è Polonis equitibus deduci poſtulat. Datum id miſero, qui comperto noſtris mendacio, famem, in ejus patrocinium, metamque ruſticanæ fæcis cauſatus, quæ ſervitutem potiùs ſvaſerit, quàm utriuſque pati inclementiam, finem habuit illum ſupplex oratio: habes manciplum, qulſquis es: famem obſona, & vitam mancipi ſerva. Coſacis tamen non ſucceſſit dolus, quo vitam aſſerere ſub ferro conati. Captivorum hi fortunam mentiti, quos è Polonia Scythes abegerit. Sic enim pericula mentem erudiunt, quæ naufragantium more prenſant, frutlcem vel tabulam, quam ſors obtulit, mendacio fidem molita deformitas, & evulſi, quos Coſatico more aluerant, capilli. Sed fraudem ipſe capitis cultus aperuit, dolique indicium ſic demptus fuit capillus & comæ injuria. Paucis vitam aſtus feſtivior dedit, pluribus ademit, indignis vivere, apud quos Chriſtiani Scythis venales forum immane & vincula repleverant. Eglt & in diffita pavor, qui clade ad Turcam Imperatorem perlatâ è loco venationis (ubi feras & otia perſecutus, ut alibi urbes latrocinijs) fugam præcipitem perſvaſit tyranno, quam venatu à cervis didicerat. Pacis Polonæ arbitris eo die daturus aurem fuerat, quo fuga hominem ignavum in Vallachiam tranſtulit. Redijt tandem in locum Principis arenæ victor exercitus, ibidẽque meridiatus. Poſtridie idem certamlnis & victoriæ locus cantum Euchariſticum repetijt Domino exercituum, in eum refuſâ triumphi gloriâ gratijsque. Hic ad pulchrum facinus Dux pro ſuo more illud adjecit, quod ætatem impuberem, ac pupillos belli felicitate emancipatos colligi imperâvit additum colli gentibus ab ære illicium, quo cujuſque populi inventio conſtaret. Kaſuſſia collectæ pubi deſtinata, & ejuſdem curatores, liberalius ſeſe pietas geſſit, à quà non parcè in miſeros æs effuſum. Captivis item indigenis reddita libertas, quorum numerus In viginti millia deſierat. Sic ad Kaſuſſiam actum, nec aliter virtus bellica cœli ſuppetijs freta agere novit. Nihilominus, ut ſæpe virtuti in præmium ceſſit invidia, & ubi feritur beneficium, contumelia metitur, etiam hæc Mareſchalci acta diminutionem laudis alibi paſſa. Fuit qui eidem victorias abrogaret, auſus illud non citra veri geſtorumque injuriam, in vulgus jactare, Ducem ut belli, ſic victoriæ extorrem eſſe, ad quam nil manu vel voto contulerit: captivos, alieni ſudoris manubias eſſe, adeoque illum rapto exultare, & ex alieno captare laureolam victorisque nomen. Et conceſſa livori fides, maximè cùm apud eos texeretur fabula, quibus aliud tunc fruſtra oggereres acroama. Mulctavit tamen auctorem veritas, & in eum odia concitavit, Nicolao Zſotnicio Pincerna Palatinatûs Poſnanienſis Murzam Scythicum (Schamamet) pluresq; vinctos

A. C. 1672

Scytha aſtu vitâ aſſerit.

Coſaci alio aſtu eandẽ tuentur

Repetita Ducis pietas

Victoria obtrectatur

A.C. 1672 vinctos argumento victoriæ in regale atrium deducente. Et ſatis commento infligit ſupplicij, compertus in lingvæ piaculo livor læſique gloria. Tandem vergente in extrema Octobri, qui tot laureis vernarat, armis tantilla indulta quies, nec jam præſto aderat, in quem ſtringerentur. Deductæ copiæ Hoſſoviam inter & Bolechoviam, ac non nihil relaxata, poſt tot operum virtus, quæ omnigenæ laudis documenta dedit, penè cibi ſomniq; vacua inter viarum ardua & geſtorum. Currus caſtrenſes hucuſque ſub Crupenſi pago hæſerant: revocat illos Ducis imperium. Erat, cui alio vehicula avertere curæ fuit, atque is in facti & itineris illecebram pactus pecuniam, ſub qua duodecim currus ante Principis tentoria gemerent. Nec ſvaſu, nec pollicitis quidquam actum, ergo minis mollia permutat, currusque civili interdicto onerat, quo alio progredi vetabantur. Nec minæ valuêre, ſed vota caſtrenſia viæ malignitas tarditate luſit, quaſi, cum hoſtis deeſſet, virtutem ipſa etiam itinerum tempeſtas exerceret. Hoc ſanè ſupra omnes corporis dolores acerbiſſimum, ut ſic dicam martyrij genus horrendum, cruciatibus quibusve tyrannicis atrocius, cogi patienter acquieſcere; cum videas momento deſtrui alienâ culpâ, quæ ex alio vehementiſſimo conatu, ærumnoſiſſimaque conſtantia prope ad faſtigium perducta fuerant &c.

Armorum poſt victorias quies

XXVII.

EIDEM CARDINALI URSINI, ANDREAS CHRYSOSTOMO ZALUSKI ROMÆ DEGENS,

Relatio Actorum ſub Golembio.

HAbuiſti nuper Eminentiſſime Princeps inſignis victoriæ ex Tartaris à Duce noſtro obtentæ genuinam relationem; nunc ad illud, quod ſub Golembio actum eſt, referendum, ſecundum id, quod à fideli manu habeo, libens, quanquam mœſtus accedo; calamitas calamitatem accerſit, cùm diſſidia in Reipublicæ deſolationem excita, & ſeditiones motæ, quæ longo tempore non patientur Regnum eſſe quietum. Cùm non tam Equeſtrem Ordinem ibidem univerſalibus literis congregatum, ingens amiſſarum Provinciarum damnum affligebat, non tanto fragore vaſtus Ottomanici belli terrebat metus, quam movebat diffidentia. Confœderationem ergo formârunt, ſub Mareſchalco Equeſtri Stephano Czarnecio Notario Campeſtri Poloniæ, cui extraordinarium, & Dictatoriæ poteſtati parem Magiſtratum impoſuerunt ſtatimq; univerſus militaris Ordo, & quotquot inter fuêre præſules ſacramento ſe obſtrinxerunt uramenti, nõ priùs ſe fraternũ hunc nexũ deſerturos, quâ Principi in ſolio liberæ electioni in Principe, & Reipublicæ, internæ pacis ſecuritatem propriis armis, conſiliiſq; firmâſſent. A Principe quoque Equeſtri Ordini præſtitum juramentum, dato inſuper conſignato Diplomate.

Nova hæc, & inuſitata Reipub: ſpecies multis placuit, Stephanus Wirzbovius, Poſnanienſis Epiſcopus carpens aliena, ſpe quâdam improbâ peccans, quaſi ſperaret, ſibi nihil ſimile à quopiam opprobrari poſſe, & Sigiſmundus Zegoccius Chelmenſis itidem Epiſcopus, de quo jure dici poteſt, quòd nulla factio oborta, cui non immixtus vix intravit, cùm pedem retrahit, quem aptat mille calceis, qui perpetuò in iis ſe exercuit artibus, quibus homines divites fortunis everteret. Felix Potoccius Palatinus Siradienſis, vir perpetuò ſuum nomen felix, ſi felicitas dicenda eſt, poſſe, quidquid velit, & Mareſchalcus Czarneccius, dignum certe

tè hac patella operculum omnia regebant. Etiamſi verò Pro-Cancellarius Avunculus meus corpore fuerit præſens, diſplicebat tamen boni communis causâ, publico amore, illi turbulentus hic Reipub: ſtatus, cùm aliud in cortice præferebat, aliud continebat in medulla, nec decreta ſubſcribere, nec ulla jura caduca obſigillare voluit, pacatiora ſemper conſilia proponendo. Sed difficilè erat in multis contra torrentem niti; nam hic fervor Broniewſcium temulentũ, tumultuantemq; civem, morte opportunâ fortaſſe ignominiis exemptũ, in ipſo circulo conſiliorũ occiſum perdidit. Judicia in malecontentos arrepta, & ſeverè exercita; Primas Regni, & domus ejus, pro Perduellibus declarati; Dicta hæc ſunt gravia, perpeſſu aſpera, credo tamen, quòd & poterit interrogatio, & reſponſio illa ſervire; quid facis ô Primas? ligo ſtramen, & obruo rimas; nam etiamſi tot inſultibus conſtantiam ejus arietant, dolent tamen expugnari non poſſe, temerariam enim deſævientium audaciam tolerantiæ frangit armis. Tandem infelix diffidentia fulmine confœderationis, metuque ſuo obſtupeſcere cœpit, & cùm continuæ pluviæ, & tempeſtas diutiùs in campis morari non permitteret, per Deputatos, quos Palatinatus abeuntes plenâ poteſtate inſtruxêre, formatus eſt totius confœderationis receſſũ, & dies magno conſilio dictus; Quid ex illo ſperandũ? neſcitur adhuc, ſed prudentiores ſcribunt, quòd nullus ſit ſtrictus adeo, & carus, factionis nexus, qui non utilitatis gladio reſcindatur. Nobiliſſimum hoc facinus, ſalutiferam Reipub: vocant confœderationem, quaſi omnem mortalem ſupergreſſa ſit laudem, & digna erit ſcriptorum calamus æternitati, famæque conſecrari, cujus copiam tibi adnecto.

Militaris quoque Confœderatio coaluit magnâ ſpecie jurisjurandi firmata ad normam illius rotæ: ex mei animi ſententia, juro, quòd ego Rempub: non deſeram, neque etiam alium deſerere patiar, & non priùs ſuas conſcientias ab hoc ſacro nexu ſoluturos, donec jura, legeſq; & antiqua Reipubl: fama reſtituta fuiſſet; & video, quòd major pars civium dulci libertatis nomine circumventa, eorum ſtudia ſequatur, pugnabunt ergo conſilia cum conſiliis, & fortè erit legum victrix audacia. Converſus in viſcera Regni exercitus cum recenter electis in ſupplementum Reipub: virium cohortibus, armorum, odiorumq; experimentum facit, fatale civilis belli præludium, & omne conſilium in fortuna poſitum videtur. Properantur interim in Conventibus Palatinatuum Regni juramenta, confluit Nobilitas magnâ alacritate, ad fidei, quæ forſan in lubrico agit, ſacrificium. *A.C.* 1672

Magnus Ducatus Litvanjæ, & Provincia Pruſſiæ, nam ſub Golembio non aderant, per univerſales literas Varſaviam ad Conſilium Magnum in Januario celebrandum invitantur. Sed & Magnus Ducatus Litvaniæ, & Provincia Pruthena Deputatos tantùm ad S. R. Mtem cum ſingulari inſtructione ablegavit: qui Comitia Regni, & veteris uſum Reipub: peterent; Sed hæc Legatio primò luſa, dein fruſtra habita eſt.

CONFOEDERATIO GENERALIS SUB GOLEMBIO.

IN NOMINE SS. TRINITATIS.

NOs Senatores ſpirituales & ſæculares Regni Poloniæ, & M. D. Litv. dignitarij, Officiales, Terreſtres & caſtrenſes, totusque Equeſtris Ordo, qui ad defenſionem Reipub. Regiæque Mtis poſt tertias reſtium literas communi motu congregati ſumus, conſiderantes, quomodo non tantùm

A.C. 1672 tùm, post inauditum exemplum, benevolæ Regis Joannis Casimiri non pridem nobis imperantis, abdicationis, obstinatio humana, in perniciem Patriæ & libertatum nostrarum, per promotionem externi citra liberam electionem Principis, & ex ea per varias animorum scissiones sub tempus electionis generalis, totam Rempub. congregatam, & ipsam turbavit electionem; verùm etiam his non contenta, quia manifestâ dispositione Divinâ concordibus votis & vocibus feliciter sine omni libera aliàs in liberis gentibus contradictione, electus, juxta ritum Ecclesiæ DEI, & commune jus coronatus est, nobis utinam quàm diutissimè imperans Dei gratiâ Michaël Rex; Comitia coronationis ad Majorem Reipub. confusionem rupit, aliorumque succedentium non tantùm simili modo ruptionem per sua subjecta procuravit; verùm etiam hæc una sacrosanctè conclusa, sinistrè ad disseminanda inter status Reipub. odia interpretando, quominus ad felicem deducerentur effectum, per varias machinationes impedivit, illaque uti & alia Regiæ Mtis acta invalidavit, præterea quandoquidem etiam nunc conventicula legibus prohibita privata convocare, conferentias cum externis, tam per residentes tuos, quàm per literas, facere, extra Regnum sine consensu, ad fabricandas factiones prodire, Exercitus Regiæ Mtis & Reipub. ad convinculationem, & confœderationem, perivationibus, auctis supra jus portionibus, in oppressionem pauperum, eas aliquoties in unis bonis, non tantùm militibus, verùm etiam privatis bellica non tractantibus (per quod benemeriti sunt passi detrimentum) distribuendo, ad extremam Reipub. vastationem Regem liberè electum contra pacta conventa ad abdicationem, non tantùm perswasionibus inducere, verùm etiam per armatam obsidionem sub tempo publicorum consiliorum in Comitijs, modo & more hostili, tractuum circa Varsaviam interceptione, armarij Regij, & Relpub. receptione, & vi extorquere, cum Imperatore Christiano, per propositum in aula Viennensi, ex solo personæ regnantis odio, inter Regem & Reginam divortium, hominũ in Silesiam & Valachiam, hostilem Inductionem, ausa est Inire pacta; adextremum, hostibus S. Fidei Ottomanicis Exercitibus, in confusionem totius Reipub. suarumque perversarum intentionum evictionem introductis, Ecclesias DEI in Idololatrica convertit fana, tot millibus animarum sangvine Christi redemptarum in captivitatem datis. Unde ad defensionem S. fidei Romanæ Catholicæ, ultionem profanatarum Ecclesiarum, & conculcatorum sacramentorum, roborationem electionis legis, reparationem jurium & libertatum nostrarum, repressionem tam externarum, quàm domesticarũ factionum, hanc inter nos de expresso Regiæ Mtis consensu, mutuam statuum Regni Poloniæ & M. D. Litv. præsentium, omniumque nostrûm concordiâ hanc statuimus confœderationem.

Et primo quidem protestamur tum omnes simul, tum singuli nostrûm, coram DEO, cui manifesta sunt abscondita cordium, coram Regia Mte, totoque Christiano orbe; quòd non ex ulla privata causa, aut animo vindictæ alter de altero sumendæ, sed solo motivo gloriæ DEI, Patriæ, dignitatis Regiæ, jurium & libertatum & pacificationis Reipub. zelo ducti, alter alteri, quidquid in corde contra eum invidiæ, odij, aut inanis habuit æmulationis dimittendo, omniaque hæc de cordibus sincerè ejiciendo, non tantùm legibus cautam inter nos æqualitatem, verùm etiam uniformem Majorum nostrorum resuscitando unitatem, concordiam, fraternam charitatem in consilijs publicis conservare, in defensione Reipub. omnibus viribo tamdiu perseverare, nec hac confœderatione nos priùs exvinculare, donec tam ab intra quam ab extra Respub. fuerit pacificata; omnia incommoda amore Patriæ pati & sustinere, fide, virtute, & conscientijs nostris, tenore

infra

infra ponendi juramenti, nos obligamus. Quia verò ſicut contra hoſtem u- A. C. 1672
nita virtus ſemper fortior, ita publica conſilia inter numeroſa capita, quò uniformiora, eò ſaniora eſſe ſolent, ideò nos pro confirmatione hujus noſtræ confœderationis, Regiæ Mti ſupplicamus ſimulque ut Mtas Regia velut primus in hac Patria author pacis, ſummamque omnium noſtrûm in perſona ſua complectens felicitatem, mèmor juratarum Reipub. ſtatibus, juribusq; publicis obligationum, nullis privatis, perniciem Reipub. intendentibus, ſe duci permittens in hoc throno, in quo eum ipſa Divina voluntas unanimibus liberæ gentis vocibus collocavit, perſeverare, qualemcunque DEus Patriæ fortunam præparaverit, ſine tædio, imò cum impigra alacritate ſanctam fidem Catholicam ampliare, hoſtibus tam externis, ad dilatanda conceſſa ſibi à DEO dominia, quam domeſticis ad pacificandam turbatam diffidentijs Patriam, repreſſalia dare dignetur: vicifſim augendis hiſce omnibus, tuitioni Regiæ dignitatis, liberisque, quibus ad thronum evecta eſt, vocibus, ſangvinem, vitam, & ſubſtantias noſtras conſecramus.

Inuitamus fraternè ad hanc confœderationem, Senatores ſpirituales & ſæculares, dignitarios, omnesque ex Equeſtri Ordine M. D. Litv. quatenùs memores non interruptæ inter gentes Regni Poloniæ & M. D. Litv. unionis fraternè nos in communi hac Reipub. juvent defenſione. Et ſicut æqualiter inclytæ hujus Patriæ utuntur inſignibus, juribus & libertatibus; ita æquali promptitudine ad pacificationem ejus & repreſſionem omnium periculorum externorum & domeſticorum, ad hanc noſtram confœderationem nomina ſua dare, mutuoque juramento, confirmare velint. Idem quoque non dubitamus fore, ut velint incolæ Palatinatuum Pruſſiæ, conſiderantes præcipuè, quòd, ſicut defenſio ab hoſte cujuscunque partis dominiorum Patriæ noſtræ, congregatæ Reipub. eſt efficacior, ita ad alienationem unius ab alio, promptius omnibus, (quod DEUS avertat) communis interitûs conſequitur periculum.

Simili modo, invocamus omnes Epiſcopos, Senatores, Dignitarios, Officiales Regni Terreſtres & Caſtrenſes, & quiſquis jure nobilitatis gaudet, licet in obſequio eſſet Reipub: omnes ſimul, velut communis Matris filios, ſinguloſve, ad noſtram confœderationem, & licet quis legalitate aut juris, aut valetudinis impeditus huc perſonaliter venire non potuerit; in proximis Actis jurare, nomenq; ſuum vexilli, diſtrictûs ſui regeſtro dare debebit: ſimulque hanc confœderationem noſtram ita roboramus; ut proteſtationes, tam contra actum Comitiorum, in quibus reformatio Reginalis Majeſtatis aſſecurata, non intrando eo temporis in cognitionem cognitionis, M. D. Litv, ſimiliter proteſtationem contra confœderationem ſub tempus præteritorum comitiorum, Varſaviæ, per Nuntios Terreſtres Regni, & M. D. L. condictam, omnia præterea manifeſta, ſcripta in convulſionem Regiæ Majeſtatis edita, & conficta, ſimulq; proteſtationes, quæ jam factæ ſunt, aut fieri debent, contra modernum vinculum noſtrum, caſſamus, annihilamus, & pro nullis ac pro eliminatis declaramus, & in quibuſcunq; actis ſive Terreſtribus, ſive Caſtrenſibus, in quovis ſubſellio & judicio tam ſæculari quàm ſpirituali oblata fuerint, & ſuſcepta, tam proteſtans quàm offerens & ſuſcipiens pro hoſte Patriæ, præſenti confœderatione declaratur, ex nunc que hujuſmodi oblata per Capitaneos Caſtrenſes & Officia Terreſtria & Caſtrenſia eliminari debebunt, ſub eodem rigore legis, contra Capitaneos & Officiales,

Et quia inveniuntur multi in Regno Poloniæ, qui licet æqualibus cum aliis gaudeant bonis, inæqualiter tamen ad ejus concurrunt defenſionem

A.C. 1672 sionem; imò uti etiam modo in tam urgente contra subita ab hostibus S. Crucis, necessitate, vel ipsi noluerunt comparere, nec in sui locum substituerunt, vel ipsi ad bellum per ætatem, valetudinem, & ampliores aliis substantias, cùm essent aptiores, tenuioribus expediunt substitutos, vulgò Poczty, & sexagenas non juxta constitutionem Anni 1621, infirmi quoq;, qui substitutos, vulgò Poczty, non providerint, ordinati, & quicunq; sive spirituales sive sæculares in bonis summas, vulgò Wyderkan, aut bona hæreditaria habuerint, similiter Emphiteutæ comparere, vel expeditionem facere tenebuntur: Ideo in eos omnes, quicunq; hujusmodi inventi fuerint, qui post denuntiationem hujus nostræ confœderationis per Marescha'cum Equestris circuli à nobis electi, in spatio duarum septimanarum, à data præsentis confœderationis ex amore & respectu fraterno, non comparuerint, licet quibusvis exemptionibus, libertationibus, se excusare voluerint, pœnas legum, priusquam è circulo hoc nostro digrediamur, extendere, scilicet bona eorum confiscare, ipsasq; personas pro ejectis ab æqualitate & paritate nostra declarare, sine ullo, amicitiæ, aut affinitatis respectu cujuscunq; status & conditionis fuerint fraternè nobis appromittimus: Quæ executio, ut eò efficacior esse possit, bona post jure victos ad fiscum publicum cedere debebunt, sine alteratione bonorum Terrestrium, salvis juribus & contractibus obligatoriis, seu arendatoriis ante confœderationem non in condicto factis; quod executioni mandari debebit, coram judicio informato, non obstantibus juribus communicativis & reformationis. Hæc omnia puncta præsentis confœderationis nostræ, ut sub obligatione solennis juramenti conservare appromittimus, ita cavemus hoc imprimis Stephano Czarniecki Notario Campestri Regni, Marescha'co Equestris Circuli, liberè à nobis & unanimiter ad hoc officium electo, quod sicut nobis juravit, ita nos obligatione hujus confœderationis, juramus illi, nobisque ipsis invicem, honorum, vitæ, & substantiarum securitatem appromittimus, ita, ut quicunq; ex occasione hujus confœderationis, sive illius, sive cujuscunq; nostrûm, vitæ, aut substantiæ injuriam intulerit, aut jure publico, in quocunq; judicio, turbare deinceps voluerit; tum, sicut in omni judicio & foro illum, & quemcunq; alium de medio nostri evincere, ita contra quemvis, Marescha'co, aut nostrûm cuicunq; injurium, velut contra hostem & everforem confœderationis nostræ insurgere, dictumve Marescha'cum, uti & quemvis alium de medio nostri in similibus occasionibus tueri nèc deserere sub obligatione juramenti, mutuò nobis condicimus. Ad Regem & Senatores, volentes omnem coercere insolentiam, pro judiciis, tam civilium ex appellatione à Castellanis & Ductoribus, quàm criminalium & perduellionis, & criminis læsæ Majestatis judices, deputamus eos, quos sibi in legionibus Palatinatus & Terræ, ad instar Deputatorum pro tribunali, eligent. In iisdem judiciis, causa agatur eorum, qui ruperunt comitia, ut Olizar, Zabokrzycki, Grudzyński Palatinides Ravensis in spatio duarum septimanarum, ex quo fama fert quo appretiati sint ad convellendam electionem moderni Regis Michaëlis. Ad idem judicium pertinebunt, qui peditatibus in Comitiolis, ad templa introductis, in nobilitate cædes causare voluerunt; item Generalis Kącki, pro artileriæ administratione.

Et quia patuerunt manifesta documenta etiam ex literis manu scriptis, moliminis contra Rempub. Michaëlis Prazmowski Archiepiscopi Gnesnensis, qui ex anteacta vita, practicationum cum externis, belli civilis, ruptionis

onis Comitiorum electoralium, omnium tumultuum, malorumque Patriæ, *A.C. 1672*
ſemper cauſa fuit; ideo amplius pati tanta flagitia contra DEUM & fidem S. Catholicam, Reges & Remp: b. non valentes; ex nunc privamus eum loco, dignitate, authoritate, voce activâ & paſſivâ in Senatu; homines, quos inſciâ Repub. ſub ſigna militaria evocavit, ex nunc exauthoramus, &, ſi ex turmis ſuis dilapſi non fuerint, ſimiliter qui illis ſe ſociavent, pro hoſtibus Patriæ declaramus; Palatium Vlasdoviense opus Regium, pro reſidentia Majeſtatibus, Nieporentum Camedulenſibus, alia bona hæreditaria, pro Repub. plus offerenti deſignamus: bona verò Archiepiſcopalia, in quibus inſolentes homines ſub ſigna evocabat, ut in ſequeſtro maneant, omnesque eorum proventus, ut per ſequeſtrantem ſpiritualem capitularem perſonam, & duos nobiles poſſeſſionatos interim recepti ſequeſtrentur. Perſona verò ipſius Prazmovij in clauſtro ſub diligenti cuſtodia manere debebit, ad deciſionem Sanctiſſimi, pro qua, ut per literas & Legatum Regia Mtas inſtet, obnixè petimus. Bonorum Epiſcopalium proventus annui in redemptionem captivorum cedere debent. Et quoniam ejuſdem Archiepiſcopi germanus frater Palatinus Plocenſis, per contemptum legum, tam præterito anno, quam præſente, à communi motu ſe abſentat, propter practicationes extra Regnum reſidet, in eſuſionem Reipub. bona quædam reſignavit, per quod pœnis legum de generali expeditione bellica, ſuccubuit; quas in ſe contraxit etiam frater ejus germanus, Vexillifer Curiæ, perfidiæ notatus, qui & hic pro officio Vexilliferi in communi motu non comparuit, ideo Palatinatus Plocenſis, & Vexillariatus Curiæ pro vacantibus declarari debent & ex nunc à Regia Mte alijs conferri; ſtaroſtiæ & tenutæ, bona item eorum hæreditaria in uſum Reipub. plus offerenti divendi, ſalvo jure creditorum, & jure reformatorio ipſius Palatinæ Plocenſis: item Secretarius Regni, legationis ſuæ Viennam ſub juramento corporali in circulo reddat rationem, omnesque alij, quos Palatinatus tradent & ſpecificabunt, rigori pœnarum ſubjacebunt, ex judicio formato, & pretium capitis eorum omnium judicatorum rebellium, qui eos occiderit, conſtituitur, pro hocque etiam infamiæ aliàs homicidam honori reſtituimus; bona verò dictorum rebellium, alia ad Oeconomias, alia ad reformationem Reginalis Majeſtatis, alia ad fiſcum publicum pertinebunt. Contra quos verò non ſunt tam manifeſta documenta, eos peoes bona hæreditaria ex beneplacito Reipub. conſervamus; qui ſi deinceps practicationes promovere auſi fuerint, confiſcationi bonorum, & pœnæ capitis ſubjacebunt. Eorum verò omnium malevolorum & convincendorum, qui Gedanum & in Pruſſiam abiverunt, bonorum, & ſummarum pecuniariarum, aliarumve rerum Magiſtratibus Pruſſiæ per univerſale, ſequeſtratio à Rege intimetur. Mittimus præterea authoritate confœderationis noſtræ ad Exercitum, ut ad idem vinculum compareant, Si ergo quiſpiam de Exercitu, tam ex majoribus, quàm ex Officialibus & commilitonibus eo favore abuſus fuerit, hoc ipſo velut rebellis declaratur. Id etiam præſenti confœderatione cavemus, ut miniſteria Regni, qualia ſunt ſcipio uterque, ſigillum utrumque, clava utraque, Theſaurariatus Regni, adminiſtratio artileriæ Regni, à Comitijs ad Comitia, in biennio immutentur, & reddantur ſtatim in principio Comitiorum, priuſquam ad conſilia accedatur, ſalvis modernis poſſeſſoribus. Ibidem ex nunc poſt depoſitionem Mioiſterij, in Comitijs, quivis Officialis geſti officij dare debebit rationem, nec geminum ſimul officium ulli conferetur. Et quia intuitu defenſionis Reipub. hanc inſtituimus confœderationem, volentes revocare priſcam Majorum noſtrorum haſtatam militiam, quâ intermiſſâ, tot Provinciæ debilitatis viribus noſtris, reliciſſæ ſunt, ideò vigore præſentis confœderationis ob-

A. C. 1672 servaturos nos appromittimus, ut quandocunque communi motu in subitis Patriæ periculis, nobis erit comparendum, nullus noſtrûm ſine haſta, non requirendo ullum (ut ſumptus evitentur) ad eam ſignum (vulgo proporcow) in caſtris eques compareat.

Conjicimus quoque nobis & ſtatuimus pacem, charitatem fraternam; ut nullæ diſſenſiones, anſæ, tumultus, duella inter nos locum habeant, verum ut quivis noſtrûm, ut & perſona Mareſchalci noſtri, omnem, per mutuam obſervationem & patientem ſupportantiam habeat reverentiam. Econtra verò, quicunq; præſens conſtitutum noſtrum contemnens, circulum noſtrum, interruptione ſermonum, vel alio modo turbare voluerit, talem ſeveris ſubjecturos nos pœnis fraternè nobis appromittimus, per hoc tamen liberæ voci non derogando.

Jam igitur nobis ſic invicem obligati ad ulteriora conſilia in ordine ad pacificationem Patriæ, vigore, poteſtate, authoritate præſentis confœderationis, à Regia Mte conceſſæ, nos obligamus convenire omnes ad inchoatum feliciter per hanc confœderationem, in concordia & modeſtia. Nunc verò ad eo majorem omnium horum confirmationem, juramento infra poſito nos mutuò nobis adſtringimus, nominaque noſtra huic confœderationi ſubſcribimus.

LIMITATIO CONFOEDERATIONIS.

QUia verò in præſens tam ad ulteriorem Reipubl: defenſionem, quàm alias graviores materias, integritatem Reipub: concernentes, propter elabentem commoditatem belli, non concluſimus concludenda; ideò authoritate hujus confœderationis noſtræ congreſſum præſentem prorogamus, ulteriorique conſilio ad avertenda interna & externa pericula, diem 4. menſis Jan: Varſaviæ, ſine omnibus ſolennitatibus, in Camera Nuntiorum, confidendo in præſentia Regiæ Mtis, deſignamus, quem congreſſum generalem, particulares fratrum circuli in Palatinatibus & Terris, die 13. menſis Decemb: in conſuetis cuivis Palatinatui & Terræ locis, in Terra verò Halicienſi unâ antè ſeptimanâ juxta legem & conſuetudinem, ut præcedant, injungimus. Palatinatus tamen Siradienſis, Terra Dobrinenſis & Palatinatus Ravenſis in Terris ſuis, 19 Decemb: Palatinatus verò Maſoviæ, 28 Novemb, circulos particulares inſtituere elegerunt; Pro his verò omnibus particularibus circulis, innoteſcentias, & propoſitiones ad ulteriora conſilia & defenſionem Reipub: Majeſtas Regia mittere dignabitur; in quarum miſſione, ſi Cancellariæ Regni fuerint remiſſiores; tum pro hac vice, appreſſione ſigilli concavis Regiæ Majeſtatis inſigniri debebunt. Et ſicut invitavimus ad hanc noſtram confœderationem, incolas M. D. L. ita impetravimus à Regia Majeſtate, ut ſimiliter circulos fratrum in Palatinatibus & Diſtrictibus, in ordine ad electionẽ Deputatorum ad publica hæc conſilia (quibus duarum nonniſi ſeptimanarum ſpatium impendetur) in M. D. L. in locis comitiolorum conſuetis, per univerſalia ſua indicere, & propoſitiones ſuas, ac Reipub: neceſſitates exponere dignaretur. Hoc verò futurum conſilium, pro quo quiſq; Deputatorum præcisè die 1mâ comparere debet, nullus Deputatorum, uti & perſonarum cujuſcunque prærogativæ, rumpere poterit; quicunq; verò id facere tentaverit, ipſo facto pro hoſte Patriæ reputabitur, nec proteſtatio ejus valere poterit: Quod tamen pro hac ſola vice intelligi debet, non derogando inpoſterum liberæ voci, nec in ſequelam trahendo, poſt ſolutum nexum confœdera-

fœderationis. Antequam verò pro hac generali confœderatione præfinito tempore conveniamus in præſens Deputatos pro reſidentia, qui in omnibus hanc noſtram confœderationem manu teneant, ordinamus; ſcilicet ex majore Polonia N. ex minore N. Et quoniam judicia perduellium, & perſonarum Reipub: nocivarum, in præſens in hoc loco peracta non ſunt; ideo illa ad idem noſtrum generale Varſavienſe judicium vigore præſentis confœderationis limitamus, omnibusq; his perſonis, quæ ex actu confœderationis ad judicia formata pertinebunt, & in his Comitiis dare debent rationem; & qui in futuris circulis terminum peremptorium ad dandam rationem ſine omnibus novis citationibus & mandatis, velut jam in publico proclamatis deſignamus. Mareſchalcus verò noſtri Equeſtris circuli, ſub cujus directione congreſſus futurus tractabitur, ex nunc poſt Regiæ Majeſtatis ſalutationem, alterâ die, Deputatos ad hæc judicia ſine ulla controverſia ex Palatinatibus, Terris, & Diſtrictibus Regni, & M. D. L, eo numero, quo ad tribunal Regni & M.D. L, non obſtante contradictione & abſentiâ cujuſcunque Palatinatûs & Diſtrictûs, aſſignabit, qui in præſentia Regiæ Majeſtatis & Senatûs cauſas omnes perduellionis, & criminis læſæ Majeſtatis, uti & alias omnes Reipub: occurrentes judicabunt, rota tribunalis Regni præſtito juramento, ſecuritatem omnem congreſſûs hujus cavemus, & ne ulli, tam inſimulatarum, quàm aliarum omnium perſonarum ſpiritualium & ſæcularium cujuſcunq; prærogativæ & dignitatis, liceat in majore aſſiſtentia, quam 50 equitum, idq; eminentioris conditionis comparere ſtatuimus. Quicunq; verò contra hoc conſtitutum noſtrum ſive ipſe per ſe, ſive per ſubordinatas perſonas, majore venire frequentiâ, aut in partẽ quampiam Guerras conducere, aut qualicunque modo tranquillitatem congreſſûs noſtri alterare; contra talem, velut contra hoſtem, inſurgere declaramus. Iis tamen omnibus perſonis, quas aut præſens actus confœderationis citavit, & denuntiavit, aut ex circulis fratrum Palatinatus citabunt, & quibus dare rationem in his judiciis incumbet, ſecuritatem omnem perſonarum & vitæ, donec ſe juſtificent, cavemus. A.C. 1672

AUCTIO EXERCITUS.

IN fundamento ergò generalis Confœderationis noſtræ, modo ſuprà deſcripto, nos Status quamdiu adhuc in campo ſubſiſtimus, hæc puncta unanimi conſenſu, ſub jurisjurandi ſacramento ſtatuimus. Imprimis convenimus, in ordine ad tuitionem totius Reipub: & avertenda omnia pericula, Patriæ noſtræ imminentia in auctionem & electionem novi exercitûs; cujus juxta declarationem Palatinatuum & Terrarum ſeorſivo ſcripto expreſſum numerum ſub regimen & directionem Stephaniecki Mareſchalci circuli noſtri præſente damus conſtitutione, obligando in hoc fidem ejus & conſcientiam, quam nobis juramento obſtrinxit; ut tam tuitioni Regiæ Majeſtatis, quam omnibus aliis periculis Reipubl: imminentibus, quàm vigilantiſſimè attendat; vicinim aſſecurantes, quòd quomodocunque ex re, ratione defenſionis Regiæ Majeſtatis, Reipub, hominibus his uſus fuerit, non tantùm pro rato & grato acceptabimus, verùm etiam communi motu; tam perſonæ Regiæ Majeſtatis, quàm omnibus aliis Reipub: neceſſitatibus aſſiſtemus & ad quodvis à Regia Mte datum univarſale & denuntiationem Mareſchalci ad repri-

A.C. 1672 menda omnia tam ab intra quam ab extra pericula, cum omnibus præparamentis comparere ad latus Regium nos obligamus.

ANDREÆ OLSZOWSKI PROCANCELLARII REGNI AD SUPREMUM REGNI MARESCHALCUM Varsav. 25 Novembris.

PRæteritâ postâ literas ad te direxi Leopolim; nunc audiens te cum Exercitu subsistere Turobini, mitto ad Lublinensis postæ magistrum, ab eo ad te, ubicunque fueris, dirigendas. Innotescentiæ loco universalium; propositiones occlusæ, loco instructionis, pro circulis loco Comitiolorum ad Palatinatus & terras diversis nominibus, cùm diversa sit Reipub. & consiliorum forma, ex Cancellaria sunt expeditæ. Vereor, ne novitas hæc & alteratio, futuro in Januario consilio, difficultatem creet, à quibusdam Comitiolis suo nomine Comitia, ab alijs circuli vocabulo appellabuntur, alij forsan antiquam repetent formam, alij juratæ confœderationi mordicus volent adhærere. Hactenus in aula, alta quies: & post castrensia incommoda otium, & silentium. Hodie sperantur Commissarij, reduces ab Exercitu; qui per literas conquerebantur, se acrius; & læsivè tractatos esse à militibus. Pro expeditione Ablegatorum ad Principes Christianos sumptus nobis non suppetit; unde utrum expediat, significare de præparamentis belli, cum apud nos secretum nullum, hæremus ancipites. Pro invadiatione clenodiorum, dubito utrum acquisituri sint pecuniam intra Regnum Cõmissarij specialiter Deputati, ad quos expeditæ sunt ex Cancellaria literæ, ut pro die 5 Decembris Cracoviam conveniant; ex ærario hæc cimelia accepturi valoris 400000 bonâ monetâ; spero eodem termino venturũ etiam Thesaurarium Regni Cracoviam. Dzierzek in studio Turcici idiomatis Constantinopoli residens, misit mihi catalogum captivorum ex clade sub Czetvertino acceptorum. Imponenda erat in tractatum pacis cum Imperatore Turcarum, & evincenda eorum liberatio, nunc modus non occurrit succurrendi bonis his militibus, cum præsertim Turcis in prædam cesserint. Venit Varsaviam nudius tertius ingratus hospes Legatus Tartarorum; alter filius Susan Kazi Agi brevi speratur; remittemus forsitan eos Ravam, ne nostros lustrent & perpendant defectus. Palatinus Volhiniæ & Thesaurarius Curiæ avidè expectantur cum consilio & informatione, quidnam cum hisce Tartaris agendum sit.

COPIA LITERARUM MICHAELIS REGIS, AD SS. CLEMENTEM X. PAPAM. Varsaviæ 30. Novembris.

POst oscula Pedum &c. Tristem & luctuosam Regni mei faciem, non mœrore duntaxat animum Sanctitatis Vestræ implevisse, sed eundem Pontificiâ ac verè Paternâ curâ exercere, ex literis Sanctitatis Vestræ & Reverendissimi Archiepiscopi Damiatæ Nuntij sui vivâ voce satis intellexi. Acerbum sanè & remedijs vix ingentibus reparabile vulnus per latus Regni mei res Christiana accepit, cùm Turcarum Tyrannus occupato fortalitio Camenecensi, in ulteriora Russiæ vim, & immanitatem suam effudit, & ipsa mœnia Leopolis, quæ Metropolis Russiæ est, tormentis quassavit. Nec longè aberat, ut everteret, nisi Legatorum meorum opportunè adventium operâ impetum stitisset, atque exercitûs mei modica manus

conglo-

conglobatarum gentium ferociam aliquot cladibus incredibili ſucceſſu hoſti inflictis & excurſiones, ac torrentem Chriſtiani ſangvinis repreſſiſſet. Deceſſêre Dominio meo per tractatum, & iniquiſſimas pacis leges Podolia & Ukraina amplæ Provinciæ, quarum jacturam, & dedecus meum reputans cooperit confuſio faciem meam, & animum dolor anxius intimè perurit, quòd per difficillima Regni iſtius tempora, perq; continuis bellis afflictas, exhauſtasq; vires Religionis & Regni tutelæ, ac populorum meorum defendendæ incolumitati ſufficere non potuerim, pro quibus objectare periculis, & Regium litare ſangvinem, palmarium duxiſſem. Hunc animum meliori fortunæ, & occaſioni, DEo Duce, intentum non mediocriter erigit, ac corroborat eximia Sanctitatis Veſtræ benignitas, cujus imprimis Paternã adhortationem, quâ me, ac ſubditos meos in mutuam concordiam vocare & colligere enititur, pronâ aure & filiali devotione accepi. Meo quidem altè animo repoſitum inſedit, diſcordias cum hoſtibus exercere, irasq;, & ultionem in eos vertere, cives clementiâ & beneficiis retinere in officio, quos profectò ubi ſacri belli gerendi, cura piiſſimo motu Sanctitatis Veſtræ ſeriò occupare, & non cincti totius Chriſtianitatis contra communem immaniſſimum hoſtem apparatus excitare inceperint, proclivius officia impleturos, ac me ipſum Vicarij Chriſti conſilio religiose obtemperantem fore Stas V. agnoſcet. Tametſi verò Turcarum prævalida potentia acrioris ſolicitudinis me admoneat, non ambiguam tamen ſpem affulgere intelligo à Sanctitatis Veſtræ benefica in Regnum meum propenſione, quam partim deſtinatis, Apoſtolicæ gazæ ſubſidiis, partim Chriſtianorum Principum ad publicam cauſam juvandam enixis hortamentis, luculento Patris Eccleſiæ & Reipub: Chriſtianæ exemplo Sanctitas Veſtra teſtatur, & explicat; ut exinde etiam felix augurium ſumam, Coronam Poloniæ, cujus delicta Sanctitas Veſtra uberrimis lacrymis apud Divinam Majeſtatem expiat, Filiam tot lacrymarum Clementis perire non poſſe. Reliqua ſtatum præſentem concernentia prolixiùs Sanctitati V. repræſentabit altè memoratus Reverendiſſimus Nuntius. Interim Pontificiam Sanctitatis Veſtræ benedictionem mihi, ac populis, Domimiisq; meis humiliter exoro. Dab. &c. A.C. 1672

COPIA LITERARUM ARCHIEPISCOPI GNESNENSIS AD COMITIA GENERALIA MARIÆBURGENSIA die 21 Decembris Lovicij.

QUam funeſto nuper in Caſtris Regijs, unà cum Germanis fratribus meis per quorundam Palatinatuum ſpecioſo Generalis expeditionis nomine vocatorum violenta ſuffragia damnatus ſim decreto, non modò Dominationibus Veſtris, ſed univerſo orbi Chriſtiano innotuiſſe minimè ambigo, grande profectò nobis inſolens illa turbulenti, an temulenti judicij forma influxit vulnus, tan-

A.C. 1672 tóque acerbiorem doloris impressit sensum, quantò iniquius, ac contra omnem juris ac justitiæ rationem nobiscum actum est, nullo meæ, aut fratrum meorum culpæ documento, sed ex mera, & ne minimo quidem fundamento innixa calumnia, reum me, nescio quarum in Patriam machinationum, reum Turcici esse belli. At enim quò longius id à vero aberrat, eò me non modò Christianum, verùm etiam sanctiori insignitum charactere intolerantius affligit. Decrètumne edictum, an proclamatum, illam nuncupem decisionem? incertus sum. Utcunque tamen est, nulli certæ rationi, ex qua justitiæ, & humanæ societatis religio proscripta non est, eam judicum faciem autumo cognitam. Tanto proinde injuriæ pondere unà cum fratribus meis oneratus ad Dominationes Vras oppressus Primas recurro. Patrocinium quod impensè flagito, certâ fiduciâ reperturus. Quemadmodum enim DD. Vestræ à turbido cœtu illo extorres fuerunt, ita enormis illius impietatis exsortes sunt; Equestris Ordinis libertatem jugulat, cujus caput & summa compendium esse nemo non novit, ne causæ, in quibus solutio, & fortunarum civilium momenta vertuntur, ab executione inchoentur. Cæterum legitimo, & competenti foro vim excutiendam submittere non abnuerim, munitus & potitus valido innocentiæ præsidio, quam sole clariorem omnibus apparituram non dubito. Ubi eandem stato loco, & tempore, quod à Repub. petam, diluere licuerit; quod ipsum etiamnum à DD. Vris impetratum velim, cùm singulorum intercessio, ne adeò luculentum jurium & libertatis præjudicium, in me, meisque fratribus patratum, in scandalosum posteritatis exemplum evalescat, posse civem afficti criminis obtentu, citra probationem, citra judicium honore Equestri, fortunis, imò capite periclitari, cùm pretium cuique non hominum, sed pecorum macellis destinandorum, rite sit appensum. Ex facili proinde, quivis sanæ rationis compos, honestique amans, quorsum hi casses colliment, discernet, sibique imminentia à simili tyrannidis ausu pericula, nostro timeat discrimine; omen quidē, superi prohibeant, cæterum me, causamque meam benevolentiæ, & patrocinanti earundem studio commendatissimam cupio &c.

MEMORIALE ILLUSTRISSIMI NUNTII APOSTOLICI.

23. Decembris.

Pietatem & justitiam necessarias Regibus virtutes, Majestatis Vestræ præsertim animo assidere, & collatum concordibus Ordinum suffragiis sceptrum testatur & fama absentes, res ipsa edocet præsentes. Harum patrocinio fretus Nuntius Apostolicus non dubitat, quin ea, quæ modo ex muneris debito cogetur repræsentare, benignâ aure Majestas Vestra sit exceptura, ejusq; postulatis piis æquè ac justis assensura. Punctis Consideracionis, contra assertos læsæ Majestatis reos conclusæ inest Decretum in Archiepiscopum

epiſcopum Gneſnenſem, in quem temporalium bonorum confiſca- A.C. 1690
tio, ſpiritualium ſequeſtratio, additis etiam ſequeſtrationibus laicis, fructuum unius anni in certum uſum deſtinatio, & perſonæ ipſius incarceratio decernuntur. Facta, ſi quæ D. Archiepiſcopus contra jura & Majeſtatem Veſtram admiſit, nec tueri, nec excuſare intendit Nuntius, ſcit enim hominibus, quò altiori loco poſitis, eò arctiorem ineſſe bene agendi, & à criminibus abſtinendi neceſſitatem, & in hos ſeveriori ultione animadvertendum, ut pœnâ, quod virtuti debuerunt, exemplum cæteris præbeant. Scit enim Sanctiſſimi Domini Noſtri Nuntium nihil acerbius auditurum, quàm quòd per ſpiritualem perſonam aliqua advenerunt diſſidia interna hujus Regni, quod ſummopere exoptat pacificum & tranquillum, ut unanimi concordiâ barbaros Chriſtiani nominis hoſtes, ut ſolet Polona, terreat & vincat fortitudo. Ordinis tantùm Epiſcopalis ſanctitatem commemorat, juriſdictionis ſpiritualis, & ipſiusmet Pontificiæ authoritatis ſupraſcripto decreto læſæ commendat incolumitatem. De ſpiritualium perſonarum delictis Divino & humano jure nonniſi ſpiritualis judex cognoſcere poteſt; & ubi de Epiſcopo agitur ob gradûs Eminentiam jus in eum reddere, cuſtodiam decernere, in perſona & bonis punire, ſpiritualia ejus bona ſequeſtrare, deque ijs, vel fructibus diſponere, ipſi ſoli ſummo Pontifici, vel quibus ipſe commiſerit, reſervatum legitur in decreto ſacro concilio Tridentino Seſſ. 24. cap. 5. de Reform. Quamobrem inſtat idem Nuntius punctum confœderationis ante datum, in eo, quòd reſpicit perſonam Dni Archiepiſcopi reformare, & cauſam cognitioni Sanct. Dni Nri, remitti paratus, quàm celerrimè de omnibus, quæ Mtas Vra cenſuerit, opportunè Sanctitatem ſuam certiorem reddere, ut omni poſthabitâ morâ juſtitiæ partibus poſſit ſatisfieri. &c.

EPITAPHIUM POLONÆ LIBERTATIS.

QUæ nimiâ Regum indulgentiâ nata, nimiâ Senatorum arrogantiâ aucta, nimiâ Equeſtris Ordinis licentiâ vexata, nimiâ omnium avaritiâ proſtituta, tandem facta eſt ſub tributo. Principis ignavia, magnatum puſillanimitas, populi inſania, vicinorum politica, remotorum cunctatio, univerſalis cæcitas, lachrymis totius Chriſtianitatis, monumentum ſervitutis poſuere. &c. &c.

ARTICULUS TRANSUMPTUS EX TRACTATU GALLICO INTER REGEM GALLIÆ & ELECTOREM BRANBURGICUM.

REX Chriſtianiſſimus cupiens gratificari Seren: Electori Brandeburgenſi, atq; obligare Ducem Neoburgicum pro veteri neceſſitudine, quam Rex, & præfati Principes mutuò ratam ſe habituros promittunt, & vi eorum tractatuum pollicetur, quòd non ampliùs aures

A.C. 1672 aures præbebit oblationibus promissis, solicitationibus, vel requisitionibus, sive hactenus factis, sive inposterum faciendis ratione Regni, seu coronæ vacantis Joannis Casimiri Regis nunc feliciter regnantis, sive illæ ex Polonia, sive aliunde venient, & quòd planè jam desistere vult ab ulterioribus solicitationibus, commendationibus, & informationibus quas ipsa Sacra Majestas sive in Poloniam, vel aliò transmittit in gratiam Principis de Conde, vel Ducis de Anjou filij ejus, casu quo vel per mortem moderni Seren: Regis Poloniæ vel per abdicationem ejus vacans Regnum extiterit, imò si quispiam Principum ex Gallia, specialiter modo nominati Principes de Condi, & de Anjou, ad Regnum Poloniæ aspirare, vel quovis modo etiam his tractatibus impedimenta ponere, eorumq; affectus difficiles reddere velint, Serenissima Mtas sua efficiet, ut illi ab hoc instituto suo supersedeant, nec unquam passura est ut quispiam huic conventioni contraveniat, neq; directè, neq; indirectè, vel quocunq; modo id fieri possit; simul etiam non permittet, neq; promovebit Rex Christianissimus, ut exercitus Regni Poloniæ cuipiam contra leges, & constitutiones Regni committatur.

Serenissima Mtas Sua ex supradictis rationibus, videlicet necessitudinis, & amicitiæ erga Electorem Brandeburgicum, & Ducem Neoburgicum, præterea & econtra promittit fide suâ Regiâ, omnia officia sua, solicitudines, authoritatem, studia, sive publicè, sive etiam privatim directè, vel indirectè, interponere apud Seren: Regem Poloniæ, & Principissam Neoburgensem, casu quo S. R. Mtas Sua non repugnaverit, sive ratione vacantis Regni post mortem abdicationem, sive resignationem à Duce Neoburgico immediatè per Electionem Reipubl: obtineri. Pro qua re Rex Christianissimus omne officium, studium, & commendationem præstabit, in eũ modum, quod Seren: Brandeburgicus, atq; Serenissimus Dux Neoburgensis optimum judicaverint, prout media super his omnibus, ut dictum, ampliſſimè conquirentur, postmodum mandata, seu Instructiones huic intentioni suæ conformes Legatis, & Ministris suis tam in Poloniam, quàm aliorsum Rex Christianissimus missurus est.

Post recognitionem Feudalem per D. Joannem ab Hoverbek Deputatum Electoralem factam Rndmus Andreas Olszowski Episcopus Culmensis & Pomeraniæ, Procancellarius Regni ex scripto infrascripta legit:

Sacra Regia Majestas D. noster Clementissimus nihil sanctius ducit, quàm ut antiquæ necessitudinis, bonæ amicitiæ, & Pactorum jura, & nexus cum Serenissimo Electore Brandeburgico Duce in Prussia integrè, & inviolabiliter observentur. Cùm igitur vigore Pactorum Bidgostiensium Gratitudo Vestra, uti ejus Serenitatis Consiliarius, & Officialis, atq; ad hunc actum specialis Plenipotentiarius, jus Feudale super Præfecturas Lemburg & Bitow cum omnibus earum pertinentiis à S. R. Mte, tanquam earundem Præfecturarum naturali & directo Domino ad præsens recognoscat, ejusmodi recognitionem S. R. Mtas de ampliſſimi consilij sententia admittit, ac literas recognitionis & renovationis ejus Feudi ex Cancellaria Regni extradi mandat. Non derogando in futurum pactis, quæ plures Consiliarios, aut Officiales ad talem actum requirunt, quam præcautionem Gratitudo Vestra admisit; tum & salvo juramento, quod per Consiliarios, aut Officiales futuris temporibus circa tales actus præstare debere S. R. Mtas & Senatus existimant, quæ dubitatio ad Com-

missa-

missarios invicem nominari, sive ad mediatores juxta pacta pro amica *A.C.* 1672
compositione ad definitionem refertur, ut ejusmodi recognitiones in coronationibus Regum Poloniæ peragantur, neq; sine legitima causa in aliud tempus differri possint.

ANDREÆ OLSZOVII PROCANCELLARII REGNI AD CARDINALEM ALTIERI.

QUàm lætum nobis fuit, & honori nationi nostræ duximus demandatam esse à Sanctissimo Domino Nostro provinciam Domino Comiti Korycinio deferendorum munerum Apostolicorum ensis, & rosæ benedictæ pro suis Majestatibus Poloniæ, tam nonnihil admirari subit immutationem instructionis ad Illustrissimum & Reverendissimum Nuntium Apostolicum hic recenter supervenisse, quâ mandatis prioribus suæ Illustritatis, atque existimationi Dni Korycinij non leviter derogatur. Causam rei allegant ex informatione per datum memoriale à Canonico Kamocio, qui lacessere importune, & impetere viros insignes solitus, audiri profectò non merebatur. Cæterum Dnus Comes Korycinius vir est summæ in Polonia Nobilitatis? Magni Cancellarij filius, avitis familiæ decoribus insignis, amicitiarum, & cognationum plenus, eoque nomine affinitatis cum domo mea mihi obstrictus? oratam velim Eminentiam Vram, ut informet, si ita videbitur, suam Sanctitatem decenter, & ex dignitate id munus ab illo peragendum, versari in eo existimationem gentis nostræ, ut honoretur, quem summus Pontifex voluit honorari, neque existimandum est aliquem malevolorum prævalere posse, ut Dni Korycinij dignitas diminuatur, quam præter ejus merita suæ Sanctitatis apud nos devotissima reverentia sustinebit. Non patietur Eminentia Vra erga personas, resque Polonas studium, & sublimis protectio in Korycinio, totius Nationis nostræ honori detrimentum fieri; quod negotium instantissimè patrocinio Eminentiæ Vræ commendo. Błonscius quidam Sacerdos magnæ eruditionis, sed facto illaudabilis in Ecclesia nationali S. Stanislai dicitur, eóque nomine Dnus Korycinius ad invidiam vocatur, tanquam familiarem suum ad Rectorem Ecclesiæ Sancti Stanislai promovisset, sed certius est Błonscium sui juris, neque Domino Korycinio præter usum ullatenus obstrictum fuisse, & delictum ejus personale minimè infamiæ natam existimationem Domini Korycinij afficere posse. De triumphali Te DEUM nesciebam tantas difficultates moveri posse, quòd in Ecclesia tantùm Nationali decantandum sine magna solennitate credebam. Ergo supersedendum est ab ista devotione, præsertim, quòd res nostræ aliquantùm nunc prolapsæ videantur. In negotio Hebdovienſi informabit Illustrissimus Nuntius, me planè victorem videri, cùm Religiosi Archivum suum etiam ad compulsoriales literas extradere recusent, attamen de jure Patronatûs Regij usu continuo nominationum Regiarum ipsimet fatentur. Reliqvum est, ut Eminen-

tiæ

A.C. 1672 tiæ Vræ promptissimam meam decisionem reverenter commendē.

COPIA LITERARUM ANDREÆ OLSZOWSKI PROCANCELLARII REGNI AD D. LOMBARDI CIRCA SUMMAS NEAPOLITANAS.

REtuli Serenissimo Regi meo contenta epistolæ ad me datæ Illustrissimæ D. Vræ, nimirum quòd Illustrissima Dominatio Vra anno præterito ex declarata per me voluntate Regia in negotio summarum Neapolitanarum non nihil elaboraverit, cùm superstite Serenissimo Rege gloriosæ memoriæ Ioanne Casimiro Benefactore meo abstinere curâ, & promotione prædicti negotij Neapolitani, certæ rationes protunc suasissent; ad præsens jam morte ejusdem Regis aperitur via juris Polonici asserendi. Libenter itaque intelleximus Illustrissimam Dominationem Vram cum excellentissimo Vice-rege Regni Neapolitani, ac alijs fortè Ministris Hispanicis, supermemoratis summis, ac earum fructibus contulisse, & ne alicui alteri possessio interim traderetur, operam pro parte Regis, & Regni Poloniæ interposuisse. Scripsit à prima de morte Regis Casimiri notitia Rex meus ad Regiam Mtem Hispaniarum literisque inclusam copiam resignationis seu donationis à Rege Sigismundo factæ communicavit, cujus nunc authenticum instrumentum pro more istius Cancellariæ Illustrissimæ Dominationi Vræ transmitto. Scribit etiam literas Italicas Regia Mtas ad Cardinalem Nidardum Legatum, & ad vice-regem Neapolitanum. Porrò negotij promovendi potestas Illustrissimæ Dni Vræ in rem, & commodum Regis, & Regni conceditur, & concreditur vigore instrumenti plenipotentiæ Regiâ manu subscriptæ, & sigillo Regni communitæ cum facultate etiam subdelegandi, & cum acceptatione pro rato, & grato. Pleniorem dabit informationem Illustrissimæ Dni Vræ Perillustris Dnus Paulus Doni Decanus Varsavienſis, qui residentis Regis Casimiri titulo summarum dictarum, seu provenientium ab ejs annuatim proventuum multos per annos curam, & administrationem Neapoli exercuit. De administratione fundationis S. Brigidæ in urbe non potest dari pronunc sufficiens informatio, in absentia illorum, quorum interest. Certum habemus vigore Brevis Clementis VIII jus competere Svecis illis, qui cum Rege Sigismundo III è Svecia profecti Patriam sibi in Polonia elegerunt, & Catholicam fidem susceperunt. Supersse dicuntur circiter sexdecim familiæ, ac posteri à primævis illis exulibus descendentes. Ad hæreditatem Comitatûs Zywiecensis aliaque bona mobilia, & immobilia defuncti Casimiri Regis propria, Serenissima Regina Christina jure proximi sangvinis nititur, sed quæ ex legibus Polonicis, & concurrentibus impedimenta nascuntur, Illustrissimus Dnus Archiepiscopus Damiatæ Nuntius Apostolicus significabit. Ego me interim solitæ benevolentiæ, & gratiæ Illustrissimæ Dnis V. cōmendo.

COPIA

COPIA LITERARUM MICHAELIS REGIS AD PONTIFICEM, 10. Novemb. A.C. 1672

POst oscula &c. Insperata omninò mihi accidit à Nuntiatura Poloniæ ad Hispanicam promotio Reverendißimi in Christo Patris Archiepiscopi Corinthi Marescoti; qui sanè tali hinc discessu non desiderium magis sui, quàm justi doloris causam, mihi & Nationi Polonæ reliquit. Patietur benignitas Sanctitatis Vestræ gravem exinde animi mei sensum in paternum ejus sinum deponi, eò majore fiduciâ, quòd Regnum Poloniæ, totaq; hæc Natio commoratione Sanctitati Vestræ optimè notescat. Amplitudo Regni mei magnorum populorum in unum collectorum, ac ingens robur nulli alteri Regno, & genti decedit; atq;, si erga Sedem Apostolicam reverentiâ, erga fidem Catholicam ardenti, & invicto zelo comparetur, etiam fortè præcedit. Non exagero fortitudinem, & gloriam bellorum, quibus contra Ecclesiæ Romano Catholicæ juratos hostes Turcas, Tartaros, Schismaticos Natio mea fatigatur. Attollere crucis signa, & sacra Domini bella præliari anniversarium imò perpetuum genti Polonæ est. Pro unione Russo-græcorum cum latinis quantum consilijs, & ferro etiam nunc laboretur, vel hoc argumento sit, quòd florentißimis, ac feracißimis Ukrainæ terris tot jam annis cedere, quàm unionem Græci Ritûs non retinere leviùs existimemus; Tractatum pacis, quem solâ unitorum causâ difficilem reddit, magno rei Politicæ dispendio, & Regni periculo trahamus, vitam, fortunas, & sanguinem civium pro defendenda re Christiana in aciem, aleamq; mittamus. Audeo ego affirmare Sanctitati Vestræ, si de protectione unitorum vel paulùm remittam; si Abbatias, & templa ab unitis recens recepta relinquam; si res disunitorum ad eum statum, quo sub antiquis Regibus fuerunt, revocem, planè momento pacem domesticam cum Cosacis concludi, & bellorum ad intra, ab extra tempestati obviam iri posse. De me ipso, quàm Majoribus meis Regibus Poloniæ pro Religione Catholica paria faciam, quàm Schismaticos Episcopos vulgò Vladicas Senatu arcere, Hæreticos deprimere palmarium ducam; neq; sine aliqua invidia ac perturbatione rerum mearum oppugnatoribus Orthodoxæ fidei me opponam; conscientia, mille testes, si alij deficiant, mihi suffragabitur; Principem virum Marescalcatus Lituaniæ, & Præfecturæ Samogiticensis (primariæ dignitates istæ sunt) spe, & ambitu dejectum, solâ eâ causâ, quòd Calvinista esset, sparsum exinde in vulgus rumorem, ac suspicionem, quasi non integrâ fide, sed cum restrictione mentis juraverim Rndmus Archiepiscopus Corinthiensis candidè informabit. Palatinum Trocensem magnæ dignationis à Schismate ad Catholicum Ritum traductum; Etiam Abbatias, & templa Græco-unitis Privilegium, vel Decretorū adscripta nostrorum, authoritate Principatûs, & innati in rem Catholicam affectûs mei documentum sunt. Quid ni ex merito dolorem intea-

A.C. 1673 *intendam? quid ni coronam meam extra nominis ambitionem Catholicam, & Chriſtianiſſimam minore loco Romæ haberi, & per ejus lumen ad aliud Regnum tanquam ſuperius Nuntiis Apoſtolicis gradum aperiri, quid ni doleam. Notum ſanè eſt, à talibus primis exemplis, ad alia exempla Curiæ Romanæ viam monſtrari, & Poloniæ quaſi de facili toleranti minùs licet æqua debinc ſubtimeri. Sed tamen ſperare meliora de Sanctitate Veſtra non deſino, cùm Clementem, gratum pridem, & populare Regno meo nomen cogito, cùm prima auſpicia Pontificij Regiminis mihi juxta ac alijs amica & læta fore, voto & affectu præcipio. Ingredior in eam ſpem, futurum, ut Sanctitas Veſtra paternâ ſuâ providentiâ aſpera hæc in vias planas componat: vim ac affectum nominis ſui in me, meumq; Regnum clementiſſimo ſuo judicio palàm faciat, non minùs quid in Eccleſia Catholica cæteris, quàm quod Regibus Poloniæ ex merito, & paritate Coronæ debeatur. Sanctitati Veſtræ longævam incolumitatem, & felix Reipub: Chriſtianæ Imperium humili devotione ad extremum apprecor.*

PUNCTA PORRECTA A MALE-CONTENTIS.

Lovicio.

Imo. ANte omnia, ut ſpoliatis reſtituantur ablata, ſcilicet Patriæ & libertatibus comitia, comitiola, eaq; omnia, in quibus deviatum ab orbita antiquorum jurium, & conſuetudinum Patriarum.

2do Conſœderatio, totuſq; ejus actus & omnia, quæ in ea includuntur, ut lege publicâ caſſentur; ſiquidem perimunt libertatem noſtram.

3tio Ut Rex oſtendat moduni ſalvandi nos in tam gravi neceſſitate, dummodo non ſit talis, quales erant præteriti, quando loco belli cum hoſte, vaſtata eſt Reſpub: Duci verò cum exercitu laboranti non tantũ ſuccurſum non eſt, verùm etiam currus ejus & exercitus ſunt areſtati.

4to Ut reparatio honoris fiat poſt tot injurias & calumnias, quibus proſcindebantur magnorum virorum nomina.

5to Ut elenodia in ærario non attingantur ſine conſenſu eorum, cùm & ipſi ſint pars Reipub: & præterea in iiſdem elenodiis exercitus extero more militans, habet lege publicâ aſſecuratum ſibi ſtipendium.

6to Ut Palatinus Siradienſis judicetur; quòd tantis hominibus tam atrocia objecerit crimina & cum Turcis Tartariſve correſpondentias habuerit.

7timo Quòd ea quæ ipſis objecta ſunt per Amniſtiam ſopiri nequeant, cùm orbi jam innotuerint.

8vo Quæ eorum ſecuritas erit poſt hanc complanationem cum ex antecedentibus experimentis fidere nequeant etiam juramento Regio; quandoquidem, jam poſt promiſſam gratiam, viſa ſint in conclavi Regio connotata, eorum nomina, quorum, aliqui ad mortem, aliqui ad tormenta erant deſtinati?

9no Deſervita merces, ut bene merito exercitui provideatur.

10mo

tomo Ut ordinaria Comitia indicantur. A.C. 1673

11mo Quod venire pariti ſint ad conſilia publica, eamq; convocationem; dummodo ea non ſub hujus Mareſchalci directione, nec ſub armis celebrentur.

12mo Etiam id metuunt, ne ubi propter ſecuritatem ſuam in majore venerint aſſiſtentia, ſiniſtris ſubſint interpretationibus, ut factum in præteritis comitiis.

REPLICATIO REGIS & REIPUBLICÆ, AD PRÆCEDENTIA PUNCTA.

I. REſpublica eſt Domina ſui juris adeoq; habendum eſt pro firmo & rato, quod conſtituit; hoc enim eſt jus quod populus juſſit, præſertim quando extraordinaria mala, extraordinaria poſcebant remedia.

2. Provincia Pruſſiæ invitata ad eandem confœderationem; ſi non accedet, non eſt novum ſine aliquot Palatinatibus Comitia celebrari; abſentes careant.

3. Comitia nunc in tam præcipiti Reipub: caſu celebrari nequeunt ubi tamen etiam illi acceſſerint; poterit eadem convocatio Comitiorum nomine appellari.

4. Quod Rex deſcenderit in caſtris ad judicia; quod malecontenti pro diffamatione habent; fecit id ad inſtantiam populi.

5. Læſio famæ, innocenti nocere nequit.

6. Palatinus Siradienſis ex generoſitate ſua, ea probare paratus eſt, quæ cuipiam objecit.

7. Securitas illis eo ipſo providebitur, quòd ſimul ad conſilia publica accedent, quòd ſi tamen voluerint, poterit illis caveri lege publica.

8. Impoſturæ, quæ honorem Regium tangunt, nec competunt Majeſtati, reſponſione non ſunt dignæ.

9. Intereſſe exercitûs & deſervitæ mercedis ratio, magis cordi eſt Reipub: quàm privatis perſonis.

10 Adventum Varſaviam earum perſonarum, ut præcedat juramentum ſuper nomen Regis Michàëlis feliciter regnantis.

11. Providebit D. DEus media ſalvandæ Reipubl: quando etiam illi accedent ſincerè ad commune conſilium.

12. Varſaviam venire poterunt non in magno comitatu; nullum enim ibi habebunt hoſtem, quando venient ad communia conſilia pro bono publico.

PUNCTA CONTRA JUS, CONSVETUDINES, ANTIQUAM REIPUB. FORMAM ET CONTRA DECENTIAM IN LUBLINENSEM, CONFOEDERATIONEM IMPOSITA.

COnſcriptus ſtatus Regni & ex M. D. Litv. ibi non fuerunt, quod eſt contra unionem, in qua expreſſum, quòd congreſſus Regni Poloniæ ſemper cum M. D. Litv. eſſe debeant.

Infamia totius gentis, quando ſcribitur, quod Poloni Turcam introduxerint, Regem Varſaviæ obſidione cinxerint, abdicationem ſuaſerint, armamẽtariũ occupaverint, totque alia crimina patrârint, quæ tamen nõ ſunt probata.

Invitant Ducatus Litvaniæ & Pruſſiæ ad confœderationem & in civitates Pruſſiæ & Litvaniæ ſtatuunt legem, ut in ſpatio ſex ſeptimanarum ju-

A.C. 1673 ramentum deponant, non expectato generali congreſſu; jurabúntne hæ duæ provinciæ ſuper hac confœderatione? id eſt contra jus, quod de nobis agatur ſine nobis.

Sigilli conclavis contra omnia jura ad cauſas Reipublicæ inductus uſus.

Ad judicia perduellionis totidem deputati deſignati ſunt, quot pro tribunali Regni, contra conſtitutionem anni 1588. & electionis Regiæ Mtis, & 1670. contra jus eſt, pro libera voce judicare Olizar, Zabokrzyccium, Grudzinium, & ut in proceſſu additum, quod quicunq; congreſſum hunc rumpere voluerit, pro hoſte Patriæ ſit habendus, nec ejus proteſtatio ſit valitura. Ergo jam libera vox eſt ſublata, imò nec circumſcriptio nuda ſine Ducatibus Litvaniæ & Pruſſiæ, & ſine ſenatu ſpirituali.

Summarius proceſſus, quem ſemper Poloni cavebant, inductus; quando Archiepiſcopus, Palatinus Plocenſis & Vexillifer Curiæ Regni, non citati, ſine additione patroni, ſine inquiſitione & ſine judicio condemnati, contra fundamentalia jura Regni; neminem captivabimus, niſi jure victum.

Violata in hoc Papalis jurisdictio, quando ſæculares Archiepiſcopum judicârunt; bona ejus ſequeſtrare voluerunt, per quod ſummo Pontifici juſtæ offenſæ dederunt anſam, cujus Legatus in communi motu contemptu eſt affectus; quod certè nos in bello Turcico non ſecundabit.

Juſſæ ſunt Oeconomiæ Regni & M. D. Litvaniæ, reddi vigore confœderationis, quòd non tantùm eſt contra jus, contractus manu tenere imperans; verùm etiam contra vincula unionis: quia jus ſcribi non potuit in abſentes cives, qui ſuum diſtinctum ſtatutum habent. Officia Regni privilegijs advitalitijs & juramento cauta, immutare, & ex perpetuis temporanea facere, ſine conſenſu omnium Ordinum non potuerunt.

Excitârunt ingens incendium belli civilis; quando contra Exercitum, ſcripſerunt punctum, quo quicunque ad confœderationem non accederet pro Rebelli & hoſte Patriæ declarârunt, unde modo conſpiratio an confœderatio in Exercitu Regni facta & jurata.

Exulat juſtitia, quando cauta ſecuritate confœderationis & conſiliorum Bronievius in circulo occiſus eſt, nec cauſa ejus judicata, omniaque alia crimina in conſpectu Regis & Palatinatuum, manſerunt impunita.

Sublatum tribunal Regni; quando nova forma judiciorum in Palatinatibus, cum appellatione ad Mareſchalcum Varſaviam, eſt conſtituta.

Derogatum juribus Ducum; quando Exercitus ex expeditionibus formatus non ſub eorum, ſed ſub Mareſchalci datus eſt poteſtatem; quod pati nolle Duces & Exercitum, patet ex juramento.

Eidem Mareſchalco data poteſtas expediendi univerſalia & innoteſcentias ad Palatinatus, cum præjudicio jurium Majeſtatis.

Aperiendi ærarij Regni & Clenodia invadiandi data poteſtas, præjudicat M. D. Litvaniæ, cujus duo Senatores, Viinenſis & Poſocenſis Palatini, claves habent.

Pœna publica ex infamibus, & capite damnatis Wierzbovio, Ubyſz tolli non potuit, niſi cum conſenſu omnium Ordinum; adeóque etiam in hoc præjudicium eſt M. D. Litv. & Pruſſiæ. Sublata comitia fundamentum libertatis; quando congreſſus tantummodo aliquis, non verò Comitia, Varſaviæ pro die 4. Jan. eſt deſignatus.

Sublata Comitiola, quando circuli tantùm ſunt indicti particulares, ad quos concluſæ literæ non verò inſtructiones ſunt miſſæ, & quidē ſine Nuntio.

Sublata camera Nuntiorum; quando Nuntij non habitis in illo confeſſibus, in ſenatu cum Mareſchalco & cum Rege ſunt confeſſuri. Tollitur jus & ſtatutum M. D. Litv. quando in eo non Comitiola ſed circuli à Rege deſignandi

gnandi intimantur, quod inſcijs & invitis Statibus M. D. Litv. fieri non potuit. Deſignatio 20 Deputatorum pro reſidentia ad latus Regium, tollit antiquam Reipub. formam; cùm non ſint deputati ex M. D. Litv. & Pruſſia. Hæc puncta, quibus antiqua Reipub. forma everſa eſt, omnino in futuris Comitijs ſunt corrigenda, ut civile bellum, cujus magna jam ſunt initia, in conjuratione Exercituũ, evitari, & Reſpub. civilibus medijs pacificari queat. *A.C.* 1673

PUNCTA AD PACIFICATIONEM AB INTRA REIPUBLICÆ POST CONFOEDERATIONEM SUB GOLAB.

Licet congreſſus præſens celebretur ſub titulo convocationis, confœderationis, juxta condictamen in circulo ſub Lublino, ſicq; omnino concludendus ſit, ne illo (quod DEUS avertat) rupto, Reſpub. maneat nudata debito præſidio; tamen quia temporis anguſtiæ, aliæq; validæ rationes, nec nova cogere Comitia, nec congreſſum hunc prolongare, & ſolennitates Comitiorum adhibere non ſinunt; actum præſentem ubi in eo, juvante DEO ſecuritatem tam ab intra, quam ab extra providerimus, Statusq; omnes priſtinæ unitati reſtituerimus, in Comitia transformabimus, & ſub titulo Regiæ Mtis, directione Mareſchalci Nuntiorum cameræ, concludemus. Horum verò Comitiorum contenta hæc eſſe debent.

Pro fide S. Romana Catholica agere, eamque tueri, ut veris convenit Catholicis: pro dignitate Regis Michaëlis DEI gratia feliciter regnantis, unanimiter, liberis vocibus, ſine ulla diſmembratione & contradictione, electi, legitimè juxta ritum S. Romanæ Eccleſiæ & Reipub. noſtræ coronati more Majorum noſtrorum nos opponere, & pro viribus & poſſibilitate noſtra, ut fidelibus ſubditis convenit liberam Electionem tueri; illamque juxta jura & immunitates Patrias, conſervare. Cum externis Monarchis nullas conferentias in ejus everſionem, habere; ſed eam fovere ſecundùm inſtituta Majorum noſtrorum, & circumſcriptionem in ſtatutis & conſtitutionibus antiquis & novellis. Qui verò quidpiam contrarium moliri voluerit, cum eo agere debebit Reſpub. juxta omnes confœderationes generales.

Formam Reipub. ad antiqvum ſtatum reducere, ut Comitia, Comitiola Nuntiorum cameræ libertatem ſentiendi, jus vetandi, adinvento modo ne rumpantur Comitia, judicia omnia tam Regia quàm tribunalitia & omnium ſubſelliorum, ad ſolidum uſum, authoritatem redigere, ut ſtatim poſt concluſum hunc congreſſum tam in regno quam in M. D. Litv. celebretur. Quidquid à præteritis ad moderna tempora factum eſt, ex quacunque cauſa totum DEO charæque Patriæ propter conſervationem ejus condonare. Diffidentias inter ſtatus, quacunque de cauſa intervenientes, eradicare, & extingvere, nec unquam ad eas redire, ſed in unitate & concordia manendo, omnia pericula à Repub. avertere, imò nos obligare ad manendum quàm arctiſſimè in eadem unione, donec unitis viribus & animis, ſubſtantijs noſtris non parcendo, omnes ab extra hoſtiles inſultus reprimamo, pacemque Reipub. reſtituamus, per ſtatuenda in hiſce Comitijs præſidia.

Scripta omnia quocunque prætextu ex diffidentijs & ſciſſione animorũ procedentia, tam publica quàm privata, ſive typo, ſive calamo expreſſa, & ſermones quosvis adverſantes honori & bonæ famæ; item deciſiones in cõmuni motu, proximè præterito in perſonas, bona, honores, & officia nonnullorum civium, latas, æternùm annihilare & ex actis ab utrinque eliminare, & ne id unquam ipſis perſonis, & earum, poſteritatis reputationi & honori noceat, cavere. Statutum tamen reaſſumere de calumniatoribus in futurum: diploma regium in communi motu formatum in toto approbare,

A.C. 1673 & in volumen legum inſerere. Iura Majeſtatis, aliàs Regalia, tam in caſtris, quam in quovis alio loco juxta antiquas conſvetudines conſervare, ſimiliter diſpoſitionem literarum denuntiatoriarum vulgo Przypowiednych.

Seorſivos privatos congreſſus ſine omnibus ordinibus nulli licebit inſtituere, nec privatis civibus illos indicere; ſed hac in parte procedere juxta conſvetudines in conſtitutionibus & ſtatutis deſcriptas, & ſecundum antiquam formam Reipub. nec exercitus ſeu vexilla erigere ſine ſcitu Reip.

Exercitui regni tam Polono, quam externo more, militanti; tanquam in tot occaſionibus bene merito, debitam ſatisfactionem providere, & ex hoc congreſſu aſſecurare; juxta repartitionem Commiſſionis Leopolienſis anno 1667. qui exercitus ex nunc poſt pacificationem ab intra exvinculari debebit ſuo nexu, & in debito, Regi & Reipublicæ, manere obſequio.

Epiſcopi, Poſnanienſis, & Chelmenſis, non pertinent ad diſpoſitiones & & correctiones privatorum cum habeant ſupremum paſtorem.

Quo ad conſilia reſpondet conſtitutio anno 1641. de reddendis rationibus.

Quo ad cauſam Zamoyſtenſem ratione ordinationis, ſiquidem non pauci inveniuntur, qui Interponunt juris ſui prætenſiones, ideo, uti jam per judicium agitari cœpit, & in lite pendet, propter finalem deciſionem differre ad futura Comitia ordinaria; interim diſponere media ad perfectam pacificationem in omnibus intervenientibus prætenſionibus.

Congreſſus hic rumpi non debet, & licet quis, aliquas intulerit proteſtationes, hæ nullum habebunt valorem. In quæ puncta Reſpub. conſentiet prævio juramento.

FORMULA JURAMENTI.

EGO N. ſponte juro DEO Omnipotenti uni & trino, meglo-riam, honorem Sanctæ Romanæ Catholicæ fidei, dignitatem & incolumitatem Regis Michaëlis, Domini liberè Electi & coronati, integritatem Reipub: defenſionem libera Electionis & jura nobilium, contra quoſvis hoſtium me propugnaturum, nec ulla molimina Domino & Patriæ nociva practicaturum. Sic me DEus adjuvet &c.

PUNCTA AD IDEM PERTINENTIA.

EXpreſſa hæc puncta pro ſecuritate ſubſcribentur à Regina velut Mediatrice, à Deputatis ex Senatu & à Mareſchalco Nuntiorum, & viciſſim à perſonis partis adverſæ eadem ſubſcribi debebunt: poſt tranſmiſſionem verò ſcriptorum, Princeps Archiepiſcopus Gneſnenſis, item Mareſchalcus ſupremus Dux exercituum alijque Lovicij degentes, ſine mora Varſaviam venire, hocque deponere debent juramentum: & unire conſilia ſua, ut præſertim bellicum conſilium cum Equeſtri Ordine eò exactius formari poſſit. Regi debitam obſervantiam & reverentiam cum reſpectu Mtis, velut domino, præſtabunt; Reginæ quoque pro interpoſitione authoritatis in præſentem complanationem convenientes referent grates, idem facient Nuntio Sanctiſſimi extraordinario.

Cum omnibus, cum quibus aliquæ ſimultates & diffidentiæ tam in regno Poloniæ, quàm in magno Ducatu Litvaniæ his temporibus interveniebant, complanari, unusque alteri reciproca Chriſtiana ſinceritate donare offenſas, ex quacunque cauſa provenientes propter commune bonum oblivione ſepelire, nec ſibi ullam vindictam ab utrinque qualicunq; prætextu & colore in poſterum debent reſervare. Quæ omnia plenius in conſtitutione circumſcribentur.

EXOR-

EXORBITANTIÆ SUB LUBLINO COMMISSÆ. A.C. 1673

AGnovit Rex in reſponſo dato Nuntijs Majoris Poloniæ, quòd per Comitia Regni evertenda eſſet Reipub: forma, quodque medicina hæc ad ejus curanda mala ipſo morbo pejor futura eſſet. Cur ergò contra proprium, contra internam ſcientiam, contra vitas Senatûs ſui ſententias, (id enim totum expreſſum erat in dato reſponſo) conceſſit hæc comitia, per quæ Reipublicæ forma eſt everſa? cur adhibuit hanc medicinam pejorem morbo, videndo illam talem eſſe, ut ex ipſa nunc patet experientia? quandoquidem cives in ſuis honoribus læſi, ſecuritatis causâ confœderationes inierunt.

Quare Rex, agnoſcens in eodem reſponſo, quòd ille communis motus non eſſet tota Reſpub: cùm in eo, nec ex Ducatibus, Litvaniæ, & Pruſſiæ, nec ſpirituales fuerint; vel ſi fuerunt, non ſtatum repræſentabant; quia ibi eſſe non debebant, ſed ſuas duntaxat perſonas, ut eſt enucleatum in eodem reſponſo; cur inquam, Rex congreſſum illum partis Reipub: pro toto ejuſdem corpore aſſeruit, & non tantùm paſſus, verùm etiam aſſenſu eſt cooperatus ad mutandum ſtatum & formam Reipub: per quod fundamentaliter everſa libertas, & extrema declarata ſervitus; quando jus vetandi & contradicendi ſub pœna hoſtilitatis Patriæ eſt ſublatum? Quis dedit poteſtatem parti Reipub: tam enormem conſtituendi ſervitutem, ſuſpendendi aut potiùs tollendi Tribunal, transferendi judicia, aliaq; ſimilia ſtatuendi?

Cur Rex obſtrictus juramento, neminem captivare, niſi jure victũ, damnari permiſit totam Domum Prazmoviorum, qui non defenſi, non auditi, non contumaces, quia non citati ſunt damnati, inaudito, ab orbe condito, proceſſu? DEus ipſe abſolutus Dominus & Creator rerum, exilio de Paradiſo non punivit Adam, niſi priùs citatum, illis verbis: Adam ubi es? Hic verò ad ultimas pœnas capitis & confiſcationem bonorum damnati, ſubhaſtata illorum capita, ſicariatui appretiato deſtinata; In infames hujuſmodi lauda conſtituuntur, non in cives. Rex tamen hanc exorbitantiam à parte commiſſam, non tantùm permiſit, verùm etiam juramento ſuo confirmavit.

Quare Rex contra prius juramentum aliud emiſit? In priore enim ſat firmè jurata erant jura, libertates, & immunitates; in ſecundo verò ſub Lublino facto, contrarium patet; quod à parte Rex addit, tam in juramento ſuo, quàm diplomate; quod ſcilicet in legibus diſpenſaverit; ergò juravit ſuper diſpenſandis legibus, in quibus illi prius juramentum diſpenſationem non conceſſit; ergò aperte apparet, in hoc juramento priore maximè parte contraveniente, Regem diſpensâſſe.

An etiam hoc excuſare poterit Regem, in diſpenſatis juribus ex conſenſu Reipublicæ? quòd ſcilicet, cujus eſt condere, ejuſdem eſt etiam interpretari. Quia ibi Reſpub: paſſa eſt in eo præjudicium, in quod ſtatus Eccleſiaſticus non conſenſit. Violata omnia jura tam Divina quàm humana, & libertates, à parte Reipub: quando immunitates Eccleſiaſticæ violatæ; quas tamen uti & libertates ac privilegia, non tantùm iſtis, verùm etiam primo ſtatui, ſcilicet Eccleſiaſtico non ſervavit. Exemplũ nimis ſcandaloſum eſt poſteritati; quòd pars Reipub: mutaverit formam ſtatûs ſui, dederitq; cives in æternam & abominabilem ſervitutem, nullo bono, ſed ſolùm tumultibus & armis; ut etiamnum fatetur Nobilitas ſe coactam jurâſſe, quod tamen tumultuarium conſilium Rex juramento firmavit.

A.C. 1673 Id quoq; desiderandum est, quod non tantùm pars duntaxat Reip: sub Lublino, ut dictum, fuerit: Verùm etiam illa, quæ fuit, dissentiebat, licet id prodere non audebat. Quando enim pro libera voce pro consueto in liberis consultationibus vocabulo (protestor) Bronievius occisus est: cujus cadavere sub tentoria delato, eandem patratores sceleris etiam cæteris intentabant necem, quos a suis intentis alienos esse sciebant. Hæccine est libera vox? hocne liberum consilium? hæc salva libertas, ubi inusitatis consiliis mutato statq; Reip: imò detrusus in abominabilẽ servitutẽ? licet enim major ibi fuisset pars bonorum civium, nemo tamen audebat incipere, ob imminens periculum.

Considerandum (ut dictum) esse exemplum scandalosum à parte, non à tota Repub: mutari statum; adeoq; licet hoc regnante moderno Rege, amplius non esset futurum, inposterum tamen prospiciendum est; si enim valeret hoc exemplum, maneret authentica quæpiam ejus memoria, possentq; eo exemplo uti successuri Reges, concitatis ad id aliquot Palatinatibus, corruptisve jam per largitiones, jam per collatos honores subjectis, ex aliquot Palatinatibus totam constituerent Rempublicam.

Non ideo has innui exorbitantias, ut reparentur per aliquam violentiam, quæ rebus publicis rarò succedit, satiusq; moderatis consiliis, quæ exciderunt, in orbitam reducuntur, quàm violentis; cùm hæc medicina confundat magis, quàm sanet. Hic verò reparandi modus, quem Rex jam arripuit, ut ejus diplomata testantur (quanquam etiam diplomata dari non solent nisi in Comitiis) loco reparationis firmaret exorbitantias; adeoq; talis contra jus consiliorum modus tolli debet, non verò diploma ratificari.

Depositorium etiam, seu Archivum hujus diplomatis est illicitum; quia apud Marescalcum circuli, contra consuetudines, jura, & libertates electum: In hoc novo Archivo, ratificaretur res illicita, quæ Remp: induxit in confusionem, & eversionem statûs; intulit ei enorme damnũ: quia per hæc circularia consilia amisimus Camenecum, cum tot Palatinatibus, præcipuum fermè Reipubl: robur: Quod nunquam evenisset, si conjunctis viribus exercitûs iviſſemus contra hostem.

Juramentum quoque à Rege præstitum non sufficit, quia est contrarium juramento priori, adeoq; invalidum. Judicet ergo Mtas Regia, quomodo seducta sit à suis consiliariis aut naturâ violentissimis, aut ignorantissimis; Id enim sole clarius constat, quod potior pars senatûs fuerit contraria his consiliis; Verùm non prævaluit prudentia magnorum virorum adversùs confidentiam quorundam; quod factum est cum injuria gloriæ Regiæ Majestatis, cum injuria statûs & cum perditione provinciarum.

Non est ergò alius reparandarum exorbitantiarum modus, præter comitia: Reparari enim quod exorbitatum est; nequit, nisi per leges, quæ statui non possunt, nisi per Comitia, alias in nova Reipub: forma non valerent, quæ ipsa reparari aut potiùs ad oblivionem usq; tolli debet: Reparare enim in nova forma, & everso statu Reipub: esset approbare ipsum eversum statum, quod est illicitum. Deinde non tantùm corrigendæ, verùm ita circumscribendæ sunt hæ exorbitantiæ, ut non detur in futurum occasio peccandi, & sequendi tam injuriosum Reipublicæ exemplum.

Verùm objici potest, non esse tempus Comitils. At sat citò, si sat be-

bene. Audiat Rex supplicationes gementium civium, instituat duarum septimanarum Comitia, sufficiet id tempus iis consiliis, eritq; hoc cum ingenti gloria Regiæ Majestatis, quòd gratus pro beneficiis Reipub: quæ eum ex æqualitate in Regem sibi & Patrem elegit, relinquet talem successuris statum, qualem ipse accepit; non sufficit enim novum præstitum juramentum, neque diploma datum. *A.C.* 1673

AD EXORBITANTIAS, QUAS PROPOSUIT PRIMAS ARCHIEPISCOPUS GNESNENSIS CUM SUPREMO REGNI MARESCHALCO, ALIJSQUE ADHÆRENTIBUS, RESPONSUM.

1mo. QUod Rex non dilatet fines, ut juravit. *Resp.* Non tantùm dilatare fines, verùm etiam ablata recuperare Rex non potuit, ob malitiam adversæ partis, qui per subordinatas personas rumpebant Comitia, hoc fine; ut defensio Reipub. non posset provideri; defensio enim sine Exercitu, Exercitus sine stipendijs, stipendia sine contributionibus esse nequeunt. Unde illi ipsi impediverunt non tantùm dilatationem finium, verùm etiam recuperationem ablatorum; utique etiam Ucraina pridem fuisset recuperata; si pridem circa id opera fuisset adhibita, Doroszenkoque manifesto Reipub. perduelli parcitum non fuisset, quem ideò fovebant adversarij, ut graviores Principi & Reipub. per suas machinationes esse possent, hocque fine eudebantur confœderationes, quæ, DEI gratiâ non successerunt.

2do. Quod pro Episcopatu Piltensi Rex Principi Curlandiæ clandestinè dederit rescriptum, acceptâ à Principe mensâ argentea.

Resp. Verum est, donâsse Principem Regi mensam argenteam, totaliter circumductam, sed non ratione rescripti, verùm ligando Regem, die S. Michaëlis ejus patroni, Rex enim nullum dedit rescriptum, nisi solùm juxta consvetudinem confirmavit jura & privilegia antiqua, à Regibus Poloniæ Principi data, juxta juramentum eorum, in pactis conventis, expressa. Præterea custodia legum est, penes signaturæ Ministros, illi dare deberent rationem, si hujusmodi signarent rescriptum, quod quia nullùm est datum, ita nullum quoque est obsignatum.

3tio. Quòd Rex dederit rescriptum Religiosis Ordinis Cisterciensium, ut Abbates de medio sui eligerent, contra jus legum.

Resp. Verum est, dedisse, Regem confirmationem privilegij, quod Rex præteritus illis dederat; verùm sicuti privilegium Regis non est validum, utpote repugnans communi, ita hæc confirmatio valorem habere nequit, sed hujus quoque rationem dare debet Cancellaria, quare hujusmodi, non tantùm ad subscriptionem sub tempus coronationis porrexerit, verùm etiam confirmationi sigillum appressrit?

4to. Ordinatio Zamoyscensis non tantùm ad effectum deducta non est, verùm etiam hæsit in suspenso.

Resp. Ratione hujus lis cœpit adhuc sub Rege Casimiro, talemque Rex modernus invenit: verùm decidant hanc causam Reipub. ut ei finis imponatur: utique ad hanc causam Rex non pertinebat, sed S. M. Principissa Regis mater, cum Capitaneo Dolinensi, nec nisi nunc per successionem Regis, post Principissam matrem, ad eum est devoluta.

5to. Alienatio bonorum ab Oeconomia Sandomirienſi.

Resp. Importunitatem hominum id efficere, quæ à Rege evincit; ut bona mensæ Regiæ subtrahat, & imminuat. At non deest jus, quo Instigator cum hujusmodi importunis agat, cur ergo suum non exequitur officium?

6to. A Tasiccio acceptum, Vexillifero autem Sandomirienſi collatum.

Resp.

A.C. 1673 *Resp.* Id ad malam informationem, & importunam instantiam Vexilliferi (quasi Tasiccius jus in hoc nullum haberet) Rex id fecit, iterùm tamen officium præfecti vigiliarum Tasiccio adjudicavit.

7mo. Causa Szumlanscij Leopoli judicata & ex pluralitate sententiarum decisa, ad quam pluralitatem consultò conducti Senatores.

Resp. Pacta conventa id habere volunt, ut Rex ex pluralitate sententiarum, decretum formet; Senatori verò cuivis licet venire, aut non venire ad judicia, nec ad ea vocandus est. Præterea, quia Szumlanski justam non habuit causam, ideò illa cecidit, & licet justam habuisset, Rex in hoc culpandꝰ non est, quod secundùm pluralitatẽ ferre decretum debuerit. At etiam absque hoc majorem Szumlanski pœnam propter perduellionem meruit, quæ illi deducta est, ex correspondentijs cum Doroszenko; & non sine mysterio imposita hæc causa inter exorbitantias, id enim forte documentaliter patuisset, quòd non suo motu eas Szumlanius cum Doroszenko habuerit, correspondentias; sed alterius cujuspiam, qui se studio permisit quasi hostis cõprehendi, ut per hoc vestigium correspondentiæ tollerentur: verùm hoc etiam suo tempore uti & alia, manifestè patere possent, si modo Doroszenko posset in Hanenko manus incidere.

8vo. Quòd vacantias, quæ occurrunt, aut consangvineo, aut aulico Rex conferat.

Resp. Non multas vacantias Rex suis contulit consangvineis, præterquam quod Principi Palatino Belzensi, Duci Campestri benè merito de Repub: Solcum & Kamniankam dedit: Utiq; etiam Barsensem Starostiam contulit supremo Duci Exercituum Regni: Et licet consangvineis aliis id Rex conferret, jure meritò id faceret; cùm omnes sint de Repub: benè meriti: Nota enim Reipub: sunt eorum, & Majorum merita; magnaq; illorum esset infelicitas, & inæqualitas, si ideò privari deberent, justitiâ distributivâ, quòd sint de sangvine Regis; licet nunc jam sint extra æqualitatem, ex quo ad thronum Rex est evectus; quòd verò aulicis tam magnas non contulerit vacantias, nemini ignotum puto; tantùm enim Rostoccio dedit Starostiam Leoviensem, quæ ultra tria millia proventuum non importat: alij non nisi per unum, aut alterum pagum acceperunt, quo non magna facta est injuria benè meritis. Ut verò ex privato ærario Regis expendi deberent in partem Rostoccij sexaginta millia florenorum, risu dignius, quàm responso.

9no. Quod Rex memoriam pactorum abhorreat.

Resp. Utiq; semper ab initio Comitiorum legi solent pacta conventa; utiq; etiam in modernis Comitiis, Rex per signaturæ ministros, invitavit Status Reipubl: ad exorbitantias pactorum conventorum; ergò facilis consequentia, quòd non abhorreat eorum memoriam, quandoquidem sponte ad id invitabat status Reipub.

10mo. Quòd non dederit Starostias ex primariis vacantibus, pro armario, juxta constitutionem.

Resp. Fatetur quidem Rex se in hoc puncto non satisfeciſſe legi, propter importunitatem concurrentium, id tamen reparari potest; dummodo occurrant vacantes Staroſtiæ.

11mo. Quòd Rex introductionis externorum Exercituum dispositionem fecerit.

Resp. Id solùm dicitur non probatur, mentalis hæc actio est; quis verò mentem alienam scire potest? novit optimè Rex, lege vetante, & pactis conventis prohiberi, ne sine statibus Reipubl: exercitus externi indu-

inducantur: certè id non auderet Rex inicia Reipubl: nec ullam hujus Rex aut Respub: habet necessitatē; undè id scriptum est, ideo tolūm, ut Rex invidiæ populi exponatur, in re verò, veritatis nihil habet, aut habuit. *A.C.* 1673

12mo. Quòd Wyzyecium Rex ex Ucraina revocaverit.

Resp. Rex revocationem Wyzyecij nullam scivit, nec de ea cogitavit, sed eum revocavit confœderatio, per Stokovium fabricata. Quia ergò cum Exercitu favente Regi & Reipub: ire noluit ad confœderationē, ideo se alienavit à perduelli Exercitu. Gratiæ itaq; potiùs agendæ Wyzyecio; non verò congerendæ redargutiones, aut Rex his intermiscendus. At facile hujus remedium esse potest: detur mandatum ad comitia Wyzyecio, reddat rationem Reipub: cur nam deseruit Ucrainam, habendo superintendentiam Exercitūs? Puto daturum sufficientes hujus rationes, & perfectè Rempub: informaturum: ibi patebit, quisnam primaria fuerit causa recessūs ex Ucraina, cujusve motu, & suggestu, hanc confœderationem Stokovius fabricavit, cui etiam mandatum pro hoc dandum.

13timo. Quòd Sztū Ablegatus Cæsareus declaraverit nomine Principalis sui, mittenda in Poloniam septem Regimina, sub directione Principis Lotharingiæ.

Resp. Utiq; in Senatūs-consulto post comitia id conclusum erat ut in casu Turcici belli scriberetur, pro subsidiis ad Imperatorem; nunc verò nescio, qua de causa Imperatoria declaratio displiceat. At nec Cæsar tam præceps ad id esset, singulari ex Polonia ad se legatione, specialiq; in hac materia tractatu: Eo scilicet omnes malitia hominum intendit nervos, ut Regem det populis in invidiam, licet ipsi auxiliares Regis Galliarum copias induxerint.

14to. Quòd in Exercitu vexilla quatuor sub titulo Regis inveniantur, cùm tamen pacta conventa aliter velint.

Resp. Nulla vexilla nova Rex erexit, sed illa sub hoc titulo in obsequio Reipub: existentia invenit, quæ hactenus conservat & conservabit: Quæ verò in pactis conventis expressa sunt, intelligi debent in futurū, non in præteritum. Verùm non tam id forsan illis grave, quòd sint hæc Vexilla sub titulo Regis, quàm quod hæc ipsa impediverunt confœderationē, quæ jā practicabatur; unde hanc sumere ex illis vindictā volunt, ut authorentur; cùm aliter nocere nequeant, ut deinceps tantò facilius hujumodi confœderationes possint fabricari.

15. Quod apud Dominos externos non Poloni sint.

Resp. Defectu id fit ærarij publici; externo enim Residens minore satisfactione contentus est, quàm Polonus; nam etiam externi ea contenti non essent pensione, si eum ijs residentiis suos in iis partibus proventus non haberent, ubi tamen Respubl: deciderit quantitatem pensionis solvendæ Residentibus, Rex paratus erit legi satisfacere.

16. Quòd Procancellarius Regni instructionem sibi, ratione matrimonij Regis, Viennam, datam; in facie Reipublicæ ratione legis non susceperit.

Resp. Fallitur ille, qui ista scripsit, instructio enim per Procancellarium in Comitiis lecta, juramento est comprobata.

17. Quod Teloniis præficiantur plebeji non Nobiles.

Resp. Rex in administrationē Nobilibus bene possessionatis telonia dedit; quòd si hi superintentes cameratibus statuant plebejos, Rex cul-

pan-

A.C. 1673 pandus non eſt, talia verò in Cameratibus officia Nobiles certè non ſuſciperent.

18. Quòd Rex periſtromata Potop, in quibus erat diluvium, Regi præterito reſtituerit.

Reſp. Nulla hujuſmodi periſtromata Rex à Republica nec ab ærario Regni accepit. Verum quidem quod pro nuptiis ſuis à Gratt Gedano hæc periſtromata cum aſſecuratione accepit, in fidem ſuam Regiam, quâ exſolvendo, eidem Gratt, eadem reſtituit periſtromata: Utiq; circa abdicationem committit Reſpubl: ſupremo Regni Theſaurario, ut à Rege præterito hoc diluvium reciperet, ille ergo, non verò Rex dare debet Reipub: rationem, cur non ſatisfecerit?

19. Pro una re duplicata dantur privilegia.

Reſp. Rex inter tot negotia Reipubl: nequit memoriâ retinere omnia hæc, quibus ſubſcripſit, his verò attendere debet Cancellaria Regia, & Regentes, unde illi reſpondeant.

20. Cauſæ non ex Regeſtro, ſed ad placitum judicantur.

Reſp. Id quoq; pertinet ad officium Referendariorum, adeoque illi reddant rationem.

21. Quòd Regi præterito non reddatur proviſin.

Reſp. Proviſio Regi redditur, ſortem tamen ejus retinuit ærarium M. D. Litv. illud ergo det rationem Reipub. verùm id quoque eautum eſt à Repub. circa hanc proviſionem, ut, in quantum Rex præteritus certa elenodia ex ærario Reipub. accepta, & periſtromata *diluvium* non reſtituerit; hæc quoque proviſio debeat detineri: quia ergo periſtromata *diluvium* reſtituta non ſunt, etiam hæe detineri deberet.

22. Camenecum non fortificatur, quod tamen Rex in pactis conventis appromiſit.

Reſp. Quantum rationes ærarij ſufficere poſſunt, tantum Rex providet huic fortalitio; in quod jam aliquot decades millium expendit: utique etiam Regibus præteritis, Anteceſſoribus moderni, fortificatio Cameneci in pacta conventa imponebatur; id tamen non adimpleverunt; Rex verò modernus inter tantas expenſas, & tenues proventus; ex quibus tum menſæ, tum alijs neceſſitatibus providere debet; brevi tempore ſcilicet intra triennij ſpatium, aliquot decades millium huic contulit fortalitio.

23. Rex Gvardiam ſuam, quam Camenecum miſerat, revocavit.

Reſp. Vidit magnam Rex hujus neceſſitatem, ſiquidem etiam ſupremus Dux Exercituum Regni, milites, in obſequio Reipub. exiſtentes, ſecum duxit ad Comitia; debuit ergo etiam Rex Gvardiam ſuam propter ſecuritatẽ Mtis habere ad manum, quæ etiam multiplicari debuerat, videndo tanta contra Mtem ſuam molimina, quæ in conſpectu erant totius Reipub. in præteritis Comitijs.

24. Quod Præfectus Gvardiæ Regiæ, & alij Officiales non juraverint ſecundùm pacta conventa.

Reſp. De hoc nunquam erant requiſiti à Mareſchalci officio, quod tamẽ non fecerunt, facient.

25. Rex juſtam non ſervat aulam.

Reſp. In hoc Rex culpandus non eſt; neminem ſola ſpes, & expectatio in famulitio conſervabit: aula verò amplior foveri nequit, cùm ærarium Regium non ſufficiat; unde Rex expenſas perceptis moderari debet.

26. Matrimonium Rex cum Regina contraxit, non accedente conſenſu Senatûs.

Reſp. Propoſitum id fuit in Comitijs coronationis à Rege, ſenatui, juxta

ta præscriptum legis, & præterea jam id Respub. approbavit, quando permisit Reginam coronari, adeóq; jam est extra quæstionem & exorbitantias, quod Reipub. placuit, ab eaque est approbatum. A.C. 1673

27. Quòd de hoc Rex universale quodpiam sub sigillo conclavis dederit, alicui probato viro.

Resp. De hoc Rex nec scit, nec se circa id recolligere potest: nisi errore factum est, ut universale non magni momenti aut importantiæ, nec præjudicioſum Reipub. sit extraditum.

28. Rex exotico idiomate scribit literas.

Resp. Frustra id Regi objicitur, qui nunquam hujusmodi scribit literas, nisi ad Imperatricem, ad quam Polonico, aut latino idiomate scribere, esset inconveniens.

29. Rex plures quàm sex externas personas apud se fovet; licet id est pactis conventis circumscriptum.

Resp. Plures apud Reginam quàm sex non inveniuntur, si verò plures inventæ fuerint, movebuntur.

30. Rex non designat locum Officialibus Regni, unde inter illos contentiones oriuntur de præcedentia.

Resp. Id Rex paratus exequi, designareque Deputatos ex Senatu, ut hanc præcedentiam determinent; magis tamen id optaret committere judicio, & decisioni Reipub. ne in personam ejus Regiam invidiæ devoluerentur.

31. Quod signaturæ Ministros non audiat, & authoritatẽ eorum diminuat.

Resp. Consilia signaturæ Ministrorum, præsertim salubria Reipub. Rex libenter acceptat; super illa verò, quæ merentur reflexionem, quod Rex deliberet, per id laudem meretur, non vituperium. Diminuere verò authoritatem signaturæ Ministrorum Rex dici nequit, probè enim novit conservationem authoritatis Cancellariorum esse conservationem Mtis; quivis enim signaturæ Minister, os est & manus Principis.

32. Quod Exercitum ab obedientia Ducis avocet.

Resp. Id tantùm objicitur Regi, non probatur, nec probabitur.

33. Supremi Regni Thesaurarij officium concidit

Resp. Rex in culpa non est, quòd plures sint Thesaurarij, quàm thesauri: id tamen mirum; quòd, dum hoc officium vacat, tot pro eo sint concurrentes, licet dicatur concidisse.

34. Rex magis uni favet, ac alteri.

Resp. Si unus faventius præstet obsequium Domino, quàm alter; justũ est, majore faventiorem favore prosequi, quàm non faventem, alias summa foret injustitia; æquè faventi, ac non faventi gratias exhibere.

35. Quòd pensionem in Oeconomia Samborienſi S. M. Principissæ matri suæ Rex designaverit.

Resp. Id jam est extinctum cum persona, & licet extinctum non esset; hanc tamen erga matrem pietatem, Respub. vitio Regi non verteret, imò laudaret. Hoc enim, ipsum jus naturæ à Rege exigit: Sacra Ecclesia dispensat, cum Religiosis, ut absolvantur à voto Religionis, ex ratione subievandæ egestatis parentum; longè magis hæc pietas convenit Regnantibus; ut ex proventibus suis, partem aliquam concedant parentibus. Confundi ergo debent ij, qui in eam impietatem Regem inducere conabantur, pensandaq; summa eorum malitia, qua laborant.

36. Quòd contractus subtiles, ratione Oeconomiæ Regiæ, scribi jubeat.

Resp. Risu digna hæc exorbitantia, cuilibet enim convenit contractus suos circumscribere, quàm optimè, & roborare; adeóque id responsione dignum non est.

37.

A.C. 1673 37. Quòd Hanenko cum Doroszenko Rex collidat.

Resp. Non collisio tantùm, sed & perditio, si possibile Doroszenko optanda esset, utpote utilis Reipub. & salubris. O si possibile esset, Regem Persarũ cum Imperatore Turcarum & Czaro Moschoviæ collidere, ut per hoc pax fiat in Regno nostro! quam id sanctum & laudabile foret, sed tamen malitiosis displiceret, qui solent in turbido piscari.

38. Quòd vacantias ante tempus Rex distribuat.

Resp: Hæc est irarum causa, hic lapis offensionis, quòd Rex spirituali sigillum, & Episcopatum Varmiensem ante tempus promittere & privilegium dare noluerit: Nunc verò id Regi impudenter objiciunt, ad quod eum ipsi trahebant, & quia pertrahere non poterant, Ideo inde occationem sumpserunt offensionis.

39. Quod Rex disciplinam militarem corrumpat.

Resp. Hujus Rex conscius non est, & quali id modo fieri posset, scire nequit; Cùm Rex in nulla se Castrensia officia ingerat, nec in ullis castris comparuerit, unde sicut aliæ, ita hæc falsa est objectio.

40. Quod Rex Wyzycense cum exercitu in Samborensi œconomia constituerit, quâ ille consistentiâ, subditos in ea ruinavit.

Resp. Sæpè conqueri solet Exercitus, quod Rex militarium hominum de se & Repub: bene meritorum respectum non habeat; quem cum exhibet, hoc ipso sibi nocet, apud malitiosos, nec modus est illi, placendi omnibus. Non consistentia Samborienſis illis obest, sed id potiùs, quòd Exercitus confœderationi se adjungere noluerit; idq; cuipiam grave esse videtur, quòd Rex eam gratitudinem Exercitui sibi fideli exhibuerit pro ea fide, quam conservavit Domino & Reipub. Sperabant forsan aliquam à Rege ingratitudinem illis infligendam, & malecontentationẽ, ut disjustu affecti proniores forent ad confœderationem, ubi tamen contrarium fieri adverterunt, jam penitus amissa spe confœderationis conficiendæ; quam pars hæc Exercitus per contentationes conservata, semper impediet, iis contra illam sunt accensi invidiis.

41. Quod Rex Palatinatibus & Terris juxta legem, salem non distribuat.

Resp. Verum quidem est, salem non obveniſſe Palatinatibus & Terris, id tamen factum est egestate Regij ærarij; quod operariis, qui circa salem laborare debent, tantum sumptuum, quantum exigitur; non habet; unde tantum salis ad exolvendum Palatinatibus, & Terris haberi nequit. Præterea quòd aliquot supra 10000 cadorum salis in Vistula, aliisq; fluviis demersa sunt, id causavit detentionem salis. Verùm id esse potest compensabile Palatinatibus & Terris, qui certè propter non extraditum salem non renuntiabunt obedientiæ Regis, ut id malitia hominum habere voluit; imò omnes Palatinatus & Terræ pro dignitate Regis & libera electione, promptè sese declarârunt.

42. Quod Rex ab Electore Brandeburgico, non eliberavit Drahimum.

Resp. Facilis foret eliberatio Drahimi, si centũ viginti millia Imperialium parata essent, sine quibus eliberatio Drahimi difficilis est & impossibilis.

43. Quod Kalckstein cũ summo dedecore Varsaviæ acceptus sit.

Resp. Facto huic Rex cordialiter indoluit, ex nunc; Senatoribus per literas nuntiavit, & consilium hoc in puncto habuit cum Senatu; sed quia Senatui visum, ut moderno statu Reipubl: non augeantur illius hostes, suasumq; nonnisi expediendam esse legationem, cum expostulatione ad

Prin-

Principem, ut de hoc facto residentem suum reprehenderet, & Kalk- *A.C.* 1673
stein Regi restitueret, Varsaviamq; remitteret: Unde Rex secutus consilium Senatûs; non Regi igitur imputandum est; hoc mirum, quod ipse Archiepiscopus in hac materia hoc Regi dedit consilium, quod nunc eidem malitiosè objicit.

44. Quod Rex Lubomiriis salisfodinas impediat.

Resp. Hujus Rex conscius non est, verum quidem, quòd provideat indemnitati salisfodinarum suarum, ne adeas usq; Lubomirij pertingant, contenti suâ terrâ, ad Cunegundem pertinente.

45. Quod Rex non Terrigenis vacantias distribuat.

Resp. Rex scire nequit omnium in Palatinatibus possessiones, exstat utiq; jus & pœna contra eum constituta, qui non habitâ possessione in Palatinatu officium impetraverit, citare illum licet ad Tribunal, ubi & dignitate privabitur per decretum, & pœnam subibit constitutam, nisi veram ostenderit possessionem.

46. Quod læserit Rex jura Majestatis, datâ conferentiâ Gedano, in caduca illius incolarum.

Resp. Quod confirmaverit Rex privilegia civitati Gedanensi, à præteritis Regibus concessa, non videtur quidquam hac in parte peccâsse. Potiùs culpa hæc devolvi debet in Antecessores, qui hujusmodi privilegia contulerunt, & in Ministros signaturæ, quòd hujusmodi privilegiis sigillum appressérint, contra mentem Domini.

47. Quod Rex in præteritis Comitiis sine Nuntiorum Camera, judicaverit causas Boratyni, & Wodzycci quæ jam decisæ erant in Tribunali Radomensi, quibus comitialibus judiciis, sublatum est decretum Tribunalis Radomensis.

Resp. Id Rex fecit ex Senatûs consilio, ad quod inprimis moti fuerunt Archiepiscopus Gnesnensis cum Episcopo Cracovienſi; unde quia Rex secutus in hoc est consilium Senatûs, non putarem, illum hac in parte peccâsse. Si tamen id non placuerit Reipub: licebit per legem publicam cessare. Verum hoc admirationem movet, quòd cùm Primas, primus & Principalis ad id esset motor, culpam hanc in Regem devolvat.

48. Quòd Rex à Colonis singulis, vulgò Wybrancow, 50. florenos exigat.

Resp. Respublica eos Regi dedit per constitutionem.

49. Quod Episcopus Posnanienſis certum Psalmum in Diœcesi sua à clero decantari jusserit, quasi hoc esse deberet in præjudicium magnorum hominum.

Resp. Mirum est neminem hoc offendi, nisi suæ conscium malitiæ, juxta illud; Conscius ipse sibi de se putat omnia dici: Hæc malignitas temporum est, ut etiam sanctorum Psalmi, precésve sacerdotales vertantur vitio, & scandalo sint malæ conscientiæ.

50. Quod Concionatores in concionibus magna tangant nomina.

Resp: Non tangenda à Concionatoribus, sed velut publica detegenda essent, & vix non digitô monstrandi delinquentes. Ergóne pro vestris delictis sancti velletis dici, nec unquam veritatem vobis in concionibus & confessionibus aperiri, ut Concionatores & Confessarij vestras & suas seducant animas? Vestrorum id domesticorum, seu ut dicitis à latere confessariorum est, tam largè cum vestris dispensare conscientiis, ut suas vestrásve animas eidem involvant periculo, fallaci suâ Theologiâ.

A.C. 1673 Plures hujusmodi exorbitantias mihi legere non contigit, adeoque amplius referibere, mihi esset supervacaneum. Verùm etiam hæ superius nominatæ exorbitantiæ nihil in se tale continent, per quod cardinales hujus Reipub: leges commoveri deberent, tantiq; motus & tumultus in Repub: concitari & ad evinculationem ab obedientia Regis inducere. Orbis id potius malitiâ, quàm justo zelo fiat erga Rempub: & libertatem? Scio enim documentaliter, jurareq; super id paratus essem, vos eversionem libertatis potiùs, quàm ejus conservationem in corde gerere, & si tantum mihi supereset temporis, manifestè ostenderem in vestris officiis plures inveniri exorbitantias, omninò corrigendas. Vestræ enim præeminentiæ & potestates formidabiliores sunt Reipub: & libertati, quàm potestas Regia: hæc enim jam est circumscripta, vestra verò ita in immensum assurgit, ut, nisi coerceatur, in horrendum sit monstrum degeneratura. Non ergo tædio afficiamini, patientiam habete tantillo temporis, producam brevi vestras quoque exorbitantias: Nunc interim quantum permiserunt temporis angustiæ, grato animo suscipite.

DECLARATIO DUCIS EXERCITUUM AD PUNCTA PALATINI VITEBSCENSIS NOMINE CONGRESSUS Lovicienſis 12 Februarij.

MAnifestamus nos coram DEO, ejusque Vicario summo Pontifice, nec non tota Patria; nos non aliâ intentione Lovicium convenisse; nisi eâ solummodo, ut posthabitis omnibus privatis solam requireremo restitutionem in pristinum decus formæ Reipub. quod per Golembiensem confœderationem & recessum Lublinensem amisit; & ideò ut annihilaretur prænominata confœderatio, instabamus, & instamus quæ nisi cassatio effectuata fuerit, non videmus quomodo in securo constitui asserique comitia & comitiola, omnium subsellionum judicia, jus sentiendi & vetandi privatorumque securitas possit. Verùm dum id ipsum trahitur in culpam, idque ideò; ut nos exponamur ulterioribus totius orbis odij, sub prætextu: ac si tã necessariæ Patriæ pacificationi obesse, eamque impedire oppositis difficultatibus vellemus, videntes præterea non nostram hic duntaxat rem verti (quamvis nobis eam restitutionem veteris formæ Reipub. ex qua omnes participamus pro beneficio Domini Imputent) sed etiam eorundem ipsorũ qui à nobis id injuriosè requirunt venditantes toti orbi: acsi nos optatam internam moraremur tranquillitatem; committimus hoc omne & in manus resignamus eorum, qui hic & nunc consulunt Patriæ, quæ si quidpiam detrimenti patietur, requirat altissimus de manibus eorum judicetque posteritas. Ad quod ordinationem Zamoscensem pertinere nemo non videt; quæ si caderet, & frustraretur, meliora de juribus Patriæ nos desperare necesse esset. Præsertim quòd Dominis Zamoscijs in Electione contradicentibus satisfactio de eo jure non tantùm per plures privatos cives, sed etiam ipsum Regem eo tempore electum & à tota Repub. promissa fuerit; eaque conditione potens Zamoscionum contradictio sopita, & adempta iterùm reddita circulo activitas. Quod attinet ad propositum nobis juramentum, non abhorreremus ab illo: si non timeremus censuram orbis, ac si nos iterato juramento iliusissemus DEO & mala fide processissemus cum Principe & Repub. eum tamen præter Michaelem modernum regnantem, alium non agnoscamus nec agnoscere velimus. Nihilominùs in supplementum hoc scripto inpræsentiarum declaramus, sub vinculo præstiti juramenti; nos non alteri

teri niſi Michàëli moderno regnanti jurâſſe, ſoliq; ſpopondiſſe duntaxat nos, antiqua jura libertates & inſtituta hujus Reipub. tuituros; quòd ſubſcriptione noſtrâ confirmamus, certi interim à Regia Mte ea omnia, ſuper quæ anterioribus ſacroſanctè ſine reſtrictione mentis juravit, juramentis, nobis ſervanda. Quòdſi id non videretur ſuffielens; parati ſumus formâ in ſtatuto deſcriptâ iterare juramentum: ſi tamen Rex ſuum primum iteraverit, ſiquidem illud per poſterius penitus ſublatum eſt. Circa reſtitutionem famæ noſtræ, quam Calumniatores perverſi læſerunt in orbem promulgato: acſi Ethnicos in exitium Patriæ induxiſſemus; quo dederunt occalionem novellis, quæ exſtant typis datæ Viennæ, & alibi extremæ nobis injuriæ: dederunt cavillando nos occaſionem Eccleſiaſtis; imò lingvis ignari populi & imprudentis commiſerunt nos. Non exiſtimavimus nos tantos obices inventuros: verùm dum in tam manifeſta injuria non tantùm compaſſionem non reperimus; ſed etiam quaſi per ludibrium invitamur ad communem deprecationem eorum, quos nunquam læſimus, imò à quibus tot & tanta paſſi ſumus, & patimur, hactenus dum nos toties quoties in publico (nefandos renovando dolores) detractorijs ſugillant lingvis: verùm & id charitati Patriæ donamus. Eos tantùm excipimus; qui nobis directè crimen læſæ Chriſtianitatis, intuitu venditionis Cameneci & introductionis barbarorum objicere impudenter auſi ſunt. Liceat nobis in foro fori judicialiter experiri; quandoquidem aliter ereptus honor reſtitui nullatenus poteſt. Utique vindicatio famæ quæ vitæ naturali æquiparatur Divino & communi humano jure ſemper lleita eſt. Securitatem verò ulteriorem vitæ, honorum & fortunarum noſtrarum, quæ nobis adempta per promulgatum (etſi hoc punctum in originali confœderationis deletum ſit) ſiearıatum exiſtimamus, quòd mediatores nobis cavebunt, ſiquidem tanto zelo totalis caſſatio confœderationis negatur, non ſine ſuſpicione eluſionis & captionis. Non videntes nihilominus in legibus ſcriptis ſecuritatem, quòd tam enormiter & præcipitanter hocce ſæculo condi conſveverint; imploramus ſaltem communem Chriſtianitatis Patrem Pontificem, ut illum qui Impoſterum tam neceſſariâ Chriſtiano orbi rumpere voluerit tranquillitatem, fulmine Eccleſiaſtico ferire dignetur. Et quia pertinet ad ſecuritatem publicam & privatam, ut integra Reſpub. conſulat de fatis ſuis; petimus ideò: ut hæc Comitia ſine Pruſſiæ Provincia, quæ non poſtrema pars eſt Reipub. non concludantur. Datum ut ſupra. *A.C.* 1673

ANDREÆ OLSZOWSKI PROCANCELLARII REGNI AD SUPREMUM REGNI MARESCHALCUM. Varſaviæ 17 Januarij.

INtellexi ex literis Epiſcopi Cracov: in publico lectis, te his temporibus veniſſe Lovicium, cui literario officio & conſuetâ occurro obſervantiâ, magna ſpe fretus pacificandæ, authoritate tua, prudentiâ & innata rectitudine, Reipubl: & addendæ ad triumphalem nuper ex fugatis hoſtibus reportatam coronam, non minus glorioſæ Civicæ, in quo, ut injuriarum oblitus, memor Patriæ, ad unum boni publici & ſublevandæ labentis Patriæ centrum, omnes tuos velis conatus dirigere, ut non dubito, ſic peto & obteſtor. Conſilio imprimis ſum, ut aut Varſaviam veniatis, aut in proximo conſiſtatis, propter facilius ultro citroq; formandas conferentias; Non deſunt Aulæ, in tractu Lovicienſi, ut Oſtarzoviæ, Broniciis &c: vel ſi id non probatur, aut tam commodè & citò eſſe nequit, mittantur duo diſcreti & moderati viri, cum poteſtate tractandi, nam omnia exprimere literis, impoſſibile & in his circumſtantijs

A.C. 1673 itantiis, in tantis animorum motibus vix tutum. Possent plenipotentiarij venire cum Episcopo Cracovienſi. Pacificationis meo judicio compẽdium est, acceptare in ſubſtantialibus confœderationem Lublinenſem, in qua, ex parte tua & Exercitûs, nullam video difficultatem; quandoquidem, circa fidem S. thronum Regium (quod pro Poſſeſſore accipiendum eſt) circa jura priſcaſq; libertates, vix non eadem forma Sciebrzeſini, ac Lublini conſcripta eſt, alia enim puncta cum magna ex parte accidentalia ſint, pro ſuperfluis habentur, potiuſq; locum in exorbitantiis habere poſſunt: combin ri ergo utraq; confœderatio, ex dignitate Regis, Palatinatuum, tua & Exercitûs ſine ſcrupulis & difficultatibus poteſt. Intereſt dignitatis, ut Reginalis Mtas hujus mediationis honorem habeat, per inſtantiam Veſtram & prædictos Plenipotentiarios, quod in honorem Veſtrum redundabit, & Confœderationis Palatinatuum, qui ex Comitiolis hunc modum in articulis ſuggeſſerunt. Reliqui togati Optimates non evitabunt nobiſcum, & cum Exercitu coæquationem; quibus ſuadenda confœderatio, non imperanda, nec extrahendi ſunt ultra rotam juramenti in terminis eſſentialibꝰ. Convenienter nunc forſitan in præſentia Epiſcopi Cracovienſis, & Palatini Vitebſcenſis Lovicij juramentum hoc præſtari poſſet, quo præſtito obſtruerentur ora loquentium iniqua, & minore negotio, errores corrigi & Reſpublica ab intra in integrum poſſet reſtitui. Ego adventu meo fervorem & impetũ publica voce & in privatis colloquiis, pro modulo meo mitigabam; agere & ultra non deſiſtam, quidquid amor & cura Patriæ & nulli obnoxia mutationi, erga te dictabit propenſio.

ANEREÆ OLSZOWSKI PROCANCELLARII REGNI, AD EPISCOPUM CRACOVIENSEM. Varſaviæ 28. Januarij.

SUpra quam opportunè, heri noctu tuæ, poſt ſolutam ſeſſionem venerunt literæ: Commoverat animos ſpiritualis perſona, referens pro comperto Univerſales Lovicij impreſſas expediri à Primate ad practicandam convinculationem in Exercitu, addita interminatione ruinæ, quicunque ex præſenti in Palatinatibus in communi motu, domum non redierit. Vulgavit quoq; te non rediturum Varſaviam, ſed rectà ad tuam Diœceſim perrecturum. Conclamatum ergo erat, omnisq; culpa non concluſæ pacificationis, diffidentiarum, & interitûs Reipub: devolvi cœperat in congreſſum Lovicienſem Nunc quivis, tuis literis confundi cogitur, licet, etiam his habitis, ſuſpicionibus imbuti, malevoli plenam non præbeant fidem, & obloquantur; ſed non ponendi rumores ante ſalutem; tu occupare velis totam rei geſtæ gloriam. Regina poſt conſilium poſterius in conclavi habitum, non ita ad iteratas reſcripſit literas, ut ſperabamus per ludibrium conſulti; Spero hodie benignius reſcripturam; de quo cum ejus hodie miniſtris egi, perſuadendo, ne præjudicet dignitati ſuæ, & amori in populo, tam commodâ bene merendi, jam ſine difficultate, de Republica & comparandi nominis, intermiſſa occaſione. Legatus Bonviſi nunc horâ nonâ habet audientiam apud Regem, pro qua vix heri curru deſcendit, acceſſum petiit, exaggerando negotij delegati gravitatem, labores ſuos, & incommoda. Dicitur velle proficiſci Lovicium navandæ operæ ſtudio; ſed id Rex non acceptabit, optans integram mediationis gloriam Reginæ: optimè fieret; ſi Italico nunc præriperetur palma officio, reſervando gratiam Sanctiſ-

Etiſſimi ad reale pecuniarum ſubſidium non eſt novum & diſſidere nobis *A.C.* 1673
& eombinari ab intra, nullo externo officio; licet memini ſuam aliquando Brandeburgicum obtrudere voluiſſe mediationem. Confœderationem in melſus, de conſenſu partium, renovandam eſſe ratio ſuadet, ſed quia obſiſtit pertinacia, nulla meo judicio ejus eſt mentio facienda. Juramentum, ſive juxta ſtatutum, ſive juxta datam nomine Senatûs formam, pacificabit diffidentias; minimè hæſce præliminares ſtructuras, curabimus: ubi fabrica concordiæ ab intra, & defenſionis ab extra, coaluerit: reliqua ſemina offenſionis, vel ſimultatum conſtitutione, exemplo conjurationis ſeu Rocoſzu, abolebimus, ſalvo honore & fortunis eorum ſubjectorum. Non danda occaſio populari diſputationi, quæ diu traheretur. Hoc agamus ut conſilia & res belli, quàm optimè, & quàm citiſſimè ſtatuamus. Quidam vellent limitari ad Majum circulum, per quod major concitaretur motus & tranquillitatis publicæ perturbatio. Expectamus tuam pro feria ſecunda præſentiam ad conſilia.

AD D. FRANCISCUM BONVISIUM NUNCIUM APOSTOLICUM NOMINE EXERCITUS. 10. Februarij.

PRoſperum equidem cœperamus omen ex ipſa adventûs Excellentiæ Veſtræ fama, fore, ut poſt tot, quæ Regnum Poloniæ hactenus involverant nubila, mediante Pontificij favoris aurâ, per Excellentiæ V. operam tandem ſereñaret. Fuitq; nobis in promptu ſtudium, ut Excellentiſſimum Ducem noſtrum ad excipienda Sanctiſſimi Dom: ſummi Pontificis & Patris noſtri juſſa, & ad acceptanda pacis media procliven ſequeremur, modò læſo ipſius honori, imminutæ authoritati, violatisq; Patriæ libertatibus priſtinus reſtitueretur vigor, neq; alio motivo Excellentiæ Veſtræ jurisjurandi operam ſacramento, & conatus noſtri addiximus. Verùm dum hac ſpe alimur, cumulantur in Suam Excellentiam injuriæ cùm eidem à D. Epiſcopo Chelmenſi, cujus vitæ anteactæ flagitium præſens ſcandalum eſt (nunquam enim hoc charactere inſigniri meruit) inſalicitiæ crimen ſubbjicitur, ſimulq; captæ Cameneciæ cauſa imputatur. Quare militari equidem facundiâ, debito tamẽ obſervantiæ noſtræ ſtylo ab Excellentiâ Veſtra contendimus, dignetur pro ea ſui muneris authoritate, quâ nobis Sanctiſſimum Dominum noſtrum repræſentat, innocentiſſimæ famæ & honoris integritati Excellentiſſimi Ducis noſtri majorem in modum conſulere ad præſtandam Suæ Excellentiæ ſatisfactionem dictum Dominum Epiſcopum compulſura. Faciet ſanè rem, quæ animos, zelum, atq; fervorem noſtrum contra nominis Chriſtiani hoſtem excitabit, & acuet, qui & Sanctæ Sedis obedientes filios profitemur, & ſumus Excellentiæ Veſtræ devotiſſimi & humillimi ſervitores. Datum ut ſuprà.

COPIA LITERARUM AD VEZYRIUM AB OLSZOWIO PRO-CANCELLARIO REGNI RATIONE NON PERSOLUTIONIS SUMMÆ TEMPORE OBSIDIONIS LEOPOLIENSIS PROMISSÆ Varſaviæ die 3. Menſis Aprilis.

TArdiùs ad me ob difficultatem itinerum pervenerunt literæ per Czauſium Excellentiæ Vræ, quibus gratè acceptis, & perlectis, pari imprimis apprecatione bonæ valetudinis, & proſperitatis Excellentiæ

A.C. 1673 Vræ correspondeo. Scribit Excellentia Vra admirationi sibi esse, quòd summa octoginta millium talerorum sub tempus obsidionis civitatis Leopoliensis pro removenda eadem obsidione à civibus ijsdem promissa, & in parte ibidem Leopoli statim solvi ineepta, ac per Commissarios Regiæ Mtis Poloniæ, qui in castris Sereniſſimi & Potentiſſimi Imperatoris Turcarum pacem tractârunt, cum obligatione solutionis in spatio sex mensium assecurata, nondum hactenus numeretur, nec ullgnum aliquod de numeranda eadem summa exhibeatur, & quòd in tradendis reliquis fortalitijs, in Podolia, & Ukraina diutius tardatum sit. Equidem existimamus non ignorare Excellentiam Vram qualis sit status, & forma Reipub. Polonæ, in qua non est absolutum dominium, sed omnia graviora negotia, præsertim contributionum, non nisi per consensum omnium, & singulorum ex Palatinatib9 Regni Poloniæ, & M. D. Litv. Deputatorum expediuntur, & executioni demandantur, atque eam ob rem à Sereniſſimo, & Potentiſſimo Rege meo, indicta sunt Comitia generalia Varsaviæ, & hunc usque in diem celebrantur, ut pro colligenda, & coacervanda pecunia, tam pro conservandis, & manutenendis pactis, quàm pro alijs erogationibus publicis, necessarijs, contributiones, & vectigalia sanciantur. Nemo ergo attribuere debet, aut potest tarditatem aliquam in satisfaciendo, aut malæ voluntati nostræ, aut dubiæ fidei, sed certa sit Excellentia Vra difficultatem aliquam, & moram ex eo provenire, quòd diu, multumq; laborandum erat in componendis intestinis discordijs, quæ anno præterito multum nobis mali invexerunt. Cùm verò eædem discordiæ tandem feliciter compositæ sint, accedente, & efficaciter operante authoritate, & curâ summi Pontificis Romani, aliorumq; Principum Christianorum, jam stabilita per DEi gratiam concordiâ internâ, & tranquillitate domesticâ, & reunione animorum nuperrimè conclusâ, minimè dubium habendum est, quòd intra breve tempus modi, & media adinvenientur, de satisfactione possibili, prout per Commissarios nostros conclusum fuit. Licet ergo aliqua mora intercedat, ob eam etiam non postremam causam, quòd cuprea moneta in Polonia currens, in argenteam commutanda sit, tamen, quod semel promissum est, præstari seriùs, aut citiùs omnino debebit. Quam retardationem Excellentia Vra pro sua prudentia boni consulere, neque pro ulla Pactorum violatione interpretari velit, obsides cives Leopolien. benignè tractare jubeat. Et eùm mihi perspectus sit optimus zelus Excellentiæ Vræ pro conservatione publicæ quietis, pro avertendis damnis miserorum, & innocentum subditorum, tam ab una, quàm ab altera parte, plenâ fiduciâ feror Excellentiam Vram à recta intentione conservandi quietem, & pacem, non deflexuram, prout egomet non deero, officio meo in Comitijs Polonicis, in promovendis omnibus negotijs, & medijs, quæ pacis observantiæ, & bonæ intentioni Excellentiæ Vræ satisfaciant. Ac licet publico nomine determinata nondum scribere possim, antequam Comitia ultimaria concludantur, utor tamen fiduciâ amicitiæ Excellentiæ Vræ, quod præ alijs utcunque tolerabilibus pacificationis punctis, maximè displiceat articulus, de pendendo annuatim tributo, quocunq; nomine munerum vestiatur, eùm enim Nobilitas Polona in tantùm tot sæculis libertatem & gloriam unicè amet, ut vitâ cariorem ducat, non potest non ægrè pati splendorem nominis sui apud Principes Christianos obscurari, & Nationem suam inclytam, eò vilitatis detrudi, ut amplius à Principibus, & alijs Nationibus Christianis pro libera gente non æstimetur, ut locus ille & prærogativâ dignitatis, Regibus omnibus par, imposterum sceptro Polonico tanquam tributario controvertatur. Exinde licet minùs forte apud exteros consideretur Podoliæ Territorij, bello, & per

tractatus

tractatus deperditi jactura, cùm multæ & amplæ provinciæ superſint, quæ A.C. 1678
Regni Poloniæ magnitudinem & dignitatem conſervabunt, hæc tamen tributi impoſita neceſſitas omni nos dignitate ſpoliat. Quod ergo candidè nomine meo Excellentiæ Vræ aperire ideo decrevi, ut eum animo ſuo reputet, & pro laudatiſſima ſua prudentia facilem ſe exhibeat, ne tributi dedecore, & gravamine liberæ nationi indigniſſimo oneremur. Meminiſſe inſuper debet Excellentia Vra, quomodo nos in retinenda bona amicitia, & vicinitate eum Sereniſſima Porta Ottomanica, ejuſque Dominijs, etiam cum diſpendio noſtro curam, & operam ſemper adhibuimus, Coſaccorum inſolentiam compeſcuimus, excurſiones terrâ, & ponto inhibuimus, diſtractis aliquando per diverſa bellorum viribus Ottomanicis, nullum à tergo, licet ſæptus invitati impedimentum fecimus, ſincere, ac religiosè, antiqua, & recentiora pacta obſervavimus. De non traditis ſtatim aliquibus fortalitijs, non eſt, quòd Excellentia Vra jure mecum expoſtulet. Cùm enim pleræq; civitates, & fortalitia juris, & Dominij non Regij, & Reipublicæ, ſed quorundam privatorum Magnatum ſint, illorum ſcitus & conſenſus requirebatur, ac demum ſine longa mora Barum, Miedzibozia, aliæq; arces, & civitates Præſidijs Polonicis evacuatæ in poſſeſſionem Ottomanicam ceſſerunt. Hiſce ad literas Excellentiæ Vræ datis reſponſis Czauſium non longius morantes expedimus. Quod ſupereſt, Divinæ protectioni Excellentiam Vram commendo, eidemque meam promptitudinem, & amicitiam defero.

EXCERPTUM EX LITERIS DZIERZEKII AD PROCANCELLARIUM REGNI. 14. Junij.

REcrudeſcunt anniverſaria pericula & calamitates Patriæ, quando Turca, noſtrâ animatus ignaviâ, magnâ contra nos parat potentiam. Pontes extructi ſuper Danubium, ſub Galaeo, ſuper Tyram ſub Choeimo. Expectamus noſtri reditum Ablegati à Porta. Numerantur parati Exercitus Turcici 140000, Tartarorum cum Batirs Aga in Ucraina 10000, ſeniores Tartarorum omnes Czeheryni, & in Fortalitiis Uerainenſibus. Supremus Regni Mareſchaleus ſperatur Varſaviæ, qui ubi venerit, conſilium bellicum formabitur; Auxilia ab Imperatore nulla; de Moſchis nihil certi. Quidam Conſtantinopoli ſcribit, melius eſſe etiam quaterna tributa ſolvere, quam manifeſtè perire, alter quoque ſuadet tolerantiam tributariæ pacis.

XXVIII.
FRANCISCO RICHARD, ANDREAS CHRYSOSTOMUS ZALUSKI. 4. Januarij.

Relatio Actorum in Comitijs Pacificationis Varſaviæ inceptis.

VEnit tandem deſtinata dies Magni Conſilij; Mareſchaleus Czarnecki in Senatorio Conclavi ſeptus turbâ Deputatorũ, facundo ſermone, qui ipſi connaturalis eſt, Regem ſalutavit. Aliquot diebus pòſt nihil actum, propter illos, quibus nulla in pace ſpes, omne in turbido conſilium; Verificatur nunc Chryſoſtomi Sancti effatum; Ferlorem feris vivimus vitam, non mordentes tantùm, ſed & vorantes alios alij. Pauci rationi veræ aſſentiebantur, multi obdurabant ſe contra manifeſtam veritatem, nec cogitabant ſe eſſe cives Polonos, & hæc pravitatis eſt cauſa ignorantia ſui, quam, ſi

quis

A.C. 1673 quis cognitâ veritate discusserit, sciet, quo deferendi, & quemadmodum proferendi sint salutares pro Republica lenitus. Punctorum confœderationis executio, & judicia in malecontentos urgebantur, quanquam alij, quibus quietis, & Reipub. cura, molliora suadebant, Episcopus Cracovienſis, cùm optimus quisque Reipublicæ causâ mœreret, interpositionem Senatûs proposuit, curamque mediationis in se recepit, sed hoc consilium prius rejectū, tandem tamen 10 Januarij susceptum est, literas nihilominus credentiales publicè legi non permiserunt, palàm obstrepentibus vocibus; non decere Reipub. dignitatem civium submitti contumaciæ; auderet, ageretque Senatus, quidquid è re boni publici videretur, Reipublicæ avitam auctoritatem, Equestri Ordini tuendam, defendendamque relinqueret; vani timoris non justa excusatio erat. Ita sequenti die Antistes Cracovienſis cum Palatino Vitepscenſi Lovicium properavêre, ubi magno numero in Primatis Sede conciliabulum celebraturi Malcontenti convenerant. Sed qui miserant, integrâ in 18vam Januarij diem judiciorum prosecutionem sibi reservârunt, præfixo simul reditu, & reddendæ declarationis assignato Ablegatis termino, ne inutili cunctatione, tempori, consilijsque dispendium afferrent.

Andreas Trzebicki

Chrapowitzki

Interim promulgabantur à Mareschalco formæ juramentorum, quod omnes etiam aulæ Ministri explere obligabantur, lectus conceptus legis de habendo quolibet, & pro hoste Patriæ declarando, quisquis jurisjurandi sperneret, aut eluderet religionem. Tribunalitiorum quoque judiciorum prosecutio non nisi post felicem confœderationis exitum reassumi permittebatur, clenodia Regni, in usum, ac necessitatem Reipublicæ, præcipuè tamen in expensas fortificationis Leopolienſis urbis ex thesauro accipi, & extradi mandabantur, ad cujus summæ dispositionem, quæ non minor sexcentorum millium aureorum esset Pro-Cancellarius Regni Invitatus, at ille declinando, & à suis partibus amoliendo invidiam, eleganti, & modesto prorsus sermone, leniter cuncta confœderationis acta damnans, reprobansque, ut satis cuique constare posset; etiam præsentia magni consilij pro Republica molimina illum parùm probare. Quod multum illi hac moderatione gloriæ tulit, quamvis accesserunt invidorum studia, qui omne, quod pacatum erat, reprehendendum putabant consilium, & interdum, quamvis conscientiâ repugnante alios lacerabant uti de Episcopo Chelmenſi manus ignota mihi, huic Episcopo parùm amica scribit, quòd infestâ voce prorupit; judiciorum Tribunalitiorum rectam quidem naturam esse, & nulli culpæ obnoxiam, sed sæpe personas publicâ abuti authoritate, nec modò sacrosanctis Comitiorum sanctis negotium multoties, & periculum fecisse. Proinde quisquis moderni actûs sancitis seu refragari, sive novo nocendi genere obnunciare velit, illi confœderationis rigorem expectandum, ac subeundum esse, nimirum pro hoste Patriæ declarationem. Liceat exclamare; ô humana gens ebria, & moribunda, quàm facili impulsu erroris in foveam ruis! quies posthæc & ex metu reverentia; Mareschalcus quoque animosior. Deputatos ad referandum Regni thesaurum nominavit.

Post primam notitiam à Delegatis ad Malecontentos expeditis habitam ad judicia Perduellionis statim condescendendum ferociter petebant, cùm alij mitiores reditum Episcopi Cracovienſis præstolari suasissent (spes nunquam major affulget pacis, quàm, cùm seriò bellum geritur) venerunt tandem literæ Lovicio, & ad requisitionem Nuntiorum Terrestrium clarâ voce evulgatæ à Principe; Species in illis magna libertatis commendabatur, an novum sub sole multos libertatem præferre, ut imperium evertant, quod, postquam evertissent, ipsam aggredi consuesisse. Reliquus stylus abruptæ contumaciæ, quàm obsequio propior

pior erat? nimia diffidentia innocentiæ locum occupáverat, adverſæ partis pii conatus, & candida pro Repub: geſta arguebantur. Poſtremò, ne quid inculpatum relinqueretur, fidem quoque Principis incuſabant, acerrimo, & planè implacabili invecti odio in Palatinum Siradienſem, quòd Primores Regni profanâ delatione in Rempubl: Ottomanici belli inſimulâſſet. Flexerant, & ad modeſtiam, & quidquid anteactis temporibus commiſerant, tanquam indebitè fama eorum ob idipſum apud populum gravaretur, compoſitâ ad ſubmiſſionem lenitate excuſabant. Propoſitiones illorũ, reſponſum ab Equeſtri Ordine erat tale; Ut in annexis. *A.C. 1673* *Felix Potocki.*

Cùm verò Palatinus Siradienſis comparuiſſet in Senatu, collecto intra ſe ſpiritu in Malecontentos ferocibus verbis invectus eſt: Id peſſimis mortalium in ſe diſplicere, imò etiam ad culpam trahi, quo gloria conſtanter ſervatæ fidei etiam apud hoſtes quæritur, nimirum non deſeruiſſe Majeſtatem Principis in caſtris cum Republica pro communi ſalute exeubantem, cùm alij ad diffidentiam, cujus ipſi Authores erant, ad ſeditionem, & turbas prolaberentur, imò etiam manifeſtâſſe improbos eorum contra Remp: conatus, quia oblivifci ſine læſione Senatorij juris jurandi nexum non potuiſſet; quidquid nocivum ſcivero, à Rep: avertam; ſtimulante inſuper ad id Patris ſui mandato, qui ſibi ſuprema voluntate præſcriptum reliquiſſet: non contra Jovem, ſed pro Jove manũ movere. Nimiùm offendere Malecontentos, quòd illis exprobretur bellum Turcicũ in excidium Patriæ accerſiviſſe! Sed rectius judicio etiam in Areopago mereri non poſſunt, quando Palatinidem Ravenſem, cæteroſque, qui funeſto exemplo iteratis vicibus Regni Comitia convellebant, parricidas Patriæ, viperas parentis ſuæ in ſinu fovent. Jámne ipſâ exercitûs famâ hoſtilium progreſſuum celeritas tardaretur, deſerta ab omnibus copiis Ucraina, & ubi nullum periculum eſſet, falsò metus periculâ fingebatur. Hinc nudata præſidio; quæ plurimùm periculi habuere fortalitia, longinqua, & quæ vix belli formido attingere poterat, tanquam contra imminentem hoſtis impetum inſtructa; armataque cernebantur. Confœderatio militaris ſub Trebowla in ſubverſionem Regiæ Mtis practicata, multoſq; conventus Varſaviæ aliiſq; in locis ſuper eo facinore celebratos. Jam numeroſas turbas, & inſolita licentiæ militaris agmina in ſedem Regni inducta, ut terrore, miniſquæ, & periculo anxiæ vitæ, inter parere dedignantes, faſtiditum Principi redderent imperium, poſtremò extorquerent. Cæteras eorum machinationes obligaſſe ſeſe Reipub: palàm facere, ideoq; iram eorum potiſſimùm ſufflãminâſſe, quia corruptiones contempſiſſem, & infame pretium venalis conſcientiæ, ad quod ſolicitabar, dedignatus eſſem. Sed illud fortè melioris in Rempub: animi, candoriſq; judicium erit? oppreſſam armis turmam Zaleſcij, depreſſum vexillum Notarij Campeſtris Koſubſcij, Principis denique, ut, egeſtô, quidquid modeſtum, ſincerumque, ſola inter turbulentos ſecuriùs licentia graſſaretur. Mihi fidem integram, nullas calumnias, & pericula paveſcentem, imò mille mortibus animum pro ſalute Reſpublicæ, ac Majeſtate Serenitatis Veſtræ deſtinatum. Finivit ſermonem commemoratione illius Romani Conſulis, qui, cùm quidam libertus Dominum ſuum deferret, indignatus, hunc, & ejus ſocios ſupplicio affecit, edixitq;, ne quis auxilium eis, qui contra Dominos agerent, ferret, quod ſi tuliſſet eum jus alios accuſandi amiſſurum. *Palatini Siradienſis ſermo.*

Laudabant multi, plures vituperabant, hæc non ad pacem, & quietem, ſed ad ulteriores promovendas diſcordias, & diffidentia verba, quòd

talia

A.C. 1673 talia verba jactaret, & sine consideratione proferret, & major diei pars iis absumebatur; non sine magno Reipub: detrimento, diffidendo in consiliis, & diversa semper iis quæ illis placebant, dicendo: Post hæc à verbis ad minas transibant, multi ferociùs abrumpendam omnem moram, uti publicæ saluti noxiam, & ad manum, atq; gladios Rempub: vocabant, impellebantq;. Judex Sendomiriensis authoritate & judicio inter Nuntios facile primas tenens, nihil ambitioni, nihil gratiæ tribuens, ad æquitatem, & necessitatem præsentem referebat, tanquam quæsitus; Probas hos? respondit; non, sed miror, ac moderandum adhuc fervori censuit, cæteriq; in eandem sententiam differebant, petebantque, ne ob nimiam præcipitantiâ, fervoremq; alio fortè tempore commodiorem, grave vulnus, fatoq; proximum Respub: acciperet. Dandum adhuc tempus paucorum dierum recollectioni Malcontentorum: forsan brevem moram lenitatem animis citiùs allaturam; quam ratio, & metus ex Repub: præstare non potuisset. Incaluerat nimium Impetus, & atroces erumpebant, parabanturque sententiæ, nisi Princeps solutâ sessione, convenienti tantæ scenæ remedio, ne simul evanesceret, consuluisset.

Zaremba.

Prolongatio convocationis.

Prolongatio convocationis vix obtineri potuit, idq; non aliâ conditione, nisi ut præcipua rerum maximè agitentur, ut scilicet, si interim non ex voto Reipublicæ malecontentorum declaratio secuta fuisset, ex nunc pro hostibus Patriæ publicarentur, datæque ad eos acres à Republica literæ, ne ultra eam haberent ludibrio; nihil enim accidere potest gravius, acerbiusq; libero populo, quàm in æqualitate videre cives, qui se supra leges attollant.

Sequenti die publicæ Regni defensioni consilia accõmodabantur, quis census in ærarium inferri deberet? quæ vires Reipublicæ quantisq; copijs notæ hostium potentiæ occurrendum esset? Legati etiam, ut ad Christianos Principes sumptibus Gubernatorum Regni Præfecturarum mitterentur, multi ambitiosè orabant. Et si vigiliæ Pro-Cancellarij Olszovij vigilantissimæ, ardorque animi, pro communi omnium utilitate, in providendo, agendo, consulendoque, cognitus hactenus fuerit, tamen nunc zelo ipsius patefactum est, ut de prudentia, consilio, ac magnitudine animi ejus, nunquam dubitari debeat, in hoc præsertim, quod deprehensis tenebris, quas oculis omnium malevoli injecerant, cùm optimam de malcontentorum favorabili declaratione, spem præmisisset; utique est DEUS judicans eos in terra; nihil sine Duce de exercitu, ac viribus Reipublicæ tractari posse, constanti oratione asseveravit; magnæ semper in publico moderationis, quâ interdum ingruentia, & periculosa inimicorum odia deprecabatur. Proximâ luce Deputati ab exercitu M. D. Litv. publicam in Senatu sententiam habuêre, testificando ultimum etiam sangvinem pro integritate Majestatis paratos se esse impendere. Expeditâ deputatione Castellanus Podlachiæ sagax, & sapiens, si minùs fortunæ suæ credidisset, bellicis artibus innutritus, studia pacis non respuens, utramque spartam, seu miles in sago, seu civis in toga mirificè exornabat. Is ergo Castellanus injunctam sibi à Republica gestæ provinciæ reddebat rationem. Præfecerat illum supremus militiæ Dux parti exercitûs, jusseratque ex Ukraina deduci Præsidia, ut ijsdem copijs Camenecum adversus Ottomanicam potentiam firmaretur. Testes imperij, literas Ducis manu tenebat, sed quibus graviter convulsorum Comitiorum Regni Ubyscius incusabatur. Ad extremum, quis causa fuerit, dubitare desinant, omnem culpam proditi Camenecij in Generalem Podoliæ transtulit, firmiter asserendo, & descriptor verissimus, & accusator acerrimus fuit, quò si se destinatis cum copijs recepisset, nec dicere potest sibi non proditum, potuisset nobilissimum Regni fortalitium diutiùs contra barbaras gentes defendi, ita unus-

Deputati ab Exercitu M. D. Litvaniæ

Proditio Camenecij.

quisq;

quisque pro se rationem reddet Deo, quando satis commeatu adversùs obsidionis moram instructum fuisset, cujus etiam post deditionem cum enormi infamia nostra, satis amplam hostis copiam inveniisset. Episcopus quoque Camenecensis, quia crebris vocibus stimulabatur, addidit: prædictum Generalem diu ante explorâsse alpes, ubi mollior, duriorque lapidis materia, faciliùs à pulvere, vel ab arte ruinam pateretur: quod magna suspicione carere æqvum non esset, at illud plurimorum notitiæ apertum, pyrium pulverem adeo infectum, corruptumque, ut sine ulla hostium noxa, tormenta, peditumq; sclopeta exploderentur. Exarsit interim quidam Nuntiorum, in licentiam, & factam Præsulis relationem, impudicâ ac venali lingvâ non ex fide factam, arguere ausus erat, magna cum admiratione bonorum civium; quòd non modò manifesto flagitio, impia opera, attritâ fronte ministraretur, verùm etiam dignitas Ecclesiasticæ personæ indignâ contumeliâ usque ad injuriam afficeretur, quia corruptâ libertate, licentia scelerum ministra est. Ita in his quoque rebus ludit, & illudit illud fatum, seu fortunam; quidam merentur famam, quidam habent. Generalis Podoliæ, cùm ipse non modò, quod oppugnaret, sed etiam quod loqueretur, nesciebat, petitâ tamen dicendi libertate relationem proferre parabat, cùm esset dolor Reip. qui nec tempore, nec ratione curari potest, acri clamore oppressus: indignũ eum esse, qui jus dicendi inter honestos cives haberet: futuram illi libertatem vocis circa formatum judicium, quod tanquam infamis, impius, proditor Patriæ, desertor fidei Christianæ subire expectaret, quanquam alij dicebant, quòd etiam veneficis potestas defendendi sui datur, nec damnari, quenquam incognitâ causâ licet. A.C. 1672

Venerunt postea literæ ab Episcopo Cracovienſi ad Reginam scriptæ, utinam fiat nobis Id in salutem, quibus obnixè sollicitabat, ne optima Princeps mediationl malcontentorum cùm Principe, & Repub. suis auspicijs, ac innocentiâ, consulere dedignaretur. Dissensio cùm ab alijs incipiat, à se reconciliatio; legebantur & literæ ad Pro-Cancellarium à Malcontentis datæ, quas idem Nuntius attulit, magnæ propensionis cum Republica unionis manifestæ, nisi quod primum pro 30 Januarij Commissarios suos Varsaviam venturos declarâssent: cum pro 28. Respub. finalem declarationem ab ijs postulâsset, à multis retro sæculis notatum est, quòd sicut apud Gallos ita & apud nos salutaria lentè, noxia incredibili celeritate expediuntur; ita nuno tanquam leviſſimis quoque tam difficili tempore arrogantiam explere tantis viris consultum, decorumq; esset, tolerante cuncta Republicâ, dummodò ob servatos cives moderationis famam adipisceretur; ergo mitiores posthæc secutæ sententiæ, quàm miserum esset cogi, opprimere, quod salvum velis, quicunque obesse potest, & non vult, prodest tandem, quamvis alij non nova credebant molienda, nisi prioribus formatis, tamen de Ottomanica potentia differebatur, dictumq; Turcarum Cæsaris referebatur: qui identidem coram familiaribus suis sub Cameneco repetere solebat: quod sive ederet, sive ambularet, ac licet dormiret, semper de Dantisco cogitaret, & quamvis iterum infestæ voces in malcontentos nonnullorum Nuntiorum erumperent, infense quærentium, quòd tandiu Reipublicæ auctoritatem eluderent, quasi nulla illis notitia sit Reipub. cùm tanta sit bonarum rerum jactura, meliorum tamen consensu disjectæ sunt, juvitque eorum sive oblivionem, seu lenitatem Princeps, declaratis in proximam sessionem, proditi Cameneci judicijs.

Reduces Lovicio Commissarij salutato Principe sufficientem transactionis suæ in Senatu fecerunt relationem. Referebat Episcopus Cracovienſis nimius commemorandis quos metuisset, minimè revocare in dubium

A.C. 1673 dubium Malecontentos electionem Principis, neq; contra regimen ipsius insurgere, id solùm anxiè à Repub: petere, ut fama illorum decreto Lublinensis Confœderationis, non modò in opinione Civium, verùm etiam apud exteras Gentes, nimium gravata justo aliquo lenimento refoveri posset. Cùm verò multi ex Nuntiis casum Reipub: miserabantur, quòd aliqui non tam fortunam Reipubl: æstimantes, quàm publico dissidio læti pœnam in proditores Cameneci judicio in Malcontentos effagitârunt. Sed obstitere fortiter Palatinatûs Russiæ Nuntij, optando, ut integras potiùs vires adversùs hostiles conatus Patria servaret, quàm civili discordiâ libatas, domestico sangvine violaret. Stabiliendam esse muniendamq; Rempub: non armis modò, & robore exercitûs, sed, quod multo præstantius, multoquè majoris prudentiæ, laborisq; est, egregiis pacis artibus. Huc potiùs Respub: intenderet, ut terras Russiæ adversùs jam jam irrupturas Tartarorum copias conservare posset; Concurrite ô Cives! mœnia civitatis labuntur. Proinde defensio Reipub: cunctis bonis & modestis Civibus cordi esse deberet; petendamq; ante omnia deputationem à Repub: ad bellicum consilium, nam, si civilis belli rabies plus in fero alicujus pectore posset, quàm salus, & quies Reipub, tum nos esse paratos subtrahere tam infaustis consiliis, & meliori modo saluti, fortunisq; Confratrum nostrorũ viam expedituros. Movit ea vox Principem, Senatumq;, ac statim assignati è medio Procerum novem ad bellicum Consilium, à vice Maresehalco octo & denique ex Equestri Ordine Deputati.

Non aliàs magis infensi Nuntij, superbiâ & calliditatem Malcontentorum accusando omnem protractionem, ut fraudem suspicantes, abrumpendum Conventum, & vocatorias literas ad arma Nobilitatis, ingenti studio, & anxiis precibus à Principe postulabant. Spes hominum fragiles! ô fallacia consilia! Sæpiùs inclamitando consilia, disertè sed parùm proponeret; malè sit parti, ut consulatur toti; Querulabanturque inter dolorem infensis vocibus Majoris Poloniæ Brestensis, Cujaviensis, Leneicicnsis Palatinatuum Nuntij, tot capita contradictionum, oppressos se exactionibus, hybernæ distributionem ultrò referebant, impetendo magnum Regni Maresehalcum, ut dici possit; Tanta pro suis fecit Moyses, plura pertulit à suis; Sed ad hos rumores, quòd non ponebat ante salutem Reip: magnum suum à natura ipsa ad honestatem conformatum animum palàm faciebat, qui nec asperitatibus terreri, nec ullâ utilitatis specie à recto avocari potest, contra quem iterum atrociora addidit Palatitus Siradiensis, famam, & nomen obterens; ipsos Exercitûs Regentes ex eadem hyberna in suos usus ducenta millia convertisse, exceptis aliis assignationibus, quas involutis pensionibus repleri necesse fuit; quò faciliùs corruptâ militari disciplinâ, insolens militaris turba ad seditionem impelleretur. Orabatque Rempub: , ut in manifesta oppressione, non lentis consiliis, sed ferro, & manu sibi mederetur, ac laudabiliter inchoatam Confœderationem strenuè tandem exequeretur. Frustra torporem, & ignaviam, ad cunctationis, & prudentiæ vocabula transferri, ubi periculosior sit quies Civibus, quàm temeritas. Parabaturq; ingens aliquid eâ die in Malcontentos, nisi querelis, & ex illis augescente in immensum publico odio, alterâ querimoniâ subventũ esset. Petebant scilicet Nuntij Ducatûs Masoviæ solicitis precibus à Principe Cosacorum relegationem, qui Concivibus suis graves haberentur, jacturam antiquam novis deplorando lacrymis. An diffideret Princeps pecto-

pectoribus Civium? qui Confœderatione Lublinensi obstricti, non modò periculis ejus immixti vivere vellent, sed Majestati ejus tuendæ vitam, & sangvinem consecrâssent. Id nisi impetrarent, progredi sese in cunctis Reipub: non posse negotiis, protulêre. Si projiceret sermones Nuntiorum retrorsum, & audiret pravicordios, & torticordios magis, quàm fideles suos subditos; Unde credebantur Aulæ infensi, occasiones scilicet, quærit, qui vult recedere ab amico. Princeps incusatis turbidis Reipub: temporibus, quòd necessitate actus illos præsidij causâ quingentos tantum vocasset; Cæterum reliquos mille quingentos statim abire jussurum, nolle Majestatem adeò, nec salutem suam charis Civibus oneri esse. Ita favorabili oratione vim imperij inaccessâ supernorũ arcanorum semita, & arcani consilii momentum tenuit. *A.C. 1673*

Episcopos Posnanienſem & Chelmenſem ad Tractatus Mediationis Malcontenti admittere noluerunt, dictu gravia, perpessu aspera! Reginam tantùm, additis Nuntio, & Cæsareo Legato, acceptabant: quali damnatâ omnium Civium virtute, & innocentiâ, libentiùs se externis, quàm Concivibus, & amicis credere voluissent, obliti moniti sacræ literæ; admitte ad te alienigenam, & subvertet te à tuis propriis & timendum, ne, quod alij ædificant, illi destruant. *Wierzbowski. Zegocki.*

Acceptâ dicendi facultate Episcopus Cracovienſis qui egressus erat in salutem populi, relationem ad pacta tractatûs cum Delegatis Lovicienſibus conformabat. Lecta Informatio à Magno Exercituum Duce, cujus initium erat. Locuti sunt adversum me lingvâ dolosâ, & sermonibus, & odiis circumdederunt me, pro eo, ut me diligerent, detrahebant mihi; per quam concessum hosti Camenecum, tristeq; Reipublicæ, & execrabile damnum justificabatur. Tametsi, quæ in famam ejus evomuerunt, plus furoris habent, quàm ruboris, vix digna, quibus respondeat. Recensebat pòst Episcopus magno negotio consensisse eos in jurisjurandi formam sub Golembio initam, paucis immutatis verbis: id tamen imprimis postulavêre.

Ut majora Regni officia, prout sunt Sigilla, Clavæ, Scipiones, ad normam antiquorum jurium, in Comitiis distribuantur. *Postulata confœderatorũ.*

Idem verò actus magni Consilii non immutato Directore, & Nuntiis, ad Comitia Regni reducatur, in casu ejusdem convulsionis, liber sit Reipub; ad Generalem Confœderationem recursus; néve Conventus particulares Palatinatibus sinè consensu Ordinum vigore Confœderationis ampliùs instituere licitum est.

Exercitus M. D. Litvaniæ limites Regni transcendere, cùm jure prohibeatur, fas ei non sit.

Copias, quascunque Respub: ad sui defensionem paraverit, ne potestati & Imperio M. D. subtrahantur.

Læsi honoris summorum in Repub: virorum redintegrationem (illapsa, & elapsa quædam revocare placet, utinam tam mea confirmare possem! quàm facilè aliena destruere consilia) & Zamoyscianæ causæ decisionem in præsenti conventu petebant.

Produxit, quoque Episcopus Cracovienſis scriptum ab Exercituum Duce, illudque publicè legi petijt, in quo Dux acerbè querebatur contra Generalem Podoliæ, quòd omnem proditi Camenecj culpam in se transferret; quòd si id publicè coram judicibus, aut Republica confessus fuisset, liber ab onere actionis pronunciari debuerat. Agnoscere se crimen, si crimen dici meruerit, suo mandato exploratas alpes, an arti, operique perviæ essent? ut tantò dexteriùs meliusque fortificationi urbis prospici posset, cùm ad

 nocen-

A.C. 1673 nocendū, illos nulla necessitas, & æquitas coegit. Cùm verò omnem laborem pervicaciâ ac duritie suâ spernere illos muros comperisset; inveniſſe bellicorū operū machinatorem, qui id pyrio pulvere effici posse promiserat, magnumq; spectante toto exercitu, ejectâ in sublime sex libris pulveris petrâ dediſſe experimentum. Argui proinde temere intentionem suam, æqvum non fuisse, nec siniſtrâ interpretatione coram Repub. honorem suum, juxta & integritatem perverti debu isse, ergo libenter vellet spectare delatorem, & experiri probationem. His egregiè ultus est innocentiam suam, quem, cùm omnes excelsæ virtutes abunde ornâssent, vix credibile erat, illas in tanto viro innocentiam morum, ac contubernium suum non admisisse. Statim Episcopus Camenecensis acceptâ voce modestè sese excusabat, retulisse Reipublicæ, quod exploratum habuisset, cæterum nullius intentionem adeo, nec innocentiam præpostero damnâsse coram Repub. judicio; non se ignorâsse, imò etiam nunc palàm proferre; ac monitum quemcunque velle, ut dispiciat secum, quisque tali tempore Reipub. quid illi non modò agendum, verùm etiam publicè loquendum sit?

Cùm verò puncta cum Commissariis Lovicensibus inita sub examen Reipublicæ venêre, dissoni clamores, impetus, non judicium, clavum consilij regebat, & adjiciebant dictis ferociam, queritando pro anima nostra ne confundamur dicere verum; sequamur rem, & non deficiamus in verborum compositione. Hunene fructum pacis Subdelegatos Malcontentorum (alij malevolorum clamitabant) Reipublicæ attulisse, ut tanquam acie victis leges præleribant, imponantq;. Langvor prolixior gravat medicum, breviorem langvorem præcidit medicus. Meliorum enim sententijs compositi dicebant, in tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram DEO, & hominibus; concordia fratrum, & amor proximorum. Nihil adhuc in conclusionem, omnia in vim præparamenti concepta esse; mitti adhuc Lovicium debere, tandemque Reipublicæ futuram decidendi potestatem, frustra divinari, prospera, aut adversa, antequam de plano voluntas, & affectus in Rempub. malecontentorum innotescat. Ita conventum ab omnibus, ut responsum Lovicium mitteretur, adjecto imperio: penes Orthodoxæ cultum Religionis, Majestatem Principis Michaëlis, ejuratis omnibus externis correspondentijs, præstandi circa defensionem eorum jurisjurandi, destinatusq; à Republica Palatinus Vitebscensis. Homo sapiens tabescit usque ad tempus, cum Commissarijs sedem malecontentorum adeundi: quò facilius, si quid dubij occurreret, intentionem Reipublicæ tantò accuratiùs rationibus explanarent.

Interim cùm de defensione Reipub. ageretur, Jacobus Szczavinscius satis jam clarus, constanti in Religionem zelo, cùm ad vindicationem ex iniqua Thorunensium possessione S. Jacobi templi operam suam jungens Episcopo Culmensi Pro-Cancellario Regni miram dexteritatem adhibuisset: illustre votum acceptâ dicendi libertate, ad Principem conversus protulit: nemo, quantum judicare valeo, extitit, qui rerum, verborumque pondere, ac efficaci quâdam naturæ vi, cum illo sit conferendus, cùm & prudenter, & doctè locutus non parum multa, quamvis paucis verbis plurima complexus, sibi constans, nullasque sordes, ut alij complures faciunt, secum trahens, sententia verò hæc ejus erat. Auspicia Imperij Majestati Vræ non è terris, sed de cœlo contigisse, cùm nihil hic casus, aut fortuna possit, non vano sese judicio æstimare. Hinc etiam profectum esse arbitror, quòd in tanta malignitate hominum, non fama Mtis, non salus imperij, in atroci civium discordia, & fatali rerum omnium confusione, naufragium tulerit. Posse tamen turbati, & pene eversi Reipublicæ Status magna ex parte referri

ferri ad cauſas, & ingenia depravatorum in aula hominum, qui, ut ſeſe, domoſque ſuas in immenſum extollunt per ruinam famæ egregij cujusque, & civium cervices nituntur, utque terrorl ſint ſingulis, deprimunt univerſos; non extimeſcunt terrenam faciem potentis, & ponunt ſcandalum in agilitate ſua, ac ne quis ſceleratæ illorum ſuperbiæ obviam ire audeat, ſiniſtris delationibus labefactant, inficiuntque præcipuos civium hæ peſtes, & venenata monſtra Reipub. à quibus bonus, cautus, optimus etiam venditur Imperator. Non mereatur audire Mtas Vra quod dici ad infamiam de Claudio Cæſare dignum fuit: qui libertis, uxoribusque addictus, non Principem tanti imperij ſed Miniſtrum egit; neque aliâ ratione à ſagaciſſimis Principibus vitari has Syrenes, ad quod toties ſuſpiramus, quoties ſpiramus, dulce venenum auribus inſtillantes, niſi contemptu talia audiendi, & in contumaces delatores vindicta pœnæ. Nam, ſi intra paucam familiam conſtituta domus malitioſorum ſuſurronum perversâ levitate orbatur quiete, quanto magis de Rebuſpubiicis ſentiendum? quæ inſtar Oceani parvis motibus, ingentibus turbinum, & ſeditionum fluctibus periclitantur; nam ſvadere multa bona poſſumus, non item perſuadere, Athenienſes ſciviſſe dicti ſunt, quæ recta eſſent, ſed facere noluiſſe. Hæ cauſæ effecerunt, efficientq; publicis rebus, ut multa imperia creſcere non poſſint, quædam perire neceſſitas humanæ malevolentiæ poſtulet, faciatque. Publicã Regni defenſionẽ ordinariiſſimè Dijs fruſtra fulciendã, in extraordinarijs periculis ſupremo conatu, viribus, & affectu Reipublicæ ſubveniendũ. Cum enim poſſeſſores ampiiſſimi Reipubiicæ patrimonij in ſacros Eccleſiæ uſus conſecrati, annuum proventum tantis Reipubiicæ neceſſitatibus ultrò largiri non debeant? minores verò bonorum Regalium Tenutarios, nimirum Capitaneos, Suffraganeos, Abbates, Canonicos, ac reliquos Clericos bona Terreſtria poſſidentes, invitari lege ad libertatem erga Rempubiicam, & conſervationem cultus Divini, ac privatæ cujuſq; fortunæ, pacisque publicæ, nonne eſſe conveniens æſtimatur? Sed ut à ſuſpicione jactantiæ meũ imp. imis vindicem nomen, ne quis credat verba tantùm eſſe, cùm operibus ſit opus, & ut probem me non tam proferre contemnendum, quàm edere pro futuro conſilium, offero centuriam equitantium ſclopetariorum Reipub: propriis ſtipendiis militaturam, neque id pro documento, ſed prn debito amoris in Rempub: & obſequij velim eſſe, & haberi, nonne in Ægypto à luxuriantibus etiam platanis, gentes pro umbra vectigal pendunt. Ejus vocem excepit judex Sendomirienſis, de quo non immerito dici poteſt; Noli quærere fieri judex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne fortè extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in æquitate tua. Summis ille laudibus cumulavit Palatinum, quòd tanta profeſſus eſſet, quanta nemo In hanc uſq; diem illuſtrium virorum profiteri auſus fuiſſet, ex privato ſenſu, magno tamen Reipubl: commodo; Attamen In paucis efferbuit zelus privatis ſumptibus bonum publicum juvandi, tantumque ex Patribus Palatinus Lublinenſis centum pedites, Magnus Cancellarius M. D. L. trecentos ſclopetarios obtulit. Tandem de prolongatione magni conſilij actum, ægreq; ad pauces dies conceſſa, idq; ſub conditione, ut judicia proditionis Cameneci proximâ die à Deputatis juramento expleto Inchoarentur. Sed ubi jam deſtinata, totieſq; optata dies venerat; turpi rurſus inconſtantiâ nonnulli Nuntiorum rejectione ad notitiam declarationis Malecontentorum, alij juramento à Deputatis quoq; ex Senatu, præſtando, ultrò difficultates, non ſine publico rubore judicia ad præſens, & inpoſterum Reipub: ſalutaria toties

A.C. 1673

Suſurrones periculoſi

Subſidiaria

A.C. 1673 ties elusêre; an jam tempus non appropinquat, ubi dicit Scriptura; Perdam sapientiam sapientium, & prudentium prudentiam reprobabo, cùm non omnibus placeat, quod ad cunctorum necesse est pertinere fortunas. Non alibi enim instabilis populi meliùs expressam cerneres imaginem, mirâ inconstantiâ, quæ vetuerat, jubente, & quæ jusserat, vetante, adeo, ut circumdent undiq; mala, & non est, qui adjuvet; ad maturum interitum mores sufficerent, feralis tantùm dies, & inclementia fatorum desideraretur; dicebant alij: Appropinquant Turci, non tuta est mora.

Mors Regis Joannis Casimiri

Venit tristis Nuntius de morte Joannis Casimiri, cujus exequlæ celebratæ 21. Februarij in Basilica S. Joannis, inscriptum lemma atratis pyramidibus: testandæ populo Principis modestiæ, & pietatis causâ. Cecidit corona capitis nostri. Funebrem actum concluſit Procancellarius mœstâ oratione, nec quidem simulato dolore; non quod lugubris scena lacrymas omnino desideraret, sed atrox malorum memoria, & publicorum damnorum magnitudo, luctum, & gemitum è cujusque pectore provocabant; nullus honor erat, quem non illi publica benevolentia præstiterit, quem non ei, & Senatûs, & Regis authoritas detulerit.

Venerunt interim literæ à Palatino Vitebscenii, in quibus asseverabat, promittere se Malecontentos. Hoc, quod timebatur, solicitudinum portus est. Propediem suum Varsaviam adventum, ad paucos tantùm dies prolongationem consiliorum optare. Quod in reditu suo in Senatu comparens confirmavit, fecitq; relationem, quomodo quisque Malecontentorum statui suo conveniens expleviſſet juramentum. Multâ curâ fata perducuntur ad segetem, tum puncta proposuit, quæ Reipub: resolutionem exigerent; nimirum ut lauda Palatinatuum ad modernum magni Consilij actum formata, Nuntiisq; data cassarentur; nemo quenquam publicâ prohibet ire viâ, jureque caduci bona adempta antiquis possessoribus restituerentur. Elucidationem jurisjurandi Regij loco, nihil novi, unum verbum permutatum contrarij, melioraret; Ad eandem elucidationem addi punctum postulabant; extra dubitationẽ, metumq; positi simus, tanquam dediſſent grandis patientiæ documentum Principis, nobis cuncta inviolabiliter servaturum, quidquid in coronatione sine restrictione mentis religiosè firmaviſſet; quidquid agunt, aut egerunt, considerant, ut futuris præsentium, præsentibus collatione præteritorum trutinatis, se ipsos, & nos rectè dirigere possint, ad præteriti temporis memoriam accommodantes, ad præsens sensum, ad futurũ verò providentiam. Et quamvis ad extremum ejici consessissent verba, sine restrictione mentis, illud tâmen mordicus retinebant, ut elucidationi jurisjurandi adjiceretur, quod mutuam requirant à Principe, si non fidem, at certè obligationis constantiam; addentes, quia sicut nos Christi Domini, ita & illi. Causarum perduellionis judicia requirebant processu in actu Confœderationis descripto terminari, non verò sumniario jure; quemadmodum ejusdem Confœderationis ultimus recessus sonat. Contra calumniatores forum assignari, vigore præsentium Comitiorum urgebant, eum nunc rumpere concordiam, impedire unionem, nec ex conscientia liceret, nec ex commodo Reipub: expediret; aliàs confundetur omne jus, & leges interibunt, non fides, non pax, non humanitas, non veritas erit, atq; ita neq; securitas, neque regimen, neque requies à malis ulla, & horâ unâ negligitur, quod annorum morâ nunquâ compensatur. Zamoysciis pensionem 20. assignari contendebant, antequam

in

in cauſa ordinationibus in Comitiis Reſp: decideret. Sed melius hæc intelligentur, ex punctis miſſis, & reſponſis ad eadem datis; quæ omnia ſubmitto. Ita apparet, quòd ſemper oceant, priuſquam ſerunt agricolæ. *A.C.* 1673

Nuntius Apoſtolicus Extraordinarius Franciſcus Bonoviſius audientiam apud Regem habuit 24 Januarij.

Mareſchalcus verò Equeſtris Ordinis quò facilùs in conſenſum uniret diverſos & controverſiis occaſionem præſeinderet: præſentabat juramenti formam Senatoribus, ad judicia deputatis, ad quam explendam articulo Confœderationis tènerentur; renuebant diu Patres, opponendo Senatorij jurisjurandi Religionem, quâ ſemel fidem Principi, & Reipub: obligâſſent, fatebanturq; metum ex poſteritatis judicio, quæ illorum fidem, ſi toties jurâſſent, ſuſpectam fuiſſe, haud iniquè argueret; ſedulò apponentes quæ poterant, pro ſua ſapientia, magno conatu nihil agente. Sed validiſſimi Nuntiorum urgebant: in Tribunalitio ſubſellio, in varijs Comitiorum functionibus nihil officere Senatoriæ dignitati expletorum juramentorum neceſſitatem, nam ut ordinem quemque prudenter ſuis officiis Reſpublica diſtinxit, ita quibuſque dignitatibus non indecora judicavit propria cum muneribus onera. Tum ceſſit rationibus damnoſa tempori controverſia, & Mareſchalcus acceptâ voce, dubitando quærebat, an ad præſentia judicia, Olizar, & Zabokrickius, cæteriq; Comitiorum convulſores, pro quibus Malecontentos inſtare, referri, trahiq; deberent, petebat à Principe reſolutionem. Vocato Princeps ad thronum Senatu ore Procancellarij declarationem expedivit: Principis officium ac munus eſſe ita Regnum gubernare, & illi præſidere, ſicut corpori præſidet anima, & ampliùs, veluti mundo DEus, tum ſuborietur manſuetudinis, & clementiæ lenitas, dum ſingulos illi obnoxios perinde habet, ac eorporis ſui membrũ, cogitabitq; id ſolùm fulmen, quod Jupiter mittit, placabile eſſe, pernicioſumq; id, quod deliberavit, & aliis quoq; Diis, auctoritati commiſit. Jovem, id eſt Regem prodeſſe, eum oportet, nocere, niſi cum plurimis viſum eſt, ſic etiam peccata compeſcenda ſunt, ut ſuperſint, quos peccâſſe pœniteat, ſecuritati antequam vindictæ conſulendo; Alterius enim vitia emendanda, alterius frangenda ſunt; Unde non ſat tutum ſe officium feciſſe, ſi non id fama approbat: Quando omnes injurias bono Reipub: donâſſet, etiam in eo Comitiorum convulſoribus indulgere, ut eos pœnitentiæ magis, quàm ſupplicio ſervari malit; Satis illis ipſo facinore ſupplicij relictum eſſe, quòd pœnæ magis, quàm infamiæ ſint exempti: id tamen univerſo populo, totique orbi conſtare optaret: cujus ſcilicet inſtinctu comitia Coronationis ſuæ abrupta ſint, grandi quidem, attamen innocuo Majeſtatis dedecore, ſed majori Reipublicæ damno. Fatigabat interim aures continuò Mareſchalci Equeſtris, quidam Nobilium Lodrinſcius, qui ſeminavit, quæ ſomniavit, delationis partes proditi Cameneci libenter ſuſtinere vellet, erant verò, quæ allegabat, ſimilia veri, non tamen vera. Ergo Mareſchalcus acceptâ dicendi libertate, cum dolore, & gemitu protulit; boni viri officium eſſe, errores hominum corrigere, eosq; in viam reducere, cum multis habere neceſſitudines, ſtrictiorem tamen in ſe diffiteri Patriæ amorem, cui omnes charitates cedere conſveverunt. Proinde quoniam Delator Proditorũ Cameneci ultro faciem Reipublicæ ſubeat, deterreri eum ab ea delatione, quaſi illa falſa ſint, quæ ſunt abdita, à ſe non potuiſſe, neque debuiſſe, quando eâ reſolutione inſtructum eſſe cernat, ut paratus ſit Generalem Podoliæ juramento convincere, quod infami pretio Camenecum hoſti Chriſtiani nomi-

Juramenta Senatorum

Clementia Regis in Convulſores comitiorum.

Proditio Cameneci falsò imputatur.

A.C. 1673 minis prodiderit, notumq; illi eſſe ſatis claris documentis, illud infame pretium bonis ſuis Strulec dictis, ſub Dubno ſitis invexiſſe. Calumnia eſt delatio mentita, odio clanculum, reo ad reſpondendum, ac refellendum non admiſſo, ac proinde ſperare ſe aſſeruit, ſi Dnus permiſerit pro voluntate Dei, in rei veritatem Rempub. tandem deventuram, ſit quicunque talia auſus, perditis in proverbium, ac fabulam omnibus populis, nam factum hoc infame nulla delebit oblivio ex ore ſermonis ſui. Ad rem novam, & inexpectatam prorupêre in affectus, ut quiſque ijs obnoxius erat, quales ira, & primus impetus ſubminiſtrat. Subordinatum alij ad invidiam Generalis Podoliæ deteſtabantur, & publicâ cuſtodiâ attinendum, ut malitioſum clamitabant: tam projectæ mentis homines, qui de medio ad malum egreſſi ſunt, cùm maxima ſcelera inulta ſinerent, etiam indices punire volebant, non ſine rumore conſcios eos fuiſſe ſceleris, quòd ſubdolis verbis tantum crimen palàm deteſtarentur, dum punire nunquam permitterent. Plures, meliores-que ſecuritatem Delatori dandam, providendumque ſuſtentationi ejus, ex publico contendebant, donec inquiſitione deductâ cauſa exitum ſortiretur, ſollicitabantq; Principem, ut juſtiſſimis precibus declaratione ſuâ ſubvenire dignaretur. Princeps itaque à throno cenſuit, ut eò uſque ſub patrocinio Mareſchalci Equeſtris haberetur, donec ex theſauro Regni penſione ſublevaretur.

Sedato motu, promovente Epiſcopo Poſnanienſi, lectæ ſunt à Prælato ejus reſponſoriæ literæ ad libitum plane Lovicienſis Conventûs compoſitæ. Ergo datâ occaſione ſententijs, plurimi Nuntiorum ſeriò præcavebant; non modò verbo, ſed ne minimo quidem implicatorio termino permiſſuros confœderationis caſſationem, niſi priùs exactè compoſitam ab intra vidiſſent Rempublicam. Reliqui Nuntij, cùm maturandas res cenſerent, neque vanis ſcrupulis, & ambiguitatibus morari ultra concordiæ opus decorum affirmarent. Juvit contrariæ partis ſenſum Director Equeſtris, aſſerendo, acerrimâ deliberatione agere ea conſilia, quæcunque ad formandam æternitatem legis diſponerentur, & quidem imprimis perſolvendæ ſunt ipſi pietatis fonti gratiarum actiones ampliſſimæ, qui hoc tempore triſtiſſimo ad reſarciendas Patriæ noſtræ partes labefactas id inſpirare dignatus eſt, quamvis alij, qui rerum admiratione conſtituti, criminando, & calumniando, nihil aliud faciunt, niſi ut Reſpub. ipſa de ſe pœnas ſumat, & eâ re occupetur. Satiùs alij credebant; cunctatione peccandum, quàm ut præcipitantia bonis conſilijs inimica, famam quiſque ſuam, ac bonum publicum, imperijq; ſalutem affligat. Incenſos ad longum verborum certamen commovit fervidâ voce ſuâ Epiſcopus Poſnanienſis, quaſi tam juſti ſtudioſus inventi, dicens ad Regem, quòd clamantium ad cœlum oppreſſorum ab illo voces DEUS aliquando audiet, per divina, humanaque obteſtabatur ille Principem, & Rempublicam, ne ſummos Magiſtratus Impoſterum niſi biennales haberi paterentur, id tot millia armatorum fratrum à ſe in campo petijſſe: ut veſtram Regiam Mtem continuis precibus obteſtarer, ne in minimo puncto ſalutaris illa pro Repub. confœderatio, quàm & Vra Mtas jurejurando firmâſſet, violaretur. Non ſe liberos, non fratres in ſpem Reipublicæ alere, aut ſuam confectam ætatem grandiori ſervare ambitioni, id tantùm petere à Mte Vra, quod ſaluberrimum poſtea Reipublicæ futurum, claris apud ſe documentis prævidiſſet, an niſi id aggreſſi fuiſſemus opus, Reſpub. nunc non laboraret? minùs ea ſententia Pro-Cancellario placuit, qui ſtatim contra, accepto dicendi jure diſſeruit: orſus ab incommodis, quæ neceſſariò evenire deberent, ſi tam mutationi fortuna, aut ſapientia Ducis ſubeſſe cogeretur. Facilius in rebus-publicis Oratores, quàm milites naſci: difficilio-

An confœderatio caſſanda

rem

rem his omnibus boni Imperatoris Electionem. Proinde diu cuique Principũ diſpiciendum eſſe, quem bellica virtus, & fortuna tanto faſtigio dignum cenſuerint. Abſolutis id tantum Principibus moris eſſe, qui eminentes virtutes in ſubditis ferre nequeunt: ut neminem unum magnum faciant; ordinem, qui in cœlis eſt, etiam in terra relinquamus; in libera noſtra Republica nondum videre, eò deſcenſum neceſſitatis, neque Sereniſſimam Majeſtatem abſoluti habenas imperij affectare. Transmittendum ergo potiùs hunc conatum ducere, quàm tot cives periculo dignitatis, in tanto animorum metu ad recentem invidiam provocare; utrique adverſarios ſuos hoſtes Reipub. appellant, pro Repub. omnia ſe agere dicunt. *A.C.* 1673

Sequenti die ad inſtantiam Epiſcopi Cracovienſis puncta Lovicium mittenda, publicæ proponebantur conſiderationi, inter quæ illud præcipuè nonnulli inſerere volebant, ut turmæ Equeſtres Suæ Mſtis hybernis, & ſtipendiis abjudicatæ in integrum reſtituerentur. Gliſcente certamine Epiſcopus Cracovienſis revocari in mentem, ſcriptum a ſupremo Exercituũ Duce petebat, in quo validæ rationes circa ſtipendiarias Principis copias propoſitæ eſſent, fatebatúrque meminiſſe ſe habitæ cum illo Lovicij conferentiæ. Credamus igitur iſtis, qui non ut reprehenderent hæc retulerunt, ſed ut prædicarent, ubi memorabat: Juramento in Pactis conventis expreſſo Principem firmâſſe nullas copias propriis ſtipendiis in exercitu habiturum, quodque hic abuſus Principum non ita pridem irrepſiſſet, idque primum temporibus Vladislai Regis, qui adhuc junior, & extra curas Imperij poſito accingens ſe expeditioni Moſcoviticæ, proprijs ſumptibus aliquot equitum vexilla in obſequium Reipub. conduxerat, quorum perſpectâ fortitudine, & audaciâ in opere belli non ſolùm eos retinuit, verùm & ſtipendijs auxit, attamen ſuſcepto regimine Regni ſtatim obſequio Reipub. addixiſſe, poſtremò in prima ætate filio ſuo ceſſiſſe. Poſt fata felicis Principis, eoſdem benè meritos milites, frater Regis Princeps Caſimirus ad ſe evocavit, retinebatq; eos ſub nomine, quo acceperat, etiam regale adeptus faſtigium. Interveniente abdicatione, cùm Reſpub. ad antiqua inſtituta redijſſet, nullam ſe neceſſitatem videre, ut Princeps ſeorſim habeat in exercitu vexilla, cùm omnes Legiones, alæque tam exercitûs Regni, quàm copiarum M. D. Litv. nullius alterius auſpicia agnoſcant, niſi Principis Regentis, Quare non expedire inter milites de inutili prærogativæ certamine foveri diſcordiam, dum alij ſe Principis militẽ, alij Reipub. appellant, cùm tamen Reſp. omnibus, ut parens omniũ ſtipendia ex æquo provideat; & ſatis eſt iniquè affligi, quàm perdi Dei populum. Multis diſplicere vox Epiſcopi viſa; nam ſub titulo æquandarum legum, Regni jura oppreſſa eſſe dicebant; non una poſt hæc conſilij facies, ſed tanquam circa ſtructuram turris Babel licet non varijs lingvis, at contrarijs ſenſibus diverſa loquebantur, donec Palatinus Czernichovienſis apto rebus ſermone terruit pertinaces controvertentium animos: Dei irã portendi in res Polonas aſſerens; quòd in ſupremo Patriæ periculo nociva prorſus morâ executionem conſultorum fruſtrarentur, in conſilijs Rempub: perimerent. Mallem quidem quod agimus, ſilentio tranſire, ſed vereor, ne liceat; Video enim multorum arbitrio cuncta geri, quod tale eſt, ſicut, ſi quis affirmet, in uno corpore multas debere mentes, quorum multã, & variè ſunt miniſteria membrorum, quæ omnia mens ſola gubernat; Nos certè non tam in vetitum nitimur, ſed & in immenſum; Reſpub: verò navigium eſt, integrum natat, diviſum mergitur; arripimus omnes iter ſine termino, unde omnia infortunia nobis evenient dignè, quoniam ſic malè agimus. Reſipiſcerent inde tempuſq; recolligendis Reipub: viribus permitterent, nihil ſeſe in modificatis punctis.

Milites Regij

Vladislai Regis milites

Palatini Czernichovienſis ſermo

A.C. 1673 ctis advertere, quod aut Reipubl. integritatem, aut Mtis securitatem imminutum iret, cætera publicæ concordiæ condonanda. Non dissimilia Palatinus Vitebscensis locutus postremò suadebat, ut Deputati ad cõstitutiones assignarentur; cùm enim cuncta consensu publico facilitentur, par esse, ut præsens actus Magni Consilij titulo Comitiorum Regni insigniatur. Urgebat Marescha[l]cus, ut quatuor Deputati ex Gentibus assignarentur; eui, cùm contradiceretur (nam duos tantùm nominare volebant) sed Director Equestris acceptâ voce, iteratis vicibus solicitabat Ordines Reipub, darent id sibi, darent magnæ Confœderationis perenni memoriæ, darent postremò & tenuitati suæ, ut plures Deputati, quàm solitus mos requireret, juvarent sese sub tanto onere fatiscentem, in Bellonæ, non in Minervæ sinu sese educatum: cogitarent rudem esse, eoq; pluribus Magistris, ac munimentis indigere.

Deputati ad constitutiones.

Tandem diremit Rex differentiam longiorem, dum ex Senatu nominavit; quod etiam Marescha[l]cus secutus est. Trutinatæ pòst literæ Tractatus, pacificationis internæ, & jam examinatæ ab Episcopo Cracovienſi, & Marescha[l]co subscriptæ, Lovicium transmissæ sunt, tenoris sequentis:

Litera pacificationis internæ.

Periculosa gravisq; potentissimis etiam imperiis discordia Rempub: afflixit, eoq; potissimùm temporis momento, quando hostilis potentia ditiones Regni nostri invaserat, ex diffidentia, & mutuis civium dissensionibus, fatali casu deventum ad turbas, procuratamq; inter Ordines Regni atrocem scissionem. Verùm hac potissimum causâ singulare Numinis agnoscimus providentiam, quâ Nos, & Imperium Regimini nostro concreditum subduxit tempestati. Intuitus ex sancta sua sede nostram ad curam Reipub: applicationem, & erga bonum publicum candorem, tum ingenitam inclytarum Sarmatiæ, & Litvaniæ Nationum generositatem, & ad auxilium communis Patriæ alacritatem, cunctosq; heroicos actus grandem propensionem, interpositione deniq; Serenissimæ Reginæ Conjugis nostræ & continuâ curâ intermedij Ordinis, inter nos hosce motus esse compositos & omnium Ordinum animos, paci, & publicæ concordiæ reunitos. Grande id cœlestis favoris beneficium ad Altaria Divinæ Majestatis recolendo, domesticam hanc concordiam & unionem animorum, inter fideles subditos nostros confirmando, ac intercedente omnium Ordinum consensu, ad præsentem conventum congregatorum immutabiliter sancimus.

Puncta pacificationis.

Et imprimis, quoniam omnes partes suo, & totius Reipub: nomine assecùravêre fidem, & conscientiam suam jurejurando obligantes, Majestatem nostram, uti electi, liberis suffragiis, Principis, & coronati, tueri, jus liberæ electionis propugnare, & illud juxta antiqua jura, & libertatem avitam manutenere, & contra machinatores (si aliqui, quod DEus avertat, invenirentur) conservationisq; arcano electionis, gloriosa Majorum suorum instituta sequendo, & præscriptis in statutis, ac constitutionibus nexuum, ac confœderationum antiquarum, & recentium articulis inhærendo, insistere teneantur. At, si quis contrarium moliri deprehensus fuerit, submittit se integra Respub: contra ejusmodi machinatorem, juxta omnium Confœderationum tam veterum, quàm recentium receſſum proceſſuram.

Nos etiam conformando Mtem nostram communi Ordinũ concordiæ, ad actum præsentem congregatorum, qui sub nomine continuationis initæ confœderationis, ob metum convulsionis moderni conventûs, & firmius consilium

filium circa defenſionem publicam ineundam, indictus celebratur. Quando *A.C.* 1673
jam avita civium confidentia, & domeſtica concordia orbem Polonum reviſit & anguſtia temporis nova Comitia Ordinibus Regni indici concedit; mediante conſenſu omnium Ordinum præſens magnum conſilium in Comitia transformavimus formam Reipub. ad antiqvum ſtatum reducendo; ut, quemadmodum Regni Comitia, ita Palatinatuum conventus, atrium libertatis, ſentiendi libertatem, jus vetandi, judicia univerſa, ita aulica, ſicut & tribunalitia, caſtrenſia, terreſtria, omniumque ſubſelliorum ordines ad ſolitum uſum, & naturam reducimus: ut ſtatim poſt felicem modernorum Comitiorum exitum omnia judica, tam in Regno, quam in M. D. Litv. ad naturam ſuam redeant & priſtinæ dignitati reſtituantur, jura etiam omnia, dignitates, cunctorum officiorum, tam ſpiritualium quàm ſæcularium, Mareſchalcorum ſigilli cuſtodum, Ducum exercitûs, & aliorum militiæ Præfectorum, tam in Regno, quàm in M. D. Litv. ſi quid per eam temporis calamitatem incommodi tuliſſent, compenſatum eſſe volumus, utque juxta antiquas conſvetudines ſerventur, declaramus. Conſervando nihilominus jura Mtis in caſtris, & in quovis loco, extraditionem quoque literarum militaris conductûs, accõmodando nos in omnibus negotijs publicis, antiquis juribûs, & priſcis conſvetudinibus Regum Poloniæ.

Decreta judicíorum, Palatinatuum in cauſis facti, fiſci, exemptionum, liquidationum & violentiarum, lata in toto conſervamus, & appellationes, quæ ab his judicijs intervenerunt, ſicut & judicata omnia quæ ad deciſionem cauſæ, tam in Palatinatibus, quàm in terris non devenêre: cauſas item in vim termini facti coram formato judicio intentatas ſubſellio tribunalitio Regni dijudicandas remittimus. Cauſas verò juris, & aliàs, quæ, ultra præſcriptum confœderationis, judicatæ ſunt, in Palatinatibus, & terris caſſamus.

Privilegia jure caduci à nobis collata, reſcindendo litibus civium omnem occaſionem, ex quibus pullulare conſveverunt odia, & inimicitiæ annihilamus: nihil derogando conſtitutioni anni 1627 adverſus abſentes, & negligentes, legum de expeditione bellica ſeverè ſancitarum, qui neque ad latus noſtrum, neque in caſtris præſentes, neque per legem publicam exempti, etiam ſuper civitates, quæ certo nos delectu juvare tenebantur, neque juverant. Super ejuſmodi delinquentes, jura caduci valere declaramus, ceſſante licet confœderatione ab intra, ſalvâ tamen per omnia manente ab extra; excepto puncto de officijs Regni, quæ arbitrio Ordinum ad præſentem conventum congregatorum permittimus; diploma etiam majoris ſecuritatis cauſâ juramentorum, & pactorum conventorum, ſub tempus expeditionis bellicæ conceſſum Reipublicæ, in quocunque adverſum non judicabitur, antiquæ formæ Reipublicæ, & privatorum honoribus, fortunis, dignitatibus, & officijs præjudicioſum, ad obtinendum perpetuum robur, ut in volumen legum inſeratur, conſentimus.

Jã verò ut pacificatio hæc interna firmior, ſtabiliorq; reddatur, defenſio autẽ Patriæ eò validior certiorq;, in ſequentia etiã tẽpora ſolidè firmari poſſit; nos exẽplo noſtro ſubditos fideliter nobis dilectos, univerſoſq; ad mutuam concordiã, & amorẽ invitando, quidquid anteactis temporibꝰ, eouſq; quacunq; cauſâ, aut occaſione nobis adversũ accidit, omnia ſupremo pacis Domino, & amori Patriæ unicè conſervationi ejus ſtudentes, ſincero, & Chriſtiano animo remittimus, condonantes, & æternæ, ut par eſt, oblivioni tradimus; Ordines etiam Regni, pro ſe, & Fratribus in ſedibus ſuis conſiſtentibus declarant; Diffidentias inter Status qualicunq; occaſione intervenientes, è pectoribus ſuis eradicare, memoriâ quoq; eorum penitus obliteratâ; quas nemo tam publicè, quàm privatim objiciendo, alterius

honori

A.C. 1673 honori gravis eſſe debebit; ſed in unione, & concordia ſtrictiſſimè permanendo, omnia pericula a Republica, unitis animis, & viribus, fortunas ſuas impendio boni publici non ſubtrahendo, avertere ac depellere obligantur.

Eam concordiam adhuc fortiori nexu firmando, declaramus, quòd, quidquid in hac confuſione Reipub. in communi motu Palatinatuum, perſonis, bonis, honoribus, officijs, nonnullorum civium, & tenutariorum, bonorum Eccleſiaſticorum, ſive noſtrorum regalium, aut Terreſtrium, contumeliosũ, aut præjudicioſum eveniſſet; nunquam id neque perſonis, neque poſteritatis eorum honori, & reputationi nocere debere, præſenti lege cavemus, & ſecuramus.

Scripta etiam omnia, qualicunq; prætextu ex diffidentia, & æſtu, ob interna animorum odia emanata, publica, privataque, typis mandata, ſeu calamo tradita, tollimus, & annihilamus, &, ſi reperiantur, ubicunque locorum actis Ingroſſata, deleri ſcriò mandamus, & quòd nullius famæ nocere debeant, declaramus.

Conciliabula, & privatos Conventus, qui antiquis legibus, ut exitioſi in Rempub. prohibiti ſunt, nemini indicere, & frequentare impoſterum liberum relinquitur: antiqua in hoc ſtatutis & conſtitutionibus firmata inſtituta ſequendo, ſecundùm praxim, & formam veteris Reipublicæ.

Copias nullas militares in oppreſſionem Reipub. multò minùs extra ordinem militiæ conductas habere permittitur, nec ſub vexillum vocare, cautum jam pridem lege communi eſſe. Proinde reaſſuminus in eo 1609 conſtitutionem, attamen prout continuis temporibus rem fuiſſe laudabilem, & magni meriti capacem, ita & nunc præclaræ gloriæ, & obſequij in Remp. cenſebimus, qui militaribus delectibus ex proprio peculio habitis noſtros, & Reipub. exercitus augere, & ad externam defenſionem firmiorem reddere voluerit, non aggravando bona noſtra Spiritualia, & Terreſtria tranſitu vel ſtationibus.

Sermones ſi qui lædentes alterius honorem fuêre, pro non dictis intelligi, nec bonæ famæ, multò minus fortunis alienis nocere debere. Quoniã verò in hac interna diſcordia articuli aeres, honorẽ gravantes, & conventibus ſuper concives laudati eſſent, omnes pro nullis, & eliminatis declaramus; ſalvis nihilominus laudis, quæ ad defenſionem Reipub. & in fundamento legis ſancita ſunt, quemadmodum & illa, quæ ſibi Palatinatus ſuum cõmodum, ſive in caſtris, ſive in conſuetis conſiliorum ſuorum locis formarunt; adjectâ cautelâ, quòd nullius honoris aggravationem continere debeant. Proinde ut impoſterum ab ejuſmodi læſivis ſcriptis, & tractationibus illuſtrium virorum caveatur; jura tam Regni, quàm M. D. Litv. contra calumniatores in futurum mediante omniũ Ordinum conſenſu reaſſumimus.

Vexilla Principis levis & haſtatæ militiæ, hybernis abjudicata, & honore ordinis imminuta, rurſus dignitati loci, & participationi hybernæ reſtituentur. Legio Principis ſub manuductione Campeſtris Notarij antecedentiæ prærogativâ cæteris antiſtet, Legionem Princeps vexillis pro ſuo arbitrio explent. Securitati officij Campeſtris Notarij, quemadmodum & ordini militiæ, debitoque loco legionis ejus poſt Duces exercitûs, Senatoresque, juxta cónſvetudinem Anteceſſorum ejus ab eo repertam præcavetur Portio hyemalis panis Notarium Campeſtrem concernens, & cenſus conſcriptionis ab exercitu retentus ad morem immediati Anteceſſoris ejus reducitur.

Eâ occaſione, ſecundante velut ipsâ fortunâ, ſaluberrima Reipublicæ vota, non jam intra honeſtum rationum certamen, ſed totius ferè Equeſtris Ordinis conſenſum, juſſaque ſtetêre: nam majoris, minorisque Poloniæ gentium Nuntij univerſi conſensêre; magna quoque pars Nuntiorum M. D. Litvaniæ

Litvaniæ ſalutarem pro Republica juvabat conatum, ut maximas quaſque in Republica poteſtates, triennalis adminiſtratio finiret. Excedere nunc quēque ſuum faſtigium, graviaque inde continuò in Rempub. damna, at quanto uſui eſſet? ſi quilibet, quod Conſul deliquiſſet, privatus extra contumaciam, & terrorem Reipublicæ, geſtæ provinciæ redderet rationem. Ita vitari poſſe mala ambitûs, & ex continua poteſtate metuendam ſæpe Reipub. privati civis arrogantiam. *A.C.* 1673

Obſtitit huic Pro-Cancellarius Regni repetitis antehac rationibus, eumque ſecuti Epiſcopus Cracovienſis, ambo ſigilli cuſtodes M. D. Litv. Magnus etiam Mareſchalcus ejusdem Ducatus, nullis ſe argumentis flecti poſſe aſſeverans, ut tantùm in triennium officia in Magno Ducatu Litvaniæ diſpenſari patiatur. His declarationibus rurſus quoque aſſeruit Pro-Cancellarius Regni ad ſententiam invitatus, ſibi perſvaderi non poſſe ut præbeat conſenſum ſuper triennalia Mareſchalcatûs, & ſigilli officia, præcipuè quæ ſpiritualibus evenirent, nullum enim videre ex eis, aut eorum munere atrox Reipub. periculum. At ſupremam regiminis militaris poteſtatem, & artileriæ Præfecturam ſagaciori dignam eſſe Reipub. conſideratione, proinde ſtandum in eo confœderationis articulo pium, ac dignum judicare. *Triennalia officia*

Quæſtio hæc rejecta eſt in adventum venientium Lovicio. Cùm verò Staniſlaus Lubomirſcius Subdapifer Regni (non ſunt montes ſine ventis, altas turres fulmina quatiunt, fulminat invidia, quos notat fama) jure advitalitio datum ſibi Mareſchalcatum Curiæ juxerando in Conclavi præſtito obfirmāſſet, & cum Principe Senatum ingreſſus eſſet, magnū ex eo ortum certamen, quod publicæ honeſtati, ſi in priſcam temporum gravitatem incidiſſet, magnum ruborem attuliſſet. Eo ardoris proiecti ſunt, ut Komarnicius Palatinatûs Sendomirienſis Nuntius, verſo ad Principem ſermone acriter ex libertate diceret: malè imperant, qui imperant tantùm præter vacuum Regis nomen, nihil habet, qui ſui ſtudioſus ſuorum curam non admittit ſubditorum, quæreretque an id ab Anteceſſoribus ſuis, an ex ſuo ingenio didiciſſet? quod nunquam adhuc Equeſtri Ordini eveniſſet, ut tam projectè inſtantis populi vota ſpernerentur. Proinde obnixè Mareſchalcum Equeſtrem petere, ut erga Principem valedictionis officio fungatur, qui ſalutem ſuam, qui conſervatoris Ordinis ſplendorem facilius poſtponeret, quam vitiis publicis aut libertatis hoſtibus iraſceretur, quandoquidem Rex animos ad indignationem commovet ſubditorum, quorum affectu ad imperium eſt ſublatus.

Tandem Rex declarationem dedit, curaturum ſe in omnibus punctis & clauſulis Confœderationem Regni manutenere, addidit Procancellarius nomine Regis, ſic natura, quæ pretioſa ſunt, aſperioribus involvit; roſam ſpinis, aurum rupibus, unionem conchis, ut non prohibeat invidia, ſed ut non det, niſi meritis; ſtatimq; Mareſchaleus Curiæ, cujus mitis genius, pius animus inter jocandum ita diſponens ſermones ſuos, ut & jocus levitatem non redoleat, & authoritas conſervata hilaritatis non minuat gratiam, ita ut ſit jucunditate gratus, & ſerius gravitate, cùm multa, quæ interdum viribus ſuperari non poſſunt, conficiuntur errore, ſi error eſt quo tueatur habens repoſiturum ſeſe Privilegium adjecit, & hoc ipſum intelligere ſe aſſeruit ſolitum eſſe, æquo animo perdere peritiorum eſt, præcavendo ſibi, quòd quemadmodum in præſentia totius Senatûs Privilegium accepiſſet, locumq; officij ſui occupaſſet, ita ſpectante totâ Repub: neq; culpante poſt hæc moderationem ſuam, proximo die lunæ, quamvis non immeritus accepiſſet, repoſiturū hono-

A.C. 1673 honorem. Id magnis laudibus gratiisq; acceptum. Crescebatq; inde apud populum major moderationis æstimatio, dum gratiæ semper propior, quam solio Principis verecundæ, nihilominus tanquam novæ potentiæ recentisq; felicitatis hospes ageret, jussum est à Collegio Nuntiorum per Mareschalcum Equestrem celebrari.

Tum Episcopus Cracovienſis erectus in toto Senatu Equestrem Ordinem precatus, daret hanc gratiam meritissimæ de Repub: Lubomirscorum Domui, ut modernus Mareschalcus Curiæ non affectu, non obsequio eminenti Majorum suorum virtuti in Rempubl: cedens, præsens officium advitalitio jure valeret administrare, cùm non indigeret, ut in causam suam vel instaret natalium felicitas, vel paternorum meritorũ memoria peroraret. At non rationibus non observantiâ, precibusq; Senatûs flecti poterant, cumq; infaustæ in regimen imprecationes, & acerrimum gliscceret certamen, vocato Princeps Procancellario decravit, nolle Majestatem reniti votis Equestris Ordinis, ideoq; velle manutenere Confœderationis articulum circa distributionem officiorum. Quare ad præsens Privilegium super dignitatem Mareschalcatûs Curiæ, nisi ad biennium tantum concessurum. Additurum nihilominus suffragium suum ad Conventus Palatinatuum, quo Mareschalcus præsens officio suo ad vitæ tempora frui possit, eo tamen concluſit Procancellarius, si quis dixerit, quod diligat DEum, & fratrem suum oderit, mendax est, qui enim non diligit fratrem suum quem videt, quomodo potest diligere DEum, quem non videt. Tunc primum conciliata animorum quies.

Faciebat post, verborum compendio usus, relationem Procancellarius Regni, quomodo illa pars, qui eâ die universi in arcem Viazdovienſem confluxerant, magnam in illa parte ad concordiam propensionẽ advertisset, eamque brevi in fama omnium fore, modò subire faciem Reipub: & sua velit consilia sociare, cùm juvare Rempubl: non tantùm animo, & voto, sed & consilio, & facto omnino velint.

Consilium Ducis.

5tâ Martij lectum est in facie Senatûs consilium bellicum supremi Exercituum Ducis, non tanquam rem novam scribentis, sed quod sentiebat ab initio. Initium modesta excusatio fecerat, quod in præteritis Comitiis infortunio Reipub: diremptis, ob adversam valetudinem interesse magnæ de bello deliberationi non potuisset, dedisse nihilominus consilium, & profectura in tantis periculis media, è quibus si vel unum publicus consensus approbasset, melius ad præsens paci consultum fuisset. At obstitére publicæ fortunæ, seu nostra vitia, sive implacabilia declinantis Reipub: fata. Sed hæc damnata jam temporis arbitrio felicitas ad præsens, an Reipub: expediat tam metuendi subire aleam belli? proprij est, ac singularis de salute sua Reipubl: judicij, si tamen bellum gerendum est, his instrui tantam Reipubl: necessitatem præsidiis oportere. Nimirùm tantum negotium à legatione inprimis ad Principes Christianos auspicari conduceret. Nam etsi tarda nonnullorum Principum videantur auxilia, nobis nihilominus profutura, quibus non unius anni, aut ætatis anceps labor incumbit. Conjunctio armorum eum Magno Duce Moschorum apprimè necessaria, quæ si mutuâ jurisjurandi firmetur religione, utriusque Principatûs populos tam bello offensivo, quàm defensivo conjunctis sibi viribus consulturos, posse eo ipso impelli Magnum Ducem, ut cum clarigatione ad Portam Ottomanicam mittat, simulq; alliciat, pertrahatq; Persarum Regem, ad salutare contra communem hostem fœderis Sacramentum. Augustum Christianitatis Cæsarem

ſarem promiſſis, precibusq; flectendum eſſe, ut in Ungaria contra Turcam bellum movere velit. Conſiderabilem illi motis rebus armorum facturus diverſionem. Doroſzenki animum placandum, conceſſo illi ad tempus Ukrainæ imperio, cæterosq; legionum præfectos jam ad obſequium Reipubl: pronos, ſummâ alliciendos benevolentia. Scythis, qui per ſummam proditionem dominia Reipub: deleruerunt, nunc notabili in Rempub: merito, regreſſum ad fortunas ſuas mereri volentibus, concedendam lege publicâ ſecuritatem. Coſaccis Zaporovienſibus mittendam ocius pecuniæ partem in Myoparones, & pannos in veſtitum, ad laceſſendum terrâ, mariq; hoſtem. Ad Caſmucenſes Scythas legatio, cæteraq; minora, nec ſine ingentibus ſumptibus cumulabuntur. Inter Scytharum Gentes procurandam omni conatu diſcordiam, quam Reipub: ſolertiam præſentem ſuadere opportunitatem. Cùm verâ vota ſint Moldavorum reliquorumque Chriſtianorum populorum, qui fatali, & tam acerba ſervitute cuperent aliquando liberari: monendos quàm ſeeretiſſimè Græci ritus populos Epiſcoporum operâ, exemplo D. Vladiſlai Regis, qui adverſus Turcas magno apparatu moliens bellum, eorundem Eccleſiaſticorum miniſterio, ac hue ſua ibi ſtabiliebat conſilia. Exſtare adhuc ejus effigies paſſim per templa Bulgariæ, Boſniæ, reliquaſq; Provincias ſparſas, lacrisque locis ob metum ſub titulo S. Georgij dicatas. Vidiſſe ſe ipſum non ſine veneratione florentis olim Reipub: glorioſiſſimi Principis ſacratos inter numina vultus. Iis proinde Reipub: neceſſitatibus applicari ſummam à Pontificia Majeſtate oblatam voveret, adhibitis ſubjectis ad ordinationem ejus capaciſſimis, ad diſpenſationem pecuniarum fideliſſimis. Verùm prolatas à ſe conſiderationes, ut tanti belli præparamentis adhiberi poſſe, ita integrum earum judicium Reipub: relinquere, neq; enim ſe ipſum tantùm externis credere auxilijs, ut non plus in domeſticis eſſe putet viribus reponendum, eas non niſi formato juſti Exercitus corpore haberi poſſe. Proinde à Provincijs Regni ſexaginta millium copias, ſtipendiis Reipubl: militaturas conduci expedire, quando ſub Chocimenſi Arce ære publico militantes copiæ, tam Regni, quam M. D. Litvaniæ triginta quinq; millium numerum exceſſerant. Princeps Vladiſlaus novem millia caſtris induxerat. Liſowſcio-rum quinq; millia adveneraut. Ruſſiæ cum Coſaccis, & ex ordinatione militantium copiæ quinquies dena millia excedebant. Inſuper Sigiſmundus Rex ſub Leopoli cum ultimo robore totius Equeſtris Ordinis, vaſto illo agmine, neceſſitatem caſumq; incertæ belli fortunæ operiebatur: agente Zamoyſcio eum aliquot millibus proprij militis primas ad Tarnopolim excubias. Et quod potiſſimum Ukrainam eâ tempeſtate nobis fidam fuiſſe, Camenecum, & Chocimum validas Præfecturas Rēpubl: ſuis præſidiis tenuiſſe, Tartaros in viliori potentia, Turcas adhuc minore multò circa res bellicas & militarem artem experientiâ egiſſe. Cauſæ verò, rationeſque, cur tam numeroſas vires Reſpubl: ad ſui defenſionem requirat in promptu haberi. Bellum enim tantis Reipub: viribus cum prævalido hoſte ducere, traherēve non niſi exhauſtæ Reipub: fatale eſſet. Nam ſi grandis Exercitûs retro inſtante hyeme, & in viſcera Reipub: reducendus eſſet, non modò Spiritualia, & Regalia, ſed terreſtria quoq; Bona in ultimam ruinam traherentur. Paucioribus autem copiis inſtrui vires Reipub: non poſſe ſine vano de proſpera totius belli fortuna augurio. Trifariam enim Exercitum dividi oporteret, una pars

A.C. 1673

A.C. 1673 ut Camenecum Podoliæ obsidione premat; altera in Moldavia, aut saltem ad ripas Borysthenis transitu hostiles arceat copias, reliquæ vires Tartarorum in Ukraina excursiones sistant, reprimantq;. Sed non minor respectus Leopolis, aliorumq; fortalitiorum, validis præsidiis adversùs impendentia obsidionis pericula firmandorũ. Huc etiã tempestivam cõmeatus curam referri, qui summam centum milliũ Leopoli provideri posset, ad litis ex Ordine Equestri Commissarijs, qui prædictas copias curâ Magistratûs cõemerent, rectéque, ac provide dispensarent. Quod autem ad formandum corpus Exercitûs attineret, & quali genere militiæ constare deberet, brevi id expedire consilio. Moris quippe esse apud præcipuas exterarum nationum gentes, duabus, aut tribus partibus pedestris militiæ, quartâ Equestri gerere bella nos diversa usus, & hostis docuit, cujus cùm tota sit in equite vis, incumbit Reipub. ut triginta millia equitum habeat, inter quos, sex saltem millia Hussarorum armet, triginta velitum turmas loricatus, & cũ missilibus reliqvus sit equitatus. Ad pedestrem militiam viginti quatuor legionibus equitantium sclopetariorum sex millibus instruat. Gravis armatura inter cætera necessitatis tanti belli requisita postrema non est, quæ centum tormenta, ad minimum triginta inter apparatum bellicum requireret. Nam tormẽtorũ & ignitarum artium inventores, cæteræque necessitates, quibus impensis singulis mensibus expediri vellent, Præfecti rei tormentariæ proprij sui officij gnari, facilè Rempub. informabunt. Militẽ ex mansis antiquo more, jureque deduci oporteret, ut tempestivè sine ullis exceptionibus in destinato compareat loco, cujus præsentia graviori armaturæ apprimè necessaria ad reparandos transitus, instruendos pontes, viarum impedimenta amolienda. Jam verò conducendi militis promptiorem methodum reperiri in arcto temporis compendio non posse, quàm per auctionem vexillorum, veterum legionum in obsequio Reipub. ad præsens manentium, quo modo ad viginti quatuor millia pedestris Exercitûs deveniret. Cùm ad præsens legiones non constent majoribus numeris, quàm semi-trecentis viris, quæ non modò duplô, sed triplô augeri possunt, adeoq; hâc ratione veteris stipendij copiæ ad triginta millia attollerentur. Reliqvus militaris delectus Palatinatuum arbitrio concedendus, prout ex cujusque usu, & ordo militiæ, & genus contributionis fuerit. Illud nihilominus justâ consideratione dignum, omittendum esse non putavi, ut remoti longius Palatinatus à Silesiæ, Pomeraniæ, Prussiæ, limitibus, pedestria agmina non conducant, nã illud esset extra omnem possibilitatem, in tam stricto tempore, ex duro, & pervicaci Rutheno, aut ignavissimo armis Masuro, Germanum formare militem. Cùm omnes pedestres cohortes ad morem Theutonicæ, non Hungaricæ disciplinæ optet instruendas. Præfecti verò turmarum, legionum, omnesque Officiales non nisi ex commendatione nostra admittantur, rei militaris periti, non quos respectus, & popularis favor obtruserit. Cùm verò juxta antiqvum militare scitum, nec Exercitus sine stipendijs, nec stipendia sine tributis parari possint, contributiones in auctionalem triginta millium Exercitûs peti deberent ex accisis, Capitali civium censu, argenteárum officinarum fructu, Telono per universum Regnum constituendo, vel quidquid non dissonum antiquæ praxi, & statui suo Respub. inveniret. Quandoquidem autem omnia hæc contributionum genera serotina & intempestiva, solida cujusque rationis solertia advertat; proindè veteri Exercitui applicanda censeret, faciliùs enim esse, prout fertur ad paratam lignorum struem ignem adjicere. Posse etiam reperiri, accedente Thesaurarij Regni curâ, qui paratas summas in fidem publicam prænumerent. Postremò supellectilem Regni, & elenodiorum partem divendendam potiùs sese svadere, quàm oppi-

Qualis exercitus necessarius.

Contributiones

opplgnorandam manifestâ utilitate perſpectâ, quod magna pars in Regno & manere, & divendi poſſet, ſi res juſtô pretiô taxatæ ſub haſtam mitterentur. Oppignoratas magnitudo uſurarum corroderet, conſumeretque. In ſupplementum ſupremi Reipub. ſubſidij Magnificos M. D. Litv. incolas ex amore Patriæ, & vinculo unionis ſeorſim conſtituiſſe tributa, dum inſuper communibus motûs copijs ad ſpeciale tenentur erga Rempub. ſubſidium charitatis. At Eccleſiaſticum Ordinem moleſtiâ non gravando notabilê in eorum bonis conſiderando ruinam, id tamen de eorum zelo in Patriam ſeſe piè credere, alacri eos animo, moderatô quamvis ſubſidiô defenſioni publicæ ſubventuros, potiſſimum verò illos, quos amplior fortuna liberalitatis in Patriam, officij in Rempub. monet. Tanto itaque exercitu, his ad bellum præparamentis inſtructus, quilibet Strategus ſubire tutò poterit, ſalvâ gloriâ nominis ſui militare imperium. *A.C.* 1673

Poſt lectum hoc ſemotis arbitris votum, omnis vis conſilij ad præſentiam tantæ prudentiæ Ducis, quæ cunctorum animos juſtâ admiratione moverat, dilata eſt, multi affirmabant, quòd ſi Pythagoram audire vellemo putari poſſet omnes animas fortium Heroum, & Patriæ amantium in noſtro Duce eſſe renatas, alij deprædicabant nihil in eo virtutis non reperies, quod in magno Duce deſideres, dum verò hæc legebantur, omnes ita ſtupebant, atque adeo ab illo ſenſu dependebat, quaſi illa narrantis conjunx pendet ab ore viri, parum eſſet ſi Sybillam putarent, aut aliquam Apollinis vatem, cui omnia, ſi veteribus crederemus, cognita erant, ſperabant alij, quòd addere fortè præſens poterit, quod videbatur abſenti augere difficile eſſe. Sequens biduum Provinciarum ſeſſionibus inſumpum, quas Reſpub. in materia bellici conſilij aſſignavit ad faciliorem adinventionem proportionis tributorum, quæ ſexaginta millium formando Exercitui ſufficerent. Difficultati, & diſceptationi circa ordinationem Zamoiſcianam debitâ Princeps obviam ivit facilitate, donando ſuam ſortem Reipub. rurſumque Rempub. ad par beneficium Zamoiſcijs præſtandum invitando, dummodo Koniecpolſcius Palatinides Sendomirienſis de ſua quoque ſorte liberaliter vellet condeſcendere. Viazdoviæ interim Generalis circulus celebrabatur, cui adeſſe volentes, Epiſcopus Præmisllenſis, & Palatinus Vitebſcenſis ex Senatu diſceſſêre, ſpe factâ Reipub. non ultra ordinationis Zamoiſciorum prætenſionem, aut præconcepta ex diuturna diffidentia odia deſideratam civium præſentiam, negotia Reipub. moraturam, dum quiſque vocatus per timorem, juſtificaretur per amorem, quin ſupremus Exercituum Dux cum cæteris Magnatibus conſilio bellico ſeſe ſiſtat, vaneſcente paulatim diſcordiâ & coaleſcentibus civium animis, & ſicut ante livor omnia confuderat, ſimultates, & flagrantes exitij faſces, odia, & quidquid malorum, ita nunc ceſſare vidimus hanc exitialem tempeſtatem. At in Senatu urgente Pro-Cancellario Regni ſubſcriptionem inſtrumenti Pacificationis, reclamavit judex Wieluenſis authoritatis Reipub. aſſertor Immodicus ratificationl, donec priùs concluſa publicarentur, & per oblatam, ad proximum caſtrum à Mareſchaleo Equeſtri offerrentur. Solertiores Procerum impedire id exquiſitis rationibus conabantur, ſed infractus in eo Equeſtris Ordinis zelus pervicit, qui oculos, & animum ibi transferebat, ut ad eorundem lectionem condeſcendere neceſſe fuerit. Ergo poſtquam deventum eſſet ad illa formalia, ceſſante autem ab intra confœderatione (excepto puncto in eodem conventu circa officia Regni) ſalvâ per omnia ab extra remanente, fervor, & fremitus, & quidam ingenti zelo eò uſque provecti ſunt, ut protulerint: malle ſe irritum videre mediationis actum, quàm patl mutationem puncti de Magiſtratibus nonniſi ad biennium prorogandis, & permittere eos creſce-

A.C.1673 re per injuriam. Cum id non modo ſacrum confœderationis votum ſit, ſed quisque Nuntiorum inſtructione ſibi à fratribus commiſsâ fidem obligatâ habeat, ad promovendum tam ſalutare depreſſæ per exundantem civium ambitum Reipub. negotium. Magnis ea res agitata controverſijs, tandem ſibi ipſi mutuis contradictionibus Nuntij obſtantes, quæ res ſemper honeſtiſſimis quibuſque Equeſtris Ordinis offecit officietque conatibus, rem in incerto reliquêre, & quaſi fato quodam evenit, ut cum magnificum aliquid ſeſe effeciſſe arbitrarentur, magnum nihil præſtitêre, quæ relevant fortaſſe dolorem, non tamen tollunt.

14tâ Martij Magnus Regni Mareſchalcus magno comitatu ſuffultus ſalutato, an viſo tantùm Principe (Potentiorum injuriæ hilari vultu, non tantùm patienter ſunt ferendæ, facient iterum ſi ſe feciſſe crediderint) Statim diſceſſit ad Reginalem Mtem, ubi plus datum eſt obſervantiæ, & officij, regreſſus Principem ad Senatum ſublato reduxit ſcipione. Ad ejus itaq; inſtantiam conceſſum eſt jus perorandi Legatis Exercitûs Regni. Inſtructio eorum atrocem adverſus calumniatores acerbitatem, quaſi ex dolore in furorem verterentur declarantes, pereundum potiùs, quam ſubeundum; inſignes poſt Ducis ſui laudes continebat. Sed potiſſimum petebant à Repub. ut non Palatinatus, Terræq;, verum Theſaurus Regni uſitato ſemper, ac ſalubri more eruentis eorum ſtipendiis provideret, urgebantq;, ut Notarius Quartæ ob incuriam officio privaretur, addentes, quòd firmanda eſt Reſpub: non animis modò, neq; adverſus hoſtes, ſed quòd multò majus, multóque aſperius eſt bonis pacis artibus, unde apparebat pax in nominibus, bellum in rebus, eratne timendũ? Ergo Procancellarius Regni nomine Principis magnis encomiis Ducum providentiam, militumq; audaciam, & fortitudinem extollebat, admittenda quædam mala minora, ut propellantur majora, idemq; illis honor à Senatu & Equeſtri Ordine exhibitus, non modò ſecuros, ſed inpoſterum ſibi magis fidentes reddidit. Inſumpti deinde pauci dies tractando per Deputatos à Repub: ad Magnum Exercituum Ducem conſilio bellico. In Senatu circa tributorum genus multiplex differentia, cum paſſim ab ingeniolis multæ ſpecies obtruderentur horreſcente ſingulas publicâ egeſtate. Nuntij quoq; M. D. Litvaniæ intempeſtivo conatu, ut ex tertia indictione alternatæ ſervando inpoſterum jure Comitia Regni in illorum Ducatu celebrarentur, conſilia Reipub: graviter turbabant, aſſerendo: tertiæ libi vocis poſt Regnicolas jus in Repub: deberi, cur & Comitiis expediendis locus negaretur? monſtrabant, & veterem ſtatui legem de æqualibus commodis, & æquali onere perferendo. Sed magis eorum flagrantior æſtus ad privati affectûs magnitudinem, ad unius pauciorumq; commoda, vulnera ipsâ curatione recrudeſcerent, ſi præcipitantior eſſet. Nam Cancellarius Litvaniæ modò Arendatorio Oeconomiam Grodnenſem tenens ingentes ex Comitiis fructus, & utilitates ſpe devoraverat.

Aliquot poſt dies Epiſcopus Cracovienſis relationem tractatûs in conſilio bellico iniri faciebat. Itaq; orſus à laude, & approbatione ſententiæ Supremi Exercituum Ducis, qui tam immani hoſti, & infenſo bello nonniſi ſexaginta millibus ſtipendiarij militis exercitu occurrendũ eſſe cenſuerat. Triginta porrò millia copiarum ſine negotio Reipub: contingere poſſe, per auctionem nimirum duodecim millium antiquarum Reipub: copiarum, illiuſq; militis ad tria millia exundantis, qui ad ſolam Reipub: aſſecurationem à ſummis in Exercitu nominibus aleretur, qui trigin-

triginta millium Exercitûs mediam partem Pedeſtris, alteram Equeſtris militiæ contineret, quæ ad minimum ſex millibus Huſſarorum robore firmaretur. Hanc autem Exercitûs, partem minoribus impenſis ex informatione Theſaurarij Regni, & prolatis militaribus Regeſtris haberi non poſſe, niſi novem millionum erogatione. Jam altera medietas ter denorum millium Exercitus ex delectibus à Palatinatibus paranda eſſet, ita ut Dominus fundi ex viginti domibus proprio ſumptu bene armatũ militem, alterum ſubditi ſuis impenſis ſtatuant, allegavit exemplum quod Pompejus annonam providens fameſcenti Romæ, cùm mare inſaniens non permitteret ſolvere navem, reſolutè imperavit: Navigare neceſſe eſt, nobis vivere non eſt neceſſe. At ne vis conſilij expers, mole ruat ſuâ, firmari latus Principis digniſſimis ex Equeſtri Ordine Reſidentibus debere, Ducibus quoq; Conſiliarios à Repub: juxta antiquas leges, & inſtituta majorum addendos eſſe. Acta porrò Conſilij bellici, cum non typis mandari, non vulgari expediat, privato tantum ſcripto mandabuntur, quod ſubſcriptum primi Senatoris, & Mareſchalci Equeſtris manu in archivum Regni deponetur. Factâ igitur declaratione, poſtremò Rẽpub: cohortatus eſt, ut auſpicato conſiliorum operi felicem imponeret coronidem, fugiunt enim freno non remorante dies, abierunt prima dein alia, atq; alia, quæ tum deniq; computamus, & damnum querimur cùm abierunt. At incipiamus tantùm æſtimare tempus, & eo uti, cujus unius honeſta avaritia eſt, ut accelerent dare ſuper tributa per Ordinem Palatinatuum declarationes, eoq; potiſſima pars Nuntiorum propendebat, cùm Procancellarius à throno Principis magnis laudibus virtutes Mareſchalci Equeſtris attollens Reipub: recommendavit, ut tantis pro Repub: meritis centum & quinquies dena millia ex ſumma pro Clenodiis accepta in præmium cederent, eamq; illi gratiam publico firmaret ſancito. Ergo cæteri ſpirantibus occaſionis etheſiis, ad privatos verſi favores, plenis velis in ſumma Magni Exercituum Ducis encomia provecti, ejus pro Republ: labores, ingenti fortitudine lucratas victorias, uti omnibus gloriæ palmam bellica virtute præripuiſſe, ita & præmiorum neceſſitatem ſibi ante alios jure merito vindicaſſe, proinde aut nullius virtus præmiis honoranda, aut ipſius clariſſima in Patriam merita primô apud Rempub: gratitudinis titulô eſſe illuſtranda. Tum alij alios ex utilitate, & affectu Reipublicæ commendabant. Generoſiſſimi quiq; Nuntiorum agendas Epiſcopo Cracovienſi gratias cenlebant, quod propriis ſumptibus conducto milite Rempubl: juvaret, ac in pari cum multis Civibus potentia, ſingulari amore in Rempub: certaret. Cùmq; gliſcerent privatæ recommendationes adeoq; nimiæ largitiones publicæ obſtarent liberalitati: Mareſchalcus Equeſtris conqueſtus ſuper iniquam ſortem ſuam, quod ejus animus in Rempub: merita, in Patriam invidiâ, & immerito livore gravarentur. Declarationes Palatinatuum urgebat, quas tardare rurſum privatâ cupiditate Nuntij M. D. Litvaniæ conabantur, niſi facultas promovendorum deſideriorum ad eorum declarationes conceſſa rejectáve fuiſſet. Itaq; poſtero die Palatinatus, amore erga Remp: ingentia in ſe ferebant tributa, niſi quòd Palatinatus Majoris Poloniæ ita ſe exhauſtos atroci hybernorũ onere querebantur, ut pro affectu ſuo juvare Rempub: non poſſe iteratis declarationibo teſtarentur. Ubi ad Magnũ D. L. ventũ, ſtatim erupit ex privatæ utilitatis ſentina, indigna publicorum conſiliorum remora; agebant hi ut omni dignitate poteſtateq; Sanatus ſublatam ipſi plenam pro ſua libi-

A.C. 1673

Auctio exercitûs.

Variorum laudes.

A.C. 1673 dine omnia agendi poteſtatem haberent, rerumque poteſtas ad peſſimos quoſdam homines devolveretur.

24. Febr: Magnus Litvaniæ Ducatus invincibili evicit pertinaciâ, ut In Litvania celebrari Comitia permitterentur, & quamvis Epiſcopus Cracovienſis, & Culmenſis inutili voto obſtarent, juvit eorum conatum arte magis, quàm ex uſu Reipub: Mareſchalcus Equeſtris, qui ſuper eo negotio tanquam Nuntios M. D. Litvaniæ ad favorabiles declarationes invitaret, promiſcuè Conſtitutionem legit. Expletâ ambitione, & amotis impedimentis, leniter declarationes Palatinatuum circa tributa expediebantur, jamq; capitalis Civium cenſus à Nuntiis Regni approbatus, in theſaurum inferendus deſtinabatur, ex nunc auctioni Exercitûs applicandus, & quoniam ſine avulſis Provinciis duos milliones, & aliquot centena millia importaret, ſufficeretq; in trimeſtre novi, & veteris delectûs copiis. Generales interim acciſæ, Telonia, & alia Daciæ currerent. Ex divenditis quoq; ſupellectili, & clenodiis Regni, auctio ærarij ad tres milliones ſperabatur. At Regni Procancellarius diuturnam fortè prævidens tanti belli tempeſtatem, nec faciliùs ad priſcam libertatem, poſitis privatis affectibus, vile hucuſq; decus publicum, non niſi modeſtiâ, & amore parendi tum continuâ periculorum, belliq; meditatione in Repub: reduci poſſe, illuſtri ſententiâ perpetuum bellicum conſilium ſuadebat, quo Principis prudentia fulciretur, gravibuſq; Imperij curis tempore belli moderaretur, tantaq; poteſtas conſulendi, agendiq; à conſiliis Magiſtratui eſſet, quanta olim Dictatorij faſces potentiâ inſtruebantur. Ea vox Epiſcopum Chelmenſem, qui verebatur omnia, imaginabatur omnia, quæque natura metuentium eſt, adeo offendit, ut ſtatim & acerrimè contra diſſereret, argueretq; conſilium, quòd publicam libertatem perverteret, & novi ſtatûs abſoluti Dominij non ſine excidio, & miſero Civium ſangvine cruenta ſemina jaceret. Igitur prorupêre ad inſeſta, & parabantur utrinq; graves contumeliæ, inter magnos Cives ſemper bono publico exitioſæ, ni Epiſcopi Cracovienſis videntis, quòd nihil proficeret bonus pro Patria ſenſus, authoritate præciſæ fuiſſent. Epiſcopus Culmenſis dum conſervationi imperij ſtudet, ſtatus fortè Reipub: haud diu duraturi non æquo meminerat, quod apud Chelmenſem de præſentibus, quàm de futuris rebus magis ſolicitum, minus probabatur, quando in omni ſtatu res, quæ converterentur, in deterius mutari, & ex cunctis novitatibus inſolentes ſemper in Reſpub: provenire calamitates, ſed primi animus fortis quæcunque voluit impetravit ſibi.

Magni Ducatûs Litvaniæ Nuntij ad ſuas iterum contradictiones verſi, non modò extraordinaria, ſed ſolita Reip: in ſuis declarationibus denegabant ſubſidia, niſi illis non modò Comitia, verùm etiâ in Comitiis Ducatûs eorũ ſigilli cuſtodibus exercendi Magiſtratûs prærogativa concederetur. Sed ubi eorum pervicaciâ, non Reip: amore non rationũ dexteritate frangi potuit, conſurgens Epiſcopus Cracov: precibus Procancellariũ cæteroſque flectebat, ne ob eorum repugnantiam tanti Ducatûs ſubſidiis Reſpubl. fruſtraretur. Procancellarius itaque Regni ne contradictione ſuâ Reipub. vires imminueret, aut manifeſto aſſenſu diſordini ſubſcriberet, è Senatu diſceſſit. Nimia, & inhoneſta ſtudia arguens, quæ quia contra dignitatem Reip. eſſent, in ſuam quoque contumeliam pararentur dum per oppreſſionem priſcorum inſtitutorum, circa prærogativas Magiſtratuum Regni exprimerentur. Litvani importunâ inſtantiâ quidquid expreſsêre

pro

pro gratia reputantes, neſcij ab invitis beneficium non dari, duodecim mil- *A.C.* 1673
lia Exercitûs cum ammunitione, & integro bellico apparatu in annum Reipub. conceſsêre, præter ſex legiones, quas ſecuritatis limitum ſuorũ causâ retinerent. Alta nox jam dimidium ſui egreſſa erat, & reſurgentis Domini triumphalis hora venerationis, lætitiæque admonebat, cum tædio curarum feſſi Nuntij, prolongationem Comitiorum nullatenus ultra admittere vellent, mallentque nimio periclitari labore, quàm tædioſâ trahi, & langveſcere morâ. Sed poſtquam Epiſcopus Cracovienſis demonſtravit, quòd anguſtiæ temporis tantorum Reipub. negotiorum debitam, concluſionem non admitterent, ipſaque Religio & Divinæ Mtis, zeloſa olim in Sarmatarum pectoribus veneratio dignam à laboribus requiem poſtularet, pietas, & ratio valuit, itumque in ſententias, quibus prolongatio concedebatur. Igitur Comitiorum dies à throno Principis ad 5tam April. rejecta. Attamẽ Princeps omnem conſiliorum moram expediendo Scythico Legato audientiam conceſſit, & donativum nomine Reipub. firmandæ amicitiæ promiſit; *Primas infirmatur*
infirmitas interim Primatis augebatur in dies, ad quẽ Rex, & aulici crebro mittebant, ſive cura, ſive inquiſitio erat, quid ageretur, nemo horum eum dilexit, neque enim natura fert, ut eos amemus, à quibus patimur mala, qui quondam alium ſe mirabatur in ore adulantium, quàm nunc reperiſſet in ſinu proprio, qui intimus eſt. Tumebat prius animus opinione gaudens, mox & ſimulationis umbram virtutis effictæ ſimulacra amavit, & ideo fortunatus erat, ut è felicitate vires colligeret audacia, tantumque ageret, quantùm licentia perſvaſit ſibi fortunæque, niſi aſſvetudine delinquendi contumax animus ſua dedecora adamaſſet. Creſcit excuſatio piaculis, & mens inflagitia præceps præſtò habet commenta, quaſi excubias criminum, & cuſtodia m ſcelerati moris. Tandem ad fatalem ortûs ſui feſtinans periodũ, nec jam de vita, ſed fama & judicio poſteritatis ſollicitus, ſupremæ voluntatis teſtatorias literas conſignavit, in quibus teſtem DEUM invocabat, quòd quidquid anteactis temporibus, & ſub imperio præſentis Principis attentaſſet, non alio fine, niſi libertatis amore feciſſet, ut leges, & glorioſa Majorum inſtituta, quæ priſcam rectitudinis orbitam effugiſſent ad ſalutarem ſtatũ reducerentur, moritur, mortuũ nulli jactantiõ mœrebant, quàm qui maximè lætabantur, nam inter eximias ejus virtutes non mediocres defectus obſervabant. Magnus Mareſchalcus nihil in Primate amavit, præter hominẽ, & rurſus deſpexit nihil præter vitia, & ſi hæc in purpura nutrirentur, atque ideo ſpecioſa incederent.

Magnis deinde inſtantijs, & ferventibus vocibus actum à Nuntijs, ne Reſpub. judicium proditionis Cameneci fatali circa ſuam ſecuritatem ignaviâ moraretur, tunc primum deciſum, ut in futuris Regni Comitijs non diſpari proceſſu ob traditum olim Moſco Smolenſcum præſens cauſa judicaretur. Diploma ſub Golembio Reipub. datum ſemotis arbitris lectum eſt. In rationibus quoque bellicis non ingrata Reipub. circumſpectio, quippè ſcriptum bellici conſilij in Archivum Regni inferendum, non modò circumfuſæ ad quæque conſilia multitudini, ſed ne ipſis quidem concreditum Nuntijs. Selectis è tota Repub. viris, dum quaterni è Senatu, totidem ex ſingulis Gentibus Equeſtres Deputati aſſignantur, in quorum præſentia, & paucitate legeretur. Prolongatio poſt hæc magnis agitata controverſijs, ægrè ad ſequentem conceſſa diem. Sub eodem etiam ſole inquiſitio de Zodrinſcio apud Magnum Litvaniæ Mareſchalcum, ob abſentiam Mareſchalci Curiæ criminaliter acta eſt. Sequenti luce ex ſeorſiva deputatione, cui & ſupremus militiæ Dux aſſidebat, deſideria Exercitûs dignam retulêre ſatisfactionem. At In Senatu conſtitutiones circa minora imperij promiſcuo facilique conſenſu ferebantur.

Tan-

A.C. 1673 Tandem 12 Aprilis Mareschalcus Equestris Ordinis proposuit, an prætoriæ Principis cohortes in numero Exercitus Regni habendæ? earumque stipendio à Palatinatibus providendũ? Disputatum bis ternis horis magnis super eo negotio disceptationibus, sed maximè obstabant Cracovienses, Sendomirienses, Masovienses Palatinatûs Nuntij, qui id sanciri sine fratrum suorum consensu pati non possent. Juvit eorum contradictionem Episcopus Cracovienses, qui discedens è Senatu protestatus est coram Mareschalco Equestri, id sibi quoque displicere. Princeps acceptâ relatione, quamvis multi obsequio in Principem certantes Nuntij acclamarent, nullam ejusmodi manifestationi vim inesse, quæ privatim non in facie Reipub: facta esset, declarationem à throno dedit; nolle se non modò de jure tanti Senatoris, verùm & de authoritate quidquam detrahere, proinde in quantum de protestatione non condescensum fuerit, remittere id se non gravatim ad conventus relationis. Tum lectæ constitutiones, quibus permittebatur nobilitatis prærogativa, vile jam, & promiscuum donum, quod non sangvine, aut ingentibus in Rempub. meritis, sed potentiorum recommendatione, & pecuniâ, abjecta fœdaq; etiam mancipia assequebantur; At Mareschalcus Equestris, dedecus Reipub. & infamiam omnia volentis, audentisque in Repub: privatorum potentiæ leniendo palàm professus est, nemini id diffidentium concedendum privilegium, nisi qui reali documento sese Orthodoxæ Religionis civem probaverit.

Cohortes Regia.

Nobilitatis Privilegiũ.

Tandem salutante lucubratos labores præsentis diei luce, assignatis tam ex Senatu, quàm Equestri Ordine, magno numero ad latus Principis Residentibus, Mareschalcus Tribunitius nomine Equestris Ordinis tersâ oratione Principi fausta precatus, valedixit. Princeps à throno pari usus erga populum benevolentiâ, id quoque adjicere jussit, in causa gravis necessitatis servato alterno jure, circa tribunitiæ potestatis regimen Majoris Poloniæ, Comitia biseptimanalia Varsaviæ, sine derogatione jurium de Comitijs Ordinarijs, Regni Ordinibus se indulturum. Periculosa Reipub. tempora, & necessitas in occasionem abbreviandorum consiliorum trahebantur: sed solennitates ordinariorum Regni Comitiorum justum subdiderant metum, ex quibus ambitiosa pessimorum Civium potentia, velut mensuram modúmque suæ licentiæ formare assuevisset, quid cuique, aut quantum in Rempub. liceret, in biseptimanalibus Comitijs non tam latus, lætusq; malignitati campus, & quamvis impio deteriorum conatu sine eventu trahi consilia contingeret, ex prolongatione tamen consilijs, rebusque subsidium dari posset. Revixit Polonia, respiravit libertas in duris tunc ferreisque quia bellicis Polonorum pectoribus, postquam contigit tam vastâ, & tam sanctâ mente animari, cùm eum exitum Comitia Trimestria, & quindecendialia habuêre, quæ si ad initia referas ob metum factionum, & versâ Campestribus sub Lublino Comitijs Repub. magni Consilij titulo vocabantur, cum promere quidem cuique sensus suos pro Repub. ut olim liceret, indecora in consilijs controvertendi garrulitas, aut ob malitiam, superbiamque disturbandorum Comitiorum licentia magnâ severitate legum, præsenti pœnâ vetaretur. Eo subsidio firmata Respub. consilijs suis robur dedit, eoque adegit dissonos (febri fuit quondam dicatum fanum, ne quod sibi, ut putabant numen paterentur adversarium) ut de suprema arte, cujus omnem vim in turbandis Reipub. consilijs posuerant, penitus desperarent. Hinc militaris illius considerationis plausibilis promulgatio, omnia se Reipub. solius amore, & antiquæ libertatis asserendæ causa tentare. Eædem in tractatu concordiæ declarationes, & nihil postea tam sonans in auribus civium, externorumque quàm palliata Reipub. reverentia, & libertatis amor: erubescunt

Mareschalcus valedicit Regi.

ſcunt cum populo peccare, quos ſupra populares felicitas evexit, quaſi dicerent humile eſt trita, ac vulgari viâ præcipitare ſe in vitia, & ita eruta eſt de ſpinis roſa, de terra aurum, de concha margarita, hoc eſt unio animorum. *A.C.* 1673

Fatis igitur, propitioq; numini tribuendum, aut ſi quod humanæ operæ concedendum ſit, omnis laudis ſummæ moderationi, & rariori prudentiæ M. Regni Mareſchalci (meretur titulos, in quos evectus eſt) adſcribenda eſt, quòd Reſpubl. priſcâ libertate gaudeat, Sarmatæ intaminatam civium belli rabie ſalutem, poſt ſuprema pericula retinuerint, & tum demum aſpexit manus ſuas natura, ſeque ipſam, & vires ſuas de Duce hoc interrogavit, fultque illi difficillimum de tanto ſibi opere reſpondere. Oblita enim jam fuerat ſe tales parere poſſe, quod poſt multa retrò ſæcula nullum ſibi ſimilem genuiſſet, & poſt ſe forte nullum. Ut qui omnibus ante clariſſimis in Polonia militiæ Ducibus, rariſſimo hoc præmiorum cum meritis nexu, & fortunâ, à partibus virtutis ſtantis exemplo, inacceſſis & altior exiſtit, ita poſt futuris, nec ſaltem æmulationis gloriam relinquit. Tanta ei innata authoritas ut etiam ab hoſte colatur &c.

SENSUS JOANNIS SOBIESKI MARESCHALCI REGNI, ET SUPREMI DUCIS EXERCITUUM, IN CONSILIO BELLICO DATUS. 5. Maji.

PRO Comitijs, infeliciter anno elapſo ruptis, per valetudinem venire non valens; votum meum Leopoli miſeram, in quo tres propoſui modos, quibus agendum eſſet Regiæ Majeſtati, & Reipub: in caſu belli Turcici, qui ſi acceptati fuiſſent, eventus ipſe probâſſet, aliquo ſaltem eorum ſalvari potuiſſe Rempubl: Nunc cramben non repeto, nec ratiocinari volo, an expediat, ſic ſtantibus rebus, aggredi bellũ, nec ne, cum tam potente hoſte? decidat id, & diſponat de fatis ſuis Reſpub: ſi tamen pro bello determinatio facta fuerit, hæc tria ad tantum negotium omninò ſunt neceſſaria.

Subſidia petenda.

Imo Expediendi ad Principes Chriſtianos pro ſubſidiis, viri digni, & in experientia rerum gerendarum probati; & licet quædam ſubſidia, viſa fuerint ſera, nobis tamen aliquando valebunt, cùm bellum hoc, non ſit unius momenti, aut anni labor.

Conjunctio cum Czaro.

Deinde Czari Moſchoviæ conjunctio, & ſubſidia habeantur, per conjurationem mutuæ colligationis belli tam offenſivi, quàm defenſivi; præterea ut ex nunc Czarus ad Portam expediat cum clarigatione belli, ſimiliter ad Regem Perſarum, invocando eum, & obligando ad hanc colligationem, contra communem hoſtem, inire tamen cum eis quæpiam compromiſſa, non opto; aliàs eſſet irreparabilis error, dicere: Non putâram, cùm toties jam ſeducti ſimus hujusmodi promiſſionibus, & juramentis.

Cum Rege Perſarum.

Imperator quoq; eodem protrahendus, ut per diverſionem ab Ungaria aliquid nobiſcum agere incipiat, cum eoq;, uti & cum Czaro firmanda mutuæ defenſionis ſecuritas.

Cum Imperatore.

Cum Doroſzenko agendum, concedendaq; ei ad tempus Ucraina, ut à Porta retrahatur: Idem faciendum cum aliis Chiliarchis (Pułkownikami) Ucrainenſibus, qui id ſponte ſe velle, ſignificârunt, ut conſtat ex certa notitia.

Doroſzenko Ucraina concedenda

Tartaris, qui perduelles à nobis defecerunt, promittunt ſe tamen notabi-

Tartarii ſecuritas.

A.C.1673 notabile præstituros obsequium, dummodo de securitate certificentur, hæc lege publicâ, providenda.

In Zaporoviam expeditio. In Zaporoviam quantocius facienda expeditio, mittendaq; pecunia pro lintribus, & pannus pro vestibus, ut mari terrâq; fiat hosti diversio, ibidem haberi continuum opto Residentem, qualem habuit Czarus nomine Kossow.

Ad Calmucos. Ad Calmucos expediendus jam gnarus Kowalewski, trahendo eos ad conjunctionem cum Zaporovienſibus, ut jam non semel practicatum & aliquid certi cum eis statuendum, promittendo eis extradendam, in Zaporovia promissam summam. Czaro hoc in puncto fidendum non est; Calmuci enim pro parte illius bellare non solent, nisi ab eo conducti.

Scissio inter Tartaros procuranda. Inter Tartaros procuranda scissio, pro quo nunc est commoda occasio, ob faventes nobis Valachos, alioſq; Christianos, qui expectant à nobis liberationem ex servitute gentilium, præcautione illis quàm secretissimè datâ de hac nostra intētione, ut sint pro casu necessitatis parati; id verò fieri poterit per Episcopos latinæ Ecclesiæ, per quos etiam Vladislaus, pro hoc bello faciens expeditionem; sua ibi stabiliebat consilia; hactenusq; extant in Ecclesiis imagines, in terris Serpscensi, Bulgarensi & Bosnensi sub nomine S. Georgij, quas ipse vidi peragrans illas regiones, imò domi meæ bis fuerunt ijdem Episcopi, qui sub s. m: Joanne Casimiro, cum declaratione suorum obsequiorum, venerant. Pro his optarem adhibendam esse pecuniam oblatam à Summo Pontifice; electis ad dispositione ejus subjectis quàm capacissimis, & fidelissimis.

Exercitus instruendo Quia verò hæc omnia specificata consilia, sunt non nisi ad melius esse, possuntq; non succedere: ideo ex nobis ipsis est parandum robur, quod esse debet ex bene instructo, aptoq; ad bellicas actiones Exercitu. Ad tantum itaq; bellum, habenda sunt saltem 60000 bene stipendiis provisi exercitus. Siquidem sub Chocimo stipendiarij Exercitus, fuerunt plura, quàm 30000 & ut ex antiquis computationibus informamur; ex Regno simul & ex Litvania numerabantur, stipendiarij exercitus 35000 cum Principe Regio Vladislao, vexilla 93. Lissovianorum 5000. Præterea, Ducum Russiæ, & Ordinatorum, Colaccorum Zaporovienſium numerabantur 50000. Insuper Sigismundus Rex sub Leopoli fuit cum toto communi motu, in primis verò vigiliis Thomas Zamoyski sub Tarnopoli, cum aliquot millibus proprij militis; & tamen tum Ucraina fuit nostra, uti & Podolia, Camenecum, Chocimum; Tartarorum non erat tanta multitudo, nec Turcarū tanta bellicarum actionū experientia. Rationes autem, ob quas tam numerosus, contra tantam hostis potentiam Exercitus est necessarius, sunt hæ potissimum:

Primò quisque minor Palatinatus bellare nequit, nisi defensivè, nobis verò defensivum gerere bellum, ultima ruina foret & perditio: si enim retro in Poloniam redeundum esset, non tantùm Spiritualia & Regalia, verùm etiam terrestria bona vix sufficerent.

Deinde, Exercitus trifariam ad minimum est partiendus: ut unica pars Camenecum oppugnet; Altera in Valachia, aut saltem à Tyra, transitum hostibus impediat; tertia, ut reprimat Tartaros ab Ucraina: Habendus præterea respectus Leopolis, aliorumq; fortalitiorum præsidiis muniendum.

Quibus hominibus, ut tempestivè provideatur commeatus, ad minimum 100000 ad eum conferibendum & coemendum exnunc numerari de-

ri deberent. Locum verò pro hoc commeatu, aptiſſimum eſſe judico, Le- *A.C. 1673*
polim, additis ex Ordine Equeſtri Cõmiſſarijs, qui cũ inſpectione Magiſtratûs coemant, & diſpenſent; Poterit enim inter ſtipendia illis computari hominibus, quidquid ex victualibus impenſum fuerit pro cujuſvis neceſſitate:

Delectus militum.

Modus exercitum hunc authorandi & computandi, hic eſſe poteſt: In exteris conſvetudo tenet, ut in bellis duas, imò tres partes habeant peditatus, tertiam autem Equitatus. Sed quia illis in regionibus, apud illum hoſtem, cum quo nobis agendum eſt, ſumma fortitudo eſt in equitibus; habenda nobis ſaltem per medium triginta millia equitum, alterum tantum peditum: in equitatu ſaltem ſex millia Haſtatorum (vulgo Huſſarij) & quò plura eſſent, eò foret melius; leviora vexilla triginta: reliqui ſint Loricati (vulgo Pancerni) cum haſtulis (vulgo dzidy) quapropter augendum illis erit ſtipendium. Peditatus ſint quatuor millia, Dragunorum ſex millia. Et quia in hujuſmodi occaſionibus vis conſiſtit ut plurimum in tormentis, præſertim ubi Camenecum oppugnandum erit, ideo ſaltem octoginta educenda in campum tormenta opto, licet ad proportionem exercitûs & neceſſitates belli, etiam ultra centum eſſent neceſſaria. Apparatus verò hujus artileriæ qualiſnam eſſe debeat, qualesve in menſem impenſas exigere poſſit, in ſeorſivo regeſtro porriget Generalis artileriæ, cum hoc ſit ejus officij. Quia tamen Architecti fortalitiorum & directores tormentorum vulgò Ingeneuri, item Cuniculorum artifices, vulgo Minierij, & Pyrobolorum ſeu triumphalium ignium ſubminiſtratores, alijq; hujus artis periti intra tam breve tempus adſciſcendi ſunt, pro illis ſumma quantocius providenda eſt, cum præſertim ſuo ordinario Generalis careat ſupplemento: peditatus, ut antiquitus fieri ſolebat, Agrarius vulgò Łanowij, tanquam ſummè penes artileriam ad pontes extruendos & trajectus, neceſſarius, tempeſtive ad deſignatum locum, ſine omni exceptione, expediatur.

Auctorationem exercitûs efficaciſſimã & celerrimam eſſe judico per auctionem vexillorum & regiminum antiquorum in obſequio exiſtentium. Et quia regimina in ſummo numero conſiſtentia non continent ſingula, niſi ad ſummum trecentos milites; non tantùm duplicari, verùm etiam triplicari poterunt. Reliquum exercitûs eſſe debebit ex expeditionibus Palatinatuum, data illis optione, tam expeditionis, quàm contributionum, prout cuiq; ex re, & rationibus, viſum fuerit.

Id tamen pro ſenſu meo judicarem, ut Palatinatus à Sileſiæ, Pomeraniæ, & Pruſſiæ limitibus remotiores, non authorarent Peditatum, cũ impoſſibile ſit, intra tam breve tempus inſuetum & rudem Ruthenum, aut alium quempiam, in Germanum; multo magis in exercitatum militem, transformare; hos enim Peditatus auctorandos opto more Germanico, non Hungarico. Officiales verò tam Equitum, ſeu Kavalerorum quàm Peditum, ex Ducum commendatione, bene artis militaris gnari, non ex privata quaplam Palatinatuum, ſunt acceptandi.

Contributiones.

Contributiones pro his triginta millibus auctı exercitûs, eſſe deberent ex proventuum Generalium, à venalibus potibus (vulgo Czopowego) acciſis; capitali cenſu, apertione officinarum monetæ argenteæ, vulgò Minniz, telonijs generalibus, vel ſi quid ſimile guſtui acciderit Reipublicæ. Et quia hæc contributio nimium tarda, & ſera videtur, ideo eam in antiquos exercitus & eorum auctionem converto; cùm facilius ſit paratæ materiæ ignem ſupponere; & præterea inveniri poſſent, qui, procurantibus Theſaurarijs, darent aliquam ſummam, ex tam certis contributionibus poſtea repetendam, & deniq; pro ſupra memoratis

expen-

A.C. 1673 expenſis, vendantur periſtromata *Diluvium*, ſeu *Potop*, & pars Cimeliorum; vendi enim ea potiùs quàm invadiari opto; cùm non facile inveniri poſſit, qui tantam ſummam pro eorum invadiatione contribuat, facilius verò, pro emptione, etiam in Regno noſtro invenietur.

In ſupplementum; Magnus Ducatus Litvaniæ, ex amore Patriæ & vinculo unionis, habet conditam contributionem; & præterea communem motum, præcipuè debitum ſubſidium charitativum. Spiritualibus non auſim eſſe moleſtus, ſciens magnam bonorum eorum ruinam, & deſolationem; impoſſibile tamen, ut ipſi ſponte, ex charitate Chriſtiana aliquid non contribuant, ad publicam defenſionem, præſertim quibus ampliores fortunæ id concedent. Cum tali ergo exercitu, & ad bellum præparamentis, facilè quiſq; Ducum ſuſcipere poterit expeditionem, ſalvâ ſuâ gloriâ & exiſtimatione.

ANDREÆ OLSZOWSKI PROCANCELLARII REGNI, AD ANDREAM TREBICKI EPISCOPUM CRACOVIENSEM.

Varſaviâ 21 Junij.

DE Mareſchalco nulla notitia ex poſta Thorunenſi. Tabeſcit cor ſuper tanto diſordine, & tarditate, hoſte interim, cum ingenti potentia approximante, ut hodiernâ edocemur poſtâ Leopolienſi. Leopolis prima præda furentum; niſi Dominus cuſtodierit civitatem (dolor & terror ſcribere vetat) peribit, ruináq; ſuâ cis-Viſtulanas obruet Regiones. A Czaro Moſcoviæ non niſi novis implemur; quòd Exercitus ejus aliquid agat ſub Ozovia, quòd ad Coſacos & Tartaros imperij ſui mandata expediverit, ut terrâ mariq; ſub Krymum confluerent. Conjunctionis nobiſcum ſui Exercitus extra Tyram & circa Kijoviam ſubſiſtentis, ſpem nullam facit, ſuppetias nobis à Chriſtiano, Danorum Rege, fratre ſuo promittit. Summè hic eſſet neceſſarium numeroſius conſilium, & tamen unicus duntaxat reſidet ex Equeſtri Ordine deputatus, Succamerarius Varſavienſis. Rex determinavit ſuo ad caſtra abitui feriam 5tam poſt S. Joannem, cujus nulla eſt apparentia, multò minus apparatus, licet id optarem, ſi rectà ad caſtra, ſi verò Zamoſcium cum Regina, & imbelli agmine, magis oberit; cum Exercitus ad Regem in proximo reſidentem per partes accurrere ſoleat, obſequij præſtandi ſtudio ac dividi. Bonuiſium Legatum Pontificium petitione urgeo, ut pecuniam Sanctiſſimi convertat in ſuſtentationem copiarum auxiliarium, pro quarum aliquot millibus ferventius ſcripſimus ad Electorem Brandeburgicum, forsque expediemus Berolinum, Succamerarium Varſavienſem. Imperator nullam dedit plenipotentiam Ablegato ad tractandum, nos tamen urgemus ſubſidia per noſtrum Reſidentem: Darowski quidam, qui apud nos tempore belli Turcici interpres erat eorum idiomatis, in noſtro Exercitu fuit ſub tempus Comitiorum Varſaviæ, computumq; noſtri Exercitus tulit Imperatori Turcarum, hinc forſitan Ablegatus noſter ab eo eſt detentus. Legati Moldavi, Valachi, item ab Hanenko, & Doroſzenko, expectant hic adventum Mareſchalci.

AN-

ANDREÆ OLSZOWSKI PROCANCELLARII REGNI AD SUPREMUM REGNI CANCELLARIUM Varſav. 4. Auguſti. A.C. 1673

CRaſtina die poſt audientiam Ablegati Moſcovitici, valedicet Regi Mareſchalcus, pro die præfixa ad caſtra perrecturus, Princeps Valachiæ ſeu Hoſpodar, per Legatum & literas ſuas ſuggerit conſilium, ut aliquem ex præcipuis expediamus ad Portam, qui non prætereat Haſeim Baſsam, tanquam plenipotentiarium Turcicum ad tractandum nobiſcum; forte volunt noſtram in effectum deducere propoſitionem, in qua voluimus; ut Imperator Turcarum, daret poteſtatem Baſſæ; Rex verò ex parte ſua delegaret aliquem cũ authoritate virum, Senatorem; ſuppetiarum nulla ſpes ab Imperatore, qui ſe gravi bello cum Gallo implicuit, ad quod proſequendum invitavit pro conſilio Generali bellico Bavaricum, Saxonicum, & Brandeburgicum Electores, aliosq; Principes imperij; aut eorum delegatos: ſcribitur pro certo, Bavarus Cæſareis paſſum non permiſſurus, ad idem ſe reſolvit Epiſcopus Dux Franconiæ. Moſcum ſuſpectum nobis amicum facit, græca fides, Exercitus ejus retroceſſit ſub Batorinum. De expugnatione Ozoviæ vani rumores; tantùm enim eò Sirco proceſſerat abacturus equorum Turcicorum agmina, ſed illum Turcæ prænoniti, repulerunt, cæde illata Coſaccis, quorum 60 captorum, 18 ad Imperatorem, ad Huſſarim Baſſam miſerunt duos, qui in Tartaris metum Moſcorum, & Coſaccorum diſcuſſerunt: non deſunt & alia inſinceritatis, erga nos, Moſcoviticæ, documenta. Electorem Brandeburgicum non invenit Morſtin Berolini; ſpem facit mittendorum inde 1500 militum, ſed paratam vult illis dari pro ſuſtentatione pecuniam ſeu Lenungi. Apafi Princeps Tranſylvaniæ in datis ad me, aſſecurat, Portam nobiſcum pacem conſervaturam, ſalvis per omnia conditionibus tractatûs, præteriti anni, aliàs non; interim in prudentia ſupremi Regni Mareſchalci ſummũ conſiſtit momentum, vel belli, vel pacis. Ablegatus Cæſareus exhibuit Regi memoriale Principalis ſui volẽtis redimere Scepuſienſes civitates, profectò non facile reſponſum dare potero; licet enim Sigiſmundus Imperator Vladislao Jagelloni anni 1412 oppignoravit Scepuſium, triginta & aliquot florenorum millibus, latorum groſſorũ Pragenſium, cum pacto redhibitionis; ſed poſtea ſucceſſerunt varia alia pacta, Electiones Regiorum Principum Poloniæ, in Reges Hungariæ, matrimonia Annæ Iſabellæ, pacta de eliberatione Maximiliani, in quibus adjudicârunt nobis à ſæculis quietam Scepuſij poſſeſſionem. Subſcripta ſunt poſtea hæc pacta à Clemente VIII, à Lubkovicz antenato moderni Miniſtri Status; favet nobis authoritas noſtrorum hiſtoricorum, Wapowſcij, Bielſcij: aliàs enim etiam ad Ruſſiæ Ducatum, cum Podolia poſſet habere prætenſionem Imperator nu-

Scepuſienſes civitates.

A.C. 1673 meratis 100000 flor: ut eſt in pactis inter Ludovicum Hungariæ Regem: par aut major prætenſio ad Pruſſiam, & noſtra viciſſim ad Sileſiam. Quidquid ergo rationum, & probationum occurrere poterit inveſtigare velis, meq; fulcire.

COPIA LITERARUM AD SUPREMUM REGNI MARESCHALCUM A PROCANCELLARIO REGNI

Varſav. 16 Septembris.

Card. Odeſcalcus

DEclaravit Bonviſi (hodie à Rege in Nuntium acceptatus) ſummam à Cardinale Odeſcalci miſſam 20000 currenti monetà, ſe numeraturum ad ærarium Regni, quæ valere in parte poterit ad captandos Lipkos Tartaros juxta tuam diſpoſitionem: profectus etiam eſt ante dies aliquot ad caſtra Kotowski Fiſcalis Notarius, cum 15000 flor. ut mihi retulit Theſaurarius Regni. Rex tandem cras hinc movet ad caſtra, ſed lentis paſſibus, quia non niſi poſt dierum decadem, Caſimiriam perventurus: ego nullam habeo neceſſitatem maturandi iter, donec Rex Viſtulam trajiciat; quem intra quatriduum aſſequi potero. Regina Caſimiriam deducto Rege, directura eſt vias verſus Cracoviam ad Calvariam, opinor tamen fore, ut ſcutum hoc ſuum Rex non relinquat, ſed trahat ſecum Zamoiſcium. Morſtin vice Præfectus ſtabuli M. D. Litv. iterum expeditus eſt Berolinum, ut inſter pro ſubſidijs Poloniæ dandis, ad proportionem ſummæ 100000 Renenſium, quam Imperator Electori Brandeburgico pro feſto S. Michaëlis in eum finem ſe numeraturum appromiſit. Quia verò peditatus non poſſet tam citò ad Polona caſtra pertingere, cum non niſi pro 16 præſentis promittatur, viſum eſt, urgere expeditionem Dragunariorum & Raytarorum, propter citius perficiendum ad caſtra iter. Imperator à nobis exigit, ut includatur ſuo tempore tractatui noſtro cum Turcis, in quo difficultatem non facimus, modò id permittat Imperator Turcarum: firmiter tamen id requirere, & negotium pacis difficultatibus innodare non poſſumus. Proponit etiam Vienna tractatum colligationis, pro eo locũ Varſaviæ, tempus de hyeme determinando; in quo tuum, aliorumque Optimatum per literas Regias requiretur conſilium. Tertia propoſitio durior; ut aſſiſtamus Imperatori Chriſtiano, ſi Turca contra dominia ejus Hungarica, arma verterit, pro quo reſolutio ſine te eſſe nequit. Ablegationes ad Regem Galliæ, alioſq; Principes, in diſcurſu inter nos agitantur, nondum tamen concluſæ. Faxint ſuperi nos proprio Marte bella gerere, & ſuper omnia juſta & glorioſa pace concludere, quod tui erit laboris & prudentiæ. Litvanus Exercitus metuo, ne velit circa Regis latus ſubſiſtere & otiari.

Rex abit ad caſtra

Propoſitiones Imperatoris.

COPIA

A.C. 1673

COPIA LITERARUM SERENISSIMÆ REGIÆ MAJESTATIS AD SUMMUM PONTIFICEM. De data in Castris ad Skwarawan 11. Octobris.

POst oscula pedum &c. Tot ærumnis exercitum Regnum meum, tot casibus cladibusque, à compluribus retroactis annis concussa Polonia, adhuc ultimas exerit vires, & adversus communem Christiani nominis hostem, exercitum numero non animo inferiorem jam in aciem educit. Facta est velut alea, meo in castra adventu, signisque quod bene & feliciter vertat Deus hodie in hostium motis. Ad Sanctitatem Vestram Christianæ Reipublicæ caput, & publicum Parentem bellica hæc mea destinata refero, ut benedicat illis anima Tua. Porrò Regnum hoc meum, Russiæ præsertim oris in extremam redactum vastitatem, sumptibus tanti belli impar, Sanctitatis Vestræ curæ, & cordi esse impensius flagito. Lustravi exercitum meum armis, virisque egregiè instructum, & quo numerosiorem & validiorem Polonia vix pridem florentibus adhuc rebus suis habuit; Sed anxia me cura angit, ne difficultate, & defectu pecuniæ, pro qua annona peditatui comparari queat, intra breve tempus laboret, & dilabatur, compertum mihi erat, quàm flagranti zelo, quantâ contentione Sanctitatis V. prædecessor felicis memoriæ CLEMENS IX. Candiæ periculis succurrebat ac Principum Christianorum, præsertim Italiæ, auxilia & opes, in rem illius insulæ excitabat. Eandem mihi, Regnoq; meo pietatem, & benevolentiam Sanctitas V. declarare dignata est, neq; dubito animadverti à Sanctitate Vra quantum periculum universæ Christianitatis, in Regni mei periculo vertatur, quàm grave & indecorum foret, si promissa sperataq; Principum Christianorum auxilia, Poloniam destituant, quàm damnosum & irreparabile, si tanti exercitûs tanto sumptu collecti, flos & robur per inopiam & egestatem vacillet, aut pactione aliquâ indignâ & præjudicioſâ cum hoste transigere necessitate adigatur. Erit celebratæ Sanctitatis V. prudentia hunc statum rei Polonæ expendere, erit ingentis apud DEum & Christianum orbem meriti & duraturæ ad seram posteritatem gloriæ, defensioni Orthodoxi Regni, fidei sacrosanctæ propagationi, sanctuarijs profanatis expiationi, piam liberalitatem prolixiùs impendi. Quod cum mihi aliunde de optima erga me Regnumq; meum Sanctitatis V. pollicear voluntate, tum ejusdem benedictionem, mihi ac exercitibus meis exorans longævum rei Christianæ imperium Sanctitati Vestræ apprecor.

COPIA LITERARũ ANDREÆ OLSZOWSKI EPISCOPI CULMENSIS PROCANCELLARII REGNI, AD CARDINALEM URSINUM. Leopoli 20. Octobris.

PRæscriptum mihi est, ab Eminentia Vestra ex mente Sacræ Congregationis, de propaganda fide, ut de jure Patronatûs Regio

A.C.1673 ad Archiepiscopatum Armenounitum Leopoliensem, ex actis Cancellariæ edoceam, & cùm præcipuæ curæ sit S. Congregationi, nè eveniente morte Archiepiscopi moderni, iterum ad Schismaticorum errores Armeni delabantur, ac unio illa tanto labore, & solenni diligentia jam perfecta corruat, consultum videri, ad electionem Coadjutoris, cum futura successione procedendum esse, sed cum allegetur jus Patronatûs Regium, mentem Regis explorari, expectarique Romæ, responsum Regium, Eminentia Vestra mihi significari dignata est, ego libenter morem gerens voluntati Eminentiæ Vestræ, allocutus sum Regem, sed per id tempus, ejus Majestatis, afflicta valetudo, graviora negotia, cùm non admitti, scripta autem in itinere isto castrensi, nulla penes me, vel Ministros Cancellariæ exstant. Curavi tamen fieri, à natione Armenica, jurisdictioni meæ subjecta, privilegia eidem servientia, quorum antiquissimum fuit, ante annos sexcentos, nempe anno 1602, à Duce Russiæ Theodoro Demetrio concessum, cùm primum in Russia incolatum impetravere. Ad præsentem casum juris Patronatûs Regij, serviunt Privilegia Vladislai, quondam Regis, anno 1388, in quo disponit, Rex de electione Episcopi Armeni; Casimiri Magni, anno 1464; Sigismundi I. anno 1506, ejusdem anno 1516; Sigismundi Augusti confirmatio, Electi in Episcopum, ritus Armenici Venerab: Georgij Armeni de civitate Leopoliensi, anno 1562. Henrici, Stephani, Sigismundi III. Vladislai IV. rescripta, & confirmationes per Comitia Regni ratificata, ex quibus jus & authoritas Regum Poloniæ, ad Archiepiscopatum Armenicum Leopoliensem clarè deducitur, neq; leviter faciunt, ad probandum idem jus Regium, communicata mihi, ab Eminentia V. connotationes, extracta ex libris Cancellariæ Romanæ, & consistorij Provisionum Apostolicarum, quæ in personas Græcounitorum Episcoporum, ad nominationem Regis Poloniæ emanabant. Memini etiam ante biennium circiter cùm Rndus Gabriel Colenda, Archiepiscopus Polocensis, in Coadjutorem assumeret Rndmum Cyprianum Zochowski literas consensûs, seu nominationis Regiæ, ad Sanctissimum D. nostrum, me promovente ex Cancellaria in favorem dicti Zachowski, extraditas ac in effectum deductas esse. Cæterùm optimo erga sacram unionem zelo examinanda hæc inprimis duxi:

Jus Patronatûs Regij ad Archiepiscopatum Leopoliensē

Coadjutor Archiepiscopi Leopolensis.

An sit necessitas evidens Coadjutoris in Archiepiscopatum Armenounitum Leopoliensem, eligendi.

An sufficiat pro nunc muneri Suffraganeus ejusdem Archiepiscopi, Episcopus Bogdaniæ, Leopoli residens.

An proventus aliquos certos habeat Archiepiscopus Armenus, quibus ipse, & Coadjutor, & Suffraganeus sustententur.

An certum sit Archiepiscopum & Clerum solis collectis marcarum, Armenorum, & incertis obventionibus sustentari, nullas autem villas & bona seu dotem, Ecclesiam Catholicam Armenorum Leopoliensem habere.

An

An oneroſum foret multiplicari Prælatos Armenos, in una civi A.C. 1673
tate Leopolienſi, cum charactere Epiſcopi.

An tantùm duo templa ad præſens exſtent Armeno-unitorum, unum Leopoli, alterum Zamoſcij, poſt Camenecum & Podoliam à Turcis occupatam.

An tantùm decem ſint Eccleſiaſticæ perſonæ, in toto Clero Armeno.

An natio Armenorum ad exiguum numerum redacta ſit, dilapſis, per hoſtilitatem Turcicam in Regiones Ottomanicas, in Ucrainam, alioq; qui Camenecum, Jaſlovieciam, & alias civitates Ruſſiæ incolebant.

An hæc natio mercatoria, ceſſantibus commercijs, & direptis per hoſtem bonis, ad incitas planè redacta ſit.

An Electio Coadjutoris permittenda ſit juxta morem, & jura antiqua toti nationi Armenæ.

An eligi poſſit extraneus lingvæ Armenicæ ignarus.

An conſiderandus ſit Theodorus Wartenawicz, natalibus Leopolienſis, doctrinâ, moribusq; cultus.

An ejus Profeſſio fidei ſcripto porrecta acceptanda.

An expectandus reditus à Patriarcha Armeno, ad quem bene merendi de Eccleſia Romana, bonâ intentione profectus & rediturus Romam dicitur.

An Armeni ſint boni Catholici bene fundati in Religione, & Schiſmatis periculo coercendi.

An Miſſionarij Patres Theatini, lingvam tantùm Latinam docentes, & latino ritu in Armena Eccleſia ſacrificantes, fructum ſpiritualem faciunt, & an intentioni congregationis de propaganda fide commodè inſerviunt.

An aliquod publicum ſcandalum in vita alicujus deprehendatur.

Hæc repentè & breviter, innuere mihi viſum eſt officio Illuſtriſſimi Domini Nuntij Apoſtolici, ut magna diligentia examinentur, & rectè S. Congregatio informetur, ego judicio ferendo abſtineo, vereor enim ſortem illam meam, quam pertinaciter adverſam, neſcio quo fato, Romæ experior: Informationes meæ, pro jure Regio, ad Abbatiam Hebdovienſem, teſtimonijs Epiſcoporum præſcripto uſu, luce clarioribus documentis fundatæ irritæ fuerunt, quibus nec minimum attentis, contra Regis evidentiſſima jura, contra decretum Illuſt: D. Nuntij Apoſtolici Mareſcotti, contra ſpontaneas agnitiones juris Patronatûs Regii, per Monachos publicis inſtrumentis factas, contra inſtructionem Canonicam, ab eodem Nuntio Mareſcotto, vigore conſentientibus Monachis Plenipotentiariis Hebdovienſibus, collatam, contra acceptationem ab iiſdem Monachis perſonæ à Rege præſentatæ, modò habitum aſſumeret, & religionem profiteretur, ſine ulla, jus & intereſſe habentis, præviâ atteſtatione, per cuniculos per Manifeſtum

A.C. 1673 stum perjurium, in nuntiatura Illust: Nuntii Ranucij, cum summo scandalo patratum, Monacho Joanni Scierski, omnino per leges Patrias incapaci dicta Abbatia adjudicata est. De Andrejovienſi mea am personam concernente, jam tertium annum divexor, fructibus privor, Bullis Pontificiis primum in personam meam, mox post aliquot dies in personam Monachi Theodori Madakaski contrariè extraditis, ludibrio, & contemptui exponor, in tanta curarum mearū mole quas (absit jactantia) bono Patriæ, nec sine aliquo erga rem Catholicam merito, sustineo importunis lingvis implicor, gravissimis damnis, & injurijs afficior, labores & sumptus meos omitto referre. Satis id documenti esto unicū me ex Senatoribus & Officialibꝰ Regni, Regem nunc comitari, castrorū incōmoda, viarū fastidia perferre, nullo tamē apud Eminent. Cardinalē Datariū, hæc omnia respectu haberi. Quod summo animi dolore Eminentiæ Vræ insinuans, ejusdem perennis gratiæ & patrocinio me totissimum reverenter dedico.

ANDREÆ OLSZOWSKI PROCANCELLARII REGNI AD SUPREMUM REGNI MARESCHALCUM Leopoli 26 Octobris.

ACceptis tuis novissimè ad me datis, exnunc expedio ex Cancellaria ad Senatores, primario ad te deliberatorias, circa celerius inchoanda Comitia. Universales ad Halicensia, aliaque castrensia acta Palatinatus Russiæ expedivi pro communi convocatione ad defensionem Regionum illarum, incursionibus hostilibus proximarum. Tribunalis Mareschalcus mihi scribit, aliquot profugos, qua equites, qua pedites à se comprehendi jussos, ad aliorum terrorem judicandos. Ex literis Czari per modernum Ablegatum datis, manifestè constat, nec cogitasse illum de dandis nobis subsidijs per Romanowski, & Cosaccos cis-Borysthenenses; ignota enim non nisi suorum Exercituum allegat nomina, terrâ mariq; diversionem facere; animat nos, ut cum Exercitibus nostris ingrediamur dominia Valachiæ, assecurans 600 tantummodo homines esse cum Husein Bassâ, promittensq; deditionem Cameneci, & multa futilia; ad quæ responsum ex Cancellaria mea, in absentia Litvanæ, datum, primâ tibi patebit postâ. A Nuntio Bonvisi accepi, ad datas à me, ratione Senatus bellici responsum, in quo spem facit, re hactenus inanem 150000 scutorum. Agam Turcicum, iterato svadeo in castris detinendum omnesque relegendas literas, aliàs hic Leopoli minuet præsentia famam; nec ullum poterit ei responsum dari, te, Senatuque bellico inconsulto; poteris habito per literas Regis mandato ejus nomine jubere tibi reddi literas, req; collata cum Senatu bellico, ac Regi communicata, Ablegatum expedire: metuendum quoque, ne sit superba Legatio, & Principi contumeliosa, adeoque præstat ut contenta ejus à te prius intelligantur. Ablegationem ad Principes Italiæ mitto nostro Residenti, cum instructione, ut nobis pecuniario subsidio succurrant; & quia Imperator proposuit ut colligatio Principum tractaretur Varsaviæ, etiam ad hanc invitantur; Romā

ad

ad Sanctiſſimum adhibebimus Dapiferum Regni, non omittendi et A.C. 1673
tiam Galliæ, Hiſpaniæ, alijque Reges, & Principes, ſi fuerimus extra ſpem utilis, & honeſti, cum hoſte tractatûs. Venit ad Regem à Primate Lupini petendo condonationem ſummæ pro expediendis bullis, quæ non Reipub. ſed ſoli debetur Regi, ex declaratione Cardinalium; præſtabit id Rex, cruculâ ab eo ſmaragdinâ, donatus.

ANDREÆ OLSZOWSKI PROCANCELLARII REGNI RESPONSUM MAXIMILIANO FREDRO CASTELLANO LEOPOLIENSI. Leopoli 29 Octobris.

SOlenne mihi ſemper, ſummè venerari meoque comitari ſenſu, graviſſima tua de Repub. conſilia. Perpendo rationum pondera, manifeſtè mihi ex uſu publico deducta, quidnam ſentiendum agendumque ſit, ut Commiſſio Leopolienſis penitus differatur, occurrendo, ne Exercitus in ipſo opere belli ad eandem, propter ſua intereſſe à caſtris divellatur, aut perſpecta incertitudine ſtipendij, in deſperationis & audaciæ abrupta agatur: Comitiorum quoque, ſi citius celebrentur, eadem eſſe poterunt incommoda. Si in tempore id ſcripſiſſes, aut ipſe ad Regem tunc in proximo manentem excurriſſes, magni momenti & efficaciæ tuus fuiſſet ſenſus; nunc jam conſilium poſt rem, quandoquidem in præſentia Ducum utriuſque gentis, numeroſiſſimo Senatu cum Chiliarchis Polonis & Litvanis conſilium bellicum eſt finitum, quando deliberatoriæ ex Cancellaria prodiêrunt, quas tibi mitto; quando jam ſolum decendium ante inchoandam Commiſſionem reſtat, jamque ex remotioribus Palatinatibus Commiſſarij, non ſine impenſis, ex Comitiolis ſunt expediti; quando tanta ſancitorum Comitialium tranſgreſſio invaluit. Univerſales Regis, populum, qui juſſa interpretari, citius quàm exequi novit, concitarent magis, quàm ſuum effectum ſortirentur. Hærent memoriâ Majoris Poloniæ motus, ex occaſione indictorum pro quaterna contributione, ſub tempus Czudnovienſiũ Comitiolorum; unde poſtea acrior lex contra Regem & Cancellariam eſt deſcripta, adeoq; combinatio Comitiolorum ſine Comitijs difficilis eſt & impoſſibilis. Iam ergo non eſt id in manu Regis, cum præſertim ad latus ejus ſolus ego ſim, unus nullus; ex Reſidentibus enim, Deputatis aſſignatis, & Officialibus Regni nemo comparet, adeoque conſilium in tam gravi materia, ſine conſiliarijs bellicis, formari nequit, illudque ſolum tenendum erit, quod Reſpub. in Comitijs præſcripſit: multi ex præcipuis Senatoribus, præſertim ſupremus Mareſchalcus Comitia extraordinaria quantocius in principio Ianuarij celebranda ſvadent. Clenodiorum jacturam, vix lachrimis non deploro: ſeducta eſt Reſpub. informatione Theſaurarij, octo millionum valorem Gazæ Regiæ in Comitijs, referentis; unde viſum eſt levioris damni millione uno aliqua vendi, ex minutioribus, non verò omnia ſimul tam citò pro-

A.C. 1673 tò prodigi, cui propoſſe unicus obſtiti, ſed non prævalui. Tot decota magnorum Regum, tot ſæculorum opes, ſacrum id ærarium, magna ex parte alienigenæ, tanquam prædam Cymbricam diripuerunt. Dedi tamen ad acta pro memoria poſteritatis, meam, licet inefficacem contradictionem. Rex hinc poſt ſeptimanas duas movebit Varſaviam: ego verò, licet mihi reſidentia Leopolienſis ſummo ſit oneri, & diſpendio, hyemare hic & Comitia celebrare peroptarem, tamen enim vel umbra Principis accenderet amorem militiæ, hoſti terrorem incuteret, expeditiones fumales in ulterius tempus reſervaret. Cancellarius M. D. Litv. ingenti conatu evincere vult, ut Comitia celebrentur Varſaviæ, aliàs Litvanos ait, non acceptaturos locum Leopoli, nec Lublini. Fors expediret coæquationem fieri, ut tertia Comitia celebrentur, in minore Polonia, in hac parte Viſtulæ.

ANDREÆ OLSZOWSKI PROCANCELLARII REGNI AD SUPREMUM REGNI MARESCHALCUM.

Leopoli 30 Octobris.

LIteris Referendarij Czeſtochoviâ datis, ferventibusque Cancellarij M. D. Litv. perſvaſionibus inductus Rex, determinaverat abitum ſuum Leopoli Varſaviam II Novembris, de hacque ſua intentione certiorem fecit Reginam per Ephebum, præmonendo, ut ſe non fatigans viæ incommodis, expectaret adventum Regium Varſaviæ, ſed ſupra modum debilitatæ vires, & in dies graveſcens valetudo, impedimento fuêre viæ, dubito enim ut in tanta ægritudine poſſit ad deſtinatum locum pervenire. Forſan ergo ex neceſſitate faciemus virtutem, ut nos à propiore tecum, & cum Exercitu conferentia, non elongemus, de hocque cum Rege ago, ut iterum expediat pro Regina. Relationes Adrianopolitanas mitto, ab homine jam tibi noto. Hæret mihi memoria Legatus, ſive Explorator à Gihi, cui, quidquid dixerim aut ſcripſerim, cum his concordat novis; utinam etiam ſucceſſus reſpondeat armorum noſtrorum, contra Huſſeim Baſſa, ſi forte illi in vallis rigor hyemis moleſtior, & intolerabilior fuerit, quam noſtris in aperto campo, &, ſi hoſtis inclinaverit, ſe ad reſtitutionem ablatorum, ratione cujus, ſcripta mihi ab Epiſcopo Cracovienſi, tibi communico, proponenda verò ab Aga in horas à te expectamus. Commiſſionis Leopolienſis, ſimilitet Comitiorum dilatio ſvadetur à quibuſdam; quidnam eis reſcripſerim, conſtabit tibi ex annexa copia: judico tamen, & ſvaſor ero, ut judicia, non niſi contra Retentores celebrentur, & hyberna ordinentur, privatorum verò injuriæ limitentur uſque poſt Comitia, neprætextus habeatur ſubtrahendi ſe ab Exercitu, ex opere belli, quod opto, petoque, ut tu quoque Ducali authoritate idem promovere velis, ſi præſertim gravis non fuerit legalitas. Comitia ſpero circa 9. Janu-

Januarij, Comitiola circa 15 Decembris, ſive, quemadmodum vos in reſponſis veſtris ad deliberatorias ſvaſeritis. Venit Leopolim Palatinus Culmenſis cum eoque Rozen; regimine quatuor duntaxat vexillis conſtante, à longè comitante, allegant, 200 homines regimini ſuo, ad caſtra expedito, à Palatino Pomeraniæ, adjunctos eſſe, 200 verò in Pruſſia Tolkmiti & Krisburgi à Palatino Mariæburgenſi detentos animo inducendi eos pro præſidio Elbingenſi, contra molitiones Brandeburgicas: metûs eorum nullum apparet fundamentum, cum Magiſtratus illius urbis, aliàs timidus, & cautus de hoc aulam non præmoneat. Præſtaret meo judicio homines hos, ordinatione tua, ut authorati ſunt, ad defenſionem Reipub. contra Turcam evocari: poſſet Elbinga primum ſuſtinere inſultum, aut à Gedanenſibus auxiliarem vocare manum: nec impune, hoc tempore, laceſſeret Brandeburgicus armatam Poloniam. Miſit huc Hanenko Notarium ſuum, & Centurionem; quos Dymiri locavit: ſvaſi illis ut ad te proficiſcerentur, ſed pro excuſatione fatigatos equos obtenderunt, affirmando alios recta ad te eſſe expeditos; qualis nam danda ſit ad puncta ejus reſponſio, tuum exquiro, & expeto ſenſum. Cauſam necis Piwo, excuſando Hanenkum, devolvunt in Pawłowſcium. Licet Hanenko ſummè demeruit, tolerandus tamen eſt Dymiri, & Czarnobyli ad diſtrahendum à tergo Doroſzenko, ſi voluerit ſecundare Huſseim Baſſam, aut diverſionem facere incurſione Volhiniæ. Scribi poterit per eundem Curſorem ad Czarum darique poteſtas Hanenko conferendi cũ eo, viresque ſociandi, ſi in hanc partem tranſire voluerint ſubſidia contra Turcam' aut Doroſzenko. Non dubito potiori tibi curæ eſſe conſervationem Exercitûs, quàm bellum contra Huſſeim Baſſam; quẽ frigora, tempeſtates & incommoda enervare poterunt. Promovendi forſan eſſent Exercitus in terras Valachiæ & Moldaviæ, ibique diſponenda hyberna datis clementioribus ad Valachos & Moldavos univerſalibus, ut commeatus pro uno menſe ſuppeditent, licet pretio ex parte oblato; ſedes Ducalis, Jaſſis, cum ſumma tui nominis gloria. Oppugnatio vallium hoſtilium difficilis, cum jactura temporis, hominum, & ammunitionum, quorum forſan non magna copia. Quanquam ego rerum non ita gnarus, cum errare poſſim in ſuppoſito, ſenſus meos altiſſimæ tuæ ſubmitto prudentiæ. Aga Turcicus vix non expediendus eſſet, ad valla Huſſeim Baſſæ, ne defectus noſtros penitius perſpiciat. Si ad tractatum pacis ventum fuerit, opto proponendam incluſionem Moſchi & reſtitutionem totius Jaſyri, licet horum nihil futurum ſit. A.C. 1678

ANDREÆ OLSZOWSKI PROCANCELLARII REGNI AD ANDREAM TRZEBICKI EPISCOPUM CRACOVIENSEM.

Leopoli 4 Novembris.

SEnatum bellicum non imperitia ſtatûs, ſed antiqua phraſi, in datis ad te nominavi; frequens latinis vocabuli Senatus uſus pro conſilio; ut ſenatum habere, habito Senatu, id eſt conſilio; unde verbi hæc elegantia, nec *Senatus.*

A.C. 1673 nec nova, nec inaudita, quæ minimè duplicem inducit senatum, vel separat senatum bellicum ab alio, nec nomine senatorum intelliguntur Chiliarchi Regni & M. D. L. qui consilium bellicum ingrediebantur.

Tituli Episcoporum.

Titulus Reverendissimi, in statuto datur Episcopo Cracovienſi, Cujavienſi, Posnanienſi, Plocenſi, Vilnenſi, Samogitæ, imò minores Prælatos in statutis Reverendissimos legi, non inconvenienter ergo elevandi essent Episcoporum tituli, uti & Senatorum sæcularium, In quo nulla ex parte mea in Cancellaria difficultas, annuente Principe: recenter tamen nunc in datis, sub conclavis sigillo subtraxit inscriptionem Domini, nominato Gnesnenſi. Contra tuum non instigo ærarium, nec meus hic conceptus erat in consilio bellico; paratæ ac emendatæ literæ missæ mihi sunt, ad obsignandum: in quibusvis urgentissimè scribit per amorem Patriæ, per viscera misericordiæ Mareschalcus, ratione pecuniæ pro Lenungis peditibus, quorum aliqui mendicant, alij profugiunt, pleriq; moriuntur; si ergo tuâ gratiâ & solitâ pietate subvenire publico volueris, licet minore summâ; omnimoda mittetur tibi assecuratio. Rex jam conclamatus & deploratus, rupto nupera nocte fere per miraculum ab intra ulcere, expectorando suffocantem materiam, evasit decretoriam horam, & medicorum desperationem erexit, jam nunc extra periculum, singulari Dei super hanc Patriam providentia, constitutus. Comitia Varsaviæ celebrabuntur principio Ianuarij, si Rex ad tam longum iter convaluerit.

Ulcus ruptum Regi

Pro legatione ad Principes Italiæ proponitur Masini, expecto primam Viennâ postam; per præsentem verò mitto literas ad Sanctissimum, cum instructione Dapifero Regni. Swiderski candidè mihi scribit de insincritate Moscorum: exigunt anticipationem Commissionis, per quam pretio subsidiorum, evincere volunt perpetuam alienationem occupatarum bello Provinciarum. Non permittunt, ut tractatus colligationis cum externis Principibus celebretur Varsaviæ, sed Moscuæ, verificantur ea, quæ anno præterito audivi à quodam ex Comitatu Legationis Moscoviticæ: ponenda ergo spes in solo Christo.

Conditiones Moscorum.

Iterum mihi molesti Jędrzejovienses Religiosi, tuæ forsan Curiæ favore irritati. In prætorio Jędrzejovienſi præsentes ad rebellionem incitabant cives, in Regis quoque subjectionem & servitium, à subditis mihi præstandũ vetant: non deest mihi contra hoc decretum, quasi in contumaciam, mala fide ab incompetente judice, obtentum, Romanæ inhibitionis remedium, vi cujus spero bonam meam causam triumphaturam. Cæterum eripi mihi non sinam, quod tua gratia mediante sententia Executoriali, possideo; id me vel maximè angit, quod relicto Rege & publicis curis excurrendum mihi sit Jędrzejoviam, de quo jam scripsi Mareschalco.

ANDREÆ OLSZOWSKI PROCANCELLARII REGNI AD REGINAM ELEONORAM Leopoli 8. Novemb.

Informatio de Regis valetudine

POst datã expeditionem ultimam Curſori, & literas per postam missas, variæ successerunt Regiæ valetudinis mutationes, jam in melius, jam in deterius; unde nihil certi Majestati Vestræ scribere potuimus, ante biduum accepta Rex extrema unctione, sacra synaxi refectus, melius valere cœpit, quid imposterum futurum sit, de manibus DEI expectandum; Doctores jam spe eriguntur, jam deprimuntur desperatione. Evici à Rege ut faceret testamentum, in quo mea sollicitudo, simulq; fidelis erga Majestatem Vestram propen-

sio

fio omnibus nota. Puncta teſtamenti Perſonam Majeſtatis Veſtræ concernentia, excerpa mitto. Separatim Codicillos Abbas Peplinenſis ſcripſit, qui apud eum ſecretò aſſervantur. Non ſuadeo Majeſtati Veſtræ valetudinem tam longæ viæ Leopolienſis incommodis exponere; expediret tamen venire Epiſcopum Poſnanienſem, & Cancellarium M. D. L. ac Referendarium Regni, quem in Codicillis Rex cum alijs addidit Executorem. Theſaurarius Regni, ex vi antiquæ conſuetudinis, tenetur providere ſumptus, tam ad deducendum corpus, quàm ad ipſum funeris actum; ſi, quod DEus avertat decretoria venerit dies; ſpem tamen melioris in DEI ponimus miſericordiâ; injunxi Doctori Braun ut ſtatum morbi deſcriberet. Legatus Turcicus heri venit, qui omnino in præſentia Regis, lecto licet affixi, vult reddere literas. Ut Majeſtas Veſtra ſe non ſinat mœrore angi, humillimè ſupplico, cui à totius conſolationis fonte ſolatia precor.

A.C. 1673

Wolff

ANDREÆ OLSZOWSKI PROCANCELLARI REGNI AD ARCHIEPISCOPUM GNESNENSEM, FLORIANUM DUCEM CZARTORYSKI Leopoli 10. Novemb:

PLaeuit tandem Superis, è rebus humanis ad cœlos Sm. Regis, Domini noſtri, evocare animam, qui hodie, ſcilicet feriâ ſextâ, hora 9. ante meridiem placidiſſimè, eum magnis pietatis indicijs ſpiritum reddidit in manus ſui Creatoris; Regina & Patria in orbitate relictis. Jam ergo Interregnum lamentabile, quo nunquam difficilius, periculoſius, implicata domi, foriſq; Repub. fuit, in quo tu velut Primas noſter, magno animo tutelam, non dubito capeſſes Patriæ, interregnum denuntiabis, interſtitium Indices, omniaq; ad ſalutem Reipub: quam in tua cura poſuêre fata, dirigere voles conſilia. Reſidentiam tibi Varſaviæ opto, eum, majore facilitate & minore tuo onere, Senatores pro conſilio poteris convocare, quo etiam ego, ordinatis hic quæ mihi incumbunt, properabo; teſtamentum Reginæ redditurus. Spero hic indies adventum Mareſchalci; ſcripſi ad Exercitum animando, ut non deſiſtant ab operatione belli. Svadeo Celſitudini Tuæ adſciſcere ſub interregnum ad latus tuum Buzewſcium regentem meum, practicum, & velocem in expeditionibus.

Mors Regis nunciatur

ANDREÆ OLSZOWSKI PROCANCELLARII REGNI, AD SUPREMUM REGNI MARESCHALCUM. Leopoli 10 Novembris.

POſt ultimas prima Novembris datas, nullas à te accepi, ſupplices Domino Exercituum fundimus, ut confundatur, & conteratur fortitudo inimicorum noſtrorum, ſub tua cura & auſpicijs, Regis valetudo continuò vergit in deterius, & periculoſius habet. Eviei, ut teſtamentum faceret, quod ad mentem ejus à me correctum, & coram ſe relectum, eum recollectione, ſubſcripſit in præſentia complurium; inter alios primum te nominavit Executorem. Poſt extremam unctionem, confeſſionibus expiatus melius valere cœperat, ſed iterum ægrè, extremè, & deſperatè vitam trahit, niſi Dei miraculo, non humana ope priſtinam recuperaturus valetudinem. Punctum ratione bonorum ordinationis Zamoyſtenſis, ex teſtamento excerptum, ſoli tibi communico. Legatus Turcicus venit Leopolim nudius tertius exigit omnino in Regis decumbentis conclavi Imperatorias literas reddere, ſed quia ſuſpicamur

eum

A. C. 1673 eum in ecsta, quam secum duxit, habere insignia subjectionis non est visum eum intromittere, ne vestimento cujuspiam confusionis operiret moribundum.

Ad me nullas habet literas, quod signum est, in consideratione fuisse imparitatem, eum tamen eum literis ad Reges, semper antiquo usu esse solerent literæ ad signaturæ Ministrum. Nullis locum præbet rationibus, unde magis se suspectum reddit, Iam ergo ex declaratione mea expectanda illi erit convalescentia Regis, aut si extremum fatum hunc eripuerit, alium regnantem. Mitto ad hunc Agam, significando me scripturum ad Vezirum, ad te per modernam postam dirigendo literas; eum ex Valachia facile transmitti possint; quandoquidem Principes illi seu Hospodari, ut ille allegavit, se tibi subdiderunt. Si voluerit permittere suas resignari literas, celerius illi responsum appromisi; ad quod respondit jam Vezyrum esse sub Chocimo, inductus tamen rationibus, forte literas in meas manus consignabit. Wolff ex informatione mea binas dedit ad Doroszenko, ad quem, ut tu quoq; secretius aliquem expedias, pro meo sensu judico; metuo ne in ejus manus incidat Kowalewski, cui, ut mihi Wolff retulit, est infensus. Jussi scribi illi informatorias, quód tuæ extra Borysthenem, & ad Sirko legationes, sint sine ejus præjudicio. Colonellus Rapp post longam expectationem, ordinati à te in ejus deductionem militis; solus tandem cum vestibus & pecuniâ, pro præsidio Bialocerkvensi profectus est; Hanenko dispositis in tractu Czarnobylensi, & Dymerensi copiis, defensurus est Polesiam & limites Litvaniæ. Ad commissionem Leopolensem non svadeo, ut relictis castris se milites conferant, eum ibi futura sint judicia solùm retentorum, & exactorum suspensis causis, & actionibus injuriarum privatarum usq, dum finiatur Campagnia, aut usq; post Comitia, de quo ex ordinatione Commissionis, ex prima sessione 13 currentis, citò significabitur militibus. Ex Commissione Grodnensi scripserunt mihi Litvani, improbando locum Comitiorum Leopoli, dirimet litem mors, aut ægra valetudo Regis. Expeditio pro Comitijs ex Cancellaria, sine subscriptione Regis esse nequit, magno & nocivo Reipub: impedimento. Pro victuali Peditatui subsidio, se lenungi promittit Episcopus Cracoviensis sub certa assecuratione, aliquot decades millium, mutuo dandæ pecuniæ. Spero sequenti posta certitudinem summiæ 100000 germanica moneta, ab Imperatore: Ad summum Pontificem idem Commissum negotium Dapifero Regni: Nuntio quoq; Apostolico Bonvisi promissionem revocando, incessanter instо. Pecunia in ærario Regio deest pro stipendio Peditatui, victus familiæ defieit, nec est unde provideantur expensæ funeralium: Quanquam id pertinet ad Thesaurarium Regni, in cujus manu essent currentes Oeconomiarum proventus. Si Rex fatis eesserit, ex nunc te faciam certiorem.

ANDREÆ OLSZOWSKI PROCANCELLARII REGNI AD SUPREMUM REGNI MARESCHALCUM Leopoli 11. Novembr.

Misereor super famelicam turbam gregariorum militum, quibus, quantum hic & nunc in propria gaza reperio, tuas ad manus pro eorum sustentatione mitto, scilicet 300 aureos, 270 in specie, reliqvum in Imperialibus: non mihi hæc interibit pecunia data à te assecuratione ad Thesaurarium, aut super hybernis Diœcesis

ſis meæ, quam tuæ committo protectioni. Expediret forſan, conſti- A.C. 1673
tuere Generalem commeatuum Magiſtrum, qui diſtribuat merè egentibus; aliqua enim regimina ſunt ſufficienter proviſa; ut mihi de ſuo retulit Referendarius Regni, ſcilicet à ſe ei miſſos 1000 aureos pro ſuſtentatione vulgò Lenungi. Commiſſionem Leopolienſem ex mente tua incipiam, ut omiſſis actionibus injuriarum, & criminibꝰ militaribus, ipſi Retentores contributionum & Exactores ſeverè judicentur. Hanenko abſolutè reliqui; licet motivo propoſitionis à Litvanis datæ pro ſecuritate eorum limitum & Poleſiæ ad eum ſcripſerim, ut in illis tractibus ſubſiſteret, ad tuam me tamen referens ordinationem. Filium ejus dubito poſſe ſecurè manere in Przemyslienſi, cum illi ibi intentetur mors in ultionem cædis illatæ Piwo, in qua juvenis hic primus forſan fuit Sicarius, primo impacto colapho. In hoc emergenti Regiæ mortis inſperatæ, timeo in Exercitibus, & gentibus magnos animorum motus, erigor tamen in ſpem, videns & legens te, ſangvinem & vitam bono Reipub. & Chriſtianitatis devoviſſe. Expediret forſan Tyſzovienſem in Exercitu renovari confœderationem, ob ſolam defenſionem Patriæ, ne Officiales & gregarij in Poloniam divellantur.

ANDREÆ OLSZOWSKI PROCANCELLARII REGNI AD MICHAELEM PRINCIPEM RADZIVILIUM CAMPIDUCTOREM ET PROCANCELLARIUM M. D. L. Varſav. 24 Novemb.

INjurius forem heroicæ tuæ gloriæ; ſi, quam orbi fama ex Chocimenſi expeditione prædicat, ſine intima congratulatione ſilentio premerem, nec debitas, pro heroica ob gloriam DEI, bonumque Patriæ, reſolutione grates funderem. Deerat tantum modo ibi ad complementum noſtrorum ſolatiorum, inſcribendum, non tam ſepulchrali lapidi quam duræ cervici Huſſein Baſſæ Epitaphium illud: Æneæ magni dextra cadis. Jam non tantum Grodnæ verùm etiam Vilnæ Comitia celebrare permitto, pro tanto tuo, tuorumque Heroum de Patrio bene merito, ſub regimine ſtrenuorum Ducum, quorum ſemper honos, nomen, laudeſq; manebunt.

EJUSDEM AD PALATINUM VILNENSEM MICHAELEM PAC SUPREMUM DUCEM M. D. L. Varſa. 25 Novembris.

ACcenſeri volo ſincerè juſtéque applaudentibus tuæ gloriæ, omniumque Heroum M. D. Litv. Oſtendit orbi fortunatus conflictus Chocimenſis, omnibus exterorum ſubſidijs, quorum ſpe alebamur & deludebamur; unitam virtutem Polonæ & Livanæ gentis, longè fortiorem, paremq; eſſe vincendo cuivis hoſti; quandoquidem illi ipſe terror orbis Turca ſuccubuit. Deo itaque Domino Exercituum, qui corroboravit manus veſtras ad prælium, perennis gloria, tibi candida à me ſit congratulatio, & pro laboribus, ac heroicis auſibus, gratiarum actio, prolixius affectu quàm verbis à me præſtanda.

A.C. 1673

TESTAMENTUM REGIS MICHAELIS.

IN NOMINE DOMINI AMEN.

SI quidpiam aliud mediocris sortis, juxta ac Principum animas magis exercere debet, illud primum ac præcipuum, ut ad normã Christianæ Religionis vitam suam componendo, noviſſimorum continuam foveant memoriam, ac vitæ humanæ, quod ingreſſi ſtadium, ita decurrant, ut bravium beatæ æternitatis feliciter comprehendant. Hæc nimirum divinæ nutu voluntatis ordinata, ut veluti à communi naſcendi ſorte Principes non eximit, ita moriendi inexorabilis ijſdem decreta ſit neceſſitas; nihilq; certius, quàm vitam tot caſibus obnoxiam cedere in ſpolium mortalitati. Regium itaq; exiſtimavi, inter ea humanæ uiciſſitudinis ſpectacula, quæ omni momento in oculos, aureſq; incurrunt, ſeriam intendere cogitationem, ne imparatus à ſuprema & inluctabili fatorum deprehendar neceſſitate. Dum igitur gravi infirmitate proſtratus, & lecto affixus, hominem me eſſe memini, & in confinio vitæ & mortis poſitum, hanc ultimæ meæ voluntatis connotationem aggredior, ſeraq; poſteritati volo conſignare, quod cognitionem mei ipſius, tam in vita quàm in morte nũquam exuerim. Condo itaq; & ordino teſtamentum meum omni meliori modo, viâ, formâ, & ſtylo.

Ac imprimis Diuinæ Majeſtati pro omnibus beneficiis tributarias exſoluo gratias, inter quæ illud primò repono loco, quòd in fide catholica orthodoxa Romana natus ſum & educatus, & quam cum ſanguine paterno, lacteq; hauſi materno, eandem fidem ad extremum vitæ meæ halitum retenturum me conſtantiſſimè profiteor & recognoſco, & ſi quidpiam contrarium in ultimo agone tentator ſpiritus ſuggerere vellet, damno, rejicio, nunquam me conſenſurum, aut conſentire proteſtor. Sanctiſſimæ Virgini Matri Patronæ meæ à prima puericia, ſummas refero gratias, quòd ope, auxilio, patrocinio, per omnẽ vitam mihi indigno famulo, clienti adſtiterit. Patronis meis ſancto Michàéli Archangelo, Thomæ Apoſtolo, quorum nomina in baptiſmo ſortitus ſum, quàm poſſum, devotiſſimè me commendo, oroq; ut in extremis meis, & in ſuprema illa luctа, unde anima mea pendebit æternitas, adeſſe & auxiliari velint.

Sereniſſmæ Reginæ Dominæ conſorti meæ chariſſimæ, ultimo hoc grata voluntatis ſymbolo intimum affectum meum conſigno, cujus eximium erga me ſtudium, & integerrimum amorem, cum ſummarum & Imperatorio ſanguine digniſſmarum virtutum ornamentis expertus, quoniam per brevioris vitæ meæ & regiminis curſum eidem in adeunda poſſeſſione bonorum reformatoriorum non ſit ſatisfactum, ut Senatus & Equeſter Ordo condignam ejus Majeſtatis habeant rationem, ac dignitati & utilitati ejusdem ſtudere non intermittant, majorem in modum rogo.

Sena-

Senatui Ordiniq; Equeſtri ultimum dico vale, & benevoli animi A.C. 1673
refero teſtimonium, quòd regimen tanti Regni mihi commiſerint, néque prater ſpem meam & vota unanimi conſenſu ad ſolium Regni evexerint Imperfectiones, ſi aliquæ in me inventæ, rogo, ignoſcant, & indulgeant. Omnibus, qui mihi fuêre fidi & benevoli, altiſſimus retribuat, dum mihi non ſupereſt modus compenſandi. Quidquid verò offenſionum, diffidentiarum, injuriarum per confœderationes, & quoſcunque in Repub. motus intervenit, ignoſci mihi rogo, quia ego omnibus ex toto corde ignoſco.

Quàm primùm mortale hoc corpus anima mea reliquerit, ut pro miſſæ ſacrificijs quantocius abſolvendis duodecim millium florenorum ſumma diſtribuatur, volo, & ordino.

Corporis mei ſepulturam ad Baſilicam Cathedralem Cracovienſem in Mauſolæo Anteceſſorum meorum Regum Poloniæ deſigno. Cor verò meum amoris obſidem, Religioſis Eremitis Cameldulenſibus in monte Regio propè Varſaviam in Eccleſia ibidem à me inchoata depono volo, pro cujus conſummanda fabrica, lego ſummam in codicillis ſpecificandam.

Fundationem Religioſorum Carmelitarum Diſcalceatorum Wiſniowiecij à Sereniſſima Parente mea inchoatam perfici volo, & pro ſtructura lego ſummam in codicillis ſpecificandam.

Magnifico Demetrio Duci in Wiſniowiec & Zbaraż Palatino Belzenſi, Campeſtris militiæ Prafecto: nec non Conſtantino Duci in Wiſniowiec, pro omni benevolo ſtudio ago gratias. Debita ijsdē inſcripta & aſſecurata ſolvi volo.

Reuerendo in Chriſto Patri Andreæ Olſzowski Epiſcopo Culmenſi, Procancellario Regni, pro magnis multisq; erga me meritis, & quòd mihi ad ultimum uſq; ſpiritum conſtanti officio & operâ adſtiterit, gratum affectum conteſtor. Eidem Procancellario amanter committo, & concredo, ut torquem aurei uelleris Sereniſſimo Hiſpaniarum Regi remitti curet. Venerabilē Alexandrum Wolff Abbatē Pelplinenſem, cujus in obſequio ſingularem fidē, promptitudinē, à primo Regni mei exordio agnovi, obligo, ut circa ſepulturam corporis mei, eandem pro demortuo teſtetur, quam vivo exhibuit, eundemq; Sereniſſimæ Reginæ conſortis meæ chariſſimæ Patrocinio impensè cōmendo.

Generoſum Felicianum Wąſowicz Capitaneum Narvenſem, qui à teneris mihi fidele & indefeſſum impendit obſequium, probiq; & diligentis viri implevit partes, Sereniſſimæ Reginæ itidem diligenter recommendo, pro tot annorum conſtanti obſequio, ut habeat recompenſationem, rogo Sereniſſimam Reginam, hocq; meis Executoribus injungo.

Generoſum Martinum Roſtocki Capitaneum Lelovienſem eidē Seren. Reginæ recōmendo, rogo, uterq; horum in hac orbitate, favore & Patrocinio Seren. Reginæ ſublevetur, & pro fidelibus tot annorū obſequijs, ex argentea, & Camera noſtra ſupellectili luculentam ha-

A. C. 1673 beant conſolationem.

Bona Zamoſciana ordinationi ſubjecta juxta mentem proavi mei Materni Joannis Zamoyski Cancellarij Regni tradantur ijs, ad quos de jure ordinationis ſpectant.

Porrò bona mea omnia & ſingula paterna, materna & alia quævis devolutoria (exceptis bonis Bialy, Kamien, quæ in ſumma centum millium florenorum Polonicalium generoſo Martino Roſtocki per me obligata & inuadiata ſunt) in exolutionem debitorum paternorum, maternorum, nec non meorum, ante dignitatem Regiam contractorum & legitimè deducendorum, converti volo & ordino. Excluſis tamen ijs debitis, quæ ſuper bonis meis in Hoſtico ſitis (in quorum poſſeßione egomet non extiti neq; ullos ex illis fructus percepi) inſcripta & aſſecurata ſunt, quamdiu eorundem bonorum poſſeſſionem, Hæres ſeu Succeſſor, Hæredes ſeu Succeſſores mei non adierint.

Bona autem mea mobilia in Regia dignitate acquiſita in auro, argento, clenodijs, ſummis paratis, & ex œconomijs currentibus ad me ſpectantibus, nec non ex ſummis theſauro Regni, & theſauro M. D. L. à me mutuò in publicum datis, ac quoquo modo inſuper mihi debitis, tum quæ per Status & Ordines Terrarum Pruſſiæ mihi aſſecurata ſunt, ad hæc & in periſtromatibus, ac alia quocunq; nomine vocitata ſupellectili Regia univerſa & ſingula, nullis exceptis Sereniſſimæ Reginæ Dominæ Eleonoræ conſorti meæ dilectiſſimæ do, dono, & inſcribo, cum ea obligatione, ut omnia debita mea, à die meæ ad Thronum Regium evectionis contracta, juſtè & legitimè deducenda, tum & mercedes deſeruitas, aulicis & ſervitoribus meis realiter exolvat: nec non legata mea in ſeorſivis codicillis expreſſa (quibus per præſentes robur idem, ac uim, prout ipſimet teſtamento eſſe uolo) expediat. Omnes autem aulicos & ſeruitores meos uſque ad ſupremi funeris mei exequias in ſervitio retineri, ſuſtentari, ac non prius, quàm peracto funere, ſolutâque debitâ mercede, expediri volo, & ordino.

Hujus verò ultimæ voluntatis meæ & codicillorum ſeorſivorũ manu meâ ſubſcriptorum Executores nomino & conſtituo.

Sereniſſimam Reginam conſortem meam amantiſſimam, cui ultimum dico vale, ac pro omni amore, & benevolentia refero gratias.

Reverendiſſimos in Chriſto Patres, Caſimirum Florianum Ducem Czartoryski Archiepiſcopum Gneſnenſem.

Albertum Korycinski Archiepiſcopum Leopolienſem.

Andream Trzebicki Epiſcopum Cracovienſem Ducem Severiæ.

Stephanum Wierzbowski Epiſcopum Poſnanienſem.

Stanislaum Sarnowki Epiſcopum Præmislienſem.

Andream Olſzowski Epiſcopum Culmenſem Procancellariũ Regni.

Magnificos Alexandrum Lubomirski Palatinum Cracovienſem.

Michaélẽ Pac Palatinũ Viln. Supremũ M. D. L. exercitũs Ducem.

Joannem Tarlo Palatinũ Sendomiriensẽ. Demetriũ Ducẽ in Wiſniowiec & Zbaraz Palatinũ Belzensẽ, Exercitũs Regni Campiductorẽ.

Joannem

Joannem Sobieski supremũ Mareschalcũ & exercitûs Regni Ducem. A.C. 1673.
Joannem Leszczynski supremum Regni Cancellarium.
Christophorum Pac supremum M. D. Litv. Cancellarium.
Michaëlẽ Casimirũ Radziwil Ducẽ, vice-Canc. Capiductorẽ M.D.L.
Andream Morsztyn Thesaurarium Regni.
In quorum fidem præsentes manu meâ subscriptas sigillo muniri mando. Leopoli die 5 Novembris, Anno Dni 1673.

Michaël Rex.

(*L.S.*)

ANDREÆ OLSZOWSKI PROCANCELLARII REGNI AD MARESCHALCUM. Janovia 15 Novembris.

EX via, versus Varsaviam, ad te cum valedictione, & mille votis, ac benedictionibus deflecto. Legatus Turcicus, victus instantiâ meâ & temporis circumstantiâ acquievit tandem 4. die post mortem Regis rationibus, ut audientiâ habitâ, literas in manu meas consignaret. Ubi ergo intellexissem nihil illum tulisse indecori, post lectum titulum literarum per Interpretem Atlakowicz sine ulla diminutione, & immutatione antiquæ formæ; suscepi illum 13. currentis in numerosa assistentia Commissariorum, Nobilitatis, & populi, in tuo Palatio. Interrogatus utrum quidquam sive publicè sive secretò dicendum haberet, nihil sibi commissum esse respondit, præter contenta literarum. Expeditio ejus differri debebit ad conferendum tecum, cum Primate, & Senatu apud eum residente. Interim convenientius foret eum aliquo prope Leopolim, aut Halitium ad fortalitium relegari; quidam censent mittendum Varsaviam, quod ut non probo, sic non opto, ne manifestæ nuditates & miseriæ nostræ Barbaris pateant. Tribunal Leopolienſe cœpit eadem die lunæ; in præliminaribus deposuerunt juramentum Commissatij, ex formula constitutionis. Aulicus Palatini Sitadiensis stetit in objectione, contra Capitaneum Koscianensem, ex quo hic thesaurum tetigit, dum ad breve tempus administratorem ageret accisarum majoris Poloniæ: tuebatur se Capitaneus quietatione Thesaurarij Regni, rejectaque causa in crastinum, non constat quomodo post meum abitum judicata. Ordinatio tribunalis fiscalis omnes causas privatas, contra milites ad ulterius tempus suspendet; consentirent facile Commissatij in limitationem, intenduntq; tuum hac de re per literas sensum requirere: meo tamen judicio præstat, ne otiosè agant, quando miles in æstu ipso tam cruenti belli, cruentis obsequiis meretur & exigit justum stipendium. Convocatio, multo magis Electio futuri regnantis non debet, & nec potest celebrari cum præjudicio Exercitûs, in quo flos & robur Equestris Ordinis, & tanta nomina Senatus. Nihil ergo eos abducat ab inceptis Martiis actionibus, à quibus non tantùm Patriæ, verùm totius Christianitatis spes, & salus dependet. Ad propositionem Turcicarum literarum, quomodo nam rescribendum sit;

A.C. 1673 sublimis tui judicij requiro sensum, quem habita deliberatione cum senatu, & Deputatis in Exercitu residentibus, communicari mihi postulo. Tractatum pacis, si ad eam, pronam se Porta ostenderit, meo judicio non contemnendum censeo; dummodo cum restitutione ablatorum, & cum securitate Hospodarorum, terrarum Valachiæ & Moldaviæ. Lublinum excurram pro posta; spero me ibi adhuc inventurum Tribunal, unde etiam te literis compellare non desinam, antequam ad Diœcesim meam revertar, aut ad Abbatiam, ubi tricas habeo cum Monachis, variorum machinationibus, præsertim Romanæ curiæ favore seductis. Vbi venèro Varsaviam, urgebo Nūtium Bonvisi ratione pecuniæ: Timeo aliquas Interregni difficultates, etiam ex ratione ambiguæ adhuc Primatialis dignitatis; cui nōdum expeditio sacrorum Romā venit; id tamen plurimum prodest, quod Diœcesis Cuiaviensis sit in possessione nominati Gnesnensis, quē toties requisivi, ut suam, sub tempus interregni, Varsaviæ fundaret residentiam.

ANDREÆ OLSZOWSKI PROCANCELLARII REGNI, AD SUPREMUM REGNI MARESCHALCUM. 8 Decembis

NOn vincere tantùm, verum etiam uti victorijs optimè nôsti, quando munitis per præsidia fortalitijs Valachicis, cincto Cameneco, proxima peditatuum dispositione, prudentissimè insuper fesso Exercitui respirium in Podolia & Pokucia indulsisti: Lassato enim, & enervato hyemalibus laboribus milite, verno tempore uti esset difficile. Nunc verò existentibus in nostra manu fortalitijs, facile primo succrescente gramine excurrere erit, versùs Danubium, impedire pontes, & trajectus hosti, imò, tractu hoc, quo iter belli, igne & ferro exusto, desertos campos pro munimento habere; spes in Deo, fore, ut tanta clade perterritum, à succursibus & commeatibus præcisum, & alienatum, citò fortunæ tuæ & solidissimis succumbat Camenecum consilijs. Exercitus Litvani reliquum (cujus 15. vexilla numerat Cancellarius Litvaniæ) vix non consultius pro sustentatione sua, si eam in Valachia habere non potuerit in limites suos, deducere per Vcrainam, & modesto agmine redire, accepta ab eis assecuratione tempestivi iterum ad sacrum bellum regressûs. Ratione externorum susidiorum, quod fatali Principis renitentia anno præterito omissum est, nunc omni activitate compensabimus. Masini, qui est in comitatu Dapiferi Regni, ad Principes Italiæ, Succamerarius Varsavienis in Galliam, Angliam, Belgium, Hollandiam, Daniam sunt designati; in Moschoviam missæ literæ, & Swiderski privatâ meâ Epistolâ informatus: Commissionem Leopolienseim svadebam limitari, Deus parcat, qui obnitendo prævaluerunt. Timeo, hinc, non optandam sequelam, ferociore, post victoriam milite, nisi eum sola tua prudentia, & authoritas in patiente expectatione continuerit. Comes Eting ab Imperatore cum condolentia venit ad Reginam:

ratis

Ratione pecuniæ 100000. flor: Renensium, primam expecto postâ, quam ob difficiles trajectus hac septimana non spero. Ad tuarum literarum nominato Gnesnensi per copiam missarum authoritatem, acceleratus est terminus convocationis. Intenderam antiquo proposito, interhæc tempora Romam tacitè excurrere, jamq; in societatẽ itineris adsciveram Referendarium, sed arcanum nostrum revelavit Paradisiensis Abbas; mihi tamen maximè injecit compedes respectus tui, cujus optimis sensibus, idem meum velle & nolle dedico. Scripsi ad Masini, ut singulis mensibus certam exigeret summam. Imperator Christianus quovis mense accipit 70000 Imperialium punctualiter ab Hispanis & Hollandis, infortunium nostrum, quib9 modicum promittitur; nihil præstatur; ratione cujus acrius expostulo cum Apostolico Nuntio Bonvizi. Innueram aliquid præteritâ postâ de rumore vulgi Candidatum sceptro Polono, & conjugio Reginæ viduæ destinantis: cum verò relatio ista fundamento prorsus careat, verecundior sum, quàm ut de re ignota affirmem: Proindeque te rogo maximopere, ne ullam hujusmodi rumoris mentionem facias, ac ex Epistola mea punctum hoc penitus delere velis. Optimo nôsti experimento, quam sub interregno nostro plena sint omnia verborum, studiorum, censurarum: nolim ego author fabulæ fieri, cum præsertim futuræ Electioni me non immiscere statuerim. *A. 1673.*

COPIÆ LITERARUM AD CARDINALEM VRSINI A PROCANCELLARIO REGNI. die 29. Novembris.

ATratam afflictamque Poloniam ingenti, & planè incredibili solatio DEUS ter Optimus serenavit, cum victoriam post hominum memoriam maximam altero à morte Regis die, apud famosum Chochimum ductu JOANNIS SOBIESKI Supremi Mareschalci fortissimo Exercitui nostro donavit. Fas profectò est cùm Propheta eloqui: admiramini, & obstupescite, quia opus factum est in diebus nostris, quod nemo crederet, cùm narrabitur. Ex descripta ab Andrea Załuski Nepote meo, ad me exarata relatione belli, & glorioſissimæ victoriæ series Eminentiæ Vræ. patebit, quam summa lætitia Sanctissimi Dni Nostri ac totius Romæ, imò Christianitatis acceptum publicoque applausu cohonestatum iri minimè dubitans Eminentiæ Vræ obsequiorum meorum promptitudinem devotissimè commendo.

COPIA LITERARŨ AD DOMINUM LOMBARDUM DE DATA VARSAVIÆ die 13. Decembris.

ACcipio literas ab Illustrissima Dominatione Vestra ad me directas. Crescunt in dies majores adversitates Illustrissimæ Dominationis Vestræ, quæ etiam fidem, ac nomen ejus labefactant spragitur passim periculum esse ne Illustrissima Dominatio Vestra pleni-

potens

A.C. 1673 potentiâ sibi concessâ in Reipub: Polonæ detrimentum malè utatur. Ego tamen immobili constantiâ pro partibus Illustrissimæ Dominationis Vestræ decerto, & omnia bona mihi, alijsque polliceor, neque aliquid demortuo Rege statui permitto, quo nota iniquior dignitati & existimationi Illustrissimæ Dominationi Vestræ inuratur. Per hos dies excurram ab Aula ad cognatos meos, nihil tamen me absente Illustrissimæ Dominationi Vestræ præjudiciosũ tametsi adversarijs intentis statuetur. Scripsi ad Eminentissimum Cardinalem Datarium prout ex annexa copia patebit. Electio novi Regis Mense vix Aprili indicetur. Ego privatam agere vitam, neque me Electioni futuræ immiscere decretum habeo. Non enim convenire existimo, ut fortunam famamque & judicium periclitetur, ne forte iterum contingat mihi judicare, Reipub: errare. De reliquo Illrmæ D. Vræ gratiæ me commendo.

XXIX.

RELATIO CHOCIMENSIS VICTORIÆ CARDINALI URSINI ANDREAS CHRYSOSTOMUS ZALUSKI

Ultima Decembris.

DUplex mandatum ab avunculo m o & insigni Eminentiæ tuæ ervo his diebus aeeepi. primo ut me ad legationem hisp animam præparem, non tantùm ad reportandum vellus aureum, quod remitti post quemvis aurei velleris Equitem omnino debet, sed etiam ad petendas contra immanem Christiani nominis hostem suppetias. Secundo, ut relationes, quæcunque ad manus nostras certæ & indubitatæ venerunt, diligenter colligam, combinem, & Eminentiæ vestræ quantocius mittam. Faeio id eò libentius, quò ferventius feror in obsequium tuum Princeps Eminentissime. Sine cura ergo verborum.

Turcâ mihi jam operis argumentum ejusque labes, quam illi victor Polonus cladibus insperſit. Par est, ut eunte per gradus belli fortunâ, crescat felicium comes Narratio; & post Seytharum non tam prælia, quàm funera, æternitati majorem inserat triumphum. Ante hunc tamen longior domi pugna, etsi hanc etiam post animorum pax composuit. Auxere ergo calamitatem domestica, quòd præter externum hostem, intus Patria per animorum divortia scinderetur. Non pauci dum Regijs partibus student, in magnos Patriæ Cives odijs feruntur; quæ ut demum extincta, operæ pretium est ante præmittere. Puduit nonnullos palam hunc ignem alere, quem clàm nutriverant, quasi iræ latendo vim nocendi exuant, aut innocentiæ nomen induat, in malum clàm intenta molitio. Aderant qui modum ausui ac jus vellent præfigere; Sed ea temporum fuit ratio, ut mallent indigna pati, quàm corrigere; & publico dissimulare silentio, quod intus improbarent: quod in scenicum agendi modum desinant consilia, quæ obnoxius timori vel gratiæ profert Civis. Nec securum fuit à partibus abire, hinc enim Palatinus Russiæ vir togâ armisque clarissimus sæpius quasi sub ictu. Sanè cùm ad Regem copias ex Palatini legibus deduceret, indigna munere ae fortunâ pertulit. Crevit itineris furor, qui aliter componi nequiit, quàm exacto Herois jurejurando ex cogentium sententia. Parum aberat, quin jam per Bronlewscij facinus perduellionis deferretur, incitante quorundam odio, quod nefas dissimulat in vindicta. Et crevisset per occulta malum, nisi dolum eventa

Rerũ status in Patria

ta luderent, ruerent in caput noxium, quæ inſontem animum impetebant. *A.C.* 1673
Nam ipſe Bronieſcius concitati comitij odiorumq; ſcopus, verbi temere effuſi piaculum diſtricto in ſe omnium ferro luit. Nec citavêre leges nefas ſed parricidium hoc noxa occumbentis abolevit. Fœdus ergo tunc initum, unde Patriæ malis iret medela. Addita juramenti religio de nexûs conſtantia, quo ad res Patriæ componeret, & ſi paulò, poſt nexum ſolverit partium diſceſſus, re penitùs illibatâ, ad quam ſacramento adigebantur. Putide ibidem accepta legatio Złotnicij victoriæ Kaluſſienſis nuntia; adiitque is vitæ periculum inter Cives, quod non extimuit inter hoſtes. Indicta nihilominùs honoraria miſſio ad exercitum Mareſchalci imperio triumphisque celebrem, Perfuncti hoc munere Proceres, Palatinus Inowladiſlavienſis, & Rogoz. ſis Caſtellanus alijq; ex equeſtri Ordine. Legationis argumentum fuit; victrices cum Duce copias ſuaſu flexanimo trahere, quo Rex regnique vires confluxerant. Improbavêre comitium caſtra; ceu non è more Patriæ vel genio libertatis eſſet, ubi hanc convellerent recentia imminutæ exempla & ſacra inſuper jura læderentur in ſacris faſcibus abrogandis. Urgebat adhuc Caſtreaſe ſenaculum, quonam auctore feratur per Mareſchalcum vetita Polanovio in Getas arma, quæ toties eo cruore imbuerit, nec captivi citra ferri parſimoniam in ſe à milite Polono actum pernegent? Non ſatis ſe expedire potuit error imò fabula. Pertexta dein legatio, quâ Dux cum milite poſcebatur, ubi Rex & Palatinatus in armis eſſent. Datum id Patriæ votis & ſi ſolutum jam fama caneret conventum Regium, quam Palatinus fide publicâ diluebat. Sed dum rurſus non dubia de partium diſceſſu perſeruntur, Mareſchalcum ab itinere jam in proxima Scebreſino copias inferente revocârunt, Palatinum ægerrimè habuit ſubita præter fas datamque fidem armorum Regni ſolutio, hinc per tabellarium Mareſchalco queſtus, ſibi pollicitis illuſum fidemq; ſuam ludibrio propinatam quam è mente Reipub: illi eorum obſtrinxerit: ignoſceret proinde alieno piaculo, non ſuo; ſeque inter intimos reponeret. Mareſchalco tamen ea rerum ſeries & illuſa profectio curas publicæ rei non exemit. Querimoniam à cive Patriæ expreſſit dolor publicus, in Patria non Vivi jam legibus ætatum tot labentium uſu ſanctis conqueſtus: comitiorum & Tribunalium Nomina militaris colloquij uſu aboleri: ſentiendi dicendique præripi libertatem. Nec animo cœrcitus dolor, quin è Caſtrenſi ſententia novum coaleſceret fœdus. Huic ut lubricæ fidei anam auferat, Sacramento militari nexum illigat fidemque religione adſtringit. Exemplum capit miles, & conceptis verbis idem adhibito Numine appromittit. Promiſſi vis in eo conſtitit: Fidei Orthodoxæ & Principi ſtudere: in hoſtes Divinæ crucis animos hoſtiles gerere, eosque armis ultricibus perditum ire: fœdus animos innexurum, donec Reipublicæ tranquillitas ſibi conſtet. Hinc diſpoſito per ſtativa exercitu petita Pruſſia, tenuitque tantiſper Mareſchalcum in Mevenſi Satrapiâ.

Novum in Patria fœdus

Legatio fœderatorum ad Mareſchalcum & exercitum

Annus interim labentis ſæculi tertius ſupra ſeptuageſimum iniit, cum quo vulnus Patriæ & nondum obducta recruduit cicatrix, quod antea ſopiri cœperat, Varſaviæ malum latius viſum gliſcere. Opprimere id haud kcuit; niſi per lenta remedia, vel quæ nihil haberent remedij præter Nomen. Adhibitus tamen ad concilianda partium ſtudia Cracovienſis Præſul, qui pulchro in id, nec tandem irrito conatu incubuit, Lovicium quo pars adverſa Procerum conceſſerat, profectus è Principis regnique voto, idem publici obſequij in Palatinum Vitebſcenſem devolvente. Ibi Regem inter & alienatos Optimatum animos pacis arbitrum ſe geſſit, Jamq; Mareſchalcum Pruſſia Lovicio reddiderat. Audiit hic redux quæ pacl firmandæ attulerat Antiſtes, in quo conſilij & auctoritatis plurimum depoſuerat attrita pene in publico

Partium diſſidia comp. ie Andr: Trzebicki Epiſc: Cuiav:

A.C. 1673 blico & togæ conſilijs ætas. Non deerat ſententiæ dicentis pondus, & orationi dignitas, quam per ſumma rerum momenta libraverat. Oppoſuit mite civilis facundiæ fulgur Mareſchalcus, quâ præcipitium Reipublicæ, ſubverſionem legum, libertatis diminutionem expendit: quædam item ex alti dominij more tranſigi, cui ſagax cautio in lingvas & calami libertatem, ac velut ſuſpectos plurium congreſſus; quod ſe ſe impeti putet, dum quorundam animi in bonum etiam coaleſcunt. Hæc ultro citroque dicta excepit legatio Venceslao Leſczynio à Lovicienſi ſenaculo commiſſa. Regem hic & Reipublicæ ordines adiit, in eam profatus ſententiam; Sibi & Proceribus pacem publicam cordi eſſe, nec quidquam potius, ſine qua exitium capiant imperia: cives ſe Patriæ eſſe, quam proinde nolint peſſundari! a Principe & Republica ſe nil requirere, quam ut Patriam ſibi ipſi reſtituat, in qua ad priſtinum morem legeſque omnia exigantur, antiquam comitiorum rationem, forique judiciarij, quæ nuper aboleri cœpta, revocato uſu repetendam: ſi quæ alienæ voluntatis in ſe indicia noſcerentur, hinc duxiſſe originem; quod facilè animos invertat legum everſio, apud eos maximè, qui Patriæ ſtudent; abire in diverſa eosdem, ubi morum diverſitas intervenit. Comiter accepta legatio, & pulcherrimè cœptis Cracovienſis Antiſtes inſtitit. Iamque ſenſim viſa miteſcere partium odia, cum iterum nova erupit flamma. Facem præbuit Camenici fatum, in cujus auctorem placuit inquirere; vota ejuſmodi accendit è Proceribus non nemo, adeſſe conſcium aſſeverans. Non tenuit vota indicij novitas (quæ ſtudia plerumque abripit) reique noſcendæ cupido. Prodire jubetur, quem comitia indicârant, Łozinſcio cognomen erat. Is verò (ea voci emptitiæ libertas & fandi inerat licentia!) flagitium primæ inter Antiſtites Proceresque purpuræ, ſummiſque Nominibus per ſummum nefas impingit. Addidit non carulſſe pretio facinus, quod duodecies centenis millibus conſtaret; tanti illud barbarum emiſſe, nihil tanto pretio non venale. Inſuper commentus in partem ſceleris & præmij iviſſe Podoliæ ſummum Præſidem, quem Triumviri Majores in idem piaculi ſubornârint, ceu ſuo facinore in unius manu depoſito, & ſub alieni Nominis obtentu non nihil occultato. Movit oratio commentatitia confeſſum auguſtalem; Sed Podoliæ legatos maximè ſui Præſidis injuria, & impactum tanto nomini nefas; quarè à Principe eam certatim non tam gratiam, quàm primani è frontis audaciæ pœnam exigunt, ut arctiores premant obſervent que excubiæ fabulæ auctorem, alterum deinde ultimumque ſupplicium, ni ea, quæ prælicenter in publicum jactaret, argumentis, quæ nulla noverit, adſtruat. Datus in cuſtodiam apud Hilarium Polubinium M. D. Litvaniæ. Mareſchalcum; ubi per mollia primo itum in explorandam conſictæ proditionis ſeriem. Is in eum modum rem pertexuit: Se non ex alio notitiam traxiſſe, at ſibi id planè compertum fortuitis crimen pandentibus, nam currus auro argentoque prægraves ſe præteriſſe ignarum primò, quonam tam locuples gaza ſpectaret; mox tamen exquirentis curioſitatem illud ab eis hauſiſſe, quorum currus ſub pondere pretioſo gemerent, id pretium eſſe, quo venale Camenecum ſolveretur. Atque ut ſine freno lingva eſt, ſemel in convicia effuſæ unum convicij genus haud ſufficit, adhuc adjecit, ſe apud Andream Pruſinovium haſtatæ militiæ ſigniferum amorem per obſequia iniiſſe; demum obſequijs ſolutum, Złoczoviæ domicilium fixiſſe ibique è ciſtula Pruſinovij amiſſo Cameneco illic hoſpitis, duplex ſchedium clàm eduxiſſe: in horum uno Armeni fuiſſe vota, qui uni è denuntiatis Proceribus velit ſupplicari pro more venia in pecunia devehenda, quam Bizantij gaza nondum ſubmiſerit: Sed ſchedulam, quam ipſe clàm tulerit pari plagio ſibi ablatam. Sic impoſtor plures fædo facinori implicabat, plurium in ſe accerſens odia, quàm in quorum labem

Omtio Venceslai Leſczynski nomine Lovicciani confeſſus

Turbamenta pacis à Lozinſcio

Poſtulatu. Podoliæ

dato in cuſtodiam

Adhuc tamen fabulã pertexente,

turpi

turpi convicio laborâſſet. Non hæſit Varſaviæ fama, voluere nacta ingenium, Lovicium mox pervolat, ubi tum Pruſinovius. Perculit inſontem rumor piacularis, ac è veſtigio Variaviam intulit famæ laboranti opitulaturum. Apud Lubomirſcium (qui tunc Regni Curiæ Mareſchalcus) is calumniæ Lozinio intenditur. Sed forum invidiæ plenum agere Lubomirſcius detrectavit, quod defugerent, qui cum pari potestate aulæ præerant. Demum duplicem cauſa toti conſeſſui, quæ ſtabiliendæ pacis momenta lubrueret; vilia potior concordiæ urgendæ ratio, cui ſanciendæ Proceres Lovicio jam adeſient. Sed tamen pacis intererat, fabulam à Lozinio contextam æquitate fori diluere. Quare Pruſinovio efflictim perurgente, ad ſupremum Regni Mareſchalcum delator poſtulatur. Falſitatem mox deprehenſa mendacia detexére, patuit Pruſinovium poſt jacturam Camenici haud comparuiſſe Zloczoviæ, ut actor objecerat: ſe ipſum inſuper apud delectos cauſæ arbitros refutavit, temere jactata inficiatus: Nempe nihil ſibi de venundata urbe, nihil de tantæ molitionis auctoribus compertum. Scelus tamen novo ſcelere auxit, cum in alios calumniæ invidiam rejecit, quorum auctoritas eum in hæc commenta damnaverit. Submiſſum à Proceribus memorabat, qui interpoſitis eorum pollicitationibus ac figmenti præmijs (ut eſt venalis apud eos veritas, qui mercimonium falſi exercent) venalia apud ſe commenta mercaretur. Quare cùm ſemper intricatius forum iniquitas actoris redderet, Mareſchalcus ultro ſe judicis munere evoluit, forumque ex utroque Procerum Ordine delegatis commiſit. Primo cauſæ aggreſſu repetijt dicta Lozinius, ſibi promptum eſſe, palam eos redarguere, qui apud ſe mendacium venale prominſis emerint, quo famæ triumvirûm labem allineret. Perendie vacillabat hominis fides, qui heſternis etiam calumnijs eam demeret: ivitque gradatim ut coniminiſcendi pervicacia, ſic ſuî refutatio, à ſe dicta in univerſum meræ fabulæ commentiq; damnante Lozinio: quæ temere effudiſſet maligno tribuenda teſtatus ingenio, in rumq; hunc ſuæ malevolentiæ fatum eſſe, ex cujus officina hujusmodi partus prodeant, qui in alienum caput aliquando fulmen procudant. Sic tandem innocentia per calumniam ſuſpicione ſceleris innexorum applauſu purpurati judicij abſolvitur; at Lozinio prænium convicij, ſententia capitis irrogata, ſat mollis, ſi moles criminis affecti juxta ponatur. Sed capiti etiam parcendum duxit, amavitque vilis alioqui ſanguinis parſimoniam Mareſchalci integritas; illud egregijs, quibus Patriam ſerenat factis adijciens, ut vitam hominis deprecaretur, qui alienæ famæ vulnera ſic amaret, Gedanum deportari tantùm modo ſcelus juſſit, ubi pœna delidiæ irrogari ſolita crimen plecteret: ne in eo quidem ſupplicio amans conſtantiam, cui reum exemit, tanta Ducis magnanimitas, & inacceſſus etiam leniori vindictæ animus, pulchrum vindictæ genus autumans, vindicta non egere.

A.C. 1673

Calumnia diſcuſſa

Variatim. pejor

Tandem negat ante dicta

Calumnia puna

Hue uſque Regni diſſidia, quæ ſopitis partium odijs tandem domeſtica pax excepit adulto & ad ultima eunte Aprili. Priſtinam in formam reducta omnia, & nova conſiliorum forique pulſa ratio. Pacis jam bellique conſilijs data opera, ubi è Procerum voto arma in Turcam violati fœderis & rapinæ reum decernuntur. De numero & delectu militiæ, de ſtipendijs veterano legendoque militi conditæ leges. Numerus militiæ ad millia ſexaginta decreto pertigit, non ultra dimidium eventu poſtea progreſſus. Lecti Centuriones & Tribuni: indictum multiplex tributi genus, privatorum ærario ſæpe augendo, quàm belli nervo opportunius. Ad hæc invitata in belli ſocietatem Litvaniæ arma; ad Europæ Princeps

Bellum in Turcam decernitur

decre-

A.C. 1673 decretæ legationes. Pulchra consilia, ni exitu negato fædarentur; communi consiliorum fato, quæ proferuntur facilius quàm fiant; & solatia ingerunt ac fausta rerum præsagia, quàm diu audiuntur. Nam & vectigalia moram passa, cum urgerent stipendia, oppignoratis demum regni insignibus refusa; & exercitus dimidio minor, quàm edicto Comitia sanxissent. Castra ad Squaravam sita dum Rex inviseret, affuit Mareschalcus, instructo exercitu Majestatem adventumque Principis veneratus. Postridie sub tentoriis itum in belli consilia, ubi pleriq; Proceres cunctationem armorum suffragiis proscribebant, non satis tamen constantibus, cum vota rimante profundiùs Mareschalco, & jam jam iter in hostem imperaturo, otidui moram poscerent. Regem interim vis morbi in dies vehementer, quæ paulò ante illum corripuit, castris excedere cò-git, ad extrema properantem Leopolis accipere jussa, Principis salute à Medicis conclamatâ. Quare summam rei gerendæ i.i Mareschalcum cum summo armorum regimine, ac cœlestium suppetiarum voto transfudit. Inter suprema officia, gravissimâ oratione instituit Mareschalcus: se quidem imperium armorum capere, sed non perinde bella exire, atq; capiuntur: primordia penes utrumlibet esse, hostem videlicet aut civem, sed exitum uni officere. Quid si Mars aleam invertat, & malo ultimo Polonum implicet? Quare ut sibi summam belli gerendi, sic Principi conservandæ illustris militiæ curam incumbere, quid enim virium superesset, hâc amissâ? quæ tunc hostem reprimerent, ne dum profligarent copiæ. Hîc totum viritim effundi, quidquid aviti sangvinis & vividæ virtutis Patria suo sinu complexa. Vix esse illustre familiæ nomen, quod arma non induerit: vix bellatorem armis strenuum, qui non signa virtute nomineq; auxerit: Poloniam se castris totam infudisse; totam ab stirpe perituram, si quod in nos fortuna scelus audeat: Nec minorem jacturam Nominum, quam virium fore; ubi Patritiis arma Equestris Ordinis permista Martem Polonum juxta ac Litvanum in parem ducat aleam. Ni manus hæc Thraciam domet, cervices omnium jugo infami atterendas, & Poloniæ suis insepultæ ruderibus illud Poloni vatis inscribendum.

Summa rei gerendæ cò-mittitur Mareschalco.

Ejus ad Regem oratio.

Cum populo jacet hic, & ipso cum Rege Regnum! Quare eas demum Regias partes fore, peregre bellantium integritati consultum velle novis interim coactis viribus, si hæ in Dacia periclitentur. Audita hæc, & melioris exitûs spes ingesta. Secuta dein mutua officia atque vota, inter quæ Leopolim Rex, Mareschalcus movit in barbaros, triplici viarum tractu exercitum dispertitus. Per eximia tunc bello fœlici proluvium, insessis arcibus, nec ultra rapinam passis. Id laudis per imperia datum Nicolao Siemavio copiarum regni Signifero. Hic trium millium equitatu assumpto egit, quod ab Heròe, atque ab Heroicis speres aquilis. Rapuit hosti cum urbibus vitam, metu alibi præmisso jugum extorsit, quod accepit Satanovia, Jarmolinici, Zynkowcij, ubi prædatricem manum diu scelere frui nefas fuit. Nec nostra tantùm repetiit, sed hostilibus etiam cum spoliis ivit in famæ capitolium. Turcam obtulit campus, nec prædam minorem. Nempè annonam Cameneco liberaliùs submisit Oriens; ne deesset quo scelus raptoris viveret. Sed annona hæc præda militi Sieniaviano fuit curruque frugibus referti melius palatum alere jussi. Hinc alacrior felici commeatu miles Interamnem Roxolanam seu Miedzyboziam petit, Sieniavii Patrimonium; quod illi mox ferrum reddidit. Nam & si pronis Civium in hæredem animis, oppositi se se violentis furor, qui Turcas armaverat. His inter

Iter in hostem gloriose actis illustratū à Sieniavio

Recepta municipia.

Capta præda.

Erepta Turcis Miedzyboziam.

ter Civitatis anguſta fuſis, reliquos, quos arx acceperat, cum aree vis obtinuit; ibi etiam experta, nihil imbellius eſſe Aſiaticis, ſi non molles animæ ingruant bellaturis. Recepit ergo hæredem arx & civitas, recepit & præſidiũ victoris; quod utique urbes ut metu frenat, ſic in officio retinet. Adhuc arma felicia Barum progreſſa, quod Alexander Kryczynius armis Tartaricis inſederat. Huic gubernacula urbis, præmium perfidiæ ac defectionis à Polono fuêre quæ Mahometes Orientis tyrannus transfugæ obtruſit. Nam apud barbarum venale etiam ſceluseſt, & præmia capit aut depoſcit fœdũ facinus. Hic verò Alexander è Scytharum propagine fuit, qui olim deductis in Podoliam, Volhyniam, Litvaniam colonijs, ſtipendiarij Polonis per locum originis effecti, nuper ad Ottomanum tranſierunt. Prædux in facinus fuit Alexander, & hinc urbanæ militiæ regimen; delijtque ibi virtutis eſſe præmium honor, demum fatis, quæ pridem factis obſtrinxerat, Bari gubernacula filio ſuperſtiti ceſſit, atque ut ſecurius eſſet tradux in ſtirpe ſcelus, copijs firmatum, quas milleni æquè deſultoriæ fidei Scythæ (Lubcos vulgus vocitat) conflaverant. Hinc non perinde Barum, ac aliæ Sieniavio urbes patuêre. Juvit loci naturam pertinacia civium, qui perfidiæ aſylum nacti, ſecurius, moram in deditionis conſilia poſcebant, ante hanc oblivia flagitij, illuſæque fidei auſi paciſci. Mora flexiſſet in ſubjectionis arbitria, ſed moram Ducis imperia vetuêre, quæ in caſtra ſigniferum revocabant. Quocirca ſecuritatem perfidis pactus veniamque admiſſi in obſtrictam fidem piaculi, caſtra repetijt. Porrò exercitus ad Tyræ oſtia, qui vicum Luka dictum ſuperfluit, jam pertigerat. Splendor nominum armorumque cum virtute ac numero in decus militiæ conſpiraverat. Pulcher erat ordo ſeriesque ſignorum Caſtrenſium. Flos inerat Procerum, & primarum in Regno propaginum nomina. Adeo non vili ſangvine itum eſt in barbaros; tantus vel gloriæ publicæque rei amor, vel nuperæ labis abolendæ ſtudium animos impleverat, Tyras tranſmittendus fuit eo loco, ubi utraque ripa Lechici juris, hic imbrium vi auctus vadum negaverat, & auſos per ipſa tranare pericula, vortici implicitos gurges hauſit. Ratibus ergo frenati fluctus, exercitum placidius tranſtulêre, mitiorque ſub jugo Neptunus fuit. Traxit hic trajiciendi fluminis labor pluſculos dies, hinc præclarior, quod hoſtem latuerit. Litvanam aciem poſt Lechicam accepit amnis, ſed prius alij extra amnem inibi fluctus. Querelas excivit commeatûs penuria & equorum ſtrages, quos incommoda viæ abſumpſerant. Et favit querimoniæ veritas; ſed commune id ſocijs belliſq; malum. Stativa inſuper & quietem laſſæ cæli injurijs ac inter viarum aſpera vires depoſcebant; alioquin prius viſuræ ſuorum finera, quam hoſtem ſi mora tantiſper intercederet, dum Tyram glacies adſtringat, & frigore concreti fluctus bella tranſportent: denique commeatus penuriam prius, quàm hoſtem, depellendam, ſic ad imperia Ducum promptiorem (vehemens victoriæ argumentum) fore militem, quem ſervare potior ſit Imperatoris gloria, quàm hoſtem ſternere.

A.C. 1673

Tentatũ & Barum Vbi Kryczynki Scytharũ Libkorũ primipulus

Tyrã trajicit noſter exercitus

Continuandi trajectûs remora

Frequens militiæ corona locum oppleverat, ubi hæc urgebantur. Deprompta ſimul ab animo, quæ obliqua premebat ſuſpicio, alias latebræ amans, per ſuperiorum annorum quoddam contagium, quidlibet ſuſpicandi, & cuncta torquendi in ſiniſtrum, quamvis enim, quæ in vulgus atrociſſima jactabantur, lex publica damnârit convicij, nondum tamen ad ſummum omnia ſuſpicionum in pleriſque exhauſta, corruptiſſimi ſæculi vitio, ſemel in deterius credita non facile diſcernendi. Perculit Mareſchalcum inopina cunctatio quæ fatiſcentem Patriam auxillis penè in acie exarmaret. Paucis tamen interceſſit, graviſſimè præfatus: Malè moram exigi, cum res arma

Cui intervenit Mareſchalcus

A.C. 1673 poſceret: Sero item reprobari à ſingulis, quod probatum ſit antea univerſis: at in hoſtem decreta Regni ſuffragijs arma, non moram imbellem; pulchrior poſt bella quies, ſeu redeas victor, ſeu cadas non inglorioſus: ſuo demum arbitrio quiſq; ageret, ſe hoſti ac victoriis ire obviàm: id Comitiorum placita, id Regni calamitatem depoſcere: nullius conſilia vel exempla ſibi obicem laudis poſitura, aut ante revocatura in Patriam, quàm hoſte perdito, Patriâ ſalvâ: eligere ſe belli aleam, quam certam ab otio labem: deniq; ſtare fixum animo, aut redire victorem, aut gloriosè geſtis immori. Orationem Ducis non ſecunda admurmuratio accepit, & cœpta in deterius ivêre, nam vix dum plenâ luce poſtridie affertur, vota tranſijſſe in certa animi decreta, nec ultra proceſſura ſociorum auxilia; ingens Polono Duci curarum auctarium. Nec ſupremum Litvaniæ Ducem belli togæque laude conſpicuum crebri ſuorum queſtus non reddebant anxiũ. Somnum illi eripuit labor in opprimendo malo, quod per commilitones iverat. Quia tamen noverat ægrius occultari vulnus, quàm accipi, imò idem tegendo ali; placuit ab amici colloquio medelam capere, cui ægritudinem animi detegeret. Is fuit Aquilifer Poſnanienſis, vir ab armis & conſilio ſtrenuus, & quod tum potiſſimum ſpectabatur, rectus citra fucum & ementitam veri ſpeciem, eoque quibusvis apprimè carus ut in hujus ſinum animi arcana effunderet, vetus viri amicitia fecit, ſumma alloquij & querimoniæ; Rem ultra condictum procedere: prævolare aquilas Polonorum, ſe legere veſtigia non expectatos, nec in eo devinctam fidem exigi: relinqui ſe ſe à tergo, ceu bello inutiles; temni auxilia, quod non curentur dum veniant, qui ſic præcurrerent, quid aliud agere, quàm ſuis præripere cõmeatum & paſcua, ſocijs deſerta ſola & vaſtitatem relinqui? Ad hæc ſtipendiariæ operæ tempus elabi, quod metam ſervitij præfigat, bella ad extremum differri poſſe. Hæc Dux amicè, ideoque præfidenter Aquilifero, contrà liberali facundiâ differenti. Inerat viro mirus in dicendo lepor, & gratiæ raro fœdere illigata libertas. Bellum is communi ſuſceptum conſilio memorebat Regni calculis huc illatum, Ducatu Litvaniæ ad hæc ardua, ſed pulchra inflammante; neglecta hæc læſam Imperij reverentiam inferre. Nec in volentium arbitrijs ſitum, ut bella differant; auferri quippe periculo conſilia, hoſte tam vicino: arma ſocia haud quaquam temni, quæ tantopere optentur: non ſperni reliquos, ſi alter prævolet, nec præripi paſcua quæ nulla ſe uſquam ulli offerant. Quid, quod plus periculi ſubducta ingererent auxilia, quàm ſponderent adducta præſidij? exemplum enim ad alios auxiliares iturũ, & orbanda milite ſigna, at hinc hoſtem erigi, animos fortium labefieri neceſſe; denique non potiora nunc ſtipendia, quàm Patriæ ſacrorumque tutelam, nec ſtipendijs bellandi moram definiri ſed communi periculo. Deprompſit & illa, quæ diluere veritas ſvaſit, quorum pleraque inficiatione depulsa. Tenuit Ducem Signiferi oratio, & omnem ab animo ægritudinem abſterſit. Itum confeſtim in Mareſchalci tentoria, ubi plenius ſopita, quæ vires amicas diſtraherent, aut eis Tyram ſiſterent. Quare pax armorum animorumque turbidum illud excepit, idemque utrumque militem ardor ultra Tyram provexit. Poſtremus amnem calcavit Mareſchalcus, cui in ulteriore ripa defixo obvius Andreas Wolff læta nuntia pertexuit, Principi Vallachiæ ab arcanis & intima aure. Propenſam Vallachi in Polonum voluntatem & prompta in barbaros arma obtulit: ſed moram tacitum fœdus non ſinere, quæ periculum creet, ne lento molimine ſe pulcher dolus extra efferat: celeritatem triumphos canere, ubi cunctatio vel hoſtem vel auxilia eripit: certam hoſti perniciem ab inopino malo. Verùm illa Daciæ in Polonos inclinatio ultra arcanum enixa, diſcrimen Stephano Principi mox creavit.

Supremi Ducis Litvaniæ ſollicitudo

Vladislao Skoraſzewski mentem aperit

Cui reſpondente Polono

Malacia animis reducta

Stephanus Petryczay ko Princeps Vallachiæ arma offert Mareſchalco

Caſtris

Caſtris proinde illum expulit juſtus timor, & nocturna evaſio periculum *A.C.* 1673.
eluſit. Socium Principem malis eximere, curæ Sobieſcio fuit; ſubmiſſusque
periclitanti equitum globus ſub Korycij & Miączynij ductu, qui in arcem *Ejusdem periculum Cuj à noſtris ſubducitur*
Soczavienſem ſuperioris Vallachiæ citra noxam deduceret. Par itineris du-
ctus nobis obtulit Ottomanicum legatum ad Poloniarum Regem. Viſum Du-
ci & purpuratis Heroibus honorariâ in ſpeciem admiſſione uti; at armorum
apparatu percellere barbarum potior mens erat. Datus is muneri, quod geſ- *Legatus ad Regem Turcicus.*
ſit, honor. Ille publicam Regni ſalutem ſterili voto, & cui fidem ſacrilegi-
um gentis ademerat, proſecutus. Poſtulati ab eo codicilli, quos Principi per-
ferret: Duci permiſſum hauſtâ è literis notitiâ, maturare negotium, ſi quod
ferrent. Nam fama legationis ante huc permanârat quàm legatio perme-
aret. Sed vota eluſit tumor, ſuo Principi deceſſurum ratus, quidquid hono-
ris demeretur literis: hîc verò adimendum, ſi alius quam Monarcha ſigillũ
literarium ſolvat, Regium id duntaxat eſſe, ad quem imperio ageretur cer-
tum ſibi hujus regiam adire, nec niſi fatis iter præverti poſſe. Nihil tumo-
ri repoſitum; nec tanti intererat è literis nôſſe, quod pacta panderent. Via
Regia permiſſa barbaro, quam mox inijt, pleno ſub ſignis exercitu inter har-
monicos militaris muſurgiæ concentus legati oculos præſtringente. Eam de-
mum vocem ab eo fulgor armorum expreſſit, quâ in aurem Ducis immur-
murans monuit, moram cœptis Dux adijceret, haud propero Marte ru-
endum eſſe: opinione citiùs ſe pacis nuntia relaturum. Raptantur dein *(Vulgo Truſ ſiwbum)*
copiæ in Daciæ intima, ubi difficillima viarum propè Hieraſum ſuperata,
& ſiluæ olim latrocinijs infames. Sparſus per itinerum abrupta miles, &
alibi vallibus, alibi crepidine vel aucto torrentium tumore lentior, biduum
moræ inibi Duci indixit, dum in plana evaderet. Adeſt interim nova cum
Joanne Rzeczycio præda. Primos Moldaviæ Dynaſtas rea in Principem fu- *Capti Moldaviæ Dynaſtæ ſui Ducis de-fertores*
ga illi fortuitò obtruſit; dira omnia ſibi ominantes, ſolenni improborum pœ-
nâ, in quos conſcientia tribunal agit, & ante ſententiam condemnat. Ca-
ptis in pœnam timor abierat, violatæ fidei reis, quæ Polonum inter & Mol-
davum ijs conſcijs arcano fœdere alebatur. Sed cominus accepti, quam ne-
fas præfagiit, noſtrisque permiſti copijs, quadam amicitiæ ſpecie, potius e-
ripiendæ deinceps fugæ conſilio. Eodem loci dieique alibi quæſita & capta
hoſtium indicia, equites duo, quos Turcæ Spahias vocant. Nil ab his ca- *& Turcæ*
ptivitas expreſſit: ſola Ottomanici laboris comperta improbitas, quem mu-
niendis ex arte caſtris augur exitij metus, vel fiduciæ alendæ amor indixe-
rat. Numerum hoſtilem ſupputare neſcijt incerta oratio, uti & de Tauri-
cæ auxilijs fides captiva fluctuabat. Plura didicimus è Daco centurione ad
Huſſeimium & utriuſque Daciæ caſtra tabellario. Hunc Stephanus Princeps
egregio ſuæ fidei documento, in Sarmatiæ caſtra ire compulit. Aiebat is
caſtra Imperatoris barbari, unde nuper cum literis exiſſet, ultra Danubiũ
ſita, ponte fluctibus injecto connecti. Numerum militiæ infra veri calcu-
los recenſuit, quem non ultra ſex millia proferret: Kaplun Baſſam trahe- *Kaplun Baſſa auxilia-rius Huſſeimi in Cetſora*
re majora auxilia Huſſeimio, cui ſumma belli gerendi poteſtas ab Impera-
tore Orientis demandata, innectenda; quo tamen omiſſo Jaſſios caput
Vallachiæ Baſſam petiſſe, ibique Stephani mulctando facinori, pa-
latio, cœnobijs fanisque ſtrenuè expilatis, defectionem flagitio ma-
jore caſtigâſſe, fixis demum poſt tam egregia caſtris in Cetſora.
Hinc deliberationis bellicæ materies, ut fortuita dare ſolent. Prima an- *Hunc aliquis primò ag-gredi ſuadent*
te bellum arena ſecum conſilia commiſit, quem primum arma Sarma-
tica peterent. Baſſæ ad Cetſoram fixi Interitus quibuſdam vota occupat
minuendas, quæ Huſſeimio irent, vires jactantibus: paucitatem exitio fo-
re obnoxiam, & delecti Baſſæ famam novum contra Huſſeimium fore te-

A.C. 1673 lum, imò à priore secuturæ cladis capienda præsagia, primo fortunæ piaculo subrui plerumque animos, prout prima cessérint, sic de omnibo præsagos: minoribus triumphis ad palmares præludendum, ideireo armis gravioribus securiùs collocatis, toto equitatu in auxiliares barbaras irruendum. Sed hæc speciosius jactata, quam ut puncta omnium ferrent. *Sed vicinior major ij, hostis eligitur* Vicinior hostis placuit ejusque interitus: perinde visum est ante suppetiarum nexum majora convellere, atque ademptis per ferrum auxilijs: idem enim hostis & eædem vires cæus minoribus supererent, imo cæsi Hussei-mij fama vires dissitas metu conficeret aut majorum dedecore in fugam erudiret. Neque per minora decus nominis prensare fortium est. Vincat, quem maximum potest virtus. Non item sat securum ab armis gravibus divortium videbatur: incertum, quid exitus ferat, quid si nec hostem ibi reperiat eques, ubi hunc à socio quidem Principe submissus, sed tamen hosti obnoxius reponeret? versæ igitur in vicina copiæ, & si effusus humenti cœlo imber viarum solida molliret. Latè stagnârant campi, & iter cœno fœdaverant, donec tandem ægrè per uliginosa gradiente exercitu, leucæ unius spatium nos ab hoste dirimeret. Adhuc militem Ducum imperia à triumphi auspicijs abstinebant. Ludicro Marte priùs in castris prælusum, ut ante exercita virtus, errorem à manu ictuque proscriberet. Demum nona Novembris instructa triumphali bello aci-*Belli Chocimensis præludia* es, ac per suos ordines scitissimè explicata, tunc primum pugnæ præludia placuêre ab Athanasio Miączynio levioris armaturæ legionario captata. Hic primæ belli fortunæ objicitur, & statim excubiæ Turcicæ prima illi victima, tum arma, tum fuga illas sustulit, vinctique, ad Marescalcum missi, Principis victoriæ argumentum. Profugis sex cohortes barbaricæ militiæ suppetias ferunt: sed nec ibi sat præsidij metu victis, auctûque hosti dedecus, utrisque Athanasio exitium afferente. Præludiorum gloriam nulla in nostris temeravit strages. Nam Athanasij frater præda quidem fit tantisper hosti, sed vis repetijt incolumem. Athanasij tamen cassis vulnus retulit, sed illæso Herois capite, quod non ausum violare ferrum, thoracem illi effregit hastile barbaricum; sed nihil in latus inconcussum conto licuit. Tandem Chocimenses campi, olim etiam nobis inlaureas fœcundi, nostram aciem acceperunt. Porrò Chocimum, arcis nomen est, quæ Tyræ fluvio Podoliam à Dacia dirimenti, depressiore ripâ imminet, Arcis dextro lateri objacet ejusdem vocabuli oppidum ad quod per prærupta & scopulos iter, nihil in oppido pulchrum, præter commune cum arce nomen, non muro, non sepibus ambitur, nihil aditum vetat pecudi, ne dum viris: mapalia virgultum, aut panna palustris condit, quam lutum pro calce adstringit pariter ac deformat. Sinistro arcis latere clivus clementiore jugo assurgit, quà Tyram ponè præterlabentem despectat, præcipitio horridus, eundem arci pons præaltus adnectit; nec aliud ad arcem iter. Altera Tyræ ripa, Podoliæ limes ac initium est. Superiorē arcem & Zwanecum oppidum Chocimo intra pilæ tormentariæ jactum objectat; oppositio lateri dissitum duabus leucis incubat Camenecum. Hussei-mius colli, quem prope arcem tumor extulerat, castra circumfudit, quasi fortunam cum loco raperet, quem antea contra Osmanum felicior Polonus insederat. Pontem insuper ratibus fluctuantem ferre Tyram cōgit, extremū pontis claudente propugnaculo, quod immani opere labor exeitavit, Polonus dein obtinuit. Castra vallū & fossa munierat, nec non quadraginta fulminatrices machinæ firmaverant. Am-

Chocimi descriptio

Castra barbara Hussei-mij

nis

nis ſic præmunitus, Polono è Podolia occurſuro aditum vetuit, ſed Tyras finibus Podoliæ illabens alibi Polonum tranſtulit hoſti præter ſpem aliunde illapſum, qui frontem munierat. Promptum jam fuit noſtris confligere, ſed barbarus arenam detrectabat, intra valli tutamenta, hærente ignaviâ metu, an jure, incertum: valla abditum tenebant, donec vis proliceret. Fama in auxilia ſperata moram retulit, quæ Baſſa à Cetſora, Tartarus aliundè ferret, & ſabbatum inferret caſtris, quod eadem delevit, inde velitantium Turcarum minæ, fatalem ſupremumque eum diem Poloniæ, præſagio fallente, increpantium. Velitatum interim utrinque; nec paucos felix velitatio Turcas abſtulit. Ex noſtris Andreas Modrzewſki Pocillator Siradiæ, globum pectore excepit, qui ſumma cutis perſtringens carnem extimam libavit. Thomæ Zaleſcio ſimilis ictus incidit, & tibiâ pedis ſaucium Romano Coeliti æquavit, Franciſci Kobylecii eqvum glans ferrea in funus icit, ſeſſore illæſo, quod tela non feriant, quos triumphis potioribus fata deſtinant. Aucta hujus diei felicitas novis, & eò gratioribus, quod hoſtilitatem exuerint auxiliis. Duci Polono ulterioris Daciæ Principem eam innexuerat animorum conſenſio. Crevit per occulta partium amor, qui armis etiam arma poſt animos conjunxit, quæ a Mareſchalci nutu penderent, nihil non ex ejus imperio geſtũ. Urgendus jam in arma & barbariæ funus videbatur Oriens, qui noſtram cunctando lauream differebat. quare ut victoriæ parantur audendo & trophæa ſtatuit magnanimitas, felici audaciæ jaciendaalea committitur. Obſidium hoſtile imperatur, quod mox in coronæ modum barbari ſpelæum circumfundit. Copias non unicus diſtinxit ordo. Præfectus excubiarum ripam fluminis obtinere juſſus, è Regione Ducis Moldavi. Proxima loci tenuit cum ijs, quas ductabat legionibus Ruſſiæ Palatinus, vir Heroum ſæculis invidendus. Hinc reductiore ſpatio ſupremum Ducem cum lectiſſimis Procerum campus accepit, & jam indè in faſtos gloriæ iturus, quod inſolitæ meſſis ferax in laureas Duci eviruerit, poſt etiam in coronas: Vicinia obtigit alteri armorum Duci Demetrio Wiſniowiecio, cui à ſangvine pariter ac munere Ducis geminatum Nomen. Hinc modico intervallo legionarij Palatini Kiovienſis ſe ſe infuderant. Coronam hanc velut obſidionalem clauſerant Litvaniæ Duces cum illuſtribus copiis ad ripam Tyræ, qua Zwaneeum proſpectat, latius effuſis. Interjecti igneæ militiæ ductores ac fulminum emulatrices machinæ quinquaginta, quæ media inter legionarios ſpatia in orbem complexæ. Primum ergo in hoſtium caſtra fulmen militares ex ære machinæ profudêre, quarum nitrati tonitrus à Præfecto ignei Mavortis Martino Katſcio ſcitiſſimè librati primam ſtragem dederunt. Nec alij defuêre in fœderum ruptorẽ Joves, qui ignibus miscerent omnia, alibi Ioanne Denemark, alibi Ioanne Rutkoſcio & Henricovio flammis minacibus ſæviente. Alia duo latera Tonantes alios paſſa, & repetitum toties è Litvaniæ Vulcania fulminum horrorem. Nulla pars feralem procellam non vomuit; & terrorem intenderant irati cœli æmulæ ſimul undique tonantes machinæ. Plegram diceres Gigantibus fatalem, & Jovis ignibus concuſſam iterum & fumantem. Excuſſi etiam tum globi, cum ſui exitio ſubitam peſtem ſveti effundere, quam intus ac velut in utero gerunt; Marte jam & mortis artificia quærente, ac ingenij laudem captante in cædibus. Inter hos tonitrus, quidam in ſpeciem aſſultus adornatur protrahendis in aperta hoſtibus. Poſt Ioannem Denemark traxit eodem complures gloria, quæ ab arduis calcar ducit.

A.C. 1673

Velitationes

Georgius Gika Dux Moldaviæ arma ne a biſcum ſociat

Obſidio caſtrorũ Turcicorum

Diſpoſitio noſtræ militiæ

& Litvania

Primum in hoſtes fulmen è toramentis bellicis

Secundum à perſonato aſſultu

A.C. 1673 ducit. Emicat eodem Coſaccorum equitum peditumq; ductor legionarius, Samuel Motowidſo, hic ex mente velut ultimorum præſaga, cunctabundo Marte rem primo aggredi viſus, mox tamen audentior, & primæ cunctationi ſubiratus, quæ in fortibus etiam locum habet, ut pulchrius vincant, dum & ſe ipſos vincunt. Hinc non defugio, inquiebat arenam, in qua vel fato ultimo ſtat ſacra Chriſtiana aſſerere: volentem mors opprimet, ſi actus inter ſtrenuos ultima intentet: naſcitur, qui ſic moritur, & vitam in ævum morte perendinat. Inter hæc tumultuaria illa inſultûs molitio primò velut ſcenica, mox ſeria, atque, ut vota quandoque caſus corrigit, vel aliorſum flectit, quàm ſe intenderant, imperata ultra imperium abiêre, cum perſonam veritas aſſultûs abſtulit. Nam qui ſeſe neſcit premere ardor, in partem caſtrorum imperio deſtinatam irruit, inter reciproca hinc inde tela, valli ſumma inire & vallarem inducere molitus. Luſit hoſtium vim ad geminam horam producta & nuda ſuppetijs periclitatio; donec effuſa Janizarorum tempeſtas audaciam periculis intrepidam cōércereret. Paucorum cæde conſtitit generoſa impreſſio, quæ tribunum illum ſui præſidium fati oppreſſit magnis auſibus immortuum, exhauſtâ prius in barbari necem pharetrâ, documento, Heroas non ruere, ne ſuâ etiam ruinâ plures opprimant. Hic ille miles eſt, cui undeviginti annos ſervilis triremium labor honeſtavit vincula. Nam dum grandiora agitat, quàm ut ea fortuna ferat, Thracum ducentorum nece, qui navem vinctosque oneraverant, mercatus libertatem ſuam aliorumque trecentorum, quos Liburnicæ hoſtilis ſervitus nervo & operæ addixerat. Venetias dein victor appulit in triremi, in qua primò de fortuna, pòſt de hoſtibus triumphavit; eâ tum laude, tum gratiâ Venetorum, quam liberale quotannis congiarium deinceps conſecutum. Præter tribunum perpaucos eadem arena fatis implicuit; iviſſet tamen in plures exitium; niſi tribuni ærarij cohortes, Regnlq; Dapiferi tempori veniſſent, quæ effuſo milite erumpentem jam barbari equitatum intimis valli reddidêre. Nulla tunc alia, quàm rurſus equi jactura Franciſco Kobylecio Caſtrenſis fori arbitro, veteri fortunæ more, quæ ſoſpitat Heroas, nec in virtutem audet ſcelus committere. Data aſſultui, ſed rei tormentariæ negata quies, & laborem igneum levabat clades barbarica, nullusque à meta collineantium error; cum interim molliùs reſponderet hoſtilis fragor, & errore mulctaretur ruditas feralium balliſtarum. Sole jam in veſperum declivi, purpurati Heròés Ducem adiêre. His poſt pleraq; , quæ uſus tempusque tulerat, noctis vigiliæ in acie perſvaderentur. Eaſdem hoſtibus indixit timor, ne noctis præſidio tutior audeat virtus, cui dies per aperta molimina ſic defluxiſſet. Quocirca vallum excubiis; noctis intempeſta, incondito clamore onerant, ſomnum in pervigilio mortis averſati. Nondum diluculum noctem depulerat, cum tormenta Huſſeimij immuni tonitru ſonuerunt; duravitque repetius aliquamdiu fragor, qui nihil præter ſonum effecit. brevi velut periculo perfunctum hoſtem accepit quies; nec jam ſonoris ignibus ſævitum, aut aura vanis clamoribus fatigata. Dies interim per lucis incrementa ſenſim auctior illuxit, Divo Martino Turonenſium Antiſtiti hunc ſacri temporum faſti dicārunt, ſed nova illi à triumpho celebritas. Favit & MARIANVS dies infulati militis natali conſecratus, ne Polonia MARIANIS ſceptris obnoxia, ſe vincere putaret, niſi ſub auſpiciis ſuæ Regnatricis. Procerum quidem conſilia triumphalibus lucem proximam deſtinârant; ſed fatum diei alio vergebat cælique benevolentia, quæ cœpta fortuita exitu illuſtri impertijt. Decreverat Dux Orthodoxus rei Divinæ primo aſſiſtere, quod diei ſvadebat religio, & rerum auſpicia

Qui invētā mox evaſit

Samuelis Motowidio mors & encomium

Nox in armis vigilata

Dies belli & victoria

à divis

à Divis capienda, ſed ſacram ſupellectilem caſtra peregrè ſita tenuerũt. *A.C.* 1673
Adhibita in expectando mora, quam Ducis ſolertia ſervire gloriæ ac virtuti cõegit. Situm valli barbarici objecerant viciniora Prætecto rei tormentariæ ſtativa, illico Dux cum Polanovio locum proprior explorat, & ſecurum in aditu valli fecerat in caſtris Huſſeimij alta quies; perſpecto cominus ſitu, martio mentis ratiocinio uſus, exitio propiora tormentis deſtinat. Et piguit moræ, citra quam infirma valli vi fulminum convelli jubet; ne quidquam alijs dubias rerum vices cauſantibus. Adjecit facto præſagium, pollicitus, Martia ſuorum ſigna ante evolutum horæ ſpatium vallo hoſtium ſe illaturum. Itum in Imperatoris ſententiam & per hanc in victoriam, nam ab imperio cœpit laurea, & paruiſſe, auſpicium fuit vincendi. Manavit per omnem militiam felix edictum, quod ſvaſit vincere, docuitque parendo. Rurſus ergo heſternæ tonantium machinarum minæ repetitæ. Omnia fragoſo Vulcano tonare, valli pars obnoxia vitio adſtringi, & hiatu iter triumpho pandere. Nec ſola in Turcas tormenta exarſerant, arsêre pariter commilitonum animi, quibus per ignes caſtris irrumpere fixus labor. Ducem imperio, manu Herõém miſcuit Mareſchalcus, ipſe ante aciem, diſtricto in Orientis interitum acinace pedes progreſſus, exemplique violentiâ ad pulcherrima perurgens. Acuit iras oratio, punctim (qui Heroum ſtylus eſt, ſed plus lacertorum habet) armorum ſocijs illud ingeminans: irent alacres, & ſacrorum injuriam ferro abolerent, quæ vel barbaros tangit: Patriam labantem erigerent, cujus fortuna in præceps eat, ni ſuorum virtus fulciat ruentem. Ergo miles, barbarum feri, & vince: brevibus momentis, ut animus præſagit, hæc conſtat victoria. Secundùm hæc eqvus ſeſſorem accipit, mox præmunitæ pijs Orthodoxi Sacerdotij apprecationibus, ac cælitum ope imploratâ, palmares centuriæ triumphalem aſſultum ineunt, præcipitijs perinde ac planis uſæ, per abrupta & vaili impervia non tam ire, quàm penè ſubvolare videbantur, uti nec teſtudinem amat velox victoria. Enituit inprimis peditum ardor valla caſtrenſia ſubeuntium. Dextrum agmen præduce Chriſtophoro Korycio, & Michaële Zebroſcio: ſiniſtrum Dõnhofij. Joannis Tetwin, & Aſſueri Heydepol ductu in valli ardua ivit. Par gloriæ votum primis immiſcuit plures ab armorum faſcibus inſignes, nec in faſtis morituros. Refudit primam gloriam Hieronymo Petricovio ſudor, qui cum turmalibus Martini Ratſcij primus vallarem coronam facti in ſolentiâ adeptus, in vallo barbarico ante alios conſpectus, Agmen aliud duxêre præter alios Joannes Denemark, Chriſtophorus de Bohan, Joannes Greben, Stanislaus Piotrkowczyk. Franciſcus Gaſecki, ſecuturis ipſa victoriæ clauſtra vel oſtia ignis ferrique violentiâ auſi reeludere. Ceſſerunt ardua, dum eo fervore, qui victorias parat, viritim irrultur, nec aſſultus primam diſtulit palmam ultra horæ dimidium. Fixa in ſummo Thracij valli Orthodoxæ militiæ vexilla, prima heroicæ virtutis trophæa. Sudorem tamen expreſſit gloria. Nam valli editiora non niſi pulſis, qui aditum ferro clauſerant, Thracibus patuêre; uti nec parvo conſtat decuſſeximium. Inſeſſor valli impetus jam viſus vincere: cum veluti ſigno dato per prima virtutis oſtia robur exercitûs irrupit. Per prima peditum veſtigia irruit uterque vigiliarum Moderator cum Poſnaniæ Aquilifero pluribusque paris virtutis, non imparis fortunæ. Rea tamen primo ingreſſu fuit cupiditas, quæ prædæ avida, ſpolia prius rapere maluit, quàm victoriam. Unica hæc fuit oculorum labes, quos libido auri vicerit ductoribus ad orbitatem ſignorum ingemiſcentibus. Nec infeſta armis barbaries adventitio Martl non gravis; & erevêre animi cum vacua milite avaro ſigna cerneret. Sed fregit ferocem impetum victa cupiditas, à qua prædabundus miles cõercitus, ſignisq;

Occaſio conflictus maturandi

Imperata oppugnatio caſtrorum hoſtilium

Fiunt imperata

Mareſchalco animos acuente

Vallum hoſtile primus occupat Hieronymus Petrikowski.

Figuntur in ſummâ vall. li parte vexilla Catholica

Conflictus in caſtris

A.C. 1673 ſigniſque ac pugnæ redditus. Reſtitit & haſtata phalanx, quæ ſimul ac irrumpente ſupremo Duce catephractas vires objecit, concidere prima barbari fortuna, periclitantibus alioquin, qui primi irruperant. Haſtas furenti oppoſuit Ruſſiæ Palatinus cum Michaële Rewuſcio; & unà in partem gloriæ involavit loricatus miles. Hic jam vincere cœpimus, nec tam pugnæ deinceps ſecuta continuatio, quam victoriæ. Pulli, qui primos remorati ſucceſſu, & arenam paſſim cognato ſangvine fœdarunt Quanquam iterùm illinc reſumptæ periculo vires, & malis crevêre, nec enim prima ruina omnes proſtraverat, & vindicta violentiùs bella gerit. Verùm hæc alterna fortunæ viriumque depulit vis recentior, quam ſubmiſſa è Ducis imperio auxilia effudere. Profuit Ducis barbari error. Intempeſtiva illi conſilia illusere, quæ pontis novo milite muniendi curam injecerant, illuc ergo aliquot ſuorum ſigna avocat, ſeque cum illis conflictui aufert. Fugæ ſpeciem relictis id præbuit, & idem facinus victis perſvaſit. Fugam tamen cœrcuit cædes, jam facilior in trepidos, & poſt excidium pedeſtris militiæ, quæ in Ianizaris florem & Principatum obtinet. Neque Solimano Baſſæ Boſniaco potius quàm in fuga conſilium, nec enim ſatis tuentur manus, cum deſunt animi. Plura comitum millia traxit in dedecus, dum verſus Cetſoram curſum effuſiore gradu caperet. Non tamen felicior pedum, quàm manuum uſu fuit. quippe in campo, quem fuga pulſaverat, obvia Ducis Demetrij & Potociorum ſigna fugitivum Martem excipiunt. Hæc dum armis fugam compeſſunt, fatalem arenam cogunt repetere. Paſſu jam libero cæſtra pervolabat Mareſchalco, cũ retrufus in eadẽ Solimano fugæ impetu acto periculo Ducẽ noſtrũ involvit. At exemit periculũ Comitũ manus Solimano gravis, quæ nullũ bello ſuperſtitẽ victriee arena dimiſit, Solimano ut ante fugæ, ſic interitus fatorũq; ſocio. In cædẽ hanc illuſtres animæ incubuêre, ne hic etiã Turno doleret, ſe minori quàm Æneæ manu cadere. Nã Solimano oppoſuimo digna vincere nomina, Palatinũ Caliſſiensẽ, & Poſnaniæ Caſtellanũ; ubi & Wronoviũ pluresq; legionarios arena extimuit. Reliquiæ infelicis exercitûs, ſe ipſis auxerunt funera. Rupes prærupta occurrerat meta fugæ; ex hac in amnem ultro præcipites fata ultima biberunt. Ruentium in præceps lapſus etiam noſtros involvit. Indoluimus Stephanum Bidzininm eo caſu concuſſum, & malo remedij vix patiente, ægrè ſoſpitem. Idem peſſumdedit caſus Ioannem Rzeczycium, ſed dum ſorberet barbarum fluctus, illi hoſte & fluctibus ſuperiores evasêre. Litvaniæ copijs ut arma, ſic gloria nobiſcum omnino communis. Non virtus aut comes virtutis fortuna prælij illis diſpar; ſed ubique par animus, & hoſti æquè fatale ferrum. Ibi Litvani Martis Ducem ſupremum fiximus, ubi palabunda fugientium examina ultimo exitio affecit. Pons Tyræ dorſo incubans adhuc fugitivis ſupererat, qui vitæ ſpem aleret; & illuc jam frena verterat timor, at Michaël Radzivillius Dux formidine perfunctos, vitâ etiam defungi juſſit: crevitque clades plurium ſignorum acceſſu, quæ mori cogerent. Nec pontis copia perituros juvit; trepidos etiam alios in arcis proxima perduxit; ſed ibi nullũ periclitantibus aſylum, quod arcem ipſam metus impleverit, nec plures capere poſſet aut vellet timor; hinc nova poſt repulſam in ponte arena, quem cæde ſuã rejecti funeſtarunt, plures, ne ferrum exciperent, præcipitio ſponte colliſi ſubjectam rupem fati violentiã conſignârunt, reliquis in amne iratiſque fluctibus miors viſa mollior, quam præcipiti in Tyram illapſu hauriunt. Fuêre qui vadum equis pertentarent, nec fluxam

Prima vis hoſtium repreſſa

Per haſtatã militiam

Huſſeimij factum imprudens

Cæſi Janizari

Fuga Solimani Baſſa

Qui redire cogitur in exitiũ ſui & ſuorum

In Tyram alij præcipites

Litvana copia hoſti graves

xam aquarum fidem veriti, nec fluctus ab imbribus tumeſcentes. Sunt qui ſcopulis implicitos & obrutos aquis ad decies mille adſtruant; & fidem fecit triſte ſpectaculum, cum barbaricæ tiaræ ſeu capitum redimicula undas latè operirent, tumeretque ſuperbè pileatus amnis. Sed novum inter fluctus à ferro periculum. Imminebant ſequaces copiæ cum Athanaſio Miączynio & Georgio Ruſzczyc Tribunis in profugos per Tyram invectæ & calcatis fluctibus illos adortæ. Cruentarunt amnem vulnera, qui eundem notatu quadrupedum ſuperârunt, prope Camenecum appulſos Polonus comminuit, peregre fugam cædibus proſecutus. Sic demum parta inſolens victoria, quæ circiter ſexagena hoſtium millia in acie fudit. Ex his ſex ultra triginta millia, idonea bello; Ianizarorum octo millia in caſtris arenam & tumulum nacta. Caſtra irrupiſſe, primus ad hanc gloriam gradus, locum penè ab arte inacceſſum, cui ſcopulos addiderat natura; nullus niſi magnæ virtuti illuc aditus, quæ ardua invadit, vilium contemptu. Pons tamen flumini inſtratus ter prope mille hoſtibus effugium præbuit, culpæ non nihil trahente ſequacium cunctatione, quæ tardius fugam ferro aggreſſa. Inſignioribus injecta vincula & ſervitus; quos inter eminebat Beglerbey ſeu Vezirus Urumeliæ: item Ægyptij Baſſæ filij cum Czauſio Baſſa, quibus compedes fortunam temerarunt. Non pauci Proceribus in prædam ceſsêre & Commilitonũ compluribus, quibus gloriam alerent victa & vivere juſſa mancipia. Auxit laureæ decus paucorum è noſtris jactura. Vix ducentos arena abſtulit; & juvat nomina, æternitati famæ conſecrare. Hic Joannem Zelęcium (cui venationis munus regia Poloniæ indiderat) amiſimus, qui tamen non alibi pulchriùs perpetuitatem nominis adijſſet, hîc Achacium Piſarſcium Satrapam Volbranenſem, qui cæſorum Heroum fata & immortalitatem ſociavit, hîc Joannem Rzeczycium, Andream Rozniatovium, Florianum May, Vladiſlaum Nowowieyſcium, Andream Straſcovium, quibus ſatis vixiſſe fuerit, & viciſſe. His accedunt alij è Polonis ac Litvanis equitibus ferè quinquaginta victoriæ immortui, quam ſanguine ſanxerunt, reliqui minorum gentium, & quidem plures in primo prædæ aggreſſu, quam in congreſſu triumphali; ut nempe mors quibuſdam ſupplicij vicem gerit. Paucis vulnus fortitudinis mnemoſinon contigit, cujus etiam conſpectu, diu triumphi Sarmatici monerentur. N. Sapiehæ, qui Litvaniæ Archippocomus ſeu Comes ſtabuli, cervicem glans ferrea perſtrinxit magnanimitate illæſa. Conarſcio Palatinidæ excuſſa ſphæra plumbea oculos effudit, quibus nihil pulchrius ſpectandum ſupereſſet, quam hæc ipſa victoria. Aſſuero Wrzoſpolſcio diſploſi pedis digiti, ne ſic quidem lentius in Heroum faſtos ituro, Morſztynio pedis tibiam læſit telum, qua tamen erectior virtus ſtetit. Lipnicio è repetitis vulneribus plurimum ſangvinis, plus gloriæ manavit. Adhuc victoriæ prodigium tempus exaggerat. Ternæ ſpatium horæ ſuffecit ad ſæculorum hiſtoriam, & ubi diurum plurium ſudores operam eluſiſſent. Caſtra Ottomanica truncis oppleta cadaverum, nec arena ſed quoddam Libitinarium fuit. Amnis denique tot animarum ſpolijs tumidus cruentus aliquandiu fluxit.

A.C. 1673

Amnis cruentatus

Numerus Caſorũ hoſtium

Captivi inſigniores.

è Noſtris pauciſſimi cæſi

Pauci ſaucij

Jam meridies aſpirabat, cum arma victoria ponere juſſit, & certatim in gratias ruere DEO victoriæ Auctori. Locus idem gratiarum, qui & victoriæ fuit, caſtris profligati Orientis Sacrâ Hoſtiâ litatum: tentoria Huſſeimij (quem fuga neci ſurripuit, non dedecori) fanum dedere ſacris ante ritibus luſtrata, cæterum è genio gentis ad faſtum ſplendida

In caſtris barbaricis ritè expiatis ſub tentorio Huſſeimij oblata ſacra hoſtia

A.C. 1739 da, in quibus adhuc pretium cum ſpecie certabat. Quin etiam DIVINÆ rei effulſit Orientis cera, ignesque DEO triumphales prima ad aram accendit, ſacris operante Adamo Przeborowski Societatis JESU Presbytero, & Ducis conſcientiæ arbitro. Carmen deinde Euchariſticum niſtis gaudio cantuique lachrymis ab exercitu victore inſonuit, nihil gloriæ ſibi arrogantia delibavit, quod non in fontem bonorum DEUM mens bellatorum gratiſſima refunderet. Verſæ jam in alia curæ. Prima propugnaculi pontis in capite excitati, quod juſſa inſidere cohors, quæ cũ Joanne Tewin in auctuaria hoſtilia Tyram tranſmitteret. At verò in ſuperſtites à fœda clade, comitata Samuelem Koſſakovium aliquot ſigna, quæ vittam illis cum vita eriperent. Fatale inſuper Ducis edictum, Tyræ accolis vulgatum, quo in Thracum reliquias ſorte obtruſas, jus necis imperatæ datum. Eadem dies adhuc tormenta noſtratia ſub arce Chocimenſi defixit, & militiæ pedeſtri locus inter valla hoſtilia deſcriptus, Mareſchalco & equeſtri militiâ ſua caſtra tenente. Nec enim area tam funeſta ſat victoribus digna, & à victis ſat exigere victoriam. Poſtridie majori apparatu Domino exercituum inſtauratæ gratiæ, reliqvum diei æneа fulmina in arcem Chocimenſem incuſſa abſtulêre, fuit hæc aſylum profugis, & quingentos ferè clauſerat; idem dies cohortes Turcicas ad Studenitſam obtulit Samueli Coſaccovio, quas Cameneeum repulit, urbis aditu poſt fœda prohibito; etiam hæ victorem Polonum veneratæ cadendo. Dies venit cultui B. Stanislai Koſtka per Poloniam veſtigalis, hanc indigetis Sarmatici tutelâ Dux fretus arci obtinendæ deſtinat. Non illuſa exitu vota, viditque religio Ducis, quæ optarât inter ſpei præſagia. Indicta primum nitratis fulminibus quies, tum per Franciſcum Kobelecium (unà cum Czauſio Baſſa captivo, obſeſſos is adijt) optio deditionis arci offertur; aut exitiũ, quod per ituros ſub terra dolos acciperet, ni ſe ultrò permitteret Duci, adeſſe in promptu, qui clandeſtino hoc ſubterranei Martis genere maturent loco perniciem: horam triſte id ſpectaculum conflaturam. Leviora eligit timor; nam & minæ frangunt, quæ non ab imbelli pectore funduntur. Data ex arce ſubjectionis teſſera: trium horarum poſtulatæ, datæque induciæ, quas ſecuta deditio. Auſa hæc paciſci tum libertatem ceſſuris, tum quadraginta currus rebus & ſupellectili eorum evehendæ: tum ut Cameneeum viæ ſecura panderet exceſſuris, & adhibito ſuper Chriſtianũ codicem jure jurando Dux ſuper his præſtandis fidem adſtringeret: Czauſius præſente Ducis nuntio poſtulata legit, lectiſque lachrymas ſuperfudit, illud mitiore voto adijciens: fauſta omnia vobis numen propitium, victores: par ut fixis humi vultibus ſuperos profundè veneremini, in quos tantum gloriæ cœlitus defluxerit, quantum vix uſpiam gentium in quemquam. Quin ergo ſuperûm favor vos in ſupplices provocet, qui leniſus eoſdem ac indulgentius habeatis? & mollia experti, qui ſeſe cum arce victori permiſerant, datumque non nihil quod poſtulabat ſubmiſſio: promiſſa nempè ſecuritas & libertas abituris: currus tamen pauciores, quam depoposcerant, nec juramento eguit Ducis fides, quam ultro daret atque auctoritate aſſereret. Sic dies Polono tutelari ſacer beneficia in nos repetijt, & mox geminavit gloriam, quòd tunc gemina Thracum millia, quæ cædes alibi præterijt, anguſtiæ deleverint, ducentis ferro exemptis per vincula. Adeò ex victorijs fluunt victoriæ illis, qui DEUM Divosque Commilitones habent, imò ad vincendum etiam confert, antea viciſſe. Poſterus dies ex arce deditos extulit, datusque ſecuritati comes. Baſſa Cameneci Gubernator humanitatem Ducis rependit quinquaginta captivis manu miſſis, quod

Cantu Euchariſtico perſonante

Verſa alio cura.

Chocimenſis arcis oppugnatio.

Ejuſdē deditio in feſto B. Stanislai Koſtka.

Quo die alibi Turca belli reliquia ad Studenitſam caſi

nullum

nullum ſit tam barbaricum pectus, quod gratia non molliat ac ingenium etiam ferum non excuret. Arx affatim annonæ commeatûsque militaris obtulit, accepto viciſſim præſidio, quod Ducis Radzivilij copiæ, item Ducis Conſtantini Wiſniowiecij & Palatini Pomeraniæ Ignatij Bąkowſcij præſtitêre. Tumulus ingens ſeu collis editior eodem die Ducis juſſu cœpit aſſurgere, poſtea in ſumma perductus, eò loci hic excitatus, ubi Huſſeimij caſtra, & Solimani cædes. Nam perennare par eſt trophæa & monimentis etiam ad poſteros deduci, quod vel tuæ virtutis admoneant, ut incites; vel alienæ labis, ut evites. Ibidem caſus & gregarij cujuſdam fortuna tulit, ut dum cæſo Turcæ perfoſſum alias pectus & lacerata viſcera prominere advertit, in eis auri venam repererit, quinquaginta aureis hinc eductis. Fudit eventus cupiditatem latius, quæ dum ſimilem auriſodinam alibi tentat, ſæplus deluſa, alias pari fortunâ & præmio laniena potita eſt. Uſque adeò in perituris, etſi ſub ictu ineluctabili, vitæ amor demum extingvitur, avaritia vivit: &, ut victoris mulctet fortunam, ſubtrahit quo videri poſſit ſelicior adeóque vitam proſtituens, occulit gazam. *A.C.* 1673

Mira auriſodina

Inter hæc fama de obitu Michaelis Regis caſtra pervaſit. Obitus in pervigilium victoriæ Chocimenſis incidit, qui triumphis dedit immori, ſed frui voluptate victoriæ; Principi haud conceſſit. Certè morbi vis eo uſq; pertigerat, ut medentium artem & ingenium reſpueret. Affedit is nuntius victricem militiam, jamq; pars reditum moliri cœperat, cum Dux abituris preces opponere, arcanis rerum momentis invadere animos: ſatius eſſe, non vincere duntaxat, ſed uti etiam victoriâ, & fortunæ auſpicia ad ſummum ducere. hærentes ſub Cetſora vires, perituris miſſas, nunc demum obruendas: id demum victoriæ genus eſſe nobile, ita vincere, ut vincendum nihil ſuperſit. Jahjs (Vallachiæ Metropoli) locandum præſidium: ad Danubium uſq; proferendam armorum gloriam & terrorem. Digna Herôe oratio, ſi aurem habuiſſet, ſed ultra voti gloriam haud proceſſit, ſatis Reipub: non nihil in obliqua ruentibus. Dum ſic Regni copiæ, fumalibus è tributis coactæ parvo ſocij irati exemplo ad focos Patriæ aſpirant, plures præda Orientis prægraves exemplo trahunt, quodam veluti contagio, quod cum venas peſte corripuit, per proxima gliſcente malo latè exitium fundit. Rara jam in caſtris ſigna, attenuatæ copiæ, quæ tamen nondum labefactârunt in Duce animi conſtantiam, quin Cetſoram ſigna reliqua tranſferret, auſu grandium in paucos reducto. Verum ut pulchra quædam ultra concitum ac initia laudem non proferunt, ſic noſtra exiêre. Egit in diverſa cœli tempeſtas, & equos plerisque ademerant crebra eorundem funera. At verò Moldavum Ducem Regiæ mortis nuntius penè proſtravit, & diſtractæ victoris copiæ, gravius telum. Adegêre hæc pavidam mentem, ut Bizantinum iter agitaret, quo conjugem ac liberos noverat abductos. Tutiora hæc ratus, quamdiu occulta, ne contribules quidē deſtinatorum arbitros eſſe voluit, Mareſchalci tantùm imperia cauſatus, quæ detrectare ſit nefas, cum ſuos in Daciam ſecum clam velut ex ejus nutu reduceret. Neque hic ſeſe fraus tenuit; Daciæ reditus, aliter ſuis copijs illuſit, ſine Duce reduces reliquit, ipſe Bizantium comitatu modico profectus. Ægrè Dynaſtis acceſſit geminata illuſio; monuitque periculi metus, ne, quo auctore jugum excuſſerant, recipere cogerentur, aut exuti pœnas expendere. Angebat inſuper admiſſum in Polonos piaculum, quibus devinctam ultrò fidem recens perfidia corruperit. Novo igitur documento illam aſſerunt. Ducis profugi fraudes detegunt, & ulterioris Daciæ tutelam deſerunt Mare-

Obitus Michaëlis Regis

Dux Moldaviæ clàm nos deſerit

Daciæ Dynaſtis indignantibus

Et ad Mareſchalcum reverſis

A.C. 1673 Mareſchalco, Ducemque novum oræ illi ab eodem efflagitant: ſeu id ſvaſerat timor, qui per indigna quandoque ſalutem prenſat; ſeu novi imperij amor quod ſuavius fertur, poſtquam veteris odium invaſit aut tædium. In dies interim minores Mareſchalci copiæ, non paucos è caſtris expulit domeſticus timor, nec enim hoſtem pertimuerant, ſed civem, bonis ſubveriti, per quæ iter exhauſto militi. Jacturam non aliter præverti poſſe putaverant, niſi in rerum ſuarum tutelam domum remearent. Adeo magnis, quæ quandoque molimur, ipſa ſe invidet magnitudo, & dum eadem attentant vota, eventa ſubruunt ac peſſundant. Quare Daciæ fluvius (Dzieza nomine) flexum felicium ſtitit: quin & inter-Regis auctoritas evicit, ut in Patriam Principe orbatam rediret victor. Diſpertitus per ſtativa exercitus. Ducem Leopolis venerata hoſpitem, & veteres Romæ triumphos ejus in reditu inſtauravit. Ille non alibi figere trophæum ſtatuit, quam Romæ quo vexillum Huſſeimio ereptum orbis Antiſtiti Clementi X. tranſmiſit, tum pietatis Polonæ, tum in Vaticanam Mtem debitæ venerationis monumentum cujus pedibus lunam barbaricam decrevit adſternere. Hoc illud eſt vexillum, ſub quo gemuimus ad fata Candiæ, & ſuam ſub eodem militare fortunam ſuperſtitio putavit. Sanè velut incertum victoriæ pignus Huſſeim Baſſæ datum à ſuo Cæſare. Et timuiſſet Polonus, niſi vis in manu certior, quàm pictis militiæ inſignibus foret, vel ſi lunas turbidi Orientis timerent Aquilæ, quarum palpebra vel ſolem haurit. Placuit ſacrorum ſummo Principi Ducis pietas, cum è tholo Baſilicæ Principis Apoſtolorũ illud Orientis victi labarum plaudente Româ appenſum æternitati Sobiesciani nominis conſecravit. At dum Patriam reviſit, & conſilij mole ſuffulcit hic Atlas, victoria (quod illi ingenium eſt, niſi ſeipſam quoque vincat) ultra moderationis terminos ivit. Vallachia militem, ut Campania Annibalem diſſolvit, hinc idem incolis gravis qui victoriam amabant, oderant victores à quibus tantùm in eos formidinis manaret. Timor iram aluit, quæ vetuit, ne adventantis Scythæ Polonos commoneret; ſolenne ſuum tenente odio, quod perinde alienis, ac ſuis ſe telis vindicat. Supremus Scythici exercitus Dux noſtris victoriâ ſecuris impendebat, etſi paucos illi equites ſtabuli funera reliquiſſent, quæ plures in peditum morem redegerant. Fundi poterat, ſi conſcios reperiſſet, quamvis ne ſic quidem, dum ſubitò adeſt, victor; namq; ab imperatis etiam (ut fert fortium uſus) Polonis fœdè fugatus. Nec ab armis illi deinceps vincendi fiducia; ſed mendacium terrore pugnavit. Ingentem ruere cum Sultano exercitum fama pertulit, valuitq; apud credulos. Hæc noſtris copijs perſvaſit, ne periculum adirent, è Dacia regreſſæ; ceu mallent ſe ſe non victas, quàm victrices. Monuit hic noſtrum reditus, Vallachiæ Principem, Dynaſtas, ut tuta poſcerent à Polono, cujus amicitiæ poſthabuerint pericula. Facilem fides amica reperit Mareſchalcum, qui providos benignè complexus omnes ſatrapiæ Stryenſi hoſpitaliter induxit, addito eiſdem loci proventu. In Pokutia noſter tunc miles; Vallachiam Scytha inſedit in dies auctior, & ex rapinæ ingenio Pokutiæ infeſtus. Remigiano Strzałkoſcio tunc noſter paruit miles, qui rapinam armis prohibuit, in quibus hyemem totam exegit, Tartaris per funeſta gravis. Etiam occurſu terruit, quod confligere non conſveſſet, quin & vincere; docuitq; id non una clades, & apud illum captivus Zor Murza filias Dynaſtæ Scythici Battirſa Beij. *Sic calet vel in algido virtus, & ab ipſa ducit opes animumque bruma!* Nec alibi frigide actum, tum Andrea Modrzewſcio ſervilem Coſaccorum Martem fatigante, tum Joanne Potocio Bratſlavienſi Palatino libertati Cameneci intento, & vicina infeſtante: quo effectum, ut barbaros exciverit

Vexillum Turcicum mittit Romam Mareſchalcus,

Status militiæ noſtræ in Vallachia.

Sultanus Galga.

Tartari à noſtris eladem alibi paſſi

verit vicini gementis cura, quos fudit in acie, nec redire paſſus, niſi famam cæſorum. Par felicitas Martino Boguſz, qui continuuni in Cameneeenſes fulmen, ſub Dunajovicijs, ubi ultima illi vovebant minæ imbelles, Thracas attrivit. Præſidia noſtra validiùs oppugnata, ſed auſibus inſultatum, donec externo hoſte, durior fames in præſidiarios ageret, cui pellendæ ne canica quidem aut corium ſupererat, haetenus menſarum lautitiæ. Tunc primùm relicta Soczavia, tunc Nemetum, & arx Chocimenſis. Sævitum deinde à barbaris in lapides, arceſq; illæ à præſidio famelico jam liberæ in plana ſubmiſſæ, velut munitionis crimen eſſet, fuiſſe ſub hoſte, nec expiari primæ ſubjectionis dedecus poſſet, niſi februo igne ac imbelli ruinâ. A.C. 1673

COPIA LITERARUM AD CARDINALEM ALTIERI.

Varſaviæ die 13. Decembris.

COmmiſſum pridem eſt à Rege demortuo; atque ab ampliſſimo Senatu Rempub: univerſam repræſentante negotium tractandi de certis ſummis Neapolitanis ad eandem Rempub: bono jure ſpectantibus Illrmo Dno Jacobo Lombardo Prælato Romano, quo ille officio functus boni, & ſeduli Poloniæque rebus addictiſſimi Miniſtri laudem promeruit, ſed interim maligna quædam ſors, optimos ejus de Rege, & Regno Poloniæ bene merendi conatus intervertit, cum eundem repente in caſſes magnarum calamitatum protruſit. Certè unde ille incrementum maximè ſperabat malignitate fortunæ nocumentum, imò propè interitum patitur. Agitur in perſona memorati Domini Lombardi cauſa Reipub: Polonæ, quæ cum grave negotium ejus fidei, prudentiæ, & dexteritati concrediderit, illo jam periclitante, ſeque inceptis curis ſubducente, verendum ne adverſam aleam experiamur, & in jure noſtro ſuccumbamus. Exinde audaciam ſumo rogandi Eminentiam Veſtram labentẽ errore, an nimio erga Poloniam zelo Plenipotentiarium Polonum plane clementer, & juſtitiæ potentique dexterâ ſuâ ſublevare dignetur. Verba impunè haberi cùm factorum innocens ſit, nihil decentius, nihil magno nomini Eminentiæ Veſtræ glorioſius. Si privatus ageret Dominus Lombardi utcunque ſilentio, & diſſimulatione omitteretur, ſed cum miniſterium Poloniæ ſuſtineat, adverſa ejus ad noſtrũ incommodum pertinere videntur. Illi enim ſcripturæ, omnes trãſmiſſæ, & sũma tractationis demãdata, illo amoto non facile alius reperietur, qui tot difficultatibus reparandis, & ambagibus evolvendis ſufficiat. Affirmare etiam Eminentiæ Veſtræ non dubito, & deducere paratq; ſum ſæpè dictum Dominũ Jacobũ Lombardũ in omnibus Epiſtolis in Poloniam directis ſummum honorem curiæ Romanæ, atq; Illrmo Dno Archiepiſcopo Theſſalonicenſi habuiſſe, ac operam ſuam intentioni, & partibus in urbe regnantibus accommodaſſe. Quod reliquum eſt Eminen: Vræ devotiſſimam obſequiorum promptitudinem humiliter commendo,

Cõmenda-tur Lombardi in negotio ſummæ Neapolitanæ

A.C. 1673

STATUS CAUSÆ DE SUMMIS NEAPOLITANIS.

Sigiſmundus I. cum Bona Sforcia Principiſſa Ducatûs Barenſis in Regno Neapolitano habuit filium unicum Sigiſmundum Auguſtum, & tres filias, primam Catharinam, quæ fuit nupta Joanni Regi Sueciæ, ex qua Sigiſmundus III. ſecundam Sophiam, quæ fuit nupta Duci Brunſvicenſi, tertiam Annam Virginem, quæ permanſit in Polonia; ac poſt nupta fuit Stephano Regi Poloniæ.

Hæc itaq; Regina Bona Mater Sigiſmundi Auguſti, & prædictarum trium filiarum ante mortem ſuam migraverat ex Polonia, atq; in ſuo Ducatu Barij vitam obiit. Verona autem compilato teſtamento (ut nonnullorum eſt ſuſpicio) Regem Hiſpaniarum ſcripſit hæredem Ducatuum ſuorum ſcilicet Barenſis & Roſanenſis quia verò ultra hos Ducatus habuit certum debitum apud eundem Regem Hiſpaniarum ſcilicet ſummam 430000 talerorum imperialium cum proviſione per decem à centum, quod faciebat annuatim 34 millia Imperialium.

Hæc ſumma per ſucceſſionem devoluta eſt ad Succeſſores Reginæ Bonæ, ſcilicet ad Sigiſmundum Auguſtum & ad tres præfatas ſorores ipſius, mox mortuo Auguſto ſteriliter, devoluta ſucceſſio ad ſorores, ex quibus duæ majores natu, ſcilicet Catharina Regina Sueciæ, & Sophia Duciſſa Brunſvicenſis transfuderunt Jus ſuum in perſonam ſororis ſuæ Annæ minimæ natu, quæ remanſerat in Polonia uxor Stephani Regis.

Elegit tandem Polonia Sigiſmundum Principem Sveciæ ex Catharina filiæ Reginæ Bonæ progenitum, tanquam retinentem Jus ſucceſſionis ad coronam ex linea materna. Hic itaq; electus per Pacta conventa præter alias plures conditiones reſignat & inſcribit Reipub: ſummam prædictam Neapolitanam quadringentorum triginta millium imperialium, ſive proviſionem ab eadem in Regno Neapolitano provenientem. Tandem ſub tempus Coronationis Suæ eandem ſummam publicâ juâ donatione ad Acta Caſtrenſia Cracovienſia ratificat.

Ad hanc igitur ſummam plurimi ad præſens concurrunt Succeſſores. Primò Regina Sveciæ tanquam Soror ex patruelibus Regis Caſimiri ultimi & immediati Succeſſoris, Joannes enim Rex Sueciæ habuit germanum ſuum Carolum Sudermanium, à quo Carolus Guſtavus, ex quo Regina Sueciæ filia; jam autem Joannis Regis Sueciæ filius Sigiſmundus Tertius, ex quo Caſimirus Rex Poloniæ, ideòq; Caſimirus ex Chriſtina Regina Sveciæ erant ſibi in tertio gradu, ſed quia prædicta ſucceſſio non deſcendit à ſtirpe paterna Sveciæ de vaſe prout domus hæc appellatur, verùm ex domo Jagiellonica, de qua erat Sigiſmundus Auguſtus, & tres ſupra ſcriptæ ſorores, quas pepererat Bona Sforcia Neapolitana, ideò iſta prætenſio omninò eſt indebita & vana.

Secun-

Secundus Succeſſor concurrit Dux de Anquiain, qui habet ſibi copulatam matrimonio germanam ex ſorore Neptem Sernma olim Ludovicæ Reginæ Poloniæ, quos Conjuges Sernmus olim Caſimirus Rex Poloniæ teſtamento ſuo ex aſſe inſtituit heredes. Hi itaq; has pro ſe videntur habere rationes. Primò, quòd Rex Sigiſmundus Tertius prædictas ſummas in pactis ſuis conventis non potuerit Reipub: dare & reſignare, ſiquidem dictæ ſummæ jam ceſſerant per Matremipſius Catharinam ſorori ipſius Annæ, poſtea Stephani Regis Poloniæ uxori, quæ adhuc vivebat, cùm Pacta Sigismundi III. conventa, per quæ dictas ſummas Reipub: reſignaverat, fiebant. Atq; ideo tutantes ſe illâ regulâ juris: nemo dat, quod non habet: ad quod ita reſpondetur: quòd hoc debuerit eſſe cum conſenſu Reginæ Annæ, ſiquidem iſta donatio & reſignatio fiebat palàm per pacta conventa Regni, & tamen nulla interceſſit ejuſdem Reginæ Annæ proteſtatio. Reſpondetur ſecundò, quòd Sigismundus Tertius ſtante vitâ Reginæ Annæ habuerit Jus ad rem ad prædictas ſummas, erat enim unicus & ſolus apud eandem Reginam Annam Succeſſor, tanquam Nepos ex Sorore. Secundam rationem habet eadem pars Ducis de Anquiain, quòd Reſpub: Polona non fuerit unquam in uſu & poſſeſſione prædictarum ſummarum, utpote ſemper Principibus & Regibus Poloniæ tanquam filijs poſt Patrem Sigismundum liberè easdem ſummas diſponentibus, ad quam facilè eſt reſpondere, quòd ſcilicet Reſpublica Polona conniventiam hanc regio ſangvini fecerit, & reſpectu tot, tãtorumq; meritorum regiæ domûs, tum etiam ex reverentiali erga Principes ſuos obſervantia, eratq; contenta, quòd Principes & Reges ſui gauderent uſu fructu prædictarum ſummarum, ſed nec eſt de jure licita defenſio, quòd ſi quis contra pactum ſuum & datam fidẽ, eò, quòd redonata & reſignata uteretur, novum ſibi jus faciat & requirat ad rem abſciſſam. Nam hoc potius eſſet mala fidei poſſeſſio, quàm aliqua juſta & licita uſurpatio. A.C. 1673

Tertius concurrens eſt ad easdem ſummas Princeps Neoburgicus, modernus autem Elector Palatinus Rheni idq; ex tali ratione, quòd ſcilicet Principes Poloniæ filij Sigismundi Tertij elocando pro tunc in matrimonium dicti Principis Neoburburgenſem ſororem ſuam germanam, conceſſerunt illi medietatem proviſionum à dictis ſummis; ut autem ratione proviſionum earundemmet ſummarum facilior methodus haberetur, conventum erat cum Vice-Regibus Neapolitanis taliter.

Exdiviſerant nempe certa Pascua in Provincia Apuliæ, annui reditus 22 millium talerorum efficientia, ita, ut prædictos proventus, & reditus, ſive paſcua, licitum eſſet cuicunq; in arendam locare, ſine quavis Vice-Regis dependentia. Pro reliqua autem parte reditûs annui, ſcilicet 12 millibus talerorum debebant adhuc Vice-Reges Neapolitani exdividere adæquata & proportionata alia bona. Interea

A. C. 1673 *succesſit mors Principiſſæ Neoburgicæ, quâ ſubſecutâ Rex Caſimirus repetebat ſupra ſcriptas proviſiones, quæ non ſerviebant, niſi ad vitæ tẽpora ſororis ipſius Principiſſæ Neoburgicæ. Tandem neſcitur, quo caſu ſtetit pactum, ut Princeps Neoburgicus perciperet tantùm tertiam partem proviſionum. Rurſus cùm idem Rex Caſimirus poſt reſignationem ſuam in Gallias per ditiones ejusdem Principis Neoburgici proficisceretur, hoſpitando in domo ipſius, donavit ipſi medietatem earundem proviſionum, uſq; ad vitæ ipſius tempora, quâ gaudebat ſtãte matrimonio conſortis ſuæ Principiſſæ Poloniæ. Et ſic uſq; in diem hodiernam Princeps Neoburgicus percipit eam medietatem proviſionũ, quæ efficit 11 millia talerorum. Secunda verò medietas obtenta litis & prætenſionum variarum in theſaurum Neapolitanum compartitur. Illa verò reſidua pars 12 millium talerorum, pro qua exdividere debuerant certos proventus, à pluribus annis remanſit inſoluta, quam thesaurus Neapolitanus refundere tenetur, unà cum ſummis originalibus.*

XXX.

EXCERPTA EX LITERIS ANDREÆ CHRYSOSTOMI ZALUSKI AD VARIOS SCRIPTIS.

Relatio Ablegationis & Memorabilium quæ ſive evenerunt ſive viſa ſunt ſub tempus ejusdem ab Ablegato primùm Reipub. in Hiſpaniam & Portugalliam tum Joannis III in Galliam, Andrea Zaluski Canonico tum Cracovienſi.

EXlgis à me jam provecto rationem eorum, quæ juvenis olim ſive geſſi, ſive vidi ſub iter illud, quod in Hiſpaniam & Luſitaniam Reipub. nomine, mox etiam in Gallias à Joanne III glorioſæ memoriæ Rege Ablegatus confeci. Non negandum id mihi eſſe viſum eſt; quo & tuo in me affectui reſpondeam, & de ijs, quæ publico nomine geſſi, in publicum ſim beneficus. Excerpta ergo ex varijs literis tunc ſcriptis accipe.

Obijt Divæ memoriæ Michaël Rex die 11ma menſis Novembris anno 1673 Leopoli. Priuſquàm verò commune id mortalitatis debitum exſolveret; vocato ad ſe Andrea Olſzowski tum Epiſcopo Culmenſi, & Pomeſaniæ, Procancellario Regni Avunculo & Benefactore meo teſtamentum condiderat; in quo memor ordinarij, in receptione velleris aurei, promiſſi remitti illud Madritum & in manus Catholici Regis reddi per expreſſum Ablegatum petierat. Ad hanc functionem ego nuper ab exteris redux, ac dignitate Cracovienſis Canonicatûs inſignitus, Primati Regni, cui jus ſub tempus interregni ablegandi ad quosvis Principes competit, Principi Floriano Czartoryski Archiepiſcopo Gneſnenſi, præſentatus fui. Nec repulſam paſſus ſum, quin collatis mihi minoribus ordinibus in Collegio Ravenſi Societatis JESU, libens eum mihi honorem & laborem detulit. Deſtinatus eodem tempore tam ad Sereniſſimum Electorem Brandeburgicum Albrachtus Opacki Succamerarius Varſavienſis pro petendis in omnem caſum contra Turcam ſuppetijs; quàm in Gallias pro corpore Joannis Caſimiri Regis noſtri Pariſijs defuncti ſumptum

ptum in id iter ultrò Andrea Trzebicki Epiſcopo Cracovienſi per gratitudinem in Benefactorem ſuum offerente. Accepimus proinde uno eodemque die, ille in Galliam & ad aulam Brandeburgicam; ego in Hiſpaniam expeditionem. Mihi reddendum imprimis nomine Reipub. vellus aureum poſt fata Michaëlis Regis, Hiſpaniæ Regi, tum petendum aliquod auxilium tanto Rege dignum, nobis verò ſummè neceſſarium inſtructio mea indigitabat. Habui etiam literas Reginæ Eleonoræ recenter Viduæ, quibus ſe favori Reginæ Hiſpaniæ itidem viduæ & Regis Caroli Nepotis ſui impenſiùs recommendabat. Inſtructione autem in Portugalliam tum adhuc carui; nec niſi in via eam obtinui. Nam hæc Ablegatio nonniſi ad petitionem meam Berolino delatam ſtetit. Cùm enim ibi in Dominum de Verju Ablegatum Galliæ ejuſque fratrem Societatis JESU Religioſum incidiſſem; accedente ad innatum viſendi exteri orbis affectum ex prædictorum converſatione & ſuaſu etiam Luſitaniam contuendi deſiderio, ſupplicavi vinculo; ut per eandem Ablegationis Hiſpanicæ occaſionem etiam in Luſitaniam excurrere liceret. Nec ſe difficilem præbuit; quin collaudatâ hac meâ curioſitate & aſſenſus eſt; & ne privatus hoc iter ingrederer miſſis credentialibus ad Principem Regentem Petrũ nunc Regẽ, Ablegatum in Luſitaniã eſſe juſſit. Vivebat tum adhuc Alphonſus frater prænominati Petri; verùm ob inopiam mentis tam throno quàm thoro amotus, utrumque Germano ſuo cedere coactus fuerat. Movimus ergò ex Polonia, ego & Succamerarius Varſavienſis Comite Caſimiro Tarło Palatinidâ Sendomirienſi, qui ſe nobis adjunxerat, proſperoque itinere uſi, Berolinum delati ſumus; ubi liberaliter excepti, nec minùs liberaliter dimiſſi ſuimus, generoſitate Electoris ad humanitatem etiam donaria adjiciente. Commune deinde iter utriuſque Pariſios uſque fuit, quos ubi viſitatâ Lipſiâ; Norimbergâ, Argentorato, & Lotharingiâ (nam eum tractum elegeramus) attigimus, diviſi ſumus: Succamerarius tanquam in Galliam Ablegatus ſuam ibi executurus provinciam remanſit, ego in Hiſpanias promoviiter. Fortunã accidit, ut Bleſis (gallicè Blois) in Raphaëlẽ Leſzczynski qui poſtea Subdapifer, Dapifer, Vexillifer Regni, Mareſchalcus Comitiorũ 1683, in quibus Colligatio contra Turcas cum Leopoldo Primo Imperatore & glorioſiſſimo Rege noſtro Joanne III icta fuit; deniq; Caliſſienſis, Poſnanienſis Palatinus, Legatus ad Imperatorem Turcarum, ac tandem Theſaurarius Regni factus Anno 1702 ex morbo calculi deceſſit, incideram. Habebat is Gubernatoris loco Melchiorẽ Gurowski, qui poſtmodũ Miedzyricenſis, Gneſnenſis, ac tandẽ Poſnaniẽſis Caſtellanus fuit: cujus cùm mihi placuiſſet prudentia & dexteritas; cũ D Leſzczynski egi: ut prædictum dominum mihi pro Secretario Ablegationis concederet. Annuit ille, libenter vel ipſe mei futurus comes itineris: ſi per afflictam valetudinem licuiſſet. Auctus hoc ſocio me viæ eques commiſi, & Burdegalã, Bagano, Sancto Sebaſtiano (quod illac nobis iter accideret) viſitatis Victoriam perveni re dignâ riſu unà cum comitibus ibi recreandus. Vetita in Hiſpania breviora ſclopeta ſunt (piſtolas vocant) nos prohibitionis iſtius ignari nobiſcum tuleramus, & pro more ad prandij locum cum alijs armis, quorum ſufficientem pro ſex famulis (tot enim mecum aſſumpſeram) copiam habebamus, curaveramus deportari: cùm coco, quem ex Polonia duxeram, fercula jam inferente, ſpeculatorum quiſpiam (Algoazir Hiſpani vocant) palliatus intravit, factiſq; aliquot circumcirca gravioribus per cubiculum paſſibus, arma meaq; imprimis ſclopeta in manus

A.C. 1673

A.C. 1673 accepit; tum oculis quàquà versum conjectis in aream in angulo ejusdem cubiculi jacentem deposuit, clausit, & servavit. Risum continere non poteramus, verùm ille non attento eo alterum item par Gurowscij simili ceremoniâ usus eâdem viâ ad aream detulit, & obseratâ illâ excessit, ne verbum quidem locutus. Ab abitu ejus vocato domino domûs & ex eo intellecto, præmemoratum speculatorem ex impositio id sibi feciſſe officio; ad Gubernatorem civitatis ablegavimus, qui res nostras reposceret: nec difficultas fuit; nam visis literis passûs nostri, cognitoq; me munere ablegati fungi, submisso alio, apertâ per ferrarium aream nobis arma restitui curavit, ægerrimè id ferente primn illo speculatore; qui irâ & furore inde percitus uno ab eadem villa milliari cum aliquot nobis occurrens militibus procul dubio nos aggressurus erat: & imparatos offendisset. At majora scloperta ostentantibus stridens nequicquam dentibus cedere coactus est. Hoc eodem vespere ad pernoctaturos in certa villa quidam pro more suo tumidus Hispanus venit, salutatisq; nobis, qui essemus petijt? respondimus ex Flandria Hispanica nos venire. Pergenti in quæstione, quomodo per tot periculis obnoxios terrarum tractus in ea præsertim florida ætate transîssemus, recitantiq; aliquas historias suo forsan in cerebro conceptas, quibus gravia itinerantium à prædonibus illarum Regionum exaggerabat discrimina, præsenti audaciâ reposuimus: non eos nos esse, qui vultum latronum ferre non possemus: satis nobis inesse animi, nec arma deficere; quarum vi viribus infestis repellendis pares hactenus fuissemus, subjecimusq; historiam de nostro ingenio adinventam, asserentes aliquot ante dies suo damno didicisse latrones; ut peregrinos & viatores viarum securitate gaudere sinerent: quòd vitæ nostræ in montibus insidiantes vitam suam per inculpatam tutelam nostram amisissent. Subijt inde admiratio hominem, nec pluribus nobiscum egit: sed aliquot passibus à nobis digressus, magnâ reverentiâ exhibitâ hospitio excessit, quem postea ab hospite unum prædonum esse intelleximus, ideòq; in crastino non sine aliquo metu iter nostrum continuavimus: verùm gratiâ DEi nullo interveniente malo Burgos delati sumus; ubi ob miraculorum frequentiam, publicæ venerationi populorum crucifixi prostat effigies: cui etsi jam serus esset vesper, debitum ex nunc cultum persolvere visum est. Itum igitur ad Ecclesiam; in qua nemine præter unum mendicum reperto; dum coram prædicta Icone precibus divinâ placaremus clementiam; repentè tantus in ara tumultus ex caula tum nobis incognita excitatus est; ut candelabra cum candelis in præceps irent, quo interim metu nostro non facilè explicuerim? pallere omnes, respicere se mutuò, quisq; secum rationes conscientiæ inire; ne hæc forsan esset pœna peccati, deniq; concludere: ut sacramento pœnitentiæ expiaremur: dum hæc inter pollicita adhuc timore distrahimur, tanti tumultûs author ingens de altari catus exsilijt, utq; antè grandis metûs causa; sic tum non levis risûs motor fuit. Non tamen concepta sive vota, sive propositia mutavimus; sequenti die maturè exomologesi absolutâ, sacræ mensæ accubuimus, tum resumpto itinere aliquot intra dies Madriti constitimus: ubi primitus communi hospitio (Austerias vocant) usi sumus, satisq; lautè ab Hospite illius domûs ex Brabantia oriundo habiti. Verùm characteris ratio habenda deinceps fuit, cui illud publicum non conveniebat diversorium: in Cœnobium igitur Calceatorum Carmelitarum diverti, cùm supra spem (nam de persona mea & munere nemini quidquam insinuaveram) Nuntius Apostolicus Maresciotti, qui nunc Cardinalis est, candidatusq; pro Pontificatu fuit, mihi probè in Polonia cognitus (nam existenti Nuntio in rheda Avunculi mei inservîeram, & proficiscenti ad campum Electoralem pro Electione

ne Michaëlis Regis adſtiteram) reſcito adventu meo incognitò inviſit. *A.C.* 1673
Habebam ad illum ſingulares recommendatitias; multa enim & vetus illi cum Avunculo meo intercedebat amicitiæ conſvetudo, mandatumque mihi abeo fuerat, ne quid ſine conſilio Nuntij facerem. Quod mihi ſecundiſſimè ceſſit, juvitque paruiſſe. Aberat tum Madrito aula Hiſpanica, pro diverſitate enim temporum diverſa etiam ſortiri conſvevit ſtativa: & tum pro more hujus gentis Monarcharum in loco Aranchues dicto, qui cum Eſcuriali ſtationis Regiæ alternat vices, vernum exigebat annum, nullâ ſpe reditus, aut inchoandæ negotiationis meæ, quod nonniſi poſt 3 aut 4 hebdomadas regreſſura ſperaretur, nec ex uſu Regni hujus ſit alibi externos Miniſtros præterquam Madriti excipere. Quare tam de alijs, quàm de hoc etiam me conſulente Nuntium Apoſtolicum, an non, quo tempus lucrarer, interim mihi in Portugalliam excurrere commiſſaq; exequi liceret? deliberavit aliquantum metuens: ne aula illa in faſtum naturâ proclivis offenſæ duceret; ſi alibi priùs mihi commiſſa tractarem negotia.

Nihilominùs reſoluit ſe, ſuumq; expedivit Secretarium tam ad Cardinalem de Arragonia quàm ad Comitem Pignaronda, ad quorum utrumq; literas habebam, deferendo tam adventum meum, quàm prædictam propoſitionem. Arduum initio id negotium fuit, ſed mox pronum: quid enim non facilitet graviſſimi Nuntij Apoſtolici quà authoritas, quà in omnem partem verſandi animos peritia? cui ſi ſimilem in Luſitania reperiſſem; egregiè conſultum fuiſſet Poloniæ. Data tandem in favorem mei optata reſolutio, cujus partem ſibi vendicat etiam Legatus Regis Daniæ, qui tum Madriti præſens labori ſuo non pepercit; quo vota mea obtinerem: ipſe poſtmodum, quæ æterni numinis quà providentia eſt, quà gratia, cum cœlo Hiſpanico mutavit & animum, factus cum conſorte ſua Catholicus redijt in Patriam alius, quàm venerat, longe illis diſſimilis, qui per peregrinos mores non rarò fidem exuunt, cœloque mutato amittunt cœlum. Non morandum ratus à conceſſa gratia exceſſi Madrito, eodem dicto Legato ultrò me cum tota aula ſua comitante, ſive iſtud officium ab eo exegit humanitas, ſive favor in peregrinum, ſive denique erat aliquid in nobis, quod illum in extero ſolo ſolum devinxit: utcunq; fuit, multus certè civilitatis Legatus reciprocam à me humanitatem meruit, quam mihi nonniſi in proximo diverſorio, quod pro nocte mihi obtigerat, exhibere licuit, ubi decore habitum in craſtino cum ſuis inter mutui affectûs conteſtationes dimiſi, ipſe ultra perrecturus. Jucundum hoc comitatûs conſortium alter excepit jucundiſſimus adeóq; dignus calamo eventus, licet eum quà inhoſpitalitas, quà indignatio noſtra, ſi non neceſſariò, certè meritò cauſaverit. Badachos diem totum mulis vecti (nam equorum nullus ibi uſus) ſi tamen vecti, & non potiùs aſſiduâ agitatione quaſſati delati fuimus. Eſurialis dies erat, in promptu prorſus nihil habebamus, quod ſecundùm exigentiam temporis famem noſtram explere poſſet, ut ut per vicinium inquirendo famulos fatigâſſem. Quare poſthabitâ ratione jejunij mecum in illa neceſſitate (fateor peccatum meum) diſpenſavi, & ex comparatis pretio columbis more noſtro aſſatis primùm, tum elixis frixisque ferculum (vulgò fricas dictum) fieri juſſi: quin nec ego nec alij feriabamur; ut quantociùs latranti ſtomacho objicere offam contingeret. Ipſi circa culinam aſſidui eſſe, deplumare, aſſare, coquere, condire, neſcij quid craſtinus laturus eſſet dies, & quàm carò nobis ſtaturæ innocuæ alites columbæ? hilares eam veſperam peregimus lætitiâ mox vertendâ in luctum

A.C. 1673 ctum, imò & iram? nam sequenti die exigentibus nobis, quid pro nocturno deberemus hospitio, paterfamilias 5 popoſcit plaſtra (plaſtrum imperialem Germanicum pretio excedit) accendit impudens poſtulatum (nihil enim ab illo emeramus) bilem Gurowicio, in tantum; ut à verbis non temperaret; nec tamen hoſpes frontem poſuit; imo magis manifeſtus pro quinque popoſcit decem. Non poteramus non iraſci: at fruſtra furor fuit: aeſi noſtras plecteret iras, quoties in illum acerbius invehebamur, toties ille gradatim prius augere quinario numero pretium, aſcendereque ad 50 adjectis inſuper minis, niſi tantum ſolverimus, ad inquiſitionem deferendos fore, quòd diem vetitis cibis violaſſemus. Quid ageremus? ſub favore literarum paſſus & characteris mei evadere poteram: verùm conſideratâ gentis in ſuis expeditionibus tarditate, veritus tam ſumptuum quàm temporis diſpendia, ſtylum mutandum duxi. Blandis hominem ergo mollire verbis, excuſare neceſſitatem, tandemque compoſitione factâ aliquot ultra decem imperiales duro & effronti homini offerre: quibus ille acceptis lætior ceſſit, facilis etiam deinceps & opportunus vindictæ noſtræ ſvadente pecuniâ futurus. Nec enim mitigato barbaro nobis mitior animus redierat; ſuppreſſimus tamen affectum, ut occultis laqueis ex indignationis ingenio feram indueremus. Non ignorabamus proximos civitati Luſitaniæ limites eſſe; ſimulantes nihilominùs ignorantiam, petijmus, daret id nobis, tum ſuæ humanitati, ut nos benevolè deduceret, operæ utique ſuæ pretium laturus. Quid non perſvadeat auri & pecuniæ ſacra fames? annuit, ad portam uſque deduxit, inde inter mutuos ſermones de induſtria velut informationis gratiâ ultra pontem protractum, quò alieni ſoli & jurisdictionis ſecuritatem nacti facilius meditatum pro violato hoſpitij jure malum refunderemus, & doceremus improbum ſanctius impoſterum habendos hoſpites, dextreq; medium acceptum non tam verbis, quàm verberibus aſperrimè tractatum (ſcuticis ſcilicet Tartaricis, quas nobiſcum ex Polonia tuleramus) dimiſimus, politiorem credo ab hac diſciplina futurum, recordaturumque tam tractamenti hujus, quàm meriti per avaritiam ſalarij. Hoc præmium tulit impudentia, levior tamē hæc merces fuit, quàm graviſſima illius nobis frons promeruerat. Nobis inde expeditius iter, &, quòd gravior remiſiſſet per alienam pœnā indignatio, & quòd lætioribus terræ Luſitanæ tractibus proficiſceremur. Nam alia mox, ubi primùm Portugalliæ fines attigimus, rerum ab Hiſpania facies eſt: felicior hic tam aura, quàm terra, ager fœcundior, cōmodiora hoſpitia, gens ipſa, quia per Gallorum, qui durante cum Hiſpanis bello ſuccurſum venerant, conſvetudinem & commercia ſatis cicurata, longe humanior. Prima quam feſtinato itinere, à glorioſo illo, ut putabamus facto, attigimus, Regni hujus civitas Elua fuit. Inde recenti poſtâ dies intra aliquot Vlyſſibonæ (aliàs Lisbonæ) conſtitimus. Metropolis ea regni eſt, & æquè ac Venetiæ Meſtro aquis aditur, quare & nobis cymbis utendum fuit; ut interfuſas aquas ad medium & ultra milliare tranſuecti in urbem deveniremus. Primum nobis ibi hoſpitiū obtigit ad ipſum Tagum celebrem olim Hiſtoricis & Pœtis ab aurea arena, nunc præter famam divitis fluvij nihil de priſtino retinentem; mox ad aliud migravimus, nec enim character meus communis diverſorij anguſtias & Ablegati dignitas etiam viliſſimorum hominum hoſpitium compatiebatur.

In proximo Cœnobium PP. Benedictinorum erat amplum & Magnifi-

gnificum pariq; inſtructum templo, cui copioſa alia per Ulyſſiponem formâ & elegantiâ concertant adeò: ut ne Roma quidem tot inſignes Eccleſias, quas opponere poſſit, habeat. Ipſius porrò Cœnobij Inquilini ducenti numerantur, qua obſervantiâ, quà eruditione præſtantes, ſpecialiter tamen Theologicis exculti: at culturæ latinitatis prorſus ignari præter terminos ad dictam facultatem pertinentes: unde latinæ lingvæ nullius inter illos uſus, Luſitanâ potiſſimum utuntur. In hoc conducere partem exdiviſam concliavibus aliquot pereommodam placuit: quâ occupatâ Secretario ſtatûs characteris mei per D. Gurowſki indicium feci. At is Indiarum & Americæ gnarus, Europæ ſuæ prorſus rudis, an in rerum natura Polonia foret penitus neſciebat? quare ad me chartulam ſcribens & copiam Credentialium à me exigens Poloniæ ſubſtituit Coloniam, meq; ejus Ablegatum nominavit, deinde viſis Credentialibus cum ſubſcriptione pro more & uſu ſub tempus Interregni Principis Czartoriſki, Ablegatum Archiepiſcopi Gneſnenſis vocavit. Inſumendi ergo aliquot fuêre dies, dum ſimplicem hunc virum, quem per honorem non nomino, erudirem. Inter alia nimiæ ejus ſimplicitatis argumenta illud non poſtremum fuit. Novellas mihi de Polonia tranſmiſit de ſuo adjiciens, ſibi certo conſtare Poloniam à Tartaris obſidione (ac ſi ea civitas aut oppidum aliquod foret) einctam: aliàs verò ex Angliæ legato percontatus fertur, Londinúmne Angliâ, an Anglia Londino continetur? expeditis tandem his difficultatibus deſignata mihi audientia apud Petrum tum adhuc Regentem, deinde à fatis natu majoris germani ſui Alphonſi, quem uti ſupra innui ſub prætextu amentiæ aſſerentibus id ipſum Luſitanis, & conjuge & Regno privaverat, & in certam inſulâ relegaverat, Regis'. Quamvis verò ſecundum divortium opera potiſſimùm Cardinalis Detre conſangvinei Reginæ ſororis Dueis Sabaudiæ factum, novumq; vinculum eum dicto Petro initum ipſe nonniſi Regens Luſitaniæ diceretur: nihil tamen de titulo Majeſtatis Reginæ decerptum eſt, prorſuſq; ut Regina tractabatur. Habitâ audientiâ reddidi Credentiales, quas Princeps tremebundus, qua de cauſa ignoro, in manu accepit, pauciſq; verbis Luſitano idiomate ad latinam meam orationem reſpondit. Deductus deinde ad Reginam, quæ virum magis quàm fœminam habitu præferens, cæſarie alienâ (perucam dicimus) operta caput in ampliſſimo ſolario ſub umbella me jam exſpectabat, hinc inde à lateribus honorarijs quâ matronis, quâ domicellis inſtitis ſuis per circulos ligneos diductis ſtatuarum inſtar aſſiſtentibus. Suſcepit me civiliſſimè utpote Galla, brevibus de aliquot rebus percontata dimiſit. A prandiis autem ſuum ad me expedivit confeſſarium de Societate JESU Richardum nomine, qui ejus favorem & interpoſitionem in negotijs mihi declararet. Duobus diebus pòſt alteram, ſed privatam dedit audientam; in qua interrogatus, quid de Portugallia ſentirem, quantumeunque illa placeret? laudavi pro poſſe Regnum; addito: me nuper ab ingreſſu in regiam exiſtimâſſe eas omnes reginalis Gyneeæi domicellas nonniſi perſonatas ſtatuas eſſe: redeundo verò dum ab altera reverentia me profundè in hanc & alteram partem inclinarem, videremq; eas omnes honorarias moveri, pallij mei id miraculum putâſſe: propterea, quod illud in templo aſſiduè oſculati eſſent. Hæc enim per Hiſpaniam & Portugalliam viget praxis; ut ſive in templo ſive in publica platea eccleſiaſticum hominem tam regularis cleri, quàm ſæcularis obvium habuerint, pallium ſive veſtis fimbriam exoſculentur. Excepit riſu jocum Regina, eumq; toti gynecæo convocato retulit. Habui deinde honorem Principi de Cadaval, qui poſtea ſub tempus commorationis meæ conjugem ſuam Gallijs oriundam communi mortalium amiſit fato, tribus ex illa ſuperſtitibus filiis in ſpem throni, caſu quo, ſterilis

A.C. 1673

A.C. 1673 rilis modernus Petrus decederet. Humanè visitantem excepit, nec minùs etiam impolitè ùm se humanum mihi exhibuit. A ceremonijs hisce explexis negotiationi meæ initium dedi: denuntiavi mortem Michaelis Regis, imminentia non tantùm uni Poloniæ sed universæ omnino Europæ Christianoque orbi à Turcis explicui pericula, indubiè cunctos supremo involuendos fato enucleavi, nisi cùm alia viciniora diserimini Regna, tum etiam remotiora & imprimis hoc florentissimum Lusitaniæ succursum & dignas tanto opibus & zelo in rem Catholicam throno præstent laboranti Christianitatis Antemurali Sarmatiæ suppetias. Efferatum nuperâ nostrorum ad Chocimum ductu Joannis Sobieski Marescalci & supremi Exercituum Ducis victoriâ obtentâ hostem, vindictam non tantùm meditari sed actu jam immensis quà Tartarorum, quà Turcarum & de victis gentibus lectæ militiæ copijs in excidium nostrum ire exposui, gradum per subjugatæ Poloniæ provincias in viscera universi procul dubio facturum, nec enim quiescere nôsse hunc sangvinis Christiani sitientissimum Draconem, satis ex tot præmissis feralibus hactenùs constare. Exaggeravi ea compluribus, nihil profecturus nec præter mendacem spem amplius quidquam relaturus. Perdidi verba, & quanquam ardua initia mox facilitata lætum promittebant eventum, in vado nihilominùs hæsimus, eo potissimum Authore cui res Christiana, ut in decursu patebit, cordi esse maximè debuisset, & à quo ratis nostra ex brevijs ad secundum impellenda fuisset portum. Ingentes intervenere difficultates primitùs: nam & ibi non semper publicum pecunijs abundat ærarium, ut ut privatorum opes immensæ sunt. Favente tamen fortunâ, si ea constitisset sibi, accidit, ut de quatuor Nobilibus (quorũ obligatio est alternare vices & trimestre Regi præstare obsequium) unus fatis sine prole & hærede decederet; substantiâ octingentis millibus plastrorum (plastrum ut dixi Imperialem imperij talerum valore excedit) æstimatâ Regiæ per testamentum relictâ dispositioni. Non defui tam favorabili ultrò se obtrudenti occasioni; porrexi memoriale deducens de industria quodammodo à DEO propinatam Regenti hanc manifestam exercendæ generositatis & Christianæ charitatis ansam, petijque, ut id, quod citra laborem supra spem in ejus devenisset manus; tã evidenti rei nostræ & Christianitatis necessitati indultum vellet. Recurri insuper ad Reginam sinceri ejus favoris minimè dubius, nec alios neglexi, prensavi Ministros, quosque ad aulam aliquid valere compererã mihi studui devincire. Successerat res ad votum: nam cùm præ me tulissem, me etiam quingentis millibus imperialium contentum futurum, quòd eâ summâ alterum tantum propemodum me Gedani lucraturum considerem, si ex aliquot navibus varias merces præsertim aromata & saccharum exiguo ibi pretio venalia comparâssem: obtinui non tantùm favorabile responsum & decretum, sed etiam expressum assensum, ut cũ Mercatoribus agere liceret de modis in salvo transmittendæ summæ. Quare nixus hoc tam gratioso annutu, bono publico planè absorptus dies aliquot negotio huic dederam: jamq; feliciter cum certis Mercatoribus honesti imprimis amantibus, quos mihi Consul Gallicus Dominus de la Grande procuraverat, contractus sancitus erat de devehendis ad portum Gedanensem mercimonijs etiam susceptis in se vicissitudinibus maris, damnisque quibusvis: unicum restabat nonnisi ut contractus legitimè subscriberentur illique acceptis pecunijs naves in altum expedirent, cùm omnia ea in irritum ecciderẽ, ingenti rerum nostrarum

ſtrarum diſpendio: ſurrexit velut in mari inopina tempeſtas, & mea demerſit tanti laboris conſilia. Advolavit conſiliariorum unus, qui longâ præfatione diſertus Regentis primùm plurimum affectum, tum etiam totius conſilij in rem Chriſtianam exaggeravit zelum: ſerioque à ſingulis cogitari aſſeruit, ut majore longè ſummâ quàm prior foret Reip. Polonæ ſuccurri poſſet. Quo vulnere animi mei hunc diſcurſum audierim, præſertim dum ex ulteriore contextu pias illas intentiones operâ indubiè alicujus intepuiſſe imò penitùs everſas intellexi, alijs exiſtimandum relinquo: mihi vel meminiſſe illius ultra & ſupra dicta acerbum eſt. Rurſùs memorialia paranda fuêre, verbum datum requirendũ, exaggeranda neceſſitas, aſſecurandum, eam ſummam ſummi beneficij habendam loco: quidquid denique modorum ingenium ſuppeditare poterat, tentandum: enim verò nec ſtudio & induſtriæ nec labori peperci: dixi, ſcripſi, adivi ſingulos, demonſtravique quàm opportuna in tempore ſuppeditata quantumvis minor futura eſſet pecunia. At ſurdis fabulam cecini, oleum & operam perdidi, rem jam ſua declaracione certam amiſi, promiſſa deinceps ultra verborum terminos non proceſſerunt. Alio igitur meas converti curas & nondum prorsùs ſpei remiſſo nuntio in id incubui; ut Motorem Authoremque tenerem credens, ſi eum in meam flexiſſem ſententiam, ſecundis deinde ventis navis meæ curſum ex ſcopulis in altum ac optatum propellendum litus. Utebar familiarius quodam ex PP. Theatinis Raphaële nomine, Eccleſiaſte eximio, viroque undequaque probato: ad eum his jactatus recurri malis petens, ut négotio hoc DEO per ſuos cõmendato ſedulè indagaret, cauſãq; tã repentinæ mutationis inquireret. Facilè ſe præbuit huic obſequio Pater & ut erat ſagaciſſimus breviſſimo tempore aſſecutus, fontem hujus mihi turbidi aperuit. Nec alter omnioo fuit, niſi quem compererat, ſed quem fuiſſe vix credi poterat nimirum Nuntius Apoſtolicus Duracco, qui poſtmodum in Cardinalitium Collegium adlectus, etiamnum in vivis agit. Habuit is ſibi injunctum à ſede Apoſtolica; ut notabilem aliquam ſummam, quæ Poloniæ pro bello Turcico ſerviret, ab illo opibus tum & pace, florente regno impetraret: nec ille quidem ſuo muneri defuerat; verùm hactenus in caſſum labor illius abiêrat. Fruſtra laboratum, fruſtra modi adinventi fuêre, mihi Juveni ſervante cœlo, quod ſenex & emeritus evincere nequiviſſet. Vnde ſive invidiâ, quod necdum adultus (nam nonniſi tres ſupra 20 annos natus) vix aulæ illi oſtenſus tam facili negotio vota obtinuiſſem; quibus ipſe tot annos nequicquam inſudaverat, in tranſverſum actus: ſive alijs rationibus an ſpecioſis & ad ſpeciem duntaxat, an re ipsâ veris (ut mox dicam) præoccupatus jam perfectum infectum reddidit negotium. Pronum enim magis ſemper eſt corrumpere benè cœpta, quàm ubi ruerint, in integrum reſtituere. Meo id dolore didici fruſtra emendare conatus, quod tam facile deſtructum erat. Rationes autem ſeu potiùs cuniculi, quos illi perfecta aula illius & Miniſtrorum ſuppeditavit notitia, hi potiſſimum fuêre. Demonſtravit Miniſtris mellus in rem chriſtianã futurũ, ſi ea tantiſper ſuſpenderetur ſumma; dum pluribus augeretur: nec enim tantam eſſe quæ aut promovendo contra Chriſtiani nominis hoſtẽ bello momentum aliquod allatura, aut magnam Poloniæ ceu pro beneficio obligationem paritura videretur quin, vapulaturam inde Luſitani nominis famam, per Europæum orbem; quòd tam opulentum Regnum exiguũ quid contribuiſſet. *A.C. 1673*

Conſultiùs utiq; facturum Regentem; ſi declaratam ſummam deponeret

A.C. 1673 ret non ante extraditurus, quam unâ alteráve portione auctior in dignum tanto Regno munus excreviſſet, quod & afflictis Sarmatiæ rebus par eſſet ſuſciendis, & per conſequens Portugalliæ nomen ampliaret. Nihil minus arduum perſvadere eſt auiæ, ac id, ut nihil det; præſertim non deficientibus compluribus, qui ſua ex illo reſiduo, ſi remaneret, captabant lucra, metuebant verò ſi extraderetur, damna. Non ergo poſſibile fuit impoſterum in orbitam reducere, quod per ingenium malignantium & invidiam etſi artificioſè ſed tamen iniqvè exciderat. Vnde converſa eſt in luctũ cithara mea; ſpes illa ſex hebdomadarum ſpatio alita, temporis jactura, impenſus labor, ſumptus deniq; (quorum in contractus expenſa ad eam me inopiam redegerat, ut à de la Grange mutuas ſumere pecunias mox Madrito remittendas neceſsè fuerit) ſoluti merâ negatione. Et hic terminus meæ ablegationis fuit, cui nemo non bene ſentientium indoluit, Regina præſertim, quæ nihil magis indignata ac à Nuntio Apoſtolico obicemponi potuiſſe. Antequam tamen me iterum Madriti ſiſtam, digna aliqua relatu ex memoria repetam. Inviſi ſub tempus reſidentiæ meæ celebre illud Betleemitico nomine (nam Betlehem dicitur) PP. Ordinis S. Hieronymi milliari Ulyſſibonâ diſſitum cœnobium, terminum ut propriè & verè dicam terræ Europææ: nam ab illo ne fruſtũ quidem ſupereſt, quod humanus pes calcare poſſit: ſepulchra ibi omotum Portugalliæ Regum exſtant, admonentq; (utinam mortalium aures adverterent!) terrarum quidem Regna diverſis quà maris quà mõtium terminari aut alijs limitum diſtingvi clauſtris; humanæ autem ſpei aut vitæ pro terminali meta ſepulchrale ergaſtulum ſuũ defigere non plus ultra.

Certamen depracedentia B. Joannis Baptiſtæ & Evangeliſtæ

Redibam à ſacro illo Cœnobio & templo; cùm comes itineris mei præmemoratus ſupra Raphael Theatinus alterius cujuſdam Monialium forſan S. Benedicti Parthenoois viſendi curioſe injecit deſiderium: in quo in diverſa ſtudia ſciſſi animi virgines & domicellæ votis DEo adſtrictæ (quis crederet) circa res ſacras ultraq; fœmineum ingenium grandes oppoſitis ſenſibus & ſententijs diſcordes verſabantur. Lis in illo ſacro Gynecæo de duobus ſanctis Joanne Baptiſta & altero Evangeliſta à multo tempore in tantum excreverat; ut de præcellentia alterutrius invicem non leviter cœtûs illius nobiliſſimi decertarent perſonæ, cælis utiq; indubiè diſplicenti altercatione: cùm eam ne quidem in terris pati voluerit Incarnatum Verbum, quis major videretur in regno cælorum? at illæ, (quæ debilioris ſexûs præceps conditio eſt) cùm etiam minora non caperent, cæleſtia ſuâ ſpitamâ metiebantur. Subjecêre examini divos, quos utroſq; Patronos venerari debuiſſent. Ab ipſo ſtatim ingreſſu (ac ſi de ſalute quæſtio foret) pro hac vel illa ſe declarare factione, laborare deinceps, ut tum quotidie, tum recurrentibus præcipuè feſtis ſancti utriuſq; ſolemnijs altaria honori divorum dedicata cultũ, decore novaq; pietatis induſtriæ formâ concertarent aut ſuperarent, Eccleſiaſtas inſuper quàm diſertiſſimos accerſere, ſiq; ſucceſſiſſet encomiaſtica alterutri concio, & de ſuperiore gloria unius ſanctorum conſtitiſſet, plurimum gratulari nec præmijs parcere. Quin non hos intra limites præpoſteri virginum illarum ſua ſtetêre affectus: privatis etiam ſecum agebant colloquijs, tantoq; non rarò de dignitate & præcedentia in cælis regnantium miſcuêre ſermones fervore: ut exempla non defuerint; à verbis deventum ad verbera, alteramq; ab altera pro honore defenſionis Joannis Baptiſtæ cultello infeſto fuiſſe vulneratam. Nec hoc contentæ extra Cœnobij clauſtra extendêre litem: nec enim ulli hoſpitum comparere contingit; quin ex nunc inter prima ſalutationis officia velut pro experimẽto admittenduſnè ſit ad ſacras illius domûs viſendas raritates, quæſtio proponatur; in cujus potiſſimùm Joannis cultum propendeat? torvo vel læto vultu

vultu, prout in factionem inciderit excipiendus. Quod ipsum mihi evenit: A.C. 1673
nam dum Antistitam, quæsiturus apud illam patrocinium in causa mea, quòd illam multum valere apud Ministros Statûs audieram, adijssem: primâ hac quæstione in ipso limine salutatus sum, cujus Joannis maxime faverem cultui: at frusta jacitur rete ante oculos pennatorum, jam arcanum istud didiceram, respondi ad placitum Abbatissæ, nomen me assumpsisse Joannis Baptistæ: quo ita animum Præsidis illius devinxi, ut plurimùm mei negotij satageret, æquè secundis læta ac adversis (ac Ejus res ejus ageretur) tristis in utrisque vicibus affectus proniissimi in me prout cecidissent manifesta. Verùm quanquam sic omnem lapidem moveram, valedicendum tandem Regenti fuit & Reginæ, ac Lusitaniâ spei meæ duntaxat nutritia, cum tantò majore dolore excedendum; quantò propinquior rei benè gerendæ occasio affulserat, quantoque ignominiosiùs ab eo, cujus succurrere intererat, ab ipso portu me in altum detrusum cogitabam. Excessi ergo Lusitaniâ vel eò sic nominandâ, quòd me sic luserat & illuserat, nec in Hispania meliorem experturus fortunam. Iam rectà viam Madritum direxeram ita tamen, ne Badachos sive Badajos inhospitalem nuper civitatem viceque & talione redditâ mihi memorabilem, attingerem: cùm adhuc ante confinia de industria expeditus a Nuntio Marescotti cum literis occurrit; in quibus hæc formalia fuêre: Sobieski in Regem electus est, tuus avunculus in Archiepiscopum designatus: nihilominùs ne Madritum veneris; nisi forsan lapidari velis. Ratio autem admonitionis hæc erat. Regebat Hispaniam tum Vidua Regina soror Eleonoræ Reginæ nostræ, quòd nonnisi decimum tum Carolus Rex ageret annum. Unde omnibus modis optabat Hispania: ut Dux Lotharingiæ, aut saltem talis cui in Consortem tori & throni cedere potuisset dictæ à fato Michaëlis Regis vidua Eleonora, in Regem eligeretur: quod quia factum non fuerat, impossibile dictu, quantum gens illa Austriacis nimium addicta fremebat, indubiè me despectui habitura: si recenti illi & adhuc calenti dolori Ablegatus superveniissem. Illud insuper sciendum, tam in Hispania quàm Portugallia, quàm primum aliquis rumor ad aulam delatus fuerit, totam ex nunc eo urbem repleri, totisque aliquot diebus nullos propemodum alios præterquam de novellis istis seri sermones: mox aliâ superveniente famâ priores rumusculos ita prorsus extingui, & quodammodò absorberi, ac si nulli in antecessum fuissent: eaq; causa fuit, quòd Nuntius gentis illius morisq; goarus suspendi tantisper adventum meum desideraverit, dum ardor ille & disgustus Madriti defervescceret, quod ipsum mihi in bonum vertit: nam quo lucra mea de tempore sumerem, & occasio inemolumentum transiret, arripui iter Gades versus nunc Cadix dictas, Hispalim nunc Sevilliam, Granatam Cordubamque invisi: quas inter urbes ille mihi potissimum terrarum arrisit tractus, qui inter Hispalim & Granatam, Granatam item inter & Cordubam nihil simile in Europa habens medius jacet: nam milliaribus amplius triginta (majora autem Hispanica milliaria Polonicis nostratibus sunt) velut per lætissimas sylvas itinerantibus mero rosmarino investitus latè patet, & quà perdicibus quà cuniculis gratissimi saporis (rosmarino enim victitant) abundat. Illud verò singulare nostro experimento didicimus: summam inde rusticam per campos plebem capere jucunditatem; quòd impune carpentibus iter viatoribus insultare possint, nullâque ratione conditionis & statûs habitâ mille contumelijs injurijsque lacessant; adeò ut præ-

A.C. 1673 ter inconditos clamores & intra verba vexationes, ad majorem contumeliam tergum vertant & quæ velare pudor jubet, ostentent. Et communis quidem hæc omnium viatorum calamitas est: in externos tamen potissimum infestâ lingvâ & animo feruntur, quos in contemptum Gallicæ nationis Gavaccios id est porcos nominant: Religiosos item gravissimè infectantur, fragiles, cornutos alijsque titulis compellando, utrisque his ampliùs & acerbiùs Tubicines vexant. Moremi hunc illorum edoctus ego famulo & coco tubas emi, unumque in comitatum assumpsi Religiosum; quò à me contumelias Inconditosque sales in illos averterē. Nec falsus sum: trium millium peditatûs Gades euntium impetus quà in tubicines quà religiosum asperrimis vocibus me immuni derivatus est. Invisi Hispalim æquè ædibus ac templis ad elegantiæ regulam exstructis visendam. Tum Granatam me contuli, ubi Ecclesia Parochialis magnitudine suâ & mole Romanæ S. Petri concertat: quam tamen Cordubensis Basilica tum magnificentiâ, tum stupendâ vastitate longè superat. Erecta ea olim à Mauris eorumdem tum per Hispanias dominantium superstitionl servierat, trecentis sexaginta tribus columnis innititur, quarum cujusvis distantia ab invicemaliquot ultra ulnas patet, uno verbo, magnificum opus undequaque, sique sanctior zelus & intentio erigendæ tantæ moli suffragata fuissent, etiam inclytum. Non miraberis à me in hac Basilica Dominum Gurowski ita divisum fuisse, ut ægrè illum intra horam quæsitum repererim. Ne Roma quidem quam opponat parem habet Ecclesiam: quater amplitudine suâ S. Petri Vaticanum excedit; uti ex dimensione à Secretario Nuntij Maresciotti in gratiam incredulitatis meæ facta constitit. Movi inde Toletum Archiepiscopi & Primatis Sedem, itidem ad leges Architectonicæ insignem. Archiepiscopatus ipse ditissimus; ducentorum enim millium aureorum proventum numerat. Præerat tum illi Cathedræ Cardinalis de Arragonia. Diverti posthæc per occasionem ad celebrem illum locum Escuriale dictum Caroli V. opus, monimentis de Porphyretico marmore (quò etiam à fatis augustè Porphyrogenitorum Hispaniæ corpora quiescerent) omnium à dicto Carolo Regum gentis illius, Cœnobio & Templo D. Laurentio sacris, tum portentosâ bibliothecâ inclytum: ubi abdicato imperio regnisq; ac humanarum rerum curâ in alios translatâ reliqvum vitæ prætactus Imperator quietus egit. Fronti ipsi tam Cœnobij quàm Ecclesiæ describendæ verba non suppetunt, certantibus in illa materiâ & arte: unum deest tam felici & magnifico orbis Europæi miraculo; quòd obversum altissimos respiciat montes, gratius futurum, si venientium incurreret oculos, & sui copiam peregrinanti faceret viatori. At nunc nonnisi tergum Cœnobij & templi advenis patet, ipsum spectaculum absconditum est velutque pro operæ pretio quæri à fatigatis desiderat. Bibliotheca verò ut dixi omninò portentum est, tantæq; magnitudinis, ut meritò Legatus Galliæ luserit optando Regi Hispaniæ ejusmodi viros thesauris suis præficeret, qui similes Cœnobitis illis forent, tamq; puras ab ærario manus, quàm sacri illius Cœtûs homines suas à tanta voluminum farragine servarent. Hæc inter spectanda trium hebdomadarum spatiū abijt, valente animo sed non corpore. Alteraverat gravissimus æstus valetudinem, quamvis nonnisi circa quintam vespertinam hospitijs excederemus per noctem facturi iter. Is enim nobis perpetuus tenor fuit; ut ut ab ea hora ad noctis usque umbilicum, tum interpolatâ aliquâ quiete mitiore aurâ ad usque sextam matutinam

Ecclesia Cordubensis.

Escuriale Caroli V.

conti-

continuaremus viam: nam à ſexta matutina ad alteram veſpertinam praxis itinerandi hic nulla eſt aut eſſe poteſt. In communibus autem diverſorijs præſertim Hiſpanicis ſumma ubique incommoditas, ordinariè illa nō niſi uno inſtructa atrio, nullis deſuper laquearibꝰ & pavimentis ſeu ut vulgò vocant tabulatis, ſolis duntaxat imbricibus tecta; qui ubi incaluerint, ingenti deſuper æſtu hominem conficiunt: per inopiam præterea ſtraminis pro ſtrato, unum idemq; ſuccedentibus viatoribus ſubſternitur, hinc ſordes & vermes præſertim cimices: noſtra autem lectiſternia mulis vehere impoſſibile erat. Quare vel in lapidibus, qui necdum calorem remiſerant, vel in illo ſtramine alieniſq; ſordibus quieſcendum fuit. Accedebat ad hæc incommoda neceſſariorum defectus, per tabernas: peris omnia & ſingula etiam vinum nobiſcum deferre neceſſum habuimus; hoc ſolùm nobis pergratum obtingebat; quòd hoſpitia frigidâ & factitiâ nive non carerent; quâ frigerato vino ſitim & æſtum utcunq; ſolaremur. In oppidis quidem ſingula acquiri poterant, ſed ea quò ſumptibus parcerent noſtri Voturini ſive curſores ſtudioſè evitabant: quanquam & ibi nō ſine labore ſingula per ſingulos inquirenda erant: quævis enim domus privilegio vendendi hanc vel illam rem ſpeciali gaudet, nec cuiquam licet alterius intercipere aut præjudicare lucro. Circa quæ illud hic ſingulare notandum eſt; in una eademq; domo crocum & piper venalia proſtare; nec tamen licere ullo modo aut piper ſine croco aut crocum ſine pipere vendere. Allij porrò tantus hic uſus; ut propemodum credant contra fidem peccare eos, qui illo non veſcuntur: unde cùm naturaliter ab hoc Judaico ferculo abhorrerem non levem difficultatem expertus ſum, coactus etiam utenſilia culinæ neceſſaria mecum vehere: quòd omnia vaſa diverſorij allio infecta nulli nobis uſui eſſe poſſent, quin & cuſtodias agere unum de famulis ad ollas oportuit? ne cauponarij tanquam religioni ſibi ducentes cibos noſtros hoc Ægyptiaco aſpergerent & corrumperent condimento. Olivæ inſuper nimium addicti ſunt; quam non tantùm piſcibus, ſed etiam pingviſſimæ bubulæ, leporinæ, perdicibus, alijſq; quà elixis quà aſſatis ſuffundunt & ſuperfundunt ad nauſeam uſq; carnibus. Supremum malorum fuit; quòd per mutationem àeris per corpus totum pruriginem & inde impuram ſcabiem contraxeramus tam pertinaci veneno: ut quamvis marinis ad Vlyſiponem aquis extingvere turpem hunc tentâſſemus morbum, actum egerimus: quin manus noſtras tam violentè occupaverat; ut ne quidem frenis ſuſtinendis pares eſſent. Proficiſcendum nihilominùs fuit, remedium ubi & à quo minimè ſperabamus, in proximo diverſorio velut cœlitùs datum inventuris. Sulfram perveneramus: civitas ea eſt cathedrâ & epiſcopali reſidentiâ clara, nobis perſecutione primùm puerorum, tum ſanitate corporibus redditâ memorabilis futura. Ad eam delatis placuit; ut alibi conſveveramus, cathedralem inviſere Eccleſiam; cujus viſitationis mox pœnitentia ſubitura erat. Nam vix in templo comparueramus; cùm agmen puerorum, nos ex galeris non ad normam Hiſpanicam factis, Gallos eſſe arbitratum in nos impetum fecit, procul dubiò lapidibus obruturum: niſi in tempore Decanus illius loci homo totus ad honeſtatem & modeſtiam conpoſitus peregrinis ſuccurriſſet, & ab Inſultu liberatos humaniſſimè ne per plateas puerili inſolentiæ obnoxij eſſemus, ad hoſpitium uſq; comitatus fuiſſet: ubi inter prandendum fortunâ evenit; ut quædam ſequioris ſexûs alia de cauſa in illo præſens diverſorio nos contemplata morbum noſtrum miſeraretur inſinuaretq; alteri; dolendum eſſe tam egregios viros tam turpi fœdatos morbo, quem exili operâ à ſe exhibitâ evadere poſſent? ſi modò vellent. Arripui mulieris verba prævioq; diſcurſu quæſivi, quî id fieri poſſet? ad quæ illa paucis repoſu-

A.C. 1673

A.C. 1673 poſuit; vera ſe dicere nos noſtro id bono experturos, ſi modò placeret ad craſtinum uſq; prandium in dicto hoſpitio demorari. Læto animo ab omnibus accepta conditio eſt: (quis enim ſordidiſſimâ peſte liber eſſe nolit) nec mora: tractavimus cum illa, ut noſtri curam ſuſciperet operæ pretium cõdignum, ſi probaſſet, latura. Solvi ex nunc Voturino ſive ductori noſtro penſum diei, quò nobiſcum ad ſequentis diei meridiem perſiſteret. Acceſſit immediatè ad opus fœmina à prandijs, grandioremq; ollâ potentiſſimo, quod inveniri poterat Hiſpanico vino plenam, multo admixto arſenico igni admovit, & excoxit. Tum linteolis jam præparato eoq; adhuc calente vino, quantum ferre poteramus, imbutis decumbentium in lecto affectas oblinivit partes, totis duabus horis idipſum repetens, quoties humiditas remedij exſpirâſſet. Duabus alijs horis ab opere quieti conceſſis iteratò reaſſumpſit laborem; donec ad ſenas vices alternatô cum interpolatâ quiete remediô ſe jam perfeciſſe ſuum aſſeruit opus. Et verè ſenſibiliter virus remiſerat in tantum; ut circa nonam meridianam ſiccatis puſtulis ſolutoq; pro impenſa cura pretio, iter noſtrum jam quaſi liberi Madrituni continuare potuerimus: quo delatus demortuam penitus famam de rebus Poloniæ prout optabam, & mihi ſignificatum à Nuntio fuerat inveni, ſtatimq; ab adventu meo indicium mei Secretario ſtatûs feci. Nec dilata audientia eſt; quâ primùm apud Reginam habui, quòd illa tum temporis Regnum adminiſtraret, deinde apud Regem. Reginam pro more Hiſpanico, Carmelitano habitu (is enim ibi Reginis viduis ſolennis eſt) veſtitam offendi, Gynecæo in inſtitis capillitio ad latus unum capitis colligato ſtipata. Civiliſſimè excepit venientem & de compluribus rebus præſertim de Eleonora Regina edoceri voluit. Regem autem ſtantem aſſiſtente illi Duce de Infantado Ajo, hoc eſt, ejus gubernatore reperi; galeroq; caput coopertum, quem nunquam movit niſi Majeſtatis titulus occurriſſet. Duobus audientiam duntaxat abſolvit verbis gratè accipimus. Quin nominis etiam ſui Reges Hiſpaniæ parci ſunt: nec enim illud in ſubſcriptionibus apponunt: his ſolummodò terminis utuntur: Yo Rey, hoc eſt, ego Rex. Habui deinde viſitationis honorem Cardinali Arragonio, Præſidenti de Caſtilia, comiti de Piniaronda & alijs Miniſtris: civiliſſimè ab omnibus exceptus. Reddidi vellus aureum, quod mecum poſt fata Michaëlis advexeram.

Ludi Tauri ni Madriti.

Non omittenda eſſe exiſtimo; quò plenam gentis hujus notitiam habeas, quæ ſive Hiſpanis ſive cognatæ Luſitaniæ ſolennia ſunt: quin & exactiorem Madriti deſcriptionem, quoad aliqua naturæ in ea civitate beneficia & alia dabo. Contigit ſub tempus, quo ibi verſabar; ut ludi taurorum ſive taurilia (illis ſvego de Toros dicta) exhiberentur, quibus & ego ſpectator opportunum ſortitus pro ſpectando locum penes magnum Cæſaris Legatum Comitem de Haras multæ in me humanitatis & affectûs virũ, interfui. Modus hujus actûs admodùm ſerij hic eſt: in foro ſatis amplo excitantur in circum camerulæ illis Loge dictæ, pro dignioribus perſonis; in fronte ipſa eminentior ſuggeſtus pro Regina & Rege ſtatuitur, quorum uterque præſens huic ferino ſub meam commorationem adfuit ſpectaculo. Nuntius Apoſtolicus ſeſe communiter abſentat; quòd nunquam tam felix iſta hominum cum beſtijs Athletica ſit, quin complurium vitâ obſignetur. Triſtis & cruentus hic valde ludus eſt, Romani luxûs quoddam veſtigium, ludorumq; illius urbis aliquomodo æmulus. Plauditur in illo tum potiſſimum, dum maximè plangendum foret: tum enim gratiſſimus accidit, dum plures Antagoniſtæ à beſtijs occidunt. Præpoſtera enim verò animi relaxatio, ne dicam impiam, per alienæ vitæ diſpendia & funera mercari lætitiam; ac ſi ſincera dari non poſſent gaudia, niſi exſpirante per vulnera vitâ de doloria

loris fŏte promanâſſent. Me præſẽte in hac ferali ſcena tres occubuerunt; nec tamẽ ludis fecerũt pretiũ quia non plures occidiſẽt, fatiſq; ſuis vilis plebeculæ faviſſent affectui. Prælij verò huj9 hæc ratio eſt. Emittitur de ſub theatro taur9, cõmuni nunquã aſſvet9 luci, indeq; quia nunquã ſolem vidit, tantò iræ illi expoſitus manifeſtior, & efferacior, hunc contra procedunt Equites live ſponte ſuâ ad generoſitatis in ancipiti illo oſtentationem, ſive devota morti capita (ac ſi ſceleribus deeſſent pœnæ) aliquot à tergo famulis comitati, inſtructi haſtis, ſplendore veſtium, ac ſi nuptiale adirent epulum, inſignes: Mauri tamen communiter eſſe ſolent: qui ſi Equites nihil pilis haſtisque ſuis effecerint, pedeſtres præliantur. *A.C.* 1673

Terribilis viſu eſt res; dum beſtiæ iras acuunt, ſtant illæ in arena quandoque velut inſtructæ & quieto tantisper ſubſiſtunt gradu, donec obſervent, quomodo hoſtis petendus ſit: tum homini ſuccedunt, cornibusque exceptum altè in auras jactant, & mox elato capite ex alto redeuntem expectant, rurſumque ijſdem induunt: ut prope poſſibile non ſit, tam certam evadere mortem. Quandoque in ſatellitium in theatro feruntur eo effectu; ut confuſis nec modus nec ratio tuendi corpora & vitam ſuppetat, utut copioſa ea Guardia ſatellitum eſt quorum veſtit9 croceus Helvetorum habitum imitatur. Nulla tamen fera in libertatem ex illo theatro evadit; ſed nec mortem evadere poteſt: reperiuntur enim complures artis apprimè gnari, qui ſive lanceâ dextrè taurum ſubeunt, ejuſque ventrem hauriunt, aut certè ſicarum genere in ſagittarum ſpeciem in ipſum collimant caput. Erat tum Maurorum quiſpiam loco & genere ſuos inter inſignior, tam in agendo facilis; ut a tergo beſtiam inſiliĕrit, nec antè deſcenderit; quàm illam confeciſſet. Porrò ubi fera ſive debilitata vulneribus, ſive perempta jam ceciderit plebs univerſa & Agricolæ Aurigæque (nam ne hi quidem ſine gladio quoquã ſe conferunt) ſtricto ferro in jacentem irruunt, taurique ſangvinem hauriunt, ludibrio aliàs domeſticis futuri, ſi incruento enſe domum redĭerint. Solenne præterea Hiſpanis & Luſitanis eſt etiam de vulgi fæce, indies frequentare comœdias, nec curare cætera: dummodò tantum quotidie labore luerentur, quantum ſolvendo pro admiſſione ad ſpectaculum ſufficit: à vilioribus omnino abhorrent obſequijs, qualia ſunt deferre aquam &c. ad quæ utuntur Gallis inferius dignitate ſuâ cenſentes ſervilibus vacare. In proceſſionibus verò, uti mihi Vlyſſiponæ videre contigit, multus larvarum uſus eſt, item tympanorum, quæ aliquam ſimilitudinem Turcicorum habent, cymbalorum, citharārum aliorumque muſicorum inſtrumentorum: imo ad imitationem S. Davidis quem pro ratione allegant, ſaltant. Sub ferias natales Chriſti in quovis templo præſepium proponitur, coram quo itidem ſuos abſolvunt ſaltus. Res profectò viſu digna, dum velut religioſæ auſteritatis rigore poſito, promiſſâ barbâ venerandus quiſpiam Capucinus ſive citharam, ſive cymbalum pulſans publicè coram altari in varios ſeſe contorquet gyros. Madritum tam palatijs quàm Eccleſijs ultra dicta magnificis cultiſſimum. Mihi apud Cardinalem de Arragonia audientiam habituro ſaltem per 20 conclavia, quorum ſingula diverſis raritatibus, præſertim grandioribus horologijs viſenda erant, tranſeundum fuit, donec ad ipſum Principem devenirem. Idem de cæteris Magnatum baſilicè prorſus habitantium curijs tenendum. Inter templa formâ & arte geminæ præcellunt Eccleſiæ, altera Societatis JESU Patrum, in qua D: Franciſci Borgiæ corpus requieſcit: altera Patrum Ordinis Prædicatorum, in qua Deipa-

A.C. 1673 ræ Virginis effigies miraculis clara (illis Donna de Attocia dicta) colitur, lampadibus argenteis, quales nullibi majores vidi, coruscat. Ex occasione hic Patrum Societatis JESU illud adjicio, per Lusitaniam Beatum nostrum Indigetem Stanislaum Kostkam non in nigra depingi veste, sed cinerea seu subnigra, quòd in illis partibus dictæ Societatis Novitij, nonnisi ejusmodi coloris amictu vestiantur, donec tyrocinium peregerint. Quoad àërem subtilis ille admodum Madriti est; Sarcophaga autem terra; nam cadavera equorum, canum aliarumque bestiarum urbe evehi necessum non est, sufficit in plateam ejeciſſe intra 24 horas in pulverem abitura. Idem de purgamentis, alijsque salvâ reverentiâ excrementis de nocte in plateam eliminata in crastino ne vestigio quidem sui relicto nulla omnino sunt; quod omnia hæc beneficio telluris devorentur & in nihilum vertantur: unde ipsimet asserunt, se suas resorbere sordes. Multus enim æstivo præsertim tempore sese in àëre suspendit pulvis: quare cautelâ magnâ opus est, tum aliàs, tum nocte præcipuè, ne auræ captandæ gratiâ aperiantur fenestræ, indubiè aut morbis gravibus aut etiam ipsâ morte per illas Ingressuris. Quin etiam de die crassiore sago de aluta & corio se contra penetrativam obarmant auram; ut perniciem prohibeant: quare & mihi inter æstus tantos licet, lineâ interulâ triplici & præterea subuculâ gossypio condensatâ non sine molestia utendum fuit. Pontem habet urbs ad speciem magnificum, at non tam ut per undas aut fluvium transportet, quam potiùs ut fossas Impleat excogitatum: exigua enim subtus illum delabitur aqua; unde Turcicus Legatus lusisse fertur, aut venderent pontem aut emerent aquam. Pro theatro recreandi animi ille vere ineunte, dum adhuc lacunæ vernâ stagnant resolutione, patet. Excurritur in eum à diversis quà Magnatibus quà Nobilitate, intentâ interim in suam jucundiatem plebe: dum aut rheda rhedam assequi vel præcurrere certat, aut altera alteri occurrit aut denique impedit occursu & confringitur impedita. Nemini præterquam soli Regi sexigis vehi concessum est, Legatis Majoribus & Magnatibus regni quatuor duntaxat mulis discedere indultum, in quo ipso adhibetur distinctio; ut si quispiam insignior de Grandibus Hispaniæ proficiscatur, auriga alter ab altero viginti & amplius passibus distet: Quem discedendi modum vocant à tiros largos, Hæc sunt quæ de Hispania memoranda duxi: jam illâ excedam in Galliam Ablegatus Joannis III. Regis abiturus. Intellecto ex conferentijs cum Ministris Statûs fruſtra à me sperari subsidium ob inopiam ærarij, acceptisque literis ex Polonia, quibus mihi avunculus Primas Regni expeditionem pro Ablegatione in Galliam nomine recens electi Regis Joannis III. deferebat, eamque ad manus Abbatis Mogilensis postea S. R. E. Cardinalis Dönhoff destinâsse significabat: cùm insuper ipse suis specialiter ad me datis Abbas urgeret, ut quantocius festinarem, quòd Domina Marchionissa de Bethune Reginæ Casimiræ Germana non contenta eâ Ablegatione impedire id munus mihi tentaret, quæ utpote Comiti de Maligni fratri suo eam optabat functionem, moras mihi trahere visum non est: sed quàm potui ociſſimè, cooperante Nuntio Marescotti, qui ad tot benevoli in me affectûs signa etiam pecunias adjecit pro itinere necessarias Parisijs punctualissimè remittendas, audientiâ supremâ conciliatâ valedixi Reginæ, quæ mihi scriniolum puto cum cimelijs pro Eleonora sorore sua consignavit: deinde Regi, à quo mihi rosa adamantina valoris duum millium Imperialium donata. Sic absolutus Madrito mo-

Aut Madritei.

Pons ibidē

Equorum numerus

vi,

vi, studioq; Pampelonem direxi iter, locum eum videre desiderans, in quo A.C. 1673
Divus Ignatius ex tormentariæ machinæ ictu confracto crure æger primitùs cœleste accepit lumen. Civitas ea non inelegans est, arcemque annexam munimentis & mœnibus non imparem cæteris habet. Præerat tum pro Gubernatore fortalitio huic Alexander Farnelius vultu quidem in Æthiopem deformatus, sed moribus & civilitate cultissimus, à quo prandio exceptus Pampelonensiq, vino tractatus (non aliud generosius me totâ Hispaniâ bibisse memini) gratijs tantæ humanitati ejus persolutis abscessi. Penetrandi deinde fuêre Alpes montes (sine auxesi dico) tantæ altitudinis; ut inseruisse nubibus verticem videremur. Quàm tamen illi exiguus hactenùs fuêre obex infestis animis & armis utriusq; gentis tam Hispanæ quàm Gallicæ; quibus feliciùs ad gloriam communis Europæ & Christiani orbis hostis cecidisset. Tum primùm non tantùm pro portitoribus, sed etiam pro viarum Ducibus equis uti cœpimus: nam equus nobis pro prodromo datus sine ullo lessore (tanta etiam in animantibus memorativa est) recta per compendia semitasq; ad alteram Cursoriæ nos deduxit stationem, Inde S. Joannis civitate, (quod illae iter accideret) visitatâ Bajonum devenimus: ubi à Marescalco Gramond Gubernatore civilissimo cœnâ accepti, quia moram mea ablegatio non patiebatur, immediatè post refectas vires alteram postam sive veredum assumpsimus. Et jam equos ascensuri eramus; cùm cursor cameræ Regis intervenit, utq; sumptibus parceret in alterum equum impendendis (nam singulariter discedenti singularis etiam postilio sive veredarius conducendus est) rogavit; ut sub meorum domesticorum titulo sibi socium viæ esse liceret. Libens annui, insuper etiam mensæ adhibui; quòd homo (ut solent Galli) esset omnium horarum, salesq; in potestate haberet. Burdegalamprætervecti Bellovacum tenuimus, ubi repertum Raphaëlem Leszczynski (de quo jam supra meminimus) diversis postea munijs in Patria celebrem uti Marescalcatu in comitijs colligationis, legatione ad Turcam, Palatinatu Calissiensi, & Posnaniensi, demum thesaurariatu Regni & generalatu majoris Poloniæ; in quo cum summo dolore meo præmaturo fato extinctus est, relicto post se filio Palatino Posnaniensi Stanislao, in comitatum assumpsimus. Cursor autem ille, qui se nobis Bajoni junxerat hic à nobis recessu facto cùm spe citius Parisijs constitisset, Regi tantam pernicitatem miranti, & quærenti qui tam velox esse potuisset; respondit: rationem præcipitati itineris totam in meam cursoriam conjiciendo, laudes insuper adjecit: quibus me prorsus indefatigabilem suo Principi asserebat. Nec falsa locutus est: decimo enim ab excessu Madrito die, ut ut in diversis locis moratus fueram, non sine admiratione tantæ festinationis Parisijs steti, nec ibi tempus ullum quieti daturus. Nam mox ab adventu Abbatem Mogilensem adij, & ab eo expeditionem meam popposci spartæ mihi impositæ ex nunc satisfacturus. Ab eo intellexi, qualiter Marchionissa de Bethune omnem movisset lapidem, quò expeditio mea ruptis sigillis in irritum caederet & Reginæ remitteretur: quasi indistinctũ quid Ablegatus & cursor esset; cùm prior nequaquam ita obligatus sit ad currendum, uti secundus. Admonuerat enim illa Abbatem periculum in mora esse, meq; ubi adveniissem ab ipsa Regi præsentandum fore: quod ipsum prædictæ Marchionissæ me coram repetenti paucis evitatâ omni circumlocutione reposui: nôsse me utcunq; eharacterem meum, nec ignorare quid mei muneris foret; adeòq; me alienæ præsentationis penitus non indigere, quin alios potiùs me præsentaturum. Nec aliter quàm dixeram fecit, perlectâ meâ expeditione per D. Gurowski Secretario statûs Dno de Pompone significari de meo adventu & charactere curavi: ipse interea

Equi Ducces priores

quâ

A.C. 1673 qua conducendo pro dignitate hospitio, quod satis commodum ex adverso in platea columbarum sub aquila nigra reperi, ibi etiam cocum artis suæ non imperitum offendi, contractumq; inivi: ut pro 12 personis paratam indies haberet mensam (nam sine hospite nunquam fui) qua comparandis pro decem famulis, duobusq; Ephebis pro decore vestibus intendi. Duos intra dies determinata audientia erat, versalijs danda, qui terminus priusquã elaberetur, mihi ad Marchionem de Arquien parentẽ Reginæ nostræ tum centum Helvetis Regij Fratris pro Capitaneo Præfectũ. (habitabat is tum in Palatio Royal) qui ei deferret me tanquam parenti modernæ Regnantis coram habere honorem & venerari velle. At repulsam immeritus tuli; quam paucos post dies non sine pœnitudine excusavit. Crudum enim nonnisi responsum reddidit, se nullatenus agnoscere velle me pro Ablegato Poloniæ, quòd ex literis Reginæ filiæ suæ sibi constaret Comitem de Maligni ad id munus destinatum esse. Fuerat id quidem verum; affectaverat id Regina; at avunculus meus sequenti statim Electionem die adhuc munus Cancellarij exercens, ea prævenit intenta, de quibus ceu re certa Parisios Regina scripserat ignara jam missæ pro persona mea expeditionis: deinde negotijs alijs quæ non pauca initio Regni interverterant, penitus absorpta, oblita conferre cum Rege hac super re fuerat; unde nonnisi acceptâ Parilijs notitiâ mihi id munus collatum esse, rem evertere voluit, sed frustra: nam Regi, quod factum fuerat, infectum reddere integrum jam non erat; nec verò etiam volebat Princeps: quòd avunculus meus impensiùs invigilaret. Gravius id quidem tulerat Regina: quare reduci infesta esse cœperat, literis præsertim Marchionissæ oleum incendio affundentibus, quæ iræ nimia, quia affecuta intentum non fuerat, ad criminationem advertit calamum, per impotentiam (ut fœminæ solent) deferre ausa me ad publicam ejus mensam non in Calimiræ sed Eleonoræ sanitatem bibisse: quod in meam prudentiam quanquam juvenilem nequaquam cadere poterat: vel enim utriusque id simul honori dedissem vel certè priorem locum actu regnanti detulissem: præsertim quòd Regis mariti ejus Ablegatus eram, at facilè mendacia præposterè sese vindicantis veritate confutavi, rursumq; regalem manifestâ justificatione evici affectum. Quamvis autem à visitatione Marchionis de Arquein rejectus fueram; non tamẽ in obicem ea vertit indignatio: quò minùs audientiam apud Regem & Reginam consequerer. Nam duobus diebus elapsis geminæ pro me Rhedæ à Rege & Regina cum Introductoribus consvetoque expeditæ fuêre complemento, quarum unâ inscensâ cum D. Gierot vice-Introductore Versalos profectus solitis ibi ceremonijs exceptus, audientiâ datâ Regem ad lectum sedentem & galero caput coopertum reperi, quem toties movit quoties aut ipsum, aut meum Regem nominassem. In inferiori deinde triclinio prandio cum aliquot inlignioribus Dominis qui mihi adstiterant tractatus. Interfuit illi etiam Marescalcus Villeroy. Post prandium ad Reginam deductus tum conversationi sub nomine corculi, eum suo Gynecæo occupatam, ubi Marchionissa de Bethune satis se humanam (nec enim aliter poterat) mihi exhibuit: tum ad Delphinum deflexi, demùm brevi conferentiâ cum Dno de Pompone habitâ Parisios redij, quò etiam cætera conferenda Secretario Statûs differre visum est. In sequenti die iteratò duæ rhedæ pro me missæ, quibus ad S. Claudium veneraturus Regis fratrem ejusque consortem discessi. Erat ipsa ex domo Palatina, quæ linea jam exspiravit, Electoratu inde in Domum Neobur-

Neoburgicam translato. Excepit uterque Princeps humaniſſimè venientem & de compluribus curiosè quæſitum Pariſios dimiſit: quò vix ijsdem thedis, meis ſexigis duabus conductis ſequentibus reverteram; Introductoremque Regij fratris honoris causâ aliquantum deduxeram; cùm eodem planè momento eâdem levitate, quâ mihi ante titulum Ablegati negaverat, Parens Reginæ noſtræ Marchio de Arquien accurrit, productisque literis Reginæ ſuum excuſavit errorem. Non defui officio & debito meo; reddidi vicem, quam anticipare volueram; & apud illum prandi, reciproceque prandio apud me hoſpitem excepi. In craſtino Dnum de Pompone in ſuo conveni palatio; ubi poſt mutua complementa negotiationem meam ſum auſpicatus ratione tituli Mtis, quem hactenus Regibus Poloniæ negavit Gallia. Conſignavi ibi memoriale volens me quodammodo intromittere in conteſtationem litis & affectûs, certareq; rationibus. Fruſtra ea omnia fuêre, res nonniſi intra verba ſtetit, rationesque meæ ad deferendũ Regi acceptæ, quare poſt duarũ horarũ ſpatiũ ad meũ redij palatium, ſimili eventu de eadẽ materiâ unâ alterâq; vice cum dicto Secretario collaturus. Interfui deinde Verſalis aliquoties dũ Rex ſurgeret, ſacrũ audiret, prandiũq, ſumeret; quæ õnia conſtituto aguntur tempore. Surgit cira nonam Rex, publiceq; veſtitur, nemini ex dignioribus tum ad ſpectandum negato acceſſũ. Primus ex ſanguine Princeps lineam illi interulam porrigit: qui ſi abſit, ſupplet ſecundus vicem, aut qui ſequitur id miniſterij præſtat. Indutus ad oratorium, quod contiguum conclavi eſt, ſecedit breviq; prece Deum invocat, à qua vel Legatos externos, ſi qui ſunt audit, aut conſilio, quod quotidie ipſo præſente habetur, intereſt. Deinde ad ſacellum in inferiori aula præparatum ſacrum auditurus ſe confert: in quo poſt Sanctus omnes genu flectere neceſſe eſt intentâ in id cuſtodia, nec ante ſurgere, quàm poſt ſumptum calicem digitos abluerit ſacerdos. Secundùm ſacrum ad menſam pergit publicè itidem pranſurus, ad quam nonniſi Delphinus & frater cum conſortibus & nepotibus admittuntur. Si quæ verò Princeps privilegio (ut vocant ibi) Taburreto gaudet; à tergo Reginæ in humiliori conſidet ſedili. A prandijs vel venatum captatũvè auram proficiſcitur, vel deambulatione fallit tempus; donec circa decimam cœnam ſumat, ab ea cubitum conceſſurus, ijſdem circa exuendum uti inter induendum ceremonijs obſervatis, ad quem itidem ſpectandum actum nemini de honeſtioribus negatur acceſſus. *A.C.* 1673

Regum Galliæ diſtributio temporũ.

Pluribus te non moror: nec enim aut Verſalorum aut Pariſiorum aliorumq; locorum deſcriptione implere chartam volo; cùm tibi ea aliunde conſtent. Tribus ita in mea negotiatione abſumptis hebdomadis, non tam negato quàm dilato Majeſt: titulo, quem ſaltem Joannis Tertij tempore negandum minimè aut differendum fuiſſe ultra arbitror: niſi diverſa de quibus infrà, interveniſſent: valedixi Regi, Reginæ, Delphino tum decem annos nato (æquabat enim ætate Hiſpaniæ Regem, imò diebus aliquot ſuperabat) imâ utpote Novembris in lucem editus, (Hiſpano deinde 6tâ ejuſdem nato) & fratri Regis: à quo officio ijſdem ut ſupra, rhedis invectum inſecutum eſt regale munus effigies Regis auro incluſa, adamantibuſq; radiatæ; trium millium imperialium valoris: latorem ejus dominum Gierot annulo 200 aureis æſtimato ſum muneratus. Exceſſi igitur Pariſijs relictis ibi Dd. Leſzczynſki & Gurowſki, aſſumpſeram in viæ ſocium D. Thomiſzawſki præclaris ornatum dotibus & uſquequaq; inſignem virum, cum quo vix Cales delatus fueram; cùm reſcito adventu meo loci illius Gubernator eâdem domo quâ Marchio de Bethune natus, ex nunc rhedâ miſsâ ad prandium invitavit. Nec recuſare licuit & imò benè hæc acceptatio honoris vertit. Nam cùm Marchionem de Vitri ad Generalem Sveticum Vrangel

Wolma-

A.C. 1673 Wolmarum diſceſſurum ibidem reperiſſem, illeq; intellexiſſet me Poloniam petere; ſvadere cœpit Comes itineri ejus Hamburgum eſſe non gravarer: quin & commodum in navi Regis Angliæ (Jagtam vocant, quod genus navigij & formæ elegantiâ & diverſorij cõmoditate cæteris præſtare ſolet) conclave offerre. Non multis mecum agendũ fuit, ſponte in id propendebam: quare circa veſperam opportunos ventos nacti ratem eam inſcendimus, duorumq; dierum totidemq; noctium ſpatio citra ullam corporis alterationem feliciter Hamburgum appulimus: ubi alijs duobus diebus quieti datis viam Stetinum arripui, inde non ſine incommodo ob rerum per ſteriles illas & deſolatas terras penuriam rectâ Gedanum contendi, nihil omninò ibidem pauſaturus. Nam tam literas ibi Avunculi mei cum mandatis accelerandi itineris, quàm vecturam aliaq; pro via parata inveni. Quocirca morâ nullâ interpoſita Gedano movi ipſoq; die D. Andreæ, cujus nomen tam Avunculo, quàm mihi commune eſt, circa veſperam Lubaviæ conſtiti, non ſine uberiore tam in me quàm Epiſcopo lætitia; quòd incolumẽ & ſoſpitẽ tot poſt tẽporũ decurſo reciperet; in me verò quòd ex Epiſcopo jã Archiepi copũ contingeret ſalutare: nã triduo ante Romanas bullas pro Primatiali cathedra obtinuerat, ut ut difficultates interventuras timuerat; quòd præſentatio ejus non ſub ſigillo publico ſed cameræ duntaxat Regiæ diſpenſante Republ:, de quo exſtat Comitiorum conſtitutio, expedita fuerat. Verùm quid ingenti ejus virtuti obeſſet & animo in illo orbis theatro; ubi merita ex debito penſantur? ſummâque facilitate, negotium coronatum eſt, ceſſit corona ſanctitatis gloriæ & honoris digniſſimo capiti, quò jam Primas Principem & Majeſtatem Sarmatiæ noſtræ coronaret. Hic tantisper calamum ſiſto &c.

INSTRUCTIO ANDREÆ ZALUSKI CANONICO CRACOVIENSI ABLEGATO AD REGEM HISPANIARUM, data Varſaviæ, die 3. Februarij.

PRoperabit Pariſijs Madritum D. Ablegatus, quo poſtquam venerit incognito, ornatus Abbatis more lugubribus, juxta morem illius gentis ſe tum primùm manifeſtabit, petetq; primam audientiam; accepta informatione de conſvetudine poterit primò mittere literas ad Nuntium Apoſtolicum Mareſcotti & ad Legatum Cæſareum Comitem Haragh.

In prima audientia nihil aliud tractabit, niſi ratione velleris aurei juxta conſvetudinem, literaſq; à Regina reddet; complementum verò aliquot periodis expediet nomine Reginæ, nuntiando ejus orbitatem, omni meliori modo ſe accommodando ad Reginæ literas.

Deinde altera aut tertia die petet ſecundam audientiam de negotio. In qua, literas Primatis, & memorialia reddet nomine Ordinum Regni, ratione auxiliorum pecuniariorum contra Turcas, & ſummarum Neapolitanarũ.

Sequente die Cardinalem de Aragona & Comitem de Dinaronda in viſet, literas Archiepiſcopi & Procancellarij reddet, & ſi videbitur, copias memorialium Regi Hiſpaniarum offeret.

Summè utilis eſſet pro Secretario Ablegationis Abbas Brunetty, licet ſine titulo, ſi ipſi viſum non fuerit, cũ habeat praxim intractando.

Comes Niunge, qui ante duos annos fuit in Polonia Ablegatus Hiſpaniarum, Miniſtros non inviſebat, nec ullum Senatorem, vixque ultra ſeptimanam moratus eſt Varſaviæ, adeoq; hoc exemplo acceleranda eſt expeditio, ut adhuc Electio inveniatur, quæ duratura eſt ad menſem Junium.

Si hæc negotia tam citò expediri non potuerint (quanquam præ-

ſtaret

staret cum perfecta redire expeditione, quæ omnino curanda erit) poterit illa aula reliqvum negotij committere Legato Hispaniarum Viennæ residenti. *A.C.* 1673

In negotio summarum Neapolitanarum producenda instrumenta donationis Regis Sigismundi, & articuli pactorum conventorum. Quia verò Lombardi Plenipotentiarius ad has summas privatus est honore & bonis in Curia Romana; ideo revocanda est per Ordines Regni ejus plenipotentia, prout in copia literarum ad viceRegem Neapolitanum.

Demonstrandum quomodo Sveci prætensiones ad hasce summas, prout in manuali Svetico dato cuipiam.

Ubi Polonia acceperit in possessionem summas Neapolitanas, poterit de illis transactionem facere cum Regno Hispaniarum, factâ per tractatum concordiâ pro summis semel pro semper.

In omnibus cautè & decenter procedendum.

In responso ad Reginam advertendum, ut addatur Potentissimæ: siquidem talem dat Regina titulum, talemq; ab Imperatore Reges, & Reginæ Poloniæ accipiunt. Similiter ut in literis ponatur Majestatis. Petenda copia literarum. ReferenJum, Electionem inchoandam esse 14. Aprilis, in qua talis Rex eligetur; qui sit capax Matrimonij cum Regina nostra.

In negotio summarum Neapolitanarum, non fidendum Nuntio Maresciotti; quia Sanctissimus & curia Romana magis favent Reginæ Christinæ.

Siquidem literæ Reginæ & Archiepiscopi, sunt de data in Februario, dicere poterit se in paucis locis postâ iviſſe.

Expeditio tota directa est per Postam Berlinensem sub cura Hoverbeg, sub titulo Succamerarij Varsavienſis die 6ta Feb:

Adeoq; sperabatur bene perveniſſe. In omnem casum, mittentur literæ ad Regentem Portugalliæ ratione auxiliorum contra Turcas: si tamen via nimium longa fuerit & mutatio auræ periculosa, licebit eò non ire, literasq; supprimere. Cætera prudentiæ & dexteritati committuntur.

AD REGEM HISPANIARUM.

Petitio subsidij pecuniarij.

ARchiepiscopus Gnesnenſis Regni Poloniæ Primas primusque Princeps, & Interrex, ac Ordines Reipub: Polonæ in convocatione generali Varsavienſi congregati studiorum, & obsequiorum suorum devotionem Sacræ Majestati Vestræ Catholicæ, per me Ablegatum suum venerabundi offerunt, DEUM precantes ut S. Majestatem Vestram Christianæ rei bono, & fulcro in longissimos annos servet incolumem prosperitate omni, maximis triumphis & immortali nominis gloriâ accumulet. Nemini mirari subeat, quòd Polonia è remotissimis suis oris ad S. M. V. accedat. Id enim magnitudini, & splendori Regis Catholici Austriaci, & Hispanici nominis tribuendum est, ut in bello gravissimo contra immanissimum Christianitatis hostem Turcam nullibi certiorem spem, quàm in pietate, zelo & liberalitate Scræ Mtis Vræ reponendum duxerimus. Neq; dubitabamus desiderio, imò plenæ fiduciæ nostræ Sacram Majestatem Vestram libenter, & liberaliter ærarij sui opibus responsurā, cùm

A.C. 1673 cùm Augustos Majores inclytos Hispaniarum Reges Ottomanicos terrores, cum Sacræ Majestatis Vestræ magnanimam indolem recogitamus, maxima & planè supra fidem ex Turcis reportata victoria, magnos animos Polonis facit, non tamen tantùm præfidere possumus, ut diuturno bello validissimi, & post acceptas clades ferocissimi hostis, impetuique sustinendo solimet sufficiamus. Cecidêre armis Polonorum anno proximè elapso die IIma. Novembris Exercitus Ottomanici, Janczarorum, & Spahiorum robora, expugnata munitissima castra, præda ingens distracta, Chocimensis arx intra castra sita, naturâ loci inexpugnabilis, commeatu, & præsidio optimè instructa, duo cum ponte fortalitia, cis, & trans fluvium Tyram in deditionem victorum venêre, totâ Vallachiâ, & Moldaviâ, ultra usque Danubium depulsus hostis, sed non novum Turcas sæpiùs lacessitos, rarò victos post gravissimos casus, mox iterum insurrexisse, & Christianos magnâ vi superasse. Præ oculis exemplum est pertinaci Turcarum hostilitate, devictæ tandem Candiæ, nec vanus metus Poloniam agitat, cum furialibus Imperatoris Tucarum edictis totum Orientem, & quidquid Gentium sceptro Ottomanico subjacet, ad arma & vindictam concitari, ac proximovere impetum adversùs Poloniam destinari crebris certisque Nuntijs afferatur. Metimur res viresq; nostras continuis propè triginta annos bellis nimis exhaustas, quæ nisi Christianorum Principum subsidijs juventur tanto hosti vix, ac ne vix quidem diutiùs resistent. Quanta porrò ex nostro discrimine toti Christianitati pericula impendeant, quàm proximum est, ut rupto hoc Poloniæ velut aggere infestâ Barbarorũ potentia Germaniam ac reliquam Europam inundet? quanta Hungariæ, & Italiæ tempestas minetur, nisi Polonorum fortitudo Barbaros distineat cujlibet prudenti animadvertere est. Proinde cum Hispania tot spatijs terrarum dissita, copias auxiliares suppeditare Poloniæ non valeat (tametsi optaremus, ut quâcunq; ratione, seu pace, seu inducijs compositis Christianorum dissidijs omnes Christianorum, ac præsertim Catholici Regis copiæ in Turcas nunc maximè debilitatos vertantur) ut summa aliqua notabilis pro auctorando, & conservando Exercitu Polonico à Sacra Mtte Vestra quàm primum suppeditetur. Nec non durante hoc bello Polono-Turcico certa stipendiorum quota militi assignetur, enixius Ordines Regni postulant. Cedet id maximo gloriæ divinæ incremento, Sacrorum, & fidei defensioni. Poloniæ Orthodoxi Regni immortali erga Majestatem Vestram ejusdemq; Augustam domum obligationi. Quod Ablegatus majori quàm potest curâ, & contentione repræsentans favorabilem, & indilatam expeditionem omni cum veneratione efflagitat.

SACRA

SACRA REGIA MAJESTAS CATHOLICA DOMINE DOMINE CLEMENTISIME. A.C. 1674

Archiepiſcopus Gneſnenſis ut ſupra.

COngregati per me Ablegatum ſuum Sacræ Majeſtati Veſtræ Catholicæ, reverenter repræſẽtant, quomodo confertim, à morte Sẽreniſſimi & Catholiciſſimi Regis Joannis Caſimiri, ſummas Neapolitanas, quæ ab obitu Bonæ Reginæ Poloniæ jure hæreditario Sigiſmundo Auguſto Regi Poloniæ ceſſerint, poſt obitum verò ejus, ad ſororis Polonæ filium Sigiſmundum III, jure itidem hæreditario devolutæ fuerint, illoque demortuo, per filios memorati Sigiſmundi Vladislaum IV. Joannem Caſimirum Reges Poloniæ poſſeſſa ſint, in poſſeſſionem ſuam tradi decenter poſtulaverint, eoq; nomine per ſpecialem plenipotentiarium Regis & Reipl:, Dnum Jacobum Lombardi Prælatum Romanum, apud Excellentiſſimum Dominum Vice-Regem Neapolitanum inſtiterint. Sed in concurſu Competitorum ad eaſdem ſummas, Palatinæ Rheni, ex teſtamento Regis Caſimiri inſcriptæ hæredis, & Sereniſſimæ Chriſtinæ Reginæ Sveciæ jus naturalis poſt fratrem ſucceſſionis prætendentis, ad hoc uſque tempus propoſitio & inſtantia Regis & Regni Poloniæ, non eſt ſortita effectum. Nititur optimo jure Reſpublica Polona pactorum conventorum, ſeu capitulationum, circa electionem Sigiſmundi III. dum ſub tempus Coronationis ſolenni diplomate inſcriptæ donationis, uti ex inſtrumentis publicis liquet & notorium eſt. Proinde obnixè orãt Ordines Regni, & M. D. Litvaniæ, quatenus Majeſtas Vra non alteri cuipiam ſed Reipublicæ Polonæ dictas ſummas, ac earum quoſvis proventus in realem & pacificam poſſeſſionem, cum uſu fructu, ſinè mora & difficultatibus tradi jubeat, atque ad eum effectum, Regium mandatum ad Excellentiſſimum Dnum Vice-Regem Neapolitanum expedire dignetur. Tribuet Sacra Mſtas Vra non tantum benevolentiæ erga Poloniam, ſed ipſimet juſtitiæ & æquitati. Quo benigniſſimo facto Reſpublica Polona Sacræ Mſti Vræ, ejuſque Auguſtæ Domui æternum obligabitur. Quod Ablegatus majore, quàm poteſt curâ & contentione, repræſentans favorabilem & indilatam expeditionem, omni cum veneratione efflagitat.

Summa Neapolitana.

COPIA LITERARUM AD REGINAM HISPANIÆ à REGINA POLONIÆ Varſaviæ die 6. Februarij.

TAmetſi jam famâ pridem ipſâ, comperta ſit orbitas noſtra Majeſtati Veſtræ, poſt exemptum rebus humanis anno proximè elapſo 1673. die 10ma Novembris Sereniſſimum & Potentiſſimũ Principem olim Dnum Michaëlem Regem Poloniæ Maritum noſtrum deſideratiſſimum, tamen conveniens duximus hiſce, mortalitatis Regiæ, ſimulque viduitatis noſtræ nuntium, per expreſſam Perſo-

A.C.1674 *nam Majestati Vræ decenter intimare; minimè dubitantes Mtem Vestram pro arctioris sangvinis nexu, & benevoli erga nos animi studio nostro præsenti statui condolituram, ac devincti affectûs documēta nobis exhibituram. Non tardandum etiam putavimus, quod ultimis tabulis Serenissimus Diva memoria Maritus noster præscripsit, ut torquem aurei velleris decenti modo remitteremus. Quo officio, nomine & mandato nostro fungetur Venerabilis Abbas Zaluski Canonicus Cracovienſis; cui facilem aditum, & plenam fidem à Majestate Vestra concedi optantes, de reliquo optimam valetudinem, & prosperrimos successus Majestati Vestræ à DEO animitus vovemus.*

Ejusdem Majestatis Vestræ Amantissima Soror Eleonora Regina.

PUNCTUM EX TESTAMENTO REGIO.

REverendo in Christo Patri Dno Andreæ Olszowski Episcopo Culmenſi Procancellario Regni, pro magnis, multisque erga me meritis, & quod mihi ad ultimum usque spiritum constanti officio, & operâ adstiterit, gratum affectum contestor; eidem Pro-Cancellario amanter commutto, & concredo, ut torquem aurei velleris Serenissimo Hispaniarum Regi remitti curet.

LITERÆ ILLUSTRISSIMI PRO-CANCELLARII REGNI AD CARDINALEM ARRAGONA Varsaviæ die 6 Februarij.

LAtori præsentis Domino Ablegato Polonico Abbati Zaluski Canonico Cracovienſi Nepoti meo deesse officium meum non patior, quominùs eundem gratiæ & patrocinio Eminentiæ Vestræ reverenter commendem; Ac licet fortè nulla dabitur occasio, quâ vicissim Eminentiæ Vestræ obsequiis correspondeam, animum tamen semper paratissimum geram, meque æternùm devinctum pro exhibita memorato Ablegato gratia, & benevolentia profitebor. De cætero Eminentiæ Vestræ omnia fausta, & felicia apprecor, ac me totissimum devoveo &c.

COPIA LITERARUM AD REGEM CATHOLICUM Varsaviæ die 9. Februarij.

CUM proximis diebus à morte Serenissimi ac Potentissimi olim Principis Domini Michaëlis Regis nostri de orbitate insperata & interregni Poloniæ vicissitudine per literas nostras Senatûs nomine Majestati Vestræ significaverimus, insimul etiam de insigni, & vix unquam audita, aut lecta simili ex Turcis victoria Majestatem Vestram certiorem reddidimus, nec non pro ulteriore bello gerendo, uti in communi Christianitatis causa subsidia erarij à Majestate Vestra exercitui Polonico benevolè submin istranda expetivimus, sed magnitudo periculi, in quo res Polona irritato magis, quàm debella-

debellato hoſte verſatur, ſuaſit ampliſſimo Senatui, & Equeſtri Ordini in præſentibus Comitiis Varſavienſibus congregatis, ut per ſpecialem Ablegatum Majeſtatis Veſtræ Catholicæ, pietatem, benevolentiam, & liberalitatem pro adjuvandis orthodoxæ Poloniæ rebus advocaremus, & decenter poſtularemus. Magnâ fiduciâ ſumus, Sacrã Majeſtatem Veſtram Catholici nominis decore profulgentem, majorem opem, auxiliumque præ alijs Europæ Chriſtianis Principibus tot annorum bellis attritæ, & exhauſtæ Poloniæ non gravatè laturam. Quod ex ſenſu Reipu: Polonæ uberius exponet Perilluſtris Dnus Abbas Andreas Załuski Canonicus Cracovienſis, ac eâdem operâ pro ſummis Neapolitanis Rempublicam noſtram legitimè concernentibus, ut nullâ longiore morâ in poſſeſſionem noſtram tradantur, inſtabit; Cui Ablegato, ut facilem aurem, & plenam fidem Majeſtas Veſtra commodare dignetur, majorem in modum orantes. Quod ſupereſt, longævam valetudinem, & proſperrimos ſucceſſus Sacræ Majeſtati Veſtræ reverenter apprecamur. Datum Varſaviæ ex Convocatione Ordinum Generali die 9na Februarij. A.C. 1674

Ejusdem Sacræ Majeſtatis Veſtræ Catholicæ meo, & Ordinum Reipub: Polonæ nomine paratiſſimi Servitores. &c.

Caſimirus.

COPIA LITERARUM AD REGINAM HISPANIÆ AB ILLUSTRISSIMO REGNI PRIMATE

CUM pro impetrando ad bellum Turcicum pecuniario ſubſidio Senatûs, & Equeſtris ordinis Reipub: Polonæ nomine ablegemus in Hiſpaniam Perilluſtrem Dominum Abbatem Andream Załuski Canonicum Cracovienſem Sacram Majeſtatem Veſtram Reginalem rogamus, ut huic deſiderio noſtro pro innata pietate, & defendendæ, juvandæque rei Catholicæ ferventi zelo benignam, & faventem ſe exhibere dignetur. Cedet id ſummo apud DEUM, & Chriſtianitatem merito, & immortali gloriæ, Sacræ Majeſtatis Vræ, Nosque ejusdem Auguſtæ Domui magis, ac magis obligabit. Repræſentabit calamitoſum ſtatum Poloniæ memoratus Ablegatus, ac eâdem operâ pro ſummis Neapolitanis Rempub: Poloniæ legitimè concernentibus, ut nullâ longiore morâ in poſſeſſionem tradantur, inſtabit. Cui ut plenam fidem, & benevolum animum Sacra Majeſtas Veſtra habere dignetur, majorem in modum exoptamus. De reliquo longævam valetudinem, & proſperrimos ſucceſſus Sacræ Majeſtati Veſtræ Reginali reverenter apprecamur. Datum Varſaviæ ex convocatione Ordinum Generali die 9na Februarij anno ut ſupra; Ejusdem Sacræ Reginalis Majeſtatis Catholicæ meo, & Ordinum Reip: nomine paratiſſimi. Servitores

Caſimirus &c.

A.C. 1674

LITERÆ AB ILLVSTRISSIMO PRIMATE REGNI AD CARDINALEM DE ARRAGONA.

SUblimis authoritas in aula Catholica Eminentiæ Vræ, ac fervens ejusdem pro communi Christianitatis causa zelus facit, ut cũ impetrandi contra Turcas pecuniarij subsidij causa Senatus, & Equestris Ordo in Comitijs Interregni congregati ablegandum duxerint ad Sacram Mstem Catholicam Perillustrem Dnum Abbatem Andreã Załuski Canonicũ Cracovienſẽ, præcipuã spem nostram in promotione Eminentiæ V. collocem9. Dignabitur Em. V. memoratũ D. Ablegatum Poloniæ benevolè audire, atque tam in negotio auxiliorum, quàm ratione summarum Neapolitanarum ad Rempub. Polonam legimè spectantium propensum studium & favorem suũ contestari. Quod officij genus perpetuâ recolemus memoriâ, omniq́ue grati animi devotione remetiri obstricti erimus. De reliquo Eminẽtiæ Vræ prosperam, & diuturnam incolumitatem à DEo precamur.

LITERÆ ARCHIEPISCOPI GNESNENSIS AD VICE-REGEM NEAPOLITANUM.

PRæter spem meam, & Senatûs Regni Poloniæ accidit, quòd Dominus Jacobus Lombardi Prælatus Romanus in honore, & fortunis repentè lapsus sit, cui ex decreto curiæ Romanæ bona omnia, & officia adempta esse nuperrimè intelleximus. Commissum illi erat, tanquam notitiam aliquam rerum Polonicarum habenti ut pro adeunda possessione summarũ Neapolitanarum post decessum Sereniſſimi olim Joannis Casimiri Regis ad Rempublicã Polonam legitimè spectantium in curia Neapolitana instaret, atque ad eum effectum plenipotentijs, & mandatis sufficientibus instructus erat. Sed hac mutatione rerum, & Statûs, D. Lombardi ne periculum juris, & dispendium Reipublicæ Polonæ aliquod subsequeretur, compellandum duxi, meo & Senatûs nomine Excellentiam Vram, certiorem eandem reddens, expeditum hisce diebus esse in Hispaniam nomine Ordinum Regni, & Magni Ducatûs Litvaniæ ex Generali convocatione Varsavienſi Dnum Abbatem Andream Załuski Canonicum Cracovienſem, dato eidem inter alia negotio, ut pro summis hisce decẽter in possessionem Poloniæ tradendis, majorem in modum Majestatem Catholicam oraret. Meretur etiam reflexionem propositio Regis Sveciæ cujus copiam Excellentiæ Vræ, informandi causâ mitto. Ne igitur ampliùs D. Lombardi vel quispiam ab eo subdelegatus negotio isti Polonico se se immiscеat, donec responsum ex Hispania obtineamus, néve in præjudicium Poloniæ aliquid interim statuatur, sed ut in suspenso tantisper maneat, Excellentiæ Vræ insinuo, & præcaveo. Minimè dubito Excellentiam Vram partibus Polonicis propensionem animi sui inclinaturam. Cui de reliquo optimam valetudinem cum omni prosperitate à DEO precamur. &c.

COPIA

COPIA LITERARUM AD NUNTIUM APOSTOLICUM IN LUSITANIA DE DATA 26. Februarij ab Epiſcopo Culmenſi Procancellario Regni. A.C. 1674

TAmetſi Illuſtriſſimus Dominus Bonuiſi Nuntius in Poſonia Apoſtolicus Ablegato Polonico Domino Abbati Andreæ Zaluski Canonico Cracovienſi nepoti meo præſtruat aditum epiſtolâ ſuâ ad Illuſtriſſimam & Reverendiſſimam Dominationem Veſtram, tamen & ego officij mei duco, literariam meam Veneratiſonem deferre, ac memoratum Ablegatum majorem in modum commendare Illuſtriſſimæ & Reverendiſſimæ Dominationi Veſtræ, cujus celebratæ humanitati confidimus, in negotio impetrandi à ſereniſſimo & Excellentiſſimo Principe Domino Regente Luſitaniæ, ad bellum Polono-Turcicum pecuniarij ſubſidij, plurimum adjumenti fore ab efficaci promotione, & opera Illuſtriſſimæ & Reverendiſſimæ Dominationis Veſtræ, merebitur egregiè Illuſtriſſima & Reverendiſſima Dominatio Veſtra, non de Regno duntaxat & natione Polona, ſed de univerſa Chriſtiana Republica, cujus vel maximè intereſt, ne potentia Othomanica, armis Polonorum debilitatos animos, vireſque, reſumat & graviore mole, cladem illatam vindicet. Ego porrò conteſtatæ nepoti meo benignitati, perpetuus vivam debitor, ac omni obſequiorum promptitudine reſpondere Illuſtriſſimæ & Reverendiſſimæ Dominationi Veſtræ ad omnem nutum paratiſſimus manebo, meque interim gratiæ Illuſtriſſimæ ac Reverendiſſimæ Dominationis Veſtræ devotiſſimè commendo.

SERENISSIME PRINCEPS DOMINE REGENS REGNI LUSITANIÆ Varſaviæ 16. Februarij.

A remotiſſimis & toto planè cœlo diviſis Poloniæ oris, transimmenſa maris, & terrarum ſpatia, in Luſitaniam ſpes & deſideria noſtra mittere ac Serenitatem Vram publico Ordinum Reipæ iſtius nomine compellare in animum induximus. Neque id novum licet, alienum tamen ab officio cuipiam videatur, rectè exiſtimanti, communem Chriſtianitatis cauſam verti, quoties de inferendo aut propulſando publico bello conſilia, vireſque librantur. Innotuit Serenitati Vræ, juxta, ac univerſo orbi celerrima fama victoriæ Polonæ, anno proximè elapſo, die IIma Novembris ex Turcis ad Chocimum reportatæ; quâ magis inſignem planeq; admirandam, neque repetitâ longè memoriâ recenſere nec in vetuſtis etiam annalibus legere eſt, ſed Polonia tanto ſucceſſu minimè elata, non adeo audacter præfidit, ut ſinè validis ſubſidijs, poſt tot bellorum viginti ſex per annos, continuas calamitates, parem ſe ſolam formidabili potentiæ Otomanicæ exiſtimet. Cum igitur alijs omnes Chriſtiani Orbis Principes Legationibus adire, ac eorum opes in ſubſidi-

A.C. 1674 um nostrorum advocare, consultum duxerimus, tum & Serenitatis Vestræ amicam benevolentiam, procul & ab ultimis Christianitatis finibus, pro suppeditando nobis ad sacrum bellum nervo decenter advocamus. Non delebit ulla oblivio, ex publicis Christianæ gloriæ fastis, eximium illum in propaganda sacra Religione Serenissimorũ olim Portugalliæ Regum ardorem; Joannis III. qui sacra nostra populosissimis Indiarum Regionibus, per immensum Oceanum invicto labore, & constantiâ invexit; Sebastiani, qui infelicibus licet, fortibus tamen signis in Africa Mahometanam superstitionem aggressus, regalem animam effudit. Hæc inclytorum Regum æviterna trophæa, excitabunt haud dubiè Serenitatem Vram ad rem orthodoxi Poloniæ Regni, in gravissimo, & præcipiti periculo non deserendam. Dabit Serenitas Vra Lusitanico nomini, dabit Majorum suorũ suæq; virtuti, ut inter præcipua fulcra, auctæ difficillimis temporibus Poloniæ, defensæ fidei, conservatæ salutis, Respublica & Natio Polona Serenitatem Vram numerare glorietur. Prolixius statũ præsentem ac summas necessitates nostras coràm repræsentabit Perillustris Dnus Abbas Andreas Załuski Canonicus Cracovienſis Ablegatus Polonicus, cui à Serenitate Vra plenam in omnibus adhiberi fidem, propensumque animum demonstrari, majorem in modum cupientes, quod superest, longævam incolumitatem, & prosperrimos rerum successus Serenitati Vestræ à DEo apprecamur.

COPIA LITERARUM AD COMITEM PINIARONDA
Data Varsaviæ 5. Februarij.

PRæclaris nominis Excellentiæ Vestræ nostris etiam in Regionibus, celebris fama & summa in aula Catholica authoritas incitamento nobis est, ut cum pro subsidio pecuniario ad bellum Turcicum implorando, Senatûs & Equestris Ordinis Reipublicæ Polonæ nomine Sacram Mstem Regiam Catholicam, ablegamus singularem favorem, & validam promotionem Excellentiæ Vræ, pro adjuvanda non Regni tantùm Poloniæ, sed totius Christianitatis, contra immanissimũ hostem causâ, advocare non omittamus. Admittet solitâ humanitate Excellentia Vestra Perillustrem Abbatem Andream Załuski Canonicũ Cracovienſem Ablegatum Polonicum, atque tam in negotio memorati subsidij, quàm ratione summarum Neapolitanarum, ad Remp. Poloniæ spectantium, quæ à regimine Excellentiæ Vestræ præcipuè dependent, propensum animum suum commodabit. Quod uti nobis certò pollicemur, ita vicissim paratissima studia nostra & omnem promptitudinem Excellentiæ Vræ devovemus, ac diuturnam incolumitatem, cum omni prosperitate à DEo precamur.

COPIA LITERARUM A REGINA ELEONORA, AD SERENISSIMUM REGEM HISPANIARUM Varſ. 3. Februarij.

TAmetsi jam ipsâ famâ pridem comperta sit orbitas nostra Majestati Vestræ, post exemptum rebus humanis anno proximè elapso 1673. die 10 Novembris Serenissimum & Potentissimum Principem

cipem & Dnum Michaelem Regem Poloniæ maritum noſtrum deſi- A.C. 1674
deratiſſimum, tamen conveniens duximus, triſte iſtud mortalitatis Regiæ, ſimulque viduitatis noſtræ nuncium, per expreſſam perſonam Majeſtati Veſtræ decenter intimare, minimè dubitantes Mtem Veſtram, pro arctiori ſangvinis nexu, & benevoli erga nos animi ſtudio, noſtro præſenti ſtatui condolituram, ac devincti affectus documenta nobis exhibituram, non tardandum etiam putavimus, quòd ultimis tabulis Sereniſſimus Divæ memoriæ maritus noſter præſcripſit, ut torquem aurei velleris decenti modo remitteremus. Quo officio, nomine & mandato noſtro, fungetur Venerabilis Abbas Andreas Zaluſki, Canonicus Cracovienſis, cui facilem aditum, & plenam fidem, à Majeſtate Vra concedi optantes de reliquo optimam valetudinem & proſperrimos ſucceſſus Majeſtati Vræ à Deo animitus vovemus.

XXXI.

GALLEACEO MARESCHOTTI ARCHIEPISCOPO CORYNTHI NUNTIO AD AULAM HISPANICAM APOSTOLICO ANDREAS CHRYSOSTOMUS ZALUSKI GNESNEN. ET PRIMATIALIS CANCELLARIUS.

Informatio de Chocimenſi Victoria.

A Fortunata moderni Principis Electione ingens Poloniæ incubuit terror, Mti autem labor; quo Patriæ ſalutem, terris ſecuritatem, omnibus quietem aſſeruit. Imperator Turcarũ cladis & ignominiæ nuper ad Chocimum acceptæ impatiens, noſtram fortunam ſuam eſſe injuriam reputans, in vindictam exarſit, totius Poloniæ (ſi Superi indignæ faverent iræ) vaſtitate conceptum reſtincturus furorem. In eum finem, ut tanto citiùs noſtrum præcipitaret exitium, etſi ſolus formidandâ potentiâ ſuâ, quam undiq; contraxerat, ei accelerando ſufficere poterat; miſſis ad Hanum Tartarorum mandatis eidem imperavit, ut in ſocietatem belli & prædæ adveniret, ſibiq; cum copijs in Valachia maturè occurreret. Paruit Imperio Tartarus, & ſuis viribus in tempore Turcicas geminavit. Sic jam aucto movere caſtra Chocimum placuit; auſpicia belli ab arcis hujus expugnatione ſumere forſan mens ideò fuit, ut deleret ignominiam, quã toties Thracibus ad eum locum favente cœlo Poloni intulerant: (nam meritò Turcarum Cannas & ſepulchrum Chocimum dixerim) ſive, ne quid infeſtum ſibi à tergo relinqueret. Firmaverat hoc fortalitium poſt grandem nuperam victoriam præſidio feliciter modernus Princeps; quanquam id fruſtra fuit. Quod enim præſidium tantis exercitibus par eſſet? unde loci Commendans virium ſuarum & hoſtium conſcius ſaluti ſuæ & ſuorum potiùs, quam arci ſervandæ conſulere maluit, ne utrumq; per vim amitteret, tractatum obtulit, pactuſq; eſt: ut ſecurè ſibi cum ſuis, expanſis vexillis, tympanis reſonantibus, & manualibus ſclopetis excedere liceret. Conceſſa quidem ea omnia: hoc tamen vetitum, ne graviora ſecum tormenta aſportarent, quòd illa de ſpolijs nuperæ victoriæ in eam arcem deducta nõſſent. Verùm non niſi ad ſpeciem hæc indulta fuiſſe ex eventu patuit: nam Chriſtiani nominis hoſtes, ubi primùm præſidiarij fortalitio egreſſi in illorũ conſpectũ venerunt, penſi habito ſecuritatis promiſſo, ex nunc inſolenter in eos impetum fecerunt, diripuerunt currus, fœminas & uxores Officialium in ſervitutem abegerunt: adeò plus apud perfi-

A.C. 1674 perfidiam odium & vindicta, quam prætexebant, valuit; quàm data fides & honeſti ratio. Compertis his, certuſq; ulteriorum intentorum Rex (didicerat enim eam Turcæ mentem eſſe; ut in imparatam adeoq; imparem reſiſtendo Poloniam univerſas effunderet vires, procul dubio illam tot gentium eluvione obruturus; niſi imminenti exitio præſentiſſimo conſilio cœlitùs utiq; inſtinctus Princeps occurriſſet, & aliò funeſta divertiſſet arma) expedivit in tempore KACZOROWIUM directè ad Hanum, datâ inſtructione; qua illum amicitiæ ultrò ſibi ab eo toties obtruſæ, & oblatæ admoneret, doceretq; non aliam præſentiorem occaſionem eſſe, ac nunc probandi ſincerum affectum executione eorum, quæ ab illo requirerentur. Adjecta & munera; quæ Barbarum delinirent. Graviter officio ſuo functus eſt dictus Ablegatus, quamvis non omninò pronum Ethnico erat negotium: admiſſus in conſpectum Hani, expoſuit Principis ſui mandata, propoſuit præmia, vicitq; dubites ferocem magis, an avarum. Initio quidem, uti ſe facilem donis, ita difficilem votis noſtris oſtendit. Requiſitus enim; ut tantum terrorem armorum aut tantiſper ſuſpenderet; aut à Republica diverteret (aliàs actum erat de nobis, quòd nullum obſtaculum eſſet, ad quod tanta potentia primum frangeret impetum) impracticabile omninò id eſſe reſpondit; ut Turcæ tantis ſumptibus coactâ contra Poloniam militiâ ulturi Chocimenſem cladem, in aliam mentem venirent, mutarentq; propoſitum, præſertim quòd ipſe Turcarum Imperator cum Wezyro præſens huic expeditioni præeſſet. Nihilominus inſtante Kaczorovio, & ex præſcripto inſtructionis, amicitiæ urgente teſſeram, tandem in hæc verba annuit: ſeriò ſe cogitaturum, quomodò recens inaugurato in thronũ Principi ſuum teſtari poſſet obſequium. Ita peractâ audientiâ diſceſſum eſt. Igitur, ut promiſſis ſtaret Hanus inire rationem, meditari modos; quas inter cogitationes invitatur ad bellicũ conſiliũ præſente Imperatore & Vezyro habẽdũ. In quo cũ prima propoſitio eſſet, quidnã ab occupato Chocimẽſi fortalitio agendũ foret? quiſvé tract9 potiſſimùm penetraturo in viſcera Regni exercitui deligendus? reſpondit Hanus: tractum equidem paratum eſſe Boryſthenem, iterq; præter Camenecum in Poloniam apertum: at aliam ſibi eamque non vanam occurriſſe reflexionem, aliò lõgè convertendos eſſe exercitus manifeſtè ſvadentem: quòd in propinquo diſcrimina à Coſaccis, à Polonis autem remotiora adeóque non ita timenda viderentur. Nam quamvis Doroſzenko ſe cum Caſaccis, ſubmiſiſſet, non tamen illis credendum eſſe, ſatis eventum probâſſe hactenus: tamdiu enim duntaxat quietè egiſſe, omneq; obſequium tuliſſe Turcis illos; dum Camenecum occuparent: at à reditu in Vkraniam ſuoſque lares, redijſſe etiam ad ingenium & rebellionem contra Doroſzenko ſuſcitâſſe. Non id illis novum eſſe ſuos exauthorare Duces, eoſq; de medio tollere; tum ſtudio novitatum, néve patrati ſceleris pœnas luant; jam hujus, jam illius Monarchæ protectionem adſciſcere, uti hactenus palàm fecerunt. Primùm enim Tartarorum contra Polonos ſocietatem expetijſſe; mox Polonis adjunctos contra Tartaros militâſſe; demùm odio Poloni nominis transfugiſſe ad Turcas. Subjunxit deinde in rem plura, nimirum: quis ſcit, an etiamnum deſertis nobis Polonorum vel Moſcorum non ſint affectaturi amicitiam, cujus jam certas videmus præmiſſas? nam aliquot caſtra de toto obedientiæ Doroſzencij renuntiârunt: unde quantum nobis periculi immineat, explicare neceſſum non eſt. Non igitur optarem illos nobis à tergo relinquendos; quin potius hanc expeditionem domandis motibus

Coſacco-

Coſaccorum viribuſq; firmandis in recens acquiſita Vkraina conſecra- A.C. 1674
mus. Non levis ea rerum noſtrarum acceſſio fuerit; ſi intra anni unius decurſum poſſeſſionem noſtram in his terris ſtabiliverimus, faciliore utiq; exinde etiam bello cum Polonis futuro. Sed imò nec Moſcus hoc comperto, nos contra quidpiam moliri volet; aliàs metuo, ne, ubi Camenecum prætervecti fuerimus, noſtro ſoluta metu Vkraina conſurgat tota, cæſoq; Doroſzenko victa toties in nobis iterùm experiatur arma. In Vkrainam igitur vertamus vires, jaciamusq; fundamentum; cui belli noſtri proſperitas inniti poſſit. Excepit tam ſecundum nobis conſilium Imperatoris & Vezyri aſſenſus: quare ex nunc promota caſtra ſunt, trajectoq; in valle Tyrâ ulterius profectum eſt. Occurrit non procul à flumine fortalitium Kuſnica dictum, primum rebellium Coſaccorum receptaculum; quod, ne moram ulteriorum progreſſuum Turcis injiceret, viſum aggredi eſt. Verùm non tam facilis expugnatio fuit; quàm faciles ſpes conceperant Turcæ. Viris fortibus arx plena erat, quorum virtutem, ſi non laudaret, ſaltem attonitus miraretur hoſtis. Nam ſat juſti temporis ſpatio univerſum Turcarum ſuſtinuêre robur, & aut Marte, aut arte hoſtilem elusêre potentiam; donec tandem non tam virorum, quàm armorum viribus inferiores, gravioribus tormentis & mortarijs continuò fulminantibus ſuccubuerunt. Primo hoc ſucceſſu lætus Ladyczynum in perſona movit Imperator. Civitas ea eſt ad fluvium Hypanim ſita, non minùs ac prior robore Coſaccorum inſtructa, ſed nec minùs eandem fortunam etiam, quàm prior ſubitura. Nam adverſo non animos deeſſe illis, ſed arma, diſpoſitis in coronam copijs Turca formali civitatem cinxit obſidione, foſſaſq; ſub ipſa ejuſdem valla egit, non admodùm felici primitùs ſucceſſu; quòd incolæ ad defendendum obſtinati compluribus hoſtium cæſis generosâ obniterentur audaciâ. At ubi foſſæ inde ad foſſas urbis acceſſerunt; etſi ternâ vice à Coſaccis egregiè excurſum eſt, turbatæq; operæ: nihilominus quia pauciores à pluribus fatigati ſe ampliùs non ſuffecturos manifeſtè cernebant, ad tractatum adjecêre animum, diſcretioniq; ſe committere neceſſe habuerunt: quæ non alia illis obtigit, præterquam ut in prædam & mancipia ab inimicis diriperentur. His geſtis reſtabat adhuc Umanum, prima & Principalis Vkrainæ civitas, velutiq; Metropolis: quod, quia difficilius oppugnando erat, gravius etiam afficiebat Turcas. Ad alium igitur reſpexit modum Imperator Turcarum; quò aut ſine clade vinceret, aut ſi demum clades inferretur, pœnâ aliorum ſuæ litaret iræ. Habebat ſecum Karamachmet Baſzã hominẽ cũ primis Chriſtiani nominis hoſtẽ, Coſaccorũ tamẽ fictè, an verè amicũ, huj⁹ belli in Polonos incentorẽ, poſtea verò etiã Vezyrũ & Turcarũ contra congregatã Chriſtianitatẽ ad Vienam Ducem: huic ſubiratus Imperator, ut irã ſuam expleret nece ipſi vel ab hoſte, vel à ſe inferendâ; mandavit, Vmanum copias duceret, expugnaret, terræq; æquaret, certus aliàs; niſi fortalitium in ſuam poteſtatem redegiſſet, vitæ diſpendio luiturum. Deprehenſus ita inter malleum & incudem prædictus Baſza, non credens armis, ad dolos advertit animum, & inimicitijs larvam amicitiæ prætexens, blandùm ſonare maluit; quàm tormentorum tonare fulminibus. Et ſucceſſit res ad votum: objecto faventioris animi faſcino in tantum dementavit præſidium; ut præcipui Primores ſub ſpecie tractatûs ad caſtra Sinonis hujus divertere non dubitarent. At carò illis hic candor & ſinceritas ſtetit: vix enim caſtra attigerant; cùm amici formâ poſitâ eum, quem occulta-

A.C.1674 occultaverat atrociſſimum exhibuit hoſtem: rapti in ſequeſtrum omnes, imperatumque, ut aut Coſaccis vulgoque reliquo jugum Ottomanicũ perſvaderent, aut ultima expectarent certi, ubi per vim civitatem occupâſſet, nullius fore parcendum vitæ. Quid ageret Primoribus deſtitutus, metu inſuper omne conſilium eripiente populus? non tàm miſer futurus, ſi libertati ſuæ immoreretur: quàm dum ad infamem dãnatus ſervitutem trahere potiùs vitam, quàm vivere lariumq; ſuorum inſuper ſpectare ruinam, & æquata mœnia coactus fuit. Sic enim Tyrannus caverat; nec aliter factum eſt. His porrò ex animi ſui ſententia confectis Turca expeditionem annuam terminavit, ebriuſq; fortunâ non tantùm horum fortalitiorum vi occupatorum, ſed etiam aliorum (nam quidquid caſtrorum & arcium inter Tyram & Hypanim, Hypanim & Boryſthenem interjacet, Ottomanicam adoravit potentiã, Kijoviâ ſolâ & Bialocerkviâ exceptis, quarum poſterior noſtro tenebatur præſidio, prior Moſcis parebat) in fidem ſuam receptorum diſceſſit, ſub diſceſſum tamen, etſi non dubitaret pacatiorem impoſterùm Vkrainam, utpote pœnarum metu eruditam futuram, quò firmius gubernium Doroſzenci foret, Soltanum Hadzigierey cum aliquot ultra decadem millib⁹ adjunxit. Rex ubi primùm intellexit Turcam cum exercitibus ſuis Danubium versùs profectum, relictô pro præſidio, uti dictum, Soltanô: animatô ſuô de proprio peculio milite, iter in Vkrainã arripuit, ferreâ antè cupidus ibi coronari coronâ, quàm aureâ coronaretur. Reſpondit votis eventus: nam & Tartarum expulit, & univerſam Vkrainiam occupavit unô demptô Czyharynô: nec ſatis; hibernare ibi inſuper conſtituit. Quare diſtributis in ſtativa copijs & per diſtrictus; Niemirowienſem, Kalnicenſem, Stawiſcenſem, Berſzatenſem, ipſe ſibi pro ſua ſubſiſtentia Braclavienſem diſtrictum elegit, tum maximè inopem; quòd Turcicus exercitus totum menſem ad Ladyzynum moratus, totum eum tractum ad incitas redegiſſet. Quippe prudentiſſimus Princeps prodigus ſuî potiùs, quàm aliorum, ut reliquos ſuô ſolaretur exemplô, deterrima quæq; elegit, certò perſvaſus, Poloniam militem non deſerturum, nec tam facilè tædio afficiendum; ſi illi meliora relinqueret, ipſe verò deterioribus contentus præſens perſiſteret. In ea ſtatione cum quantis incommoditatibus (nam non niſi caſa erat) quanta item cum penuria Regi conflictandum fuerit? multus labor calamo eſſet, ſi deſcribere vellet: ſatis meminiſſe aut dixiſſe, Principem conſtitiſſe in loco deſolationis; in quo pro rara ave Gallus, aut Gallina, boves verò & oves, aliaq; comeſtibilia prorsùs nulla, pabulum pro equis non niſi ſtipula de caſis rapta, fumoq; corrupta: ſiligo, triticum, & avena, quæ utcunq; adhuc Niemirowiæ ſupererant, nonniſi ingenti pretio etiam per alia ſtativa comparanda fuêre. Sic verò diſtributus exercitus fuit: Niemiroviæ cum ſua diviſione Princeps Demetrius Wiſniowiecki Dux exercituum ſubſiſtebat; Kalnici Colonellus Kozubski Capitaneus Litenſis; Staviſcis Palatinus Ruſſiæ Dux Campeſtris Regni, Berſzatis Præfectus vigiliarum Regni Bidzinski, cum Zbrozka Præfecto vigiliarum exercitûs & cum Rorycio Generali peditatûs; Pawoloczij Princeps Radivilius Dux Campeſtris M. D. Litv. Mohilowiæ Rzewuski Theſaurarius Curiæ Regni ad ipſum Tyram ſtativa habuit, ſimulq; commoditatem frequentibus excurſionibus infeſtandi Valachiam, nec ſine præmio & præda hic labor fuit. Exercitus Litvanici non niſi exigua pars penes Campeſtrem Ducem remanſerat, alij omnes Michaélem Pac contra verbum Regi

ab ipſo

ab ipſo datum, quo promiſerat ſe in interiora Vkrainiæ Majeſtatem comitaturum, ſecuti in Litvaniam diſceſſerant, relicta conſiſtentia ſua Barenſi. Barium id Rex præſidio Turcico evacuaverat, coacto Janczaraga ſtrepitu armorum ſe victoris poteſtati permittere, & Majorem Legionis ſuæ Dragonicæ Zaklike dictum pro præſidio impoſuerat. Et hic primus ab electione annus eſt, non ſine commodo noſtro peractus; nam quamvis etiam de hyeme Tartari ſtativa noſtra fruſtraneis excurſionibus, utpotè ſine fructu ſuo fatigaverint; Rzewuſcij nihilominus operâ Raſzkowiam noſtram fecimus, & ex Valachia frequentioribus ejuſdem excurſibus prædas egimus. AC. 1674

Sequitur ſecundus ab Electione annus, quem ibidem in Braclavienſi conſiſtentia Rex auſpicatus, totus in eam incubuit curam; ut Doroſzenkum cum Coſaccis in ſuas partes pertraheret. Verùm irrita ea Principis fuit intentio; quòd Doroſzenko verſutus ſtudiosè tractatibus tempus extraheret. Meliora ille ſemper pollicebatur Szumlanſcio Epiſcopo Rutheno Leopolienſi, quo Rex ad eos tractatus utebatur: aſtutâ interim mente Turcam reſpiciebat, quem aſſiduo per ſuos Ablegatos ſolicitabat, tandemq; effecit: ut primis Martij hoſtilis potentia Vkrainiã repeteret. Accenderat etiam Portæ Ottomanicæ & Tartarorum rabiem noſtra velut in proprio ſecuritas, & inſperata in ſortiendis per Vkrainiam hibernis audacia; quare accelerandum rati, quò imperatos opprimerent, penſi habitâ rerum penuriâ & auræ vernæ viciſſitudinibus, Hanus imprimis cum tota ſua potentia in deſertos progreditur campos, tum quàm primùm ſoluta glacies terram aperuit, etiam Dux exercituum Turcicorum Imbraim Baſza aſſumptis ſecum in ſocietatem armorũ Moldaviæ & Valachiæ Principibus movit, & ſe cum Hano conjunxit. Quibus compertis Rex per exploratores, quidq; hoſtes intenderent nõ ignorans, copijs ſuis; quæ aliquantùm ſtativorum incommoditate feſſæ erant, imperavit; ut ſuis hibernis egreſſæ quantociùs in unum corpus coadunarentur. Quo celeriùs facto, ipſo Sabbato ſancto Braclaviam deſeruit, & diei profectus iter ad Pieczaram (civitas ea eſt ad Hypanim ſita) ſolennium Pachalium causâ totum dominicum diem demoratus eſt. Feriâ ſecundâ Leopolim verſus movit, cui jam propinquior ſic ſuum ad aliquot milliaria diſpoſuit militem; ut ſi quid à Tartaris incurſuris ingruere poſſet periculi, ſuis obſtaculis prohiberetur: Principem ſupremum exercituum Ducem cum certa parte Zaloſcis, Palatinum Ruſſiæ Zloczoviæ, Vexilliferum Regni Sienawski Brzezanis cõſtituit; cui mandavit, ut Tyræ, Pokuciæ alijſq; tractibus attenderet; ipſe verò cum Cataphractis ad Leopolim ſubſtitit eâ intentione ut ſi quam laborantem partem adverteret, in eam maturè auxilium diſpenſaret. Exercitus interim Turcicus in unum collectus ijſdem inſtitit veſtigijs, ex quo patuit, intentionem aliam Paganorum non fuiſſe; niſi ut exercitus noſtros aſſequerentur, & indiſpoſitos delerent. Nam tantâ celeritate hoſtis noſtros inſecutus eſt; ut Barium, quod parvo admodùm præſidio tenebatur, facilicq; negotio in ejus poteſtatem venire poterat, negligendum duxerit. Verùm eluſit ejus intentiones noſtri prudentia Regis, qui providet univerſa, timet nihil; etſi nullo Coſaccorum ſubniteretur præſidio, cujus vel maximè gratiâ in Vkrainiam deviaverat ſolicitaturus Doroſzenkum; ut militem colligeret: quod ut dixi ſupra, effectu caruit. Nam hiberna Regia in Vkrainia ita ad incitas rem redegerant; ut vix nomen Coſaccorum Czyhyryni remanſerit, ne ibi quidem reliqvum futurum; niſi ut itidem dictum eſt,

metu

A.C. 1674 metu Ottomanicæ potentiæ tractatibus ad ſpeciem lucratus tempus, Regem decepiſſet. His intentum actuq; adhuc Zloczoviæ exiſtentem Ablegatus Hani nomine Murawski, qui in Polonia natus & educatus, nuper impetratis literis liberi paſsûs à Michaéle Rege ſub prætextu pietatis, viſitandi ſcilicet ſepulchrum Chriſti Patriâ exceſſerat, deprehendit, intimavitq; Hanum pro amicitia veteri monere; ut aliquos ad tractatum cum Duce Turcarum mitteret. Non abnuit Rex ſic ſtantibus rebus noſtris, & expedivit Stephanum Bidzinski tum Præfectum vigiliarum Regni, nunc Sendomirienſem Caſtellanum, & Chriſtophorum Korycki Succamerarium Culmenſem, Generalem peditatûs. Hi profecti cum credentialibus obvium habuêre exercitum Turcarum circa Manaczynum, ibidemq; offenderunt Hanum, utcunq; ſive ad ſpeciem, ſive reipsâ favorabilem nobis, Imbraimum autem Balzam pro more gentis faſtu tumidum, quòd non ignoraret infirmitatem noſtram. Denuntiavit Hanus adventum Plenipotentiariorum Seraskero ſive Turcarum Duci; qui cùm ſuperbè eam denuntiationẽ excepiſſet interrogâſſetq;, qua de cauſa veniſſent & adjeciſſet duobus verbis totam rem abſolverent; tertium ſe audire nolle: reſpondentibus noſtris eam materiam eſſe, quæ nec tam paucis verbis, nec diebus abſolvi poſſet; repoſuit, poſteà ſe illos auditurum, & mox dato ſigno profectionis Zbarazum perrexit, eodemque planè momento, quo ad illud conſtiterat nullo negotio occupavit in oculis Ablegatorum; quos de induſtria in montem deduci curaverat; ut eorum animos triſti ſpectaculo innocentis populi in ſervitutem abacti vulneraret. Hoc pretium tulit ignavia Principis Wiſniowiecij, qui hæreditarium propugnaculum meliori ad ſecuritatem præſidio, cùm poſſet munire contra hoſtiles impetus neglexerat. Non interim feriari Tartari, aut ſuis deeſſe lucris: more ſuo nullâ ſibi conceſsâ quiete, excurſionibus factis proximas infeſtârunt terras, vaſtârunt Provincias, gentemq; de gente tranſtulerunt. His indicijs ſatis ſuperq; edocti Plenipotentiarij, nullam ſpem tractatûs ſupereſſe, ex nunc ab accepto Zbarazo formidine magis, quàm conſilio ducti dimiſſionem expetiérunt; quam etſi plenam obtinuiſſent, literæ tamen liberi paſsûs illis negatæ ſunt: unde ex vano periculum ſibi ominati (nam negâſſe literas idem fuit, ac fas dare Tartaris, eos in ſervitutem abripiendi) fraudemq; Paganorum odorati; ut ſe in tuto reponerent, ad Kuczak Murzam ſive ductorẽ Nahayenſium, cujus filius non ſine miraculoſa diſpoſitione naturæ in dextro habebat latere, tumq; actu captivus apud Regem degebat, ſe contulerunt, promittentes ſuffragium, & inſtantiam apud Regẽ pro eliberatione prædicti ejus filij; ſi viciſſim hanc præſtaret gratiam & periculo eos eximeret. Secundis auribus admiſit conſilium Barbarus, & hoc pretiũ pactus aſſumptis quinq; ſuæ legionis Tartaris, plenipotentiarios proximè Zloczowiam deduxit; ubi cum optima parte exercitûs Palatinus Ruſſiæ tum morabatur. Eò ubi deventum fuit, receſſit ab illis Tartarus: at plenipotentiarij videntes ſe ſe nondum defunctos eſſe omni periculo, non niſi notitiâ de ſuo adventu & reditu Palatino Ruſſiæ factâ, vitatis rectis ſemitis Buskum verſus arripuêre iter, & obliquis per diverſa loca vijs, in quibus utcunq; firma præſidia erant, nocte præſertim adjuvante ad caſtra Regia delati, intimârunt ſpem nullã reliquam tractatûs eſſe. Ita Principem noſtrum luſit hoſtis, debilitatis noſtræ conſcientiâ lætus, tantò impoſterùm triſtiora editurus exempla. Promovit Exercitus ſuos deinceps in viſcera Patriæ, Zbarazo accepto

ivit

vit ſub Podhayce & quia in via occurrebat illi vicina arx Mikuliny dicta, ſolido opere muro extructa ad Koniecpolſcium Caſtellanum Cracovienſem pertinens, non negligendam ratus, quòd ſperaret ſine multo labore id fortalitium occupari poſſe, Chriſtianoſq; complures in prædã ceſſuros. Quare miſit ad eos quendam de ſuis Baſzam cum inſtrumentis expugnationis. Erant tum in ea arce quidam natione Valachi, aliquot ſæculis in anteceſſum majoribus in Regno natis liberè orti, & hic educati, viri militiæ aſſveti, & in eam ſpem progeniti; qui non tantùm mores, ſed natalitiam etiam indolem exuerant; jam non tam Valachi quàm Poloni, nomen inſuper quale Sarmatis noſtris conſvetum eſt, Orkiowſciorum ſuſceperant. Hujus familiæ de propagine filius poſt deceſſum parentum ſuorum pleniſſimus meritorum, ceu pomum non procul à proprio ſtipite cadens, dexteritate & in rebus bellicis activitate defunctum reddens patrem ad eum reſpectum Koniecpolſcij Caſtellani Cracovienſis, ſupremiq; Ducis exercituum Regni devenerat; ut virtuti parentis & propriæ ejus literas procuraverit à Rege; per quas illi liceret vexillum computatij militis habere; de proprijs inſuper bonis hæreditarijs (tanti tum virtus erat) in ampliſſima illa Regione portionem conceſſerat. Is trium filiorum Pater exiſtens ad ſui & parentis exemplum eoſdem conformiter ad militarem vocationem inſtituerat; nec degenerabat proles à ſtirpe ſua, probavit profectò vim quandam non tantùm ſangvini, ſed etiam egregiæ educationi ineſſe: hos ubi primùm ad ſe cum alijs adductos ex prædicto fortalitio intuitus eſt, ſatis ex vultu eorum legit, qui eſſent. Quærere nihilominùs illi placuit, quos ſe dicerent, reſpondentes ſe milites eſſe hactenuſq; Regi & Reipub. navâſſe operam; ulteriore interrogatione rabidus hic canis, occultum gerens in pectore virus, quo heroicam virtutem neci deſtinaverat, fatigavit, quærens: quinam natione eſſent? (adeò vultus ipſe Martis manifeſtus crudelem animum Baſzæ quieſcere non ſinebat) cumque reſponſum tuliſſet, quale optabat ipſe, veritaſque poſcebat, Valachos eſſe: ex nunc tyrannicæ intentioni ſatisfecit, melioreq; fortunâ dignos his improbus verbis allocutus eſt mox ſecuturâ executione: vóſne igitur proditores ſubditi Domini mei auſi eſtis inſurgere, Dnoq; veſtro opponere arma? faxo; ut veſtro exemplo fidem diſcat orbis præſtandam Principibus: i miles, & hos per publicas vias in palis defigito. Nec mora; Tyranni mandatum tyranna excepit manus, & verbis facta dedit non ſine vulnere plurium, & quà commiſeratione, quà admiratione eorum præſertim, qui viros fortes noverant, Avoſq; & Proavos memoratorum ſinceris obſequijs in Rempub: claros meminerant. His velut ex voto & præclarè geſtis barbarus Podhaycos ivit. Erat tum in eo fortalitio pro Præfecto Poſadowski Major legionis Palatini Cracovienſis, & præterea vexilla quatuor Polonici equitatûs, ſufficientes hi videri poterant propugnando fortalitio, ſi pares animi viribus fuiſſent: at proh dolor! præmiſſis Tartaris, qui Zaloſcis, Zloczowiæ, & Brzezanis præſidiarium tentarent robur, cùm non ignavas per ea loca comperiſſent animas, hic pretium laboris reſpondit: nam hi Emiſſarij agnitô, pulveris quidem abunde, exiguum autem virtutis Podhaycenſibus eſſe, continuò arcem ſuis cinxerunt cohortibus, certioremq; reddiderunt Turcicum Ducem, veniret modò, oſtentaret arma, non difficile futurum dictum occupatu fortalitium. Nec aliter factum eſt, venit & vicit. Affecit hic auſus acerbius Regem: quòd ex unius infortunio omnium aliorum in eo tra-

A.C. 1674

A.C. 1674 ctu exiſtentes arces maneret, ex hujus majoris traditione ſatis præciperet. Nam Podhaycij unum ex inſignioribus propugnaculis erant, & copioſo inſtructi populo & alijs rebus ad ſufficientiam muniti. Quare mandata præcipitavit ad omnes partes exercitûs, ut quantocius ſuccurſuræ in unum coirent. Adfuêre mox Princeps Radivilius Procancellarius & Dux Campeſtris M. D. Litv. cum non contemnenda parte copiarum, tum Polubinski Mareſchalcus M. D. Litv. demum etiam Pac ſupremus Dux exercituum. Hiſcè præſidijs ſtipatus rectà in ſuccurſum movit Podhaycos; quanquam id ſerum fuit: nam jam in poteſtatem hoſtis illa arx conceſſerat ſupra memoratis conditionibus. Imò in vicinia inſuper duobus inde milliaribus muro eductam arcem Zavale dictam celeritate occupaverat, in qua præter numeroſam plebem ipſum dicti fortalitij poſſeſſorem Marcum Makowiecki, Germanum Caſtellani Camenecenſis cum conſorte & liberis, item vicinos Nobiles cum omni deprehendit ſuppellectili, barbaræq; ſubjecit ſervituti. Inde continuaturus curſum victoriarum ſuarum, cladium autem noſtrarum, potentiam & furorem ſuum Tyrannus Buczaczos extendit, nequidquam inſequente Rege. Etſi enim veſtigijs hoſtis inſiſteret; celeritatem tamen illius, quâ velut per occaſionem novas exaggerabat clades, intentionem Principis prævertebat, triſti ubique per vias crudelitatis ſuæ ſignatas argumentis ſpectaculo relicto, magno ſcilicet cadaverum numero recenter quà cæſorum Turcicâ frameâ, quà manualium ſclopetorum exoneratione peremptorum. Neceſſe ergo habuit tantiſper ad Podhaycos ſubſiſtere, dum exploratum miſſi certum quid, quò ſe hoſtis vertiſſet, adferrent. Interea Buczaczum diei unius itinere Podhaycis poſitum eadem fata ſubire coactum eſt, quæ Podhaycij & Zawale experta fuerant, ſolo æquata civitas, arx utcunq; in edito poſita furorem hoſtis eluſit; quàm hic & nunc negligendam ratus, Trembowlum movit, certus: ſi hoc propugnaculum ſuæ feciſſet poteſtatis, reliqua faciliora futura. Arx ea in præcelſa rupe ſuſpenſa quodammodo eſt, lateq; proſpectui patet; civitas infra in valle annexa eidem, nullo opere munita: unde incolæ illius convaſatis reculis in arcem ſe recipere coacti, quò tutiores forent; Nobilitas inſuper univerſa congregata ſalutem ſuam tutatura in idem munimentum confluxerat. Præerat tum cum præſidio juſſu Regis loco huic Chrzanowski vice-Colonellus Legionis Zetneri Capitanei Leopolienſis. Fortuna ea arcis fuit, tam generoſum Præfectum habuiſſe, uti eventus docuit. Actum enim etiam de illa fuiſſet; niſi ipſe cadere potiùs, quàm tradere manifeſtus obvio in pericula pectore inclinatæ in hoſtem Nobilitati ſaniora perſvaſiſſet. Aderat Barbarus neſcius à tergo, utpote jam Budczacij exiſtentem iſminere Regẽ, nec morat⁹ ab adventu ſuo ex nunc foſſas ducere, tentare promiſſis & ultima minari. Jam ad arcis ipſius mœnia pervenerat opportunitateq; loci uſus cuniculos ſub muros egerat; unde nimium conſternata nobilitas animis cadere; ſed non Præfectus: qui certus defendere, conſcius, quo loco cuniculos hoſtis moliretur, cum alijs cuniculis contra agere & eludere hoſtiles non poſſet, ipſe ſibi eum locum, ſi fors per ruinas illàc inſultum tentaret Turca, defendendum aſſumpſit. Quamobrem in aperto virili & militari animo cum expeditiſſimo quoq; ſuorum conſtitit ignorans quid interea coacto conſilio Nobiles inter ſe agitarent. Triginta circiter Nobiles confluxerant: hi relictis ſtationibus ſuis, quas pro more militari per muros ad defendendum ſortiti fuerant, pertæſi in præſenti anguſtia periculum

lum, ad grandius arcis hypocauſtum in tam miſero ſtatu de ſalute conſulturi convenerant, jamq; vota dicebantur, quibus concluſum arcis traditione vitam ſuam redimerent; cùm fortunâ Præfecti uxor audito ejuſmodi ſancito, fortior viris fœmina, per ſaxa & ignes hoſtium ad virum, ut erat armatum indicium rei detulit: nec mora (periculum enim urgebat) ut ſtricto gladio armatus erat; eo in acie contra hoſtẽ certaturus, ad ea comitiola perrexit, ferroq; pro ſcipione uſus, jã hunc jam illum quà in cervice quà tergo feriens, ſi non voces diſtribuit, certè alia perſvaſit vota: hæccine fides (dixit) Nobiles veſtra eſt? ſiccine ſtationes deſerere licuit? Superi vos perdant! non hoc tempus eſt, ut coactis comitiolis veſtram probetis Nobilitatem; ſed armis: parcendum nunc lingvæ, non manibus eſt: nunc tam conſulendum benè, quàm fortiſſimè defendendum. Si libet traditio; vos mihi prima meta futuri eſtis: næ ego vos priùs ignibus conſumpſero, quàm hoſtem. Utriuſq; ſive ab hoſte, ſive à me fata quæ timetis vobis imminent. Hæc dixit Felix Mareſchalcus; nam ſecuta hanc directionem felicitas eſt fortalitio intacto. Rex intereà cognito per indices quanto in diſcrimine Trembowlum foret, ſuccurrendi quantociùs avidus, priuſquàm cum toto exercitu, (quòd propter obſtacula trajectorum, montium, & ſylvarum, viaſq; anguſtijs impeditas, cum illo accelerare nõ poſſet) ſuppetias ferret, ſignum dare juſſit inquiſivitq; : num qui ſpe præmij, quicunq; illi eſſent Pedites ſive Equites (neceſſitas autem magis Pedites ob trajecta poſtulabat) feſtinatis itineribus nocte præſertim adjuvante, per ſylvas Trembowlum pergere vellent, aureo in ſingulos qui ſe reſolverent, pronuntiato? adeo Principem zelus ſuccurrẽdi oppreſſis occupaverat; ut ſua prodigere mallet; quàm ſuos, raro exemplo amantium Principum æquè cives ac ſe ipſos: unde quid mirum ſic illum exaltâſſe caput, quo nihil pretioſius? fecerunt illi pretium in tanto pretio habiti cives. At non hic ſtetit amor Regis. Nam cum oleum & operam perdidiſſet pia ejus intentio, eò; quòd appretiati illi, quamvis corroborandis animis eorum aliquot vexilla addidiſſet, vix exantlato milliari panico terrore retro acti rediêrant: non remiſit nihilominùs à præcelſa cogitatione ſua, ſed velut à repulſa priore ardentior iteratò provocare ignaviam militum, tentare animos, pretium itidem laboris ponere. Cùm nec eâ vice melior priore ſucceſſus fuiſſet, quòd æquè hi ac primi vano repulſi metu regreſſi fuerant, videns fruſtra ſe per mercenarios fortunam arcis conſervare voluiſſe, ipſe periculoſæ plenum opus aleæ aggredi ſtatuit, invicto animo ſuorum ignaviam & vices Dnus ſuppleturus. Movit igitur Buczaczo & in eam delatus viciniam, unde ſonitus tormenti audiri poſſet, explodendum unum cenſuit quo Turca diſceret proximum jam hoſtem eſſe ſupraPhiliſtiim. Audiit Barbarus, nec tamen adeò ſtatim expavit; ut à fortalitio recedere vellet, quin fiduciâ non tam facilè Regem cum Exercitu adventurum, quàm facilè ad ſe ſonus tormenti delatus eſſet, quantociùs cuniculos expediri juſſit, quibus feralem ſtragem daturus, niſi cœlum vetuiſſet, crudeles paſturus oculos, in verticem ſeceſſit montis, eoq; etiam Tartarorum Hanum velut lætam exhibiturus ſcenam eſſet, invitavit. Verùm ſpes ſua ebrium Tyrannum uti aluit, ſic fefellit: nam hinc non ſuccedente cuniculo, illinc vindictæ imminentis à tergo metu perculſus (utut ſimularet fiduciam) tandem in fugam abijt, deſertâq; obſidione Camenecum verſus intendit iter. Sed nec ibi diu tuto eſſe licuit. Caſu enim contigerat, ſeu potiùs incautelâ, ut de exploratoribus unus Commilitonum

A.C. 1674

A.C.1674 litonum Odiowski dictus de vexillo Martini Bohuſz in manus hoſtium incideret, qui ſtatim ut captus fuit; Hano oblatus, quæſituſque ab illlo : quis eſſet ? num & ubi exercitus moraretur ? Rexne ipſe adeſſet ? quorſumq; contenderet ? reſpondit ſe Comilitonem eſſe de exercitu Regio, ipſumq; exercitum ad Kaſzperowſcos reliquiſſe, Regem ipſum præſentem adeſſe, rectaq; contra illos tendere. Effugit hic poſt triduum manus hoſtium, probatumq; poſtmodùm ex indicibus, quos noſtri ceperant, in hæc verba dictum militem reſpondiſſe. Quis tum terror tremorq; hoſtium fuerit ad ſolam magni nominis famam ? ſcribere neceſſe non eſt : res ipſæ locutæ ſunt. Timor addidit alas, ſummâ celeritate Pagani moverunt caſtra, nec nocte quidem quies conceſſa, diem noctemq; per Tyram feſtinata trajectio eſt. Inde ſex milliaribus uno die exantlatis ad Prutum deventum ſub Pererito, tum magnis paſſibus præcipites magis quàm euntes ſecuritatem hoſtes quæſiverunt. Inſtabat Rex fugientibus; ſed aſſequi non licuit. In oppido Czarnokoziniec duobus milliaribus & dimidio Cameneco diſtante, cùm in momenta ſperaret hoſtem; ab exploratoribus didicit illum jam trans Tyram eſſe, magniſq; paſſibus uno tractu uſq; ad flumen Prutum feſtinâſſe. Unde ex ea notitia illatum; præcluſam jam omnem poſſibilitatem adeundi hoſtis, redeundumq; ſine effectu eſſe; quamvis firmum propoſitum in ſangvinem hoſtium haberent. Et hic ſecundus ab Electione annus eſt. Jam accedo ad 3tium quem expeditio Zoraunenſis contra Szaytan Imbraim Baſzam diverſum à priore illuſtravit. Hic aſſociatus Hano & Moldaviæ Principi, trajecto ad Camenecum Tyrâ, ut anno præterito, ſic & iſto conſilium ut videtur Hani ſecutus ad tractatum provocavit: in quem finem Myſliſzewſcium Vexilliferum Czernichowienſem à Rege nuper Krymum Ablegatum & ab Hano hactenus detentum dimiſit poſtulatum Commiſſarios. Dum de ijs deliberaret Rex; Turca perſpectum habens Jazlowiecenſem arcem noſtro præſidio teneri, in qua ante Chocimenſe prælium, Turcicum fuerat; ſub prædictũ fortalitium profectus eſt. Erat tum ibi præſidium compoſitum ex Coſaccis noſtris & militibus authoramenti Germanici; his ſub Imperio Hungar multis nominibus cõmendato, illis verò ſcilicet Coſaccis ſub directione Centurionis Lukomſcij bonæ æquè famæ apud homines exiſtentibus. At quid prodeſt egregijs antè factis præclarum meruiſſe nomen; ſi id in fine corrumpas ? vix Ottomanici exercitus comparuerant: cùm nec quidem ſemel ex manualibus ſclopetis ſalutato hoſti ſe ſubdiderunt. Creditur illicio fuiſſe Moldaviæ Princeps Ducas Chriſtianus verè, an ad ſpeciem; cui etiam omnes illi traditi ſunt, quatenùs ſimilẽ facilitatem proditionis, an traditionis per alias arces experiretur. Perrexit deinde exemplum anteceſſoris ſui ſecutus ad arces alias circa Tyram jacentes, quas priore anno Seraskierus ſive Dux Turcicarum copiarum non attigerat mox infra nominandas. Interim Rex Zolkwiam advolavit, convocatiſq; Ducibus Demetrio Wiſniowiecki ſupremo Regni, Palatino Ruſſiæ Campeſtri, Michaéle Pac ſupremo itidem Litvaniæ, alijſq; ad conſilium pertinentibus formavit conſilium circa negotium tractatûs; in quo cùm omnes in Principem Conſtantinum Wiſniowiecki Palatinum Belzenſem, Thomam Karczewski Vexilliferum Sanocenſem, Felicianum Telephum Halicienſem, Franciſcũ Kobylecki Mielnicenſem Pocillatores; & Caſimirum Dąbrowski Vilnenſem Dapiferũ conſenſiſſent, gradibuſq; inſtructionis ad tractatum ſcriptis Brzezanos dimiſiſſent: prædicti Comiſſarij, ne ut aliàs factum fuerat, in laqueos

Ethnico-

Ethnicorũ inciderent, prodromum ante ſe expediverunt, qui denuntiaret; ſi animus Turcis ad tractatum eſſet, mitterent pro ſecuritate viæ præſidiarios obſideſq; in locum ſui darent: ut ſic tutò coꝛneare invicem liceret. Non abnuêre adverſarij conditionem, utrumq; præſtiteruut: interim nihilominùs diverſis fortalitijs vim intulêre: nam & arcem Bukaczowſcium armatâ expugnarunt manu, & Haliczum occupârunt, ſimiliq;ue modo Jeſupolim per conventionem in ſuam redegerunt poteſtatem: ex omnibus his deductus in captivitatẽ populus patrocinio Principis Moldaviæ conceſſus eſt. His ad Regem dalatis, veritus ne univerſa Pokucia Turcicum adoraret imperium, volens eam compeſcere ferocitatem cum exercitu trans Tyram movit; at certam notitiam ubi moraretur hoſtis habere non valens (nam exploratores ſine indice revertebantur) quàm primùm ad Zoraunum conſtitit, relictis oneribus ipſe in Perſona exploraturus ſub civitatem Woynilowiam perrexit; quam jam Turcæ ceperant, reſidui ſolùm ex arce ſe defendebant, Tartaris ſub hæc quærentibus, quem devorarent: horum unus aut plures more ſuo palantes, dum inſidiarentur aliis, ipſi in inſidias inciderunt, adductiq; ad Regem de ſerie Woynilowiæ actorum edocuerunt, ijdẽ retulerunt, totam potentiamOttomanicam milliari duntaxat uno Woynilowiâ ſubſiſtere, Tartaros verò ad ipſam uſq; civitatem ſuis copijs texiſſe campos. Intrepido hæc nova animo Rex excepit, prorſus non ſolicitus, nec metuens, quòd paucioribus cum pluribus pugnandum foret, Hieronymo Lubomirſcio nunc Mareſchalco curiæ Regni mandavit; ut cum legione ſua ad ſuccurrendum ſe ſe accingeret. Paruit mãdatis Lubomirſcius non minùs felix agendo, quàm acceptando Imperium futurus. Adfuit in tempore arci, animoſq; addidit: nam in ipſas Tartaricas copias impetu facto cum non exigua ſtrage oppugnantes in caſtra repulit; unde ceu Annibale jam ad portas exiſtente, ſignum ubiq; ad arma datum. Actũ de exiguis copijs noſtris erat, niſi reſcito proſpero primo ſucceſſu præſagus indubiè totam in paucos conſurrecturam potentiam auxilium Rex maturâſſet. Submiſit quantociùs Remigianum Strzalkowski Colonellum ſuum, Capitaneum Litenſem; tum alterum Andream Modrzejowski Theſaurarium curiæ Regni inſiſtere ſtatim veſtigijs ijſdem juſſit. Opportunè & prorſus tempeſtivè eæ fuerunt ſuppetiæ; nam jam Lubomirſcius in confuſione erat multitudine hoſtium obrutus, & quiſq; ſpectabat, quomodo ex illo æſtu prælij evadere poſſet: nec ſecundus felicior fuit, ipſius etiam hominibus jam ad fugam inclinatis: ꝛtius demùm reſtituit rem, hoſtem non aggredi auſus; ſed forti manu quò tam ſibi, quàm prioribus conſuleret, utroſq; ſuſtentans dextrè verſus caſtra retroceſſit. Nec hoſtis inſequi auſus eſt. Tartari adverſo exercitu noſtro ſubſtiterunt, & ex nunc Turcis ſignificatum miſererunt, venirent non tam ad bellum quàm potiùs victoriã & prædam. Verùm præſumptio hæc & temeritas acerbas deinde pœnas luit. Rex enim confuſionis impatiens, novas & recentes legiones ad vindictam de injurijs cõmilitonum ſumendã animavit eo effectu; ut quàmvis tota tam Turcica, quàm Tartarica potentia à tergo priores tres legiones premeret, in irritum conatus illius ceciderit: quin egregiè à noſtris non tantùm ſuſtentatus impetus hoſtilis fuerit, ſed etiam in eadem vada, quæ noſtris damnoſa fuerant, cum magna clade compulſus, complures ſuorum, quà per cædes quà per ſubmerſiones, quà captivationem amiſerit. Conſternavit ea reſolutio non parùm Barbarum: ne quidem impoſterùm oculis inſequi recedentem ad caſtra exerci-

A.C. 1674

A.C. 1674 ercitum voluit. Plura adhuc ſcribenti ſuppetunt eaq; longè majora; quæ tum caſtris ad Zoraunum poſitis promovendo nomini noſtro olim ſervitura exiſtimo. Subſtitit in eodem loco Haliciam inter & Woyniloviam juſto tempore hoſtis, tribuſque an quatuor diebus in vano conſilio conſumptis tandem decrevit appropinquare noſtris. Solus Tartarus inter conſilij moras tantiſper excurrere, deq; montibus ſuſpenſus ſpeculari quid noſtri attentaturi eſſent, ſperâſſe (ut ſolent amantes) creditur exercitum noſtrum rediturum: at illum ſua ſpes fefellit. Dux Turcarū tandem, ut pavidæ deliberationis exequeretur ſententiam, cum magna cautela ſub noſtra ſucceſſit caſtra; nec tamen etſi in acie exercitum reperiſſet, prælium tentare præſumpſit. Præludere ſolùm Tartaris placuit, quorum aliquot centeni tranſvadati fluvium Svicam, adverſam, quā nobis inferre volebant, ipſimet fortunam experti ſunt, retroacti in flumen, ne illo quidem acceptam ignominiam ſatis eluturi. Tertio ab adventu die cœpêre Turcæ foſſas ducere ad noſtra caſtra, quæ vallo quidem, ſed eo admodum debili munita erant, interq; ipſas meditationes pacis & tractatûs cum Commiſſarijs à cogitatione belli non ceſsàrunt. Nam hic ſtrepentibus armis, alibi cum Plenipotentiarijs, qui eo die ad caſtra Turcica advenerant, quo primum impetum ad Woyniloviā fregerunt noſtri, tractabatur. Concluſus tandem poſt aliquot hebdomadas tractatus eſt; quem tantopere Princeps non deſideràſſet, niſi duo interveniſſent; quæ ſpem certæ victoriæ illi dubiam reddèbant. Primum erat, quod complures reſidui tam de Regni quàm M. D. Litv. copijs ad Generalia caſtra non advenerant; unde poſtquam ex eo loco, qui collectioni totius exercitus deſtinatus fuerat, præſentes tum copiæ moviſſent, reliquis non expectatis: hi non inventis caſtris ad Leopolim ſeſe congregârunt; ad quos etſi Rex toties per amorem DEI illos obſecratū jam proximus hoſti certos expediviſſet, nihil omninò profecit. Obſtinata enim ignavia eſt, invidere certa, non mirari aut agere fortia. Alterum fuit; plus trepidationis, quàm animi compluribus militibus inerat, & jam fugam gemina vice meditabantur. Hic ſi liceret loqui, luculentiùs id ipſum exponerem: ſed parcendū magno nomini eſt. Quiſpiam enim de Magnatibus ille fuit; qui ultrò Regem adijt, hiſq; formalibus allocutus eſt: vellet conſulere indemnitati ſalutis ſuæ & Reipub. nam exercitus certò deſeret Majeſtatem: atq; intrepidô animô & lingvâ Rex in hæc prorsùs verba reſpondit: fugeret ſanè, quicunq; vellet etiam ſtatim; perſiſtam ego, & ita exiſtimo, non defuturos complures honeſti amantes, qui mecum perſeverent: opponam me hoſti pro obice in Patriam meam, in quam non niſi eo tempore illi patebit aditus, dum proſtrati pectus equitis calcare licebit: novi qui illi ſint, quibus fuga in voto eſt; illi utique Heròes, qui ultimi ad obſequia Reipub. veniunt, primi ab obſequijs diffugiunt. Sic confuſi receſſerunt Phariſæi. Concluſus verò tractatus cum hac graviſſima conditione Ethnicis eſt; ut omnes quotquot per tractatus ceperant in prædictis locis, ex integro redderent; factum id inauditô exemplô: nam cum curribus, bobus, prole omnes reddiderunt prout ceperant, ſolis præſidiarijs Jazlowiecenſibus, qui formidine pœnæ apud Ducem Principem remanere maluerunt. Decretus ibidem magnus Legatus ad Portam Ottomanicam, cujus prodromum egit Modrzejowski; Legatum verò Joannes Gninski Palatinus Culmenſis. Hic claudo geſta triennij ab Electione. Jam quia exigis, ut Chocimenſem tranſactionem etiam, tibi ex verò deſcribam; libens id facio. Curabo, ut amputatis ſuperfluis ſolius rei geſtæ ſeriem habeas. Occurrunt

runt quidem aliqua, ſed quia illa non merentur memoriam, nec tibi ignota forſan ſunt, ſtudiosè ſupprimam. Scis utiq; quid à capto per Turcas Cameneco contra innocentiſſimum caput modernæ Majeſtatis attentatum fuerit, ut ſub tempus Golembienſis cõmunis motûs iñane facinus in Regem devolvere voluerint: cùm tamen ille ſemper ſe filium Patriæ probâſſet, utcunq; integritati ejus proſpexiſſet, & effectu ipſo amorem ſuum erga communem matrem exhibuiſſet. Nam & graſſantes Tartaros impuneq; per Palatinatus Ruſſiæ, Belzenſem, & Lublinenſem populorum agentes prædam ingenti afflixit clade, & de faucibus beſtiarum potiùs, quàm hominum tot millia animarum erepta ſuæ & Patriæ reſtituit libertati: quamvis tum non is exercitus eſſet, qui ſuſtinere hoſtiles impetus, ne dum inferre poſſe cladem crederetur. Multum enim virium his copijs deceſſerat eodem anno ſub regimine Caroli Luzecki tum Caſtellani Podlachiæ, eò; quòd toties à Tartaris & Coſaccis infeſtati non ſine diminutione ſui fuiſſent. Noſti etiam, quæ inſania ſub Golembio fuerit, binâ Legatione miſsâ, unâ quæ Mareſchalcum cum exercitu, Regem ſcilicet modernum ad conventum Lublinenſem invitaret; alterâ quæ cum Turcis tractaret commendatum ſibi habens; ut quomodocunq; pacem concluderet; etiamſi toti terrarum tractus Leopolim uſq; cedendi forent. Hæc tum regnabant odia non alia intentione; niſi ut modernus Regnans deprimeretur. Legati verò erant ad exercitum Sczawinski Palatinus Junivladislavienſis & alij de qualibet gente, quorum nomina memoriâ exciderunt: ad Turcam autem Lubowicki Caſtellanus Voliniæ, Gabriel Silnicki Caſtellanus Camenecenſis, & Szumowski Theſaurarius Curiæ Regni; quarti itidem non memini. Hi nos reduces ab expugnatione hoſtium obvios habuerunt, quorſumq; pergeremus, interrogarunt? reſpondimus, quod res erat: filios ad Patres ire, ſubjunximuſq; quis meliùs conſuluiſſet Reipub. Patreſne an filij? ſic tum inanem illũ congreſſum & vana conſilia ſugillare placuit. Perrexim⁹ igitur; ut humanitati invitantium ſatisfaceremus. Verùm ea diffidentia illi⁹ Comitij fuit; ut conciviũ ſuorum adventu lætari, hoſpiteſq; (ut juſtũ & æqvũ erat) pro merito excipere, & tanto pro integritate Reip. bonoq; publico labore feſſos recreare noluerit: nã nec expectato quidẽ reditu Principalium quiſq; in ſua ſe recepit, reliqui diffluxerunt ceu nives, ipſumque etiam deſeruêre Regem. Nos harum rerum inſcij continuavim⁹ iter; donec Szczebrzeſzyni nobis innotuit; quid Patres noſtri egiſſent, quæ attentâſſent, ut non expectato adventu noſtro diffugiſſent? ſimiles illi prorſus Lutheri aſſeclæ, qui cùm præſens exorciſationi energumeni inſtare Dæmonem audiiſſet; ut ſibi ex homine expulſo aliud quodpiam hoſpitium concederetur, ſuum tacitè obtulerat, exiſtimans, quia vocalis non fuiſſet, ſe minimè à Diabolo auditum: at ſecùs factum fuiſſet; peſſimum jam jam habiturus inquilinum erat: niſi ſeriò pœnitẽs Catholico ritu crucis ſignum pro foribus hoſpitij ſui objeciſſet, tum inſolenti cachinno barbarici hominem inſimulare Dæmon, dicereque: præclarũ enim verò Patremfamilias? hoſpitem invitavit, & fores clauſit: hic verò aliquid amplius factum eſt, quia fores obſerare non potuiſſent, reliquerunt hoſpitium. Intelleximus ibidem qualiter Patres noſtri ſuper certis juràſſent punctis, novos authorari exercitus mandâſſent in depreſſionem filiorum, pecunijs ex nunc in exſolutionem imperatis, ſtativa & conſiſtentiæ, quorum diſtributio ad Duces tantummodò exercituum pertinet, propriâ authoritate aſſignata eſſent: quare neceſſarium & nos duximus nobis jurare unionem. Rex ſub hæc ma- *A.C.1674*

gnis

A.C. 1674 gnis paſſibus in Pruſſiam intendit iter, Reginam inviſurus; quæ tum in Capitaneatu Mewenſi morabatur. Per hanc viam plura contigerunt, quæ in nobis juſtam accenderunt iram tum, nunc autem recordantibus illorum riſum cient. Viſitato per occaſionem Primate Prazmovio Skierniewicis (ibi enim eum offenderamus) mox tam Rex, quàm primas Lowicium aggreſſi iter, ibi non niſi unius noctis ſpatium ſecum ſunt demorati; quantumvis diuturniorem præſentiam moderni Regis optaret Primas: accelerabat enim ad terminum. Vale itaq; dixit dato verbo Primati, quatuor intra hebdomadas ad eundem locum ſe rediturum: in quem finem amicis intimari mandavit; ut ad eundem locum pro eo termino convenirent. Eodem die noctaturi Zwolenium venimus, ubi recens authoratos Heròés reperimus copiosâ pecuniâ inſtructos; ut plures ejuſdem farinæ aſſociarent. Jam tum iniquiora erant itinera; unde currib⁹ relictis equites ire neceſſe fuit, nec plures quàm quinq; ibamus, Rex, ego, equiſo cum honorario equo, duoq; mei pueri; cùm appropinquantibus civitati deſignator hoſpitiorum adfuit, vexillum ibi quodpiam eſſe hujus vel illius farinæ referens; ſe nihilominus hoſpitia denotaſſe. Regi domus obtigerat vice Colonello illius vexilli aſſignata; qui tum temporis præſens non aderat, ſoli illius adſcititij cum familia ibidem verſabantur. Vix ingreſſos (ſerus autem jam erat veſper) furor adſcititij famuli ſalutavit, requirens: quo auſu alienũ tentâſſemus hoſpitium, in quo etſi Dnus non eſſet præſens, violentiam tamen fieri non oportuiſſe? movit ea res bilem & indignationem mihi in tantum, ut impatientiâ ſvadente, cui temperare non potui, tam vehementem illi colaphum impegerim, cui ille ferendo impar camino aliſus fuit: nec ſatis, arreptum pectore in atrium protruſi, ubi; quid cũ illo actum ſit, ſatis ex antecedentibus collegeris. Vinciri juſſum velutiq; in glomum convolutum in angulum pro quiete abjeci. Adfuit interea noſtra, quam cum curribus deſerueramus aſſiſtentia, eodemque planè momento etiam ſubſtitutus vice-Colonellus jam non in ſuum hoſpitium delatus eſt. Fuerat is aliquot inde milliaribus ſolenni convivio exceptus, hic longè diverſam cœnam inventurus: nam ex nunc omnes reduces convivas iſtos rapi ſub cuſtodiam mandavi, & pro hoſpitio ad caſam deſolatam compegi, adjectis minis, quàm primùm craſtinus illuxiſſet dies, ſupremam ſibi horam futuram ſcirent. Seria ea omnia viſa ſunt his fungis; hinc terror & tremor, moriq; antequam morerentur: nox certè ea inſomnis illis fuit, utpote quam ultimam timebant, deprecari igitur quà per ſe, quà per alios; Sacerdotum implorare inſtantias; mille votis & promiſſis agere; ſe impoſterum ſub obſequio futuros, renuntiaturos authoramento novo; & quemq; in ſua dilapſurum; imò jam nunc ſcrinium cum pecunijs (nam & illud in noſtram poteſtatem venerat) diſpoſitioni noſtræ concedere. Tanta illis metus mortis perſvaſerat. Mihi verò nihil eorum, quæ jam in manibus erant attingere libuit; cavi inſuper, ne quid etiam à noſtris attentaretur: arreſto ſuper recenter authoratis poſito, per hoſpitia; arcam cum pecunijs adhuc intactam meo munivi ſigillo; ſenſum Regis in craſtino de illa requiſiturus: cui ubi illuxit relationem omnium geſtorũ præterito veſpere feci. Quæ clementia Regis fuerit, ex his manifeſtè liquet: nam & pecunias, & equos reſtitui juſſit, & liberos pronuntiare; ſi modò deprecarentur, & in ſua ſe reciperent; quibus adimpletis illi dilapſi ſunt; nos autem Ravam pro nocte contendimus: cùm & ibi ejuſdem ſortis vexillum deprehendimus, firmius quidem & cautius, ſed qui ſe opponeret Duci, non erat,

Ordina-

Ordinato illuc Anaſthaſio Miączynski, qui nunc Theſaurarius Curiæ eſt, cum Vexillo aulico ad inquiſitionem, qui eſſent? maluerunt cedere Ravâ, quàm inquiſitorem expectare; quòd fundamento peſſimo ſe niti viderent. Inſequi nihilominùs inquiſitor; quos ægrè circa umbilicũ noctis aſſecutus paratos per famam reperit armis potiùs, quàm verbis citationi reſpondere volentes: ſed & hi victi ſunt, correxit poſterior errata priorum dierum Skierniewicis: ſed tu ipſe hæc meliùs nôſti. Tandem ex itinere Prutenico reduces Lowicij convenimus; quò ad nos ex illa forma turbidi Golębienſis Varſaviæ continuata Ablegatos, audivimus, Andream Trzebicki Cracovienſem Epiſcopum, & Antonium Chrapowiecki Palatinum Witepſcenſem. Poſtulata horum fuêre; cur diſſonaremus? reſponſum eſt; oppreſſam libertatem, & everſum Reipub. ſtatũ horum diſguſtuum cauſam eſſe. Quare relatione factâ iteratò reverſi, promiſſa ſecum attulêre, reſtitutionem legum ſanciendam fore, furiaſq; Golębienſes mutandas in Comitia pacificationis, hunc titulum præfigere placuit. In quibus quid concluſum ſit, loqvuntur conſtitutiones, ego taceo, nunc q; primum tibi parendo ad Chocimenſis victoriæ deſcriptionem accedo. A.C. 1674

Sancitum à Repub: fuerat, ſvaſu potiſſimùm moderni Regnantis; cujus hoc votum erat: ut ſexaginta millia exercitûs, ad cujus tertiam partem pro lege & uſu Litvania teneretur, authorarentur, & proportione ductâ ad exercitum contributiones exſolverentur. Credebat ita modernus Princeps ſatis tutas fore ab incurſu Tartarorum, Turcarũ & Coſaccorum Provincias præſertim, ſi iſtæ copiæ perito belli Generali cõmitterentur. Placuerat res ea omnibus; nec Michàéli Pac diſplicuerat: qui ſe non defuturum certò cum optimo milite profeſſus eſt. Promiſſis his an impoſterum conſtiterit, ſuo loco videbimus. Hoc modo pactis inſupportabilibus, quæ nuper Commiſſarij Regis Michàélis concluſerant, reſciſſis, rectà Chocimum contendere viſũ eſt. Conſtituerat Rex Michàél in poſtcomitiali conſilio ipſe in perſona ſua non tam affectu in bellum, quàm ſuſpicione in modernum Principem huic expeditioni intereſſe: occupaverant enim ſimplicem illius animum rumore vano; ac ſi Ethnicorum affectaſſet amicitiam Mareſchalcus Regni idemq; Dux exercituum Supremus: unde metuebat ne ſe abſente in irritum ea expeditio recideret, & ingens aliqua clades acciperetur. Stipatus igitur amicorum aſſiſtentiâ Andrea nimirum Olſzowski Epiſcopo Culmenſi Regni Cancellario, Stanislao Lubomirski Mareſchalco curiæ Regni & Referendario Regni qui nunc Epiſcopus Cracovienſis eſt, Leopolim devenit; ubi compertô modernum Regem Jaworowiæ eſſe, exercitum verò ad Skwarzawam ſubſiſtere, de ſuo adventu ſignificavit: nec moratus Rex modernus acceleravit ad exercitum; ut Michàélem eôdem non tam pro cõmodo publico quàm potiùs odio profectum exciperet. Eodem die uterq; in caſtra devenit. Sequenti luce armiluſtrio interfuit Michàél, ſed jam ægrè valens, mortiſq; meditationi præſentior, quàm militiæ. Ideò autem intereſſe voluiſſe ille dicitur; ut famam plerumq; mendacem ad odium præſentis Regis corroboraret, quæ nimium quantum injuria ſparſerat, barbaris ultra amicum eſſe Sobieſciũ, quam oporteret; imò neutiquam illos aggreſſurum: cùm tamen luculenta præ oculis eſſent reſoluti in hoſtes animi argumenta: nam & quingentos captivos Mahometanæ ſectæ ceperat, habebatq;, & plures quinque millibus Tartaros, ut aggrediendo ſic regrediendo veloces ceciderat. Verùm malitiæ fruſtra alia perſvaſeris. Jam illuc etiam Michàél

Pac

A.C. 1674 Pac ſupremus exercituum M. D. Litv. Dux advenerat; cùm ob rumorem prædictum de Principe noſtro ſubitò in ejuſdem depreſſionem in Tentorio Regis Michàélis formatum fuit conſilium, quid facto opus foret? per vota itum eſt. Epiſcopus Culmenſis his formalibus reſpondit: tranſivimus Rubiconem, non datur regredi. Pac ſpe in contrarium imbutus, plura jactavit, quorum pœnitentia mox eum ſubitura erat: ſe nempè in ſeptem annos proviſum Litvaniâ exceſſiſſe, & ſtudio contra crucis hoſtes, Hieroſolymitanæ crucis ſignum per militaria vexilla effigiari mandâſſe, hæc tum publicè faſſus eſt non tam generoſo, quàm invidioſo in Principem modernum animo; cui dum votum obtigit, paucis rem citra jactantiam abſolvit verbis: aliàs ſe ſperâſſe materias: mirari, cur agitari privato conſilio iteratò liberet, quæ jam publico omnium ſenſu forent definitæ. Reſpub. enim ait, declaravit bellum, illa contributiones, illa quantitatem exercitûs præſcripſit: quid jã conferre opus eſt? quid revocare in dubium? cùm ipſi cum alijs id decreverimus. Cõmunem ſententiam nos ſequi ſine mora neceſſe eſt, craſtinus dies nos contra hoſtem euntes videat. Proh DEUM! nos tot dies amiſiſſe. Eâ acceptâ declaratione Michàél Pac jam alter à priore tergiverſari, prætendere ſuum exercitum nondum totum conveniſſe, adeoq; ſequi non poſſe tam citò, orare, ſiquidem craſtinâ luce exercitus in hoſticum moturus eſſet; determinaret locum, in quo ſe expectantem inveniret. Huc zelus ille devenit; ut qui primus eſſe debuerat; nunc noviſſimus futurus expeteret promiſſum de ſe expectando. Obtinuit; nam datâ fide pollicitus Rex illi eſt Probuzni præſtolaturum. Motis poſt hæc caſtris ad Tyram deventum eſt, ubi in loco Luca dicto noſter exercitus trajecit: unde graviter turbatus Pac, ſi per decorem licuiſſet, priorem libenter revocâſſet ſententiam de adulatione magis quàm vero prolatam. Metuebat ille tum ſibi, tum exercitui Litvano; ne forſan, ubi trajeciſſet Tyram ſe cum ſuis Rex hoſtibus exponeret, tam altè egerat radices in viro de optimo Principe ſuſpicio; ut benefacta in peſſimum detorqueret ſenſum, facturumq; ea maximè crederet, à quibus longiſſimè aberat. Quare primùm per Sapiehas Pac egit, ut reſciret, quid Rex moliretur? an non quidpiam in exitium exercitûs & ſui attentaret? mox Principem Radivilium ſubmiſit per motivum affinitatis faciliùs omnia intellecturũ: demum ipſe tertius ſucceſſit medius inter metum & diffidentiam: nam trajicere exercitui inhibuit; donec luculentis rationibus his omnibus diſcuſſis & ipſe demum non ſine timore acceſſit, trajecit, ſecutus eſt. Hic ſtudioſè omitto, ut Litvanicæ gentis nomini parcam, quæ in eo tractu Chocimum verſus acta ſint. Sic jam certis non niſi prælio decernere, actuq; Chocimum tendentibus noſtris Turcarum occurrit Legatus ad Michàélem Regem directè miſſus media pacis oblaturus: at ſerò venit. Conſpecto exercitu noſtro primùm nihil de tumore & arrogantia Turcici faſtûs remiſit; verùm ubi comperit noſtros Chocimum tendere, tum & ipſe animo cadere, utq; ratio ſuæ Perſonæ haberetur poſtulare: quem non jã ad Michàélem Regem tum Leopoli ex ſupremo morbo decumbentem, ſed Varſaviã remittere viſum fuit ſub honeſta cuſtodia futurum; donec rebus feliciter peractis à reduce moderno Regnante expediretur. Conſtitit deinde exercitus & quidem imprimis Regni ſub Chocimo feriâ ſextâ, & ad uſq; caſtra Turcica quæ vallo cincta erant, proceſſit. Conſultò enim legiones, quæ vigilijs deſtinatæ fuerant, hoſti ſe oſtentare, quàm primùm è ſylva egreſſæ eſſent Rex imperaverat, tum alteram

teram legionem Theſaurarij curiæ eadem ſequi veſtigia ad irritandum *A.C.1674*
hoſtem juſſerat tam ſecundo ſucceſſu: ut emiſſum equitatum hoſtilem & vigiliarum legionibus incumbentem, altera legio exceperit, repulerit, complures eorum quà ceciderit, quà prò indicibus captivaverit nõ ſine omine in noſtris præguſtatæ victoriæ. Quare Barbari impoſterùm jam diminuta præſumptione ſimiles in auſus prorumpere non attentârunt, contenti ſeſe continere vallis, & ſpectaculo copiarum frui, quæ brevi ſpectatorem oculum clauſuræ erant. Profuerunt ea præludia ijs Principibus, qui neceſſitate, non animo Turcarum caſtra ſectabantur: nam Princeps Moldavorum de familia olim Imperatoria Cantecuſanorum ducens originem, ne innocens nocentium pœnas lueret, cum Proceribus ſuis barbarorum caſtra deſeruit, & ad Regem delatus poſt venerationem deprecatus eſt, liceret ſibi in ſuam redire provinciam. Annuit Rex. Princeps item Valachiæ Petryczayko dictus, qui nunc in viſceribus Regni moratur, & ex gratia Regia Kupnowicz in Samborienſi Oeconomia poſſidet, quatuor aut quinq; diebus antè ſponte per favorem noctis ad ſuos transfugit, veniamq; inde à Rege petitum miſit; quæ non tantum data fuit, ſed inſuper Szocawiam Chriſtophorus Korycki Ablegatus ut lingvæ Valachiæ ſic conſvetudinum gentis gnarus; qui teſtaretur gratam Principi noſtro accediſſe eam ab Ethnicis ſeceſſionem & polliceretur protectionem perſonæ, cujus etiamnum extant exempla. Dimitraſzko item Princeps Moldavorum eadem meditatus eſt, verùm hæc illus molimina non tam Chriſtiano motivo (nam animo & corpore Turca erat) ſed præſenti vitæ naſcebantur diſcrimine. Metus illum potiſſimùm impulit; ut clandeſtinè Legatos mitteret; declararetq; ſe Chriſtianarum partium futurum. Acceptata quidem ea fuit Legatio; cautum tamen imprimis conditionibus: ut quàm primùm copiæ noſtræ hoſtili appropinquâſſent exercitui, ipſe ſeceſſionem faceret; locumq; eum occuparet, qui noſtris Ducibus opportunus pro tranſfuga videretur. Non potuit hanc conditionem exequi ex nunc prædictus Princeps; nihil tamen contra noſtros ab illo attentatum fuit: nam etſi feriâ quintâ noſtri propiùs acceſſiſſent, nec ignavos oſtentarent animos, & viciſſim, hoſtis non minore in nos ferretur auſu, ipſe quoque extra mœnia vallorum Turcicorum ſtativa ſortitus ſuos in aciem eduxiſſet, emiſſis ſuis nihilominùs demandavit; ut ad noſtros delati teſtarentur illũ, quidquid faceret, nõ niſi ad apparentiã facere nihilq; hoſtiliter attentaturũ: deprecarentur præterea; ut ſibi viciſſim daretur indultum; opportunitatem duntaxat temporis ſe obſervare, quo tutè in noſtras partes tranſire poſſit. Nec aliter quàm promiſerat fecit. Nam ſequenti die, quæ feriâ ſextâ erat, videns noſtros inſtructâ acie hoſtium caſtris ſuccedere, exceſſit cum ſuis univerſis, petitâq; veniâ & impetratâ cum equitatu ſuo, ut conſulto imperatum fuerat, ad Tyram perrexit, ibiq; infra noſtra caſtra ſubſtitit: peditatum verò ejus versâ ad hoſtem fronte in acie locare viſum eſt. Verſutum enim noverat hominis ingenium Rex, talemq; eſſe, qui niſi accerſito in conſilium dolo ageret nihil. Forſan jam ſubodoratus fuerat magis illum ſimulare amicitiam, quàm veram ferre; ut quod facere apertus hoſtis nequiviſſet, fictus exequeretur amicus à tergo impediturus, qui in vultum reſiſtere non valuiſſet. Vtut fuit; diviſa ipſius potentia jam timeri non poterat. Inter hæc non levis remora, unde minimè timebatur Regi ſe ſe oppoſuit, eam expeditionem forſan ad nihilum redactura, niſi prudentiſſimus Princeps, ut cum hoſte certare armis paratus

A.C.1674 ratus erat, ſic promptus humanitate & ſubmiſſione cum ſuis collegis certare fuiſſet. Jam feriâ ſextâ determinata fuerat aggrediendo hoſti, qui non niſi intra valla ſe continebat, actuq; jam parens Duci miles in aciem proceſſerat, cùm Michàél Pac nec quidem moveret pedem, & ac ſi dormitaret, immotus ſubſiſteret. Gravius ea modernum Regem res angebat; unde quid ageretur rerum ignarus, expoſtulatum miſit: quid cauſæ foret, quòd toto exercitu provocante hoſtem, ipſe interea feriaretur? reſponſum præter ſpem, feſſas copias eſſe & fame propè enectas hoſti non ſuffecturas. Huc illa jactantia deſijt, ſeptennij comeatus ægre menſis unius ſpatio ſuffecit, in caſſum ea recidente Legatione non tamen Rex deſperavit, fortiorem pertinaci flecti viro arietem admovendum ratus, ſe ipſe aſſumptis Primoribus ad illum confert, precatur, velit idem ſentire ſecum: ſed ne ſic quidem ſtatim Pac expugnatus eſt, quamvis nihil humilitate potentius ſit etiam ad ipſos Superos vincendos: rejicit cum furore Dux Ducem, eadem ratio obtenditur, famere exercitum, & ægre arma ſuſtinere. Noluit tum irritare hominem eorum memoriâ, quæ nuper in publico conſilio de ſua jactaverat providentia: iterare preces maluit, quàm efferre indignationem. Quare ad ſubmiſſionem converſus adſtantibus Proceribus copiarum Regni ſupplicis planè ritu obſecrat adjectô: audi me tribus diebus, ego te deinceps etiam tribus hebdomadis audiam, etiamſi non obliger. Nôris, ſi mihi nunc parueris, magnum te opus pietatis Reipub. exhibiturum. Hic tandem ſive precibus ſive pudori ceſſit. Intra hæc feria ſexta conſumpta eſt exercitu à caſtris hoſtilibus ne quidem ad tormenti ictum remoto, ibiq; noctare juſſo. Abijt ea nox inſomnis inter continuos clamores Turcarum ſive oſtentatione vigilantiæ, ſive animi parati ad prælium. Quàm primum ſol illuxit ſabbato; miraculo quid ſimile contigit, quod ſuppreſſiſſe nefas duxero. Miſerat Michàél Pac, qui graviora aliquot poſceret tormenta; nec Rex abnuerat cavens ne quid diſſonantiæ ſuboriretur: ſed fruſtra tam preces Ducis, quàm Regis aſſenſus fuêre. Nulla vi tormenta moveri potuerunt: quamvis & ipſe, & Alexander Polanowski Vexillifer Regni anniteremur graviſſimiſq; flagellis equos impelleremus. Cœlitus id impedimentum contigiſſe creditũ eſt, magis enim proficua in ſuo illa fuêre loco. Rex interim inter deambulandum meditabundus barbarorum obverſus caſtris, laborem fruſtraneum noſtrum his vocibus inhibuit: ſinite hæc, arripite arma, intra mediæ horæ ſpatiũ in caſtris Ethnicorũ hoſpitabimur. Obſtupuimꝰ tam manifeſta dicta, quis enim id præſumeret circumſtantijs reclamantibus? legionibus ſub hæc inclamavit, promoverent pedem, tormenta in valla dirigerentur ad depellendos Barbaros. Ea fortuna noſtra fuit, non ſuſtinuit hoſtis vel vultum noſtrorum, deſeruêre valla, ceſsêre ex illis tam pedites quàm equites: Rex ſecutus victoriam caſtra ingreſſus eſt, mox Palatinus Kyowienſis nunc Cracovienſis Caſtellanꝰ gratulaturus adfuit, aderam & ego cum Dno Conte de Maligni, turba præterea plurima. At parum abfuit quin noſtra felicitas inſigni clade corrumperetur. Avertit indubiè cœlum exitium, jamq; diſcrimini proximos ex ipſis fatorum faucibus eripuit. Adverterat periculum officialium militarium quiſpiam multæ ſinceritatis homo, feſtinuſq; ad me delatus in aurem inſuſurravit: caveremus, complura millia hoſtium in averſos ferri. Exiſtimabam ego timidum timida referre; quare pro gratijs aſperè verbis acceptum à me repuli. Adeò præſens felicitas non tantùm animum ſed etiam oculos occupaverat; ut nihil videremus. Nec tamen ille importunus

nus eſſe deſtitit; vix aliquot paſſus receſſerat, cùm iterum redijt, dare- *A.C.* 1674
mus fidem verbis, jam jam hoſtem adeſſe, & à tergo imminere. Vera
locutum fuiſſe ex eventu patuit, quàmvis mihi adeò diſplicuiſſet; ut etiam impatientiâ ductus illum ſcuticâ pulſaverim. Nam Joannes Zelinski Venator Regni Colonellus collatæ ſibi legionis germanici authoramenti, eâdem viâ, quâ Rex cum alijs legionibus illatus erat, emptoq; de præda equo Turcico ad eandem redibat portam; cùm hoſtem offendit, victorq; à victis occiſus eſt. Vix eam ingratitudinem in Officialem commiſeram; cum barbaræ legiones meos incurrerunt oculos. Fugiebant illæ caſtrenſiq; tendentes viâ ferebantur ad portam non parſuræ utiq;, ſi quem Poloni nominis offendiſſent. Manifeſtum periculum erat, in eadem eramus via, in nos rectà tendebant. Quid agerem? deſperata erat ſecuritas, in congeſta nihilominus mapalia Turcica protruſi Principem, ipſe quantocius quatuor conquiſita vexilla Loricatorum Squãmis rapui, quorum unum memini fuiſſe Opalinij, nomineq; Ducis in hoſtem ire juſſi, ſtudio ſuppreſsâ multitudine, ne forſan animis caderent, & ante vincerentur ignaviâ, quàm ab hoſte. In tempore etiam adfuit vexillum haſtatorum Ludovici Niezabitowski Caſtellani Belzenſis, cui itidem ſuppreſsâ causâ Ducem uſurpans mandata dedi, dirigeret haſtas, totoq; in Barbaros impetu inveheretur. Ita diſcuſſimus periculum, remotus ex via publica hoſtis in foſſas, quæ intra caſtra erant præceps abijt, miſerando ſpectaculo; cùm alij cervices eliderent, alij pedibus à ſaltu fractis non niſi à caſu ſupervenientium mortem invenirent. Momento propemodum cadaveribus expletæ foſſæ fuerunt adeò; ut ſuperſtites Turcæ velut in plano per illas decurrerent inventuri alibi fata ſua, & hac charybdi evitatâ in ſcyllam ruituri. Nam quos vorago non abſumpſerat, abſumpſit Tyras; in quem ex rupe præcipites coacti in levi elemento etiam gravem repererunt mortem. Involvit ferè eadem ruina modernum Caſtellanum Sendomirienſem, qui victos ſecutus in eandem foſſam dejectus ægre evaſit mortem. Voluerat Turcicum Chocimi præſidium de fortalitio illo noſtram turbare victoriam; verùm irritus is illius conatus fuit: quin plenam victoriam dante cœlo etiam ea arx intra 24 horas non ſine inſigni multorum de ſpolijs fortuna pro auctario acceſſit, præſidio ut optaverat Cameneco dimiſſo. Interim Kaplan Baſza, qui tum in Cecora morabatur, tantæ ignarus cladis ſuppeditaturus Coñeatum jam emiſſo exercitui tertiâ à victoria die ad Huſein Baſzam expedivit conſultum, quid facto opus eſſet? incidêre in caſſes Nuntij: nam improvidi & temerarij cùm in caſtra jam non ſua rectà contenderent, in famulos adaquatum ducentes equos impegerunt; quibus ut nulla fides pietaſq; erat, ſic mox ab illis rapti, ſpoliati, unus etiam illorum cæſus, alter ægrè precibus ſervatus, dum caſu à ſuperveniente quodam majoris modeſtiæ ad Regem deduceretur, ex cujus relatione conſtitit, quæ mandata habuiſſet, quaſq; literas. Hinc indici & relatori literarum (nam eæ etiam ablatæ fuerant) pronuntiatum præmium. Contentum ſcriptorum fuit, mox coñeatum & ſuccurſum adfuturum. Quamobrem Rex coacto conſilio in prædictum Baſzam movendum ſvaſit. Et verè non deſtituiſſet ſucceſſus conſilium, geminâſſet cladem, expleſſet coñeatus famem; ſi parere libuiſſet; At iterùm diſcordia in tranſverſum Palatinum Vilnenſem egit, alteramq; abſtulit victoriam. Deſeruit caſtra ille, ſecumq; ſuos abduxit Litvanos. Non tamen mutavit mentem Rex, generoſum ſecutus animum cum Polono robore in hoſtem movit; etſi quidem in caſſum, non tamen ingloriè: nam ad ſo-

A.C. 1675 Iam magni nominis famam compertâ ſuorum cæde Kaplan Baſza incenſis caſtris & coꝛneatibus à pedibus ſalutem quæſivit. Idem & Dimitraſzko fecit, infidus hactenus ſocius, ſemperque à parte exercitûs cum ſuis ſingularis, ſpectatâ Turcarum clade, fugâ ſe hoſtem prodidit, Conſtantinopoli inventurus mortem, qualem meruerat. Nam ubi illuc deprecaturus errorem ſubmiſſionis advenit; blanditijs quidem aulæ exceptus eſt, mox veneno occidit, dolosâ morte dolos penſante, quibus noſtris illuſerat. Rex cognitô Baſzam fugâ ſibi conſuluiſſe, non morandum in hoſtico ratus feſſum militem in ſtativa aſſignatis prope Camenecum territorijs deduxit, ipſe autem Michàéle Rege die S. Martini jam fatis functo pro deſignata ex Comitijs pacificationis Commiſſione Lublinum ſe contulit, & res militares diſpoſuit: tum Varſaviam pro convocatione, cui Franciſcus Bielinski Succamerarius Regni deinde Palatinus Mariæburgenſis pro Mareſchalco præfuit, profectus eſt. In ea approbatum jus ordinationis Zamoſci pro Dnis Zamoyſcijs, quod prim⁹ Ordine defunctus Theſaurarius Martinus Zamoyski occupavit tanquã potior duplici fundamento, allaborante potiſſimùm Andrea Olſzowski Cancellario, qui Michàélis Regis teſtamento interfuerat, actuq; moderni Regis authoritate incorporatus eſt in bona ordinationis. Tandem ſubſecuta Electio, quæ feliciſſimè modernum nobis Principem dedit. Et hæc ſunt quorum notitiam habui. Tuum altiſſimum ingenium ea expoliat, ego meam rudem Minervam ſubjicio.

1674

XXXII.

GALLEACEO MARESCHOTTI ARCHIEPISCOPO CORYNTHI NUNTIO AD AULAM HISPANICAM APOSTOLICO ANDREAS CHRYSOSTOMUS ZALUSKI GNESNEN. ET PRIMATIALIS CANCELLARIUS die 16 Decembr.

Relatio imprimis Electionis Joannis III in Regem, & poſt Electionem, Acta ejusdem in Ukraina 1674. & 1675.

LEgiſti non ſine aliquo guſtu præliorum cum Scythis, & ultimæ ſub Chocimo ex Turcis victoriæ Joannis Sobieski Mareſchalci & Exercituum Ducis ſupremi Regni relationem meam Madriti, ubi te Nuntio Apoſtolico Ablegatum nuper egi. Indeq; ſtatim mihi, qui cunctis diebus vitæ meæ dicto tuo obediens eſſe volo, præcepiſti, ut ejuſdem jam Regis, cujus laudum plena eſt terra, ulteriora acta diligenter tibi deſcriberem, non dubius, quòd hæc Electio Optimi fieri deberet Poloniæ in ſalutem. Redux proinde memor mandati tui, non oblitus obligationum, quas majores tibi debeo, quàm unquam præſtare valeam; imprimis pro affectu tuo immenſas gratias reddo, reddamq; in poſterum ac ſemper, non quas debeo, ſed quas potero; exequor deinde ea, quæ nutus tuus à me deſiderat, de Electione, cùm longiùs abfuiſſem, uti ſcis, quàm ut viſa referre poſſem, curavi omnia ſcire, nec alia ſcribo, quàm quæ vera ſunt. Acta in Vkraina Regis mei admirari potiùs, quàm referre queo, animoſius tamen de ijs ſcribere poſſum, quò exactius diarium Patris Joannis Kwiatkiewicz hominis in Societate JESU digniſſimi videre mihi licuit, ex illoq; plurima decerpere.

Prophaſis hiſtorica. Faſtos igitur in ſolia transfero, ſubeant triumphi, quos jam non clava, ſed ſceptra tulêre. Nam triumphi alios Capitolio, Sobieſcium thro-

no

no invexerunt. At verò par eſt diſtingvi ut tempora, ſic laureas, quarum dignitas creſcit etiam ab auctore, quò hic dignior, & trophæa altiùs eriguntur. Antequam tamen prælia reſumat narratio, prius ſolio Ducem inferet. Appetebat indictus Comitijs dies, quæ ſubrogando in thronum Principi cogebantur. Non enim nobis (ut bene nôſti) naſcuntur Principes, ſed fiunt; & Electio hîc Regum mater, non regnatrices cunæ in purpuram effundunt. Aderat ad Kalendas Majas & Mareſchalcus, Regemq; Patriæ vovebat; incertus, in cujus verticem corona per ſuffragia rueret. Arcebatur à throni calculo per edictum Ordinum natus domi Princeps: recepto jam gentis more, quæ facilius extraneum adorat, quàm inquilinum; in adventitio Principe peregrinum potius colens ingenium, quàm emeritam domi virtutem: ſeu id in generoſam indolem referas, quæ Regibus implere orbem ſatagat; ſeu quòd in Patria ſibi mentis eminentia pares putet, alibiq; imparem quærat. Nec ille tunc ſceptris idoneus, credebatur, qui ſecum in Regiam thorum inferret, antea maritus, quàm Princeps; ſeu hic tacitè quorundam timor Mareſchalcũ excluderet, ſeu viduæ Principi Eleonoræ ſuffragia ſtuderent, quæ emoto fatis Principe legerent, cui cum Eleonora ſimul fortuna Regni nuberet. Quare Carolus Lotharingiæ Princeps ivit per plurium vota, omen purpuræ præter alia ſolio digna etiam cælibatus. Et intererat data ſemel Eleonoræ ſceptra ejus Principis delectu rurſum ſancire, tum ad retinendum in Regno Auguſtæ originis decus, tum ne geminato in Reginas plures impendio ærarium Regni fatiſceret. Flexerant ſeſe certatim in Lotharingum arbitria Procerum cum Interrege Floriano Czartoriſcio Primate Regni, euntibus paſſim ſuffragijs, quo per eadem defluxiſſent prima capita, veluti hic etiam, ut primæ ſphæræ in cœlo circumactæ motus raperet orbes minores. Idem exteris curæ, quà lingvâ, quà manu eligentium arbitrijs moderante, nam etiam manus proficit, ſicubi venale ſit ſuffragium. Datum idem Principibus Matronis negotium, quibus flexanima vis ineſſet, quoquo verſum animos impellendi. Verùm alio verſa Quiritum reliquorum vota; nec thori ratio vocem illis in ſuffragia duxit, ſed Regni periclitantis: fruſtra connubia ſpectari cùm iterũ Oriens armis obſtrepat, in thronũ iret nũc poti⁹ felix belladi uſus roburq; à nervo belli ſolidũ. Meruiſſe quidẽ ſceptra fortunã quæ cunas purpurâ tinxerit, & ſumma ſpondeat, ſed temporum rationem poſcere manũ, quæ per ardua jam famam extulerit. Quare Galliam hæc ſpectabant ſuffragia, & inde Atlantem rebus in ruinam pronis accerſebant. Is fuit Condæus Princeps, quem armorum felicitas, non ſola famæ benevolentia ſuſpiceret. Huic Principatum ſuffragio detulit Mareſchalcus, ac unà confertim Patritius ac Equeſter Ordo. Utrinq; certatum ſtudijs per contraria abreptis, quo & auctoritas & ratio dur. pertrahit, ſuffragijs concordiam ſurripit. Paucis aurum illuſit, & fœdus augendi peculij amor: plures publica exercuêre. Exarſerant utrinque animi prope ad civilis diſſidij facem, parumq; aberat, quin arenam, quæ ſuffragia commiſerat, civilis cruor imbueret. Movit Mareſchalcum itura in domeſticum nefas ſciſſio, quare partium ſtudijs moderari adniſus, novam inijt turbida componendi rationem. Svaſit tranquilla per quandam abrogatæ ultrò ſententiæ injuriam; quod potior eſſet pacis domeſticæ, quàm ſuffragij ſemel deſtinati ratio. Idem animi ſenſus ijs, qui Condæum ſuffragijs coronârant. Hinc communi conſilio decernitur, conveniendam eſſe Reginam, cui periculi, quod utriuſq; partis divortia alerent, admonitæ, prona in rem Prtriæ, vi-

A.C. 1675

Electio Regis indicta

Adeſt & Mareſchalcus Sobieſcius

Pars in Carolum Lotharingiæ Principem

Pars in Condæum ſuffragijs fertur

Concordiæ ſuffragiorũ moderatur Mareſchalcus

A.C.1675 duiq; throni arbitria panderentur. Lecti è ſacro Senatu, qui Reginam adirent, Andreas Trzebicki Cracovienſis Antiſtes, idemq; Dux Severiæ, Stephanus Wydzga Varmienſis Antiſtes, idemq; Præſes Pruſſiæ, Andreas Olſzowski Procancellarius Regni, ac idem Culmenſis Præſul, Stanislaus Sarnowski Præmisliæ, Andreas Ujeyski Kijoviæ, Stanislaus Dąbski Cheſmæ Antiſtites, quâ auctoritate, quâ ſanctimoniâ, & facundiæ ſacræ civiliſq; laude in purpura conſpicui. Hi Principis viduæ petunt atria, & mox in conclavi Regio vota Quiritum & ſua palàm proferunt: ſe utramq; orbitatem, Regni ſcilicet ac Reginæ animis, votiſq; complexos: utrique ne ſuffragiorum diſſidio publica peſſum eant, cautum velle: ac inprimis, ne Procerum, qui votis in Gallias excurrunt, ſententia ſit odij fomes, eam ultrò abrogari, viciſſim tamen depoſci, ut concepta in Lotharingum ſtudia ponantur, aliiſq; in eum pronis eximantur, ſic æquatis utrinq; rebus ceſſatura partium ſtudia, alioquin in odium evaſura, neutrâ parte votorum injuriam ferente. Viduatæ Reginæ fortunam Neoburgicum Principem additurum cælibem utiq; nec refragaturos Regni calculos. Gravius accepta legatio, & quæ primò in formidinem partis Gallicæ deflexa ab alentibus ſpem Lotharingiæ. Regina verò haud ſibi integrum ſubintulit ullius animum in alterutram partem ducere. Pupugit Mareſchalci ſequaces formidinis interpretatio; moxq; in Condæum repetita ſuffragia: firmata eadem, cùm ex Auguſtali Auſtriæ voto nonniſi Lotharingum ſolio inferri poſſe Legatus adſtrueret. Bilem enim excivit oratio, quæ eligendi auferret arbitria, uno tantùm in aleam votorum propoſito. Hæc inter Primas Regni lento dolore calculi extingvitur, cujus authoritas & princeps ſuffragium Lotharingiæ vota provehebat. Suaderi & terroribus cœpta Lotharingi inauguratio, qui extorquent aliquando ſuffragia, etſi libertatem perimant, quippe vulgatum per urbem, trans Iſtulam ſuburbanum fixas in armis copias, quæ Lotharingi Imperium ferro aſſererent. Vana hæc in terriculum jactari credita, & ultra famæ garrulitatem non itura, & mirum erat, ſi contra ſeipſam ſic arma conſcriberet libertas, ſeque perditam vellet. Placuit tamen & in famam arma decernere: & jam ripam fluminis miles inſederat, ſed mox ſubſidit cum evaneſcente fama terror. Tandem dicendo Principi dictus dies, Interregis munere perfungi juſſo (mortuo tunc Primate, & Vladislavienſi Epiſcopatu vacante quibus per leges Patriæ nominatio competit) Craci Præſule Andrea Trzebicki, boni publici ſtudioſiſſimo Duce. Præmiſſa uſitato ritu ad ſuperos ſupplicia, ne res inauſpicatò gereretur; tũ ſeorſim Palatinatus ſinguli de Principe è libertatis genio diſceptârunt. Inter Ruſſiæ Proceres Mareſchalcus, & ibi primum purpuræ omen. Votis præivit omina Stanislaus Jablonowski Palatinus, qui de Lotharingo perhonorificè præfatus, eum tamen à Poloniæ gubernaculis ſententiâ removit. Egit & de Condæo, cui vires, armorumq; gloriam tribuit abſque æmulo hac ætate pari: illum proinde Regni pericula vovere, quæ ex proſpero ferri uſu facile propulſet. Grave capiti onus cum corona illabi, & cui hac tempeſtate Polonia incumbat; ſed Condæum eſſe, qui molem hanc ex æquo ferat, nec alium facile. Non imbelle nomen depoſcit hic Chriſtianæ Reipub. murus. Addidit ſe hodie Divina percepiſſe animo ritè expiato, ut inde plus lucis traheret in conſilia, nec errori pareret, dum throni orbitatem ſuffragio depelleret. Sed errori, inquit, eximor, ſi Condæum Regnis aſſero, errorem fama refelleret, quæ pro illo perorat. Sunt tamen quæ in eo Principe reformidem. Primum eſt, ætas

Neoburgicum Principem ſponſumq; offerunt.

Sed fruſtra omnia redeunt in Condæum ſuffragia.

Indictio Electionis ſecuta

Palatini Ruſſiæ oratio in laudẽ Condæi

Quo tamẽ omiſſo

ætas provectior, & morbidæ obnoxia, quæ à nova auræ temperie damnum insuper passa, potius opem Regni requirat, quàm ferat. Alterum est, alia belli ratio exteris à nostra, quam usus flagitat. Quid jam diversum imperandi genus? quid lingvæ? quid morum nostratium, legumq; capienda primùm peritia, quid meritorum de Patria, quos & adventitius Princeps insciti prætereat, & sæculum penè effluat, dum nomina ediscat? quare ut semel absolvam, domi potius Princeps quærendus; nec alius, puto, meliùs coronam excipiet, quàm Mareschalcus, in quo, quidquid in Principe velis, aut speres, jam virtus posuit, & fortuna. Hic ergo meâ sententiâ Princeps esto. Palatini orationem excepit Maximiliani Fredro Castellani Leopolienſis sententia, viri tum laticlaviâ curuli, tũ datis in lucem publicam ingenij monimentis latè conspicui: hic gravibus nixus argumentis alterum à Palatino suffragium meritis ijsdem detulit. Coronavit eadem pari encomio, calculoque Chelmensis Antistes Stanislaus Dąbski, quibus id vix livor ipse negaverit. At Mareschalcus palàm obniti, & detrectare suffragia, in Condæum ea majore nisu reijcere, quem pridem in animo coronârat. Nihil tamen effecit modestia, quæ se ipsam oppugnat, dum mordicus tuetur. Nam solenni vocabulo, placet, primæ Palatini sententiæ toto Russiæ comitio applausum. Adhuc per exteros alibi vagata suffragia, quæ Regem peregrè adscisceret, cùm eam domi suæ fortunam Russia defigeret. Pervagata interim locum publici consessûs fama, quæ Palatinatum Podlachiæ statim implicuit, nec tenuit se facti gloria, quin latius permanaret, Stephano Czarneccio Notario campi propensæ in eundem Principem voluntatis interprete. Ivit continuò per tredecim Palatinatus eadem votorum concordia, & animi ab exteris domum velut è longa peregrinatione redière. Sed ut repentina gravius percellunt, si præter animi præsagia contingant; Litvaniæ optimates fama hæc aliter affecit. Non displicuit Princeps, sed subita & sine arbitro Ducatu voluntatum mutatio; seu nutantia diu in exteris, momẽto deflexa in contribulem suffragia Ducatu inscio. Igitur primis adhuc insistere, subitis nonnihil obniti visum ex parte Comitium. Poloniæ consensus, arbitria domi fixa, non jam aliò dimoveri passus; imò (ut se sẽ gaudia non cohibent, quin erumpant, & velut magna eluvies in immensum exundent) postulatus Interrex, ut denuntiato Principe, plausus & gaudia in urbem primò, tum in Regnum promoveret. Sub hæc Candidatus graviter interfatus: se nôsse, cui genti Principem vota legant, liberrimæ utiq; , quam libertatis privilegio exuere nolit, nec invitis dominari: quæ citra spem ac meritum sibi contingant, non ultra morẽ velle progredi: cariorem sibi Regno Optimatium Regni libertatem, quæ si non ritè suo fungatur arbitrio, se sceptra abnuere. Ne unico quidem reclamante, inquit, hæc velim capessere, nec fas est, ne dũ numeroso Procerum dissensu; male imperatur recusantibus, pulchrius duxerim parere, quàm nolentibus imperare. Sic datum suffragaturis adhuc, & libertati spatium: sole interim præcipitato, ingenti Purpuratorum & Equestris Ordinis frequentiâ è cãpo, Augustali inductus Palatio novus Princeps. Interregi non vacua metûs vel alieni ominis hæc visa primùm Electio, post eventũ proxima indigenas Principes metuenti, quippe par incommodum jure metuas, si par alicubi error. Sed tamen errâsse suffragia non putârat, quæ subitæ concordiæ prodigium firmavit, & digna solio virtus Principis. Quare potius vertit operam, ut eorum, qui aliò, quàm in Patriæ ci-

A.C. 1675

Regem dicit Joannem Sobieski Mareschalcum Regni

Idem arripit totus Palatinatus

Mox & alij

Opponit se Candidatus Regni

A.C. 1675 vem ferebantur, animos in unum flecteret. Idem Summatibus labor, quibus animorum votorumq; conſenſio partem curarum abſtulit. Eluxit hic opera Palatinorum Cracoviæ, Ruſſiæ, Pomeraniæ; Culmæ, pluriumq;, quos vel ſi faſti taceant, fama loquetur. Eódem operæ, laudiſq; attinet Caſtellani Poſnaniæ & Leopolis; imò & purpura magnorum Antiſtitum, quibus cõmune cum pleriſq; ſtudium flectendæ in domeſticum Principem libertatis. Et feliciter in tam juſta conſpiratum; primuſq; is Principi impenſus amor, ſanè qui è regno parti adverſæ cohæſerant, Regni aſſenſum facilè probârunt ſuo. Nec Litvania repugnavit, Hilarium Polubinium, Irenarcham ſeu Mareſchalcum ſuffragio ſecuta. Nam in Campeſtris Comitij loco (campus enim regali ſcenæ theatrum explicat, ibiq; hæc meſſis coronarum aurea) Vilnenſis Antiſtes Litvanos Proceres à ſententiarum pugna abhorrere teſtatus, nil tamen clam ſeſe decerni velle, & denunciationem Principis in craſtinum referri. Datus is honos Magno Ducatui. Hic poſtridie confertim confluit ad Regiam, & poſt gratulantium officia Regni calculum ſpondet. Itur deinde in locũ, qui è Patrio more Reges dicit, nec abnuit libertas. Ibi veluti repetita Electio, quæ non conſcio Ducatu primùm coaluerat. Præſul Vilnenſis rurſum Regni ſententiam de Principe requirit, ubi dum tota Ordinum corona Mareſchalcum ingeminat Principem, Litvaniæ vota Regni calculis acceſsêre. Tum Interrex per gyrum Comitij circumactus, requiſito iterum & repetito libertatis aſſenſu Mareſchalcum ſolenni ritu Regẽ denuntiat. Poſtquam ſic ſecrevit dignitas, locus eundem à reliquis mox diſcrevit. Alijs duobus Mareſchalcis is incubuit honos, ut eductum è Procerum conſeſſu in medio viſendum ſiſterent. Ibi ante terrenos plauſus præmiſſæ cœlo gratiæ, cujus inſigne in terras benevolentiæ pignus eſt, egregius Princeps. Carmen ergo Divorum Ambroſij & Auguſtini perſonuit, præeunte Craciæ urbis Antiſtite. Subiêre promiſcui applauſus, & inter machinarum tonitrua, feſtivus tubarum clangor. Manarunt è campo in urbem gaudia, & novam animis hilaritatem offudêre. Ea ſpecies tunc urbis, quam triumphus & læta ingerunt. Sanè triumphi ſpeciem dedit inſignior, quæ in urbem intulit Principem pompa Romæ veteris pompas æquatura. Prima hoſpitem accepit Divi Joannis Baſilica, dein Regia: nam primus Orthodoxo Principi in templa è Regali Comitio paſſus, quòd Regni auſpicia ritè à Divinis & grato numinis cultu capiantur. Extra templi oſtia procurrit obvius Româ Legatus Franciſcus Bonviſius, & Legatus Regni Galliarum Tuſſanus de Fourbin Maſſilienſis Antiſtes. Nam Legati Principum (quos etſi eventus præterijt, ſuffragia ſolio deſignârant) nempe Legatus Lotharingi, Neoburgici, ac Mutinenſis Principis, poſtridie Principem venerati. Limen templi occuparat cultu Pontificio ſacroq; comitatu inſtructus Antiſtes Hyacinthus Swięcicki, qui officioſiſſimâ ſalute impertitum DEI regiâ excepit; ubi iterum ſolenne gratiarum carmen ſacro Symphoniacorum adeo perſonante, & repetitus è tormentis fragor. Concentus harmonicos ſacra excepit oratio è loco ſuperiori Adriano Pikarski Soc: JESU, trium Poloniæ Regum continuo Eccleſiaſte, inauguratæ Mti & Patriæ bene ominante. A ſacris itum in officia Principe non indigna. Primò Eleonoram Reginam tunc aliquantum ægro corpore langventem, è Regiæ urbanitatis uſu, ſalute coram ac veneratione impertijt, tum extincti nuper Principis manes veneratus, Principum Auguſtas inter Procerum pompam illuſtrem inijt. Publicis deinceps data opera, quæ Regium pectus curis diſtrinxêre. In ſolennem conſilij locum revocata è campo conſilia, quibus

Interrex cũ Proceribus in votorum concordiam incumbit, Feliciter

Etiam Ducatu Litvaniæ conſentiente.

Mareſchalcus ab Interrege Rex de nuntiatur

Rex in urbem deductus

Continuata Regni conſilia

bus profuit tantus Superûm munere datus in throno arbiter. Placuit tamen nonnullis primo aditu Regni circumſcribere Domum Regiam, & legibus definire Majeſtatem, ſed dum Principem adhuc cum imperij fortuna cunctari, eamq; detrectare intelligunt, illa molimina modeſtia oppreſſit. Ægrè demum & Regni ſupplicantis precibus adactus Regnum accepit, adeoq; primus paruit omnibus in imperio capiendo. Nempe nec Princeps ab obſequio eximitur, primumq; modeſtiæ reluctanti faſtigium indicitur; atq; adeò priùs paret, quàm imperat. Receptum à Principe Electionis diploma, publicis ſignatum literis, quod per Cracovienſem Præſulem adhibitâ loci Religione eidem oblatum. *A. C. 1675*

Nec diu nativas dotes tenuit, quod in magnis mentibus publico ſtudet, natum ad ſumma & Principum curas ingenium; ſed per gaudia ſe ubiq; circumegit. Conſilia publica jam finem acceperant, illi nova curarum primordia Legati ad Chriſtianos Principes dedêre. Inter quos etiam & me deſtinatum fuiſſe ad Regemq; Chriſtianiſſimum cum felicis Electionis denunciatione ſciviſti.

Regem omnia intento.

Regni item tranquilla promovit induſtria; datis tum ad Vezyrum, tum ad Hanum Scythiæ, tum ad Coſaccorum Ducem literis, quibus de ſuo Principatu admonitis molliora ingeſſit. Poſt muniendæ Metropoli Ruſſiæ, alijſq;, per quæ Regno ſuccurreret, privatum ærarium effudit. Turcarum interea Imperator cum immani exercitu Chocimenſes campos repetijt, ubi labem acceperat. Abolere hanc ſtuduit ademptâ Leopoli, cui primum inhiabat, & in prædam fortaſſe urbs iviſſet, niſi alio procellam turbo hic vertiſſet. Fama eſt Hanum ſvaſu Polonis benefico, arma Thracia in Vkrainam hinc avertiſſe; favitq; alibi barbaro violentus furor, qui ſinè freno eſt, dum abeſt, qui eum coërceat, metu. Mohyloviam inprimis formido an vis hoſtium fregit. præſidiô acceptô ſalus loci conſtitit; ibiq; Hohol & Niaſzko deditionis Authores. Serpſit contagio per proxima, & labor armorum abfuit in capiendis: non ignaris exitio arma ſummi in vires immodicas tyranni. Jugum ergo ac præſidiũ Scharogradiam oppreſſit, dein Barium inſeſsũ, Sciana fortius rem geſſit, quàm conſtantiùs; nec virtutis hæc, ſed fortunæ labes; quam enim ſtragem prohibuit virtus, caſus dedit, dum fortuitò pulvis nitrius igne concepto peſtem diffudit. Locus tum ferrũ hoſtile expertus poſteà, tum vincula. Cunicijs (quis calamo fidem non abroget?) forti⁹ vis Orientis rejecta, quàm à loci genio quis ſperet. Riſit barbariem civis, donec aquarum penuria vires demeret; ne tum quidem reſtincto ardore, quem geminus hoſtis accenderet, Turca & ſitis, à primis non abluſerunt ultima, dum illis viſa pulchrior mors in pugna, quàm in pace jugum, adeò animis non copijs conſtant pulchri bellorum exitus, nec armorum vis, ſed uſus gloriam præcerpit. Fœdius deinde cepit Cunicios hoſtis, quàm ſi haud armis tentatos tranſijſſet, loco tantum & infamiâ potitus, cum abeſſet, cui jugum injiceret. Hinc verò vota imbellia Ladizinum traduxit, ubiq; Martis Urbani victima. Pecudem gregem armatum diceres, cædi & hoſtijs deſtinatum. Tribunus Zaporovienſis (Muraſco agnomen) loco præerat, hoſti gravior, quàm ille urbi, traxitq; dies pluſculos continua Orientalium clades. Fraus demum domeſtica nocuit, quæ hoſtem geminat. Fraudis Architectus fuit Aſtamatus Scharogrodi jugo hoſtili antè infamis, inde par labis alienæ ſtudium, quaſi pigeret ſolitariæ. Hic municipes in fœda impulit, ut deditionem loci extorquerent, cùm nondum adigeret vis hoſtilis; nec verò extorquerent apud hoſtem, ut deditos vellet, quos non poſſet, ſed

Turca in Greditur Ukrainam

Capit aliqua municipia

Sciana ſe barbaro opponit.

(*Kunicze*)

Glorioſius quã felicius

Ladizinum hoſtem aterit.

apud

A.C. 1675 apud civem, ut dederet, quos ſervare poterat. Fregit Tribunum metus civium hoſte Superiorem. Dedito id tantùm effecit, ut ferrum parceret; ſed captivitatis injuriam effugit nemo præter Tribunum, in quo cædes barbarica atrocius vindicata. Sævijt vis ſui impotens, & in mapalia mox incendio corrupta, quaſi fœdam ſuorum labem aboleret urbium favilla, vel ſaxorum ruina. Placuit jam in grandioribus vires atterere, nec munitionis vires obſtabant poſt Camenecum: veluti omnium fatum ſit unius urbis infortunium. Humanium urbem arte & præſidio penè ſecuram ſuo furori deſtinat Aſiæ Tyrannus, quò etiam è barbaris millenos decades præmittit; vim imperans, ſi obſidio non vincat. Nec obſidium, nec furor terruit, ſed Dux deerat, ſine quo tamen urbis armatæ vires haud otio torpuêre, quin barbari nece liberalius arma imbuiſſent. Clades barbariem efferavit, quæ dum atrocius labem vindicat, urbis animi concidêre. Obfuit hoſti ſupplicem fuiſſe, ne fidem facile, aut lene aliquid ab immanitate ſperes. Vezyro ſupplices civitas miſit, ſed hi detenti interim, nec auditi, donec furor triumphum caneret, deditione, quam illi ſupplices ferebant, contemptâ. Semel iterumq; urbs aſſultu impetita, vi capitur; & ſtatim excidium ivit per omnia: ætas provectior immanitati ferri ſuccubuit, tenerior implevit vincula. Eluxit tamen & in ultimis virtus, quæ fractis demum rebus eſt violentior. Nam plura agreſtium millia, quibus auxerat vires, deſperatio vel horror tyrannidis, dum caſtra hoſtium majore audaciâ, quàm viribus prætervolant, virtutis adminiculo exitum reperiunt, per ſylvarum obvia demum ſecuri. Sub Humanij fata Moſci cum Coſaccis (ingens exercitus, quippe ter centum ferè millia in armis) trajecto Boryſthene Circaſſienſis propugnaculi viciniam caſtris operiunt. Pavolociæ primò inhiabant, miſſaque illuc ultra ter dona millia bellatorum, qui moræ inutilis pretium, cladem acceperunt, cum ea rejecti à Doroſzenci copijs. Sic illis primo etiam occurſu fortuna obliquior, quæ mox ludibrium repetijt, quippe dum Czechrino (non facilè ceſſuræ urbi) eductis ſuper aggerem vallis impendent, per occultos meatus Doroſzenko cum ſuis emicante, necem & vincula obſidionis præmium obtulêre. Neci acceſſit tumultuaria trans Boryſthenem fuga, qui plures gurgite abreptos hauſit, tormenta etiam metus abjecit documento: rarò bella ſtrenuè geri, cùm plus recenſent corporum, quàm animorum.

Humanium munitã urbem oppugnat Vezyrus & obtinet

Moſchi infelicius rem in Ukraina gerunt.

Neque noſtris diu permiſſa quies: reſpiria vetabat bellandi neceſſitas, jamq; ſparſas per ſtativa vires ſub Buſco collegerat Palatinus Ruſſiæ edicto Principis. Moſcus efflictim ad arma ſocia tractus: ab Hano per Signiferum Czerniechoviæ fides promiſſi requiſita, quo paci Polonum inter & Thraciam ſanciendæ, operam ultrò deſponderat. Porrò fama adventantis in caſtra Regis perculit Turcarum Imperatorem, eâque veluti telo ictus Valachiam repetijt, inde ſita ultra Danubium; palamque conſtitit, tamdiu ferocire barbariem, donec Heròém ſentiat, qui lymphaticum furorem armis vel Majeſtate compeſcat. Baſſas tamen Tyrann⁹ transfuga reliquit, qui non antè per ejus veſtigia, Daciæ ulteriora reviſerent, quàm Cameneco annoſam Valachia intuliſſet. Etiam Hano Scythico pacandæ Poloniæ ſpatium eripuit timor, qui eundem in Daciæ remotiora abegit præcipitem, poſt cum ſignifero noſtro Crimenſis ditio recepit. Traxit gloriæ amor Litvaniæ vires, quæ Regias ſecutæ. Fama quæ de adventantibus prævolârat, Regem poſt armorum conſilia in vicina Trebowlæ promovit. Huc delatus Palatino Ruſſiæ in reſides Baſſas arma committit: at illis geſti negotij felicitas moram hic vetuit, quã annonæ

Noſtra copia colligitur

annonæ danda ſecuritas tantùm indixerat. Nec tamen otio virtutem corrupit miles, ſed Cameneco erumpentes manipulos ſternere, auſumq; mulctare vinculis, aut in urbis oſtia fugam proſequi auſus, fortium encomia tulit. Etiam ex urbe prolicuit loricatos Aſiæ mures, quos vix ultra promovit timor, quàm quò tormenta urbis auxiliaria poſſent pertingere, & periculum ab illis amoliri. Sed tamen Polonus etiam ictus machinarum volatu proſperrimo prævertere, cædibus per obvios ferri, terrore ſui mœnia complere. *A.C.* 1675

Rex Ukrainæ recipiendæ hyemem deſtinat.

Ardorem Commilitonum, qui penè brumæ illi nomen ademerat, incendit Majeſtas Principis ſollicita, ne ex quorundam imbelli more, arduorum imperia à factis ſecerneret. Et verò mollia ſibi abrogat, quiſquis egregijs inſtat. In Ukrainæ vindicias, & non unum barbari vulnus non molli per hyemem Marte incubuimus. Hic primò in Scythas nos impulit, quos prope Barum fama fixerat; ſed fama tantùm, luſitq; vota Nuntius, in Valachiam regreſſos incerto auctore afferens, quare in adimendum urbibus jugum verſa ſtudia. Prima, quæ Principem adoravit civitas, Barum fuit, expreſſit reverentiam virtus, quam clades Urbani præſidij teſtata. Non diu militem noſtrum urbs portis inhibuit, tanti conſtitit, primo congreſſu Scythas loci præſidiarios confeciſſe? facilis per cæſorum acervos aditus fuit. Civitas & munitione & origine ſuperbit, quam à Regina cognomento Bona deducit. Nomini crevit nobilitas ab Apuliæ cognomine civitate ſuæ Principi quondam jure hæreditatis obnoxia. Turca, ne altius allata recolam, Alexandrum Kryczynium Scytham Præſidem impoſuerat; ſed mors depoſuit, filio in faſces ur.is, mox in Baſſæ Camenecenſis vincula eunte, eiq; Huſſeim Moravio Scythâ in Præfecturam ſubeunte. Præſidium loci è Janizzaris, & aliquot Scytharum millibus, crebris incurſibus viciniæ infeſtè triſte mangoniũ Cameneci de captis exercebant. Nec urbem cepiſſe totus victoribus labor, robur arcis ſuperat, ubi reliqua poſt primam ſtragem manus. Requiſita imprimis arcis deditio: negata obſidionem extorſit, & machinarum iras, quæ illam arietârunt pertinacius. Non paucos & fiſtulæ igniariæ è muri pinnaculis dejecêre, lentiusq; reſponderunt hoſtiles tubi, paucis fatales. Aſſultus jam imminebat; & ante hunc primus in arcem irrupit metus. Huc acceſſerunt diviſa præſidiariorum ſtudia, quæ egregios etiam conatus labefactant: alijs in loci tutelam & ultima pronis; alijs in lenia, eoque ſecura. Huſſeim Marovium ea maximè angebat cura, quòd eſſent, qui Polonis ſtuderent, quare vicit illum cum alijs formido, ac deditionis conſilium injecit, ad quam die B. Stanislai Koſtka cultibus conſecrato, arbitri à Rege poſtulati. At non è Principis Majeſtate viſum, cũ ijs de honoraria deditione paciſci, quam arma darent: potius ſua lenitati victoris committerent, miſsâ deditionis ſolennitate, alioquin atrocia experturi. Saniori menti ſpatium tribus definiri horis, quibus non jam deditionis optio ſed excidium pertinaciæ ſuccedat. Fregit oratio fluctuantes, & Regis clementiæ omnia permiſit. Miſſi, qui arcem cum omni bellandi apparatu repeterent. Moravius & Turcæ in cuſtodiam dati Scythæ, ut qui jam huc coloniam pridem deduxerant, fidem Principi jurejurando aſſerere juſſi, ſuamq; ad arma operam: firmandæ jurisjurandi religioni obſides poſtulati, liberi & conjuges, quibus ſecurè Kobrinum, Tykocinum, Ratuumq; deducendis aliquot vexilla adhibita. Arcis cura in Dapiferum Podoliæ Gabrielem Zaklika devoluta. Sic Barum in Regias partes redijt: mox & Mohilovia; quod ut contigerit; operæ pretiũ eſt, referre. Michaëlem Rzewuſcium Notarium oræ Leopolienſis illuc præmi-

Barum capit

Mox & arcem Barenſem

Capit & Mohiloviam

A.C. 1675 præmiſimus, virum omnino induſtrium, & cui eventa felicis induſtriæ fidem adſtruant. Hic Hoholum ſitæ cis Tyram ditioni ac Mohiloviæ cum munere impoſitum tentare alloquiô cœpit, & in Regis obſequium evaluit oratio, atq; illico (quæ fandi felicitas fuit) ſecuta animorum fœdera, primuſq; is felicis lingvæ triumphus fuit. Scythicus ibi Dynaſta quindecim equitum ſatellitio tutus, Sultano Adzigereio conſeatui opportuna corrogabat, hic primus Hoholianæ fidei teſſera fuit. Vinctum & Comites coram Regis pedibus affudit, ſeſe cum militiæ Veteranis Regni obſequio addicens. Altera fidei teſſera Mohilovia fuit, quam ereptam barbaro reſtituit nativo Principi, & præſidium urbs cum Michàéle Rzewuſcio, qui eam lingvâ ceperat, accepit. Vel hinc tandem meruit lingva numerari inter arma, cui ſoli cederent muri, &, qui faxis quandoq; duriores, animi. Et iviſſent jam ſolidius rerum proſpera, ſi cœptis conſtantiam, nec ſe ipſam gloriæ magnitudo invidiſſet, parte copiarum caſtris ſubitò ſubmotâ. Multis laboratum, ne vires cauſa diſtraheret, neque cœpta id pati, quorum gloria in ſummum duci facile queat: pœne jã in manu eſſe, quæ raptô hoſtis invaſerat, ſi vires nulla convellat diminutio: moræ modicum depoſci, quæ Sultanum obruat, qui tres leucas à nobis, ſed propior eſſet exitio: ſi abire fixum eſſet, victor abiret miles, & novâ decorus laureâ, relictas copias nihil à victoria, quam animo præcepiſſent, abſtinere, quàm vires amicas, quas triumphi exſortes eſſe nolint. Facilius hæc jactata, quàm felicius, & fruſtra eſt omne in verbis pondus, quoties alia mentem tranſverſim flexêre, ut nec minæ proficiunt, dum timor abeſt; abeſt autem, ubi graviora mineris, quàm præſtes, tunc minis plurimum momenti habituris, cùm non timent ipſæ, ne, non eveniant. Non tamen ea rerum ſeries cœptis obſtitit, quò minus Ukrainam Princeps, actis, armiſq; palmaribus peragraret. Non enim ingentes animas ab incepto avocant, quæ ſe pulcherrimis offendiculo interponunt. Jamque Peczarenſi municipio inſtabat, cùm fluere omnia præter votum. Civitas nondum ab armis periculum inierat & jam in obſequiũ ruere, occurrere ultrò Principi. Panẽ in munera tulit deditio, primumq; è Cerere tributum: ad hæc deditionem condivit veneratio quâ Cælites, non terreſtrem militiam acceptos, cultoſq; velis. Nempè ſanctioris pompæ ſpeciem occurſus incolarum præbuit, ſacra græci ritus vexilla ante Flamines ſeu Roxolani Orientis Sacrificos præferentium. Probata Principi fides, & proni animi; ſatiſq; fuit, ut ſub municipio Principũ, jugiq; amante gravior figeretur armatura, cùm eques in Sultanum ultra dena ſuorum millia numero progreſſum properaret. Hic nova iterum virtutis comes & pediſequa fortium fortuna. Hypanim natatu traijcere parante cum copijs Rege, Bratslaviæ primores haud ferro, molliuſq; tentati, obſequium amplexi. Fidem loci teſtatæ claves, quibus oblatis etiam animorum paterent arcana. Sic progreſſa per gradus felicitas, quæ poſt panem deditiias claves obtulit, quibus victori recluderentur omnia, non penu tantùm eſcarum, Abfuit mora dum (ut ſæpe ſucceſſus ex ſucceſſibus ſeruntur, & lætiorib⁹ gradum læta præſtruunt) etiam Nimirovia minis & blanditijs adhuc intacta promptis in Principẽ ferretur animis. Calcar in obſequium fuit Bratslaviæ exemplum, ſed inprimis Scytharum metus, qui in gyrum eos cingerent velut domeſticum ac familiare malum, ut nempe incommoda ſæpe ſanam reſtituunt mentem, quam proſpera, furorq; abſtulerat. Sub Nimiroviam illatus Princeps, graviorem Martem, partemq; peditatûs à Peczaris accerſit; nocte id imperium, factumq; definiens. Scy-

(*Salmaza Murza*)

Urget Rex deſtinata glorioſè

Dedunt ſe ultrò municipia

thæ

thæ ibi terroribus ac populandi licentiâ omnia complebant; hanc frenare armis libuit. Vindicârunt facinus imissæ palabundis copiæ, quod liberalis cædes eluit, & depulit ultor terroris terror! plerisq; insuper fugam vetabant vincula. Supererat Sultanus, quem arvis Ploscensibus illatum certa vulgaverant. Sequi placuit hostem instructâ acie, sed jam fugitivum; eò quòd fugati ad Nimiroviam animis metum infuderint & fugæ consilia. id illi audivisse, vinci fuit. fuisse illum inibi incendia loquebantur, quæ fæni metis illic congestis injecerat. Fuga jactæ supellectilis impendio captata, nec ordinem tenuit; ut rarius solet, cùm rationem prævertit timor, quippe confusis ordinibus arrepta via, & secuturis abjecti in moram arcus ac ephippia vias instravêre. Non morata sequaces copias præda obvia, nisi quod pernicior adhuc fuerit Sultani timor, quem territis fugâ municipijs, peregre perduxit. Sic solis tunc equorum pedibus ivimus in triumphos, at non gratuitus sequentium labor fuit, cùm quæ fuga hostilis perculit municipia, nostrorum accessus subigeret, valuitq; primò ingestus timor, ne deditionem timeret. Sic Ilnicios sic proxima cepimus. Kalnikum adhuc civitas jugum noluit; nec quod munimentum, ac præsidia animos obfirmarant, timuit. In fidem Principi obnoxiam primò trahebatur, illicium fuit, oblatæ pacis aut necis Nuntius, prout se rebellium vota flexissent. Alexandro Urbanovicio tunc urbana legio parebat. Fatum id urbis fuit, quæ tot annis per bella effluentibus sui juris retinens, suis armis intrepida servitutem effugerat; nec Polono per obsequium, nec Moscho per jugum obnoxia. Præsidi armorum sat animæ virorumq; ad provehendam ultrò libertatem; sed eventa mentem turbaverant, quæ inopino exitu illam auferunt; & pulsus per devia Scythes, sparsæ illic etiam suæ formidinis famâ, periculi admonuit pertinaciam. Recens id timoris exemplum valuit apud fontes animas; adeoque municipes, si Præses armis libertatem loci cõmitteret, vincula minati, quibus oppressum Principi cum urbe traderent. Geminatus Alexandro timor arma excussit. Ad castra igitur Regia iter & animum vertit, quo simul Principes Urbis ac Præsidij supplices secum infert. Pallor subitus, qui vultum illi infecerat, metus ad Majestatem auctius oborti fuerat index, sed illum comitas & clementia Mti temperata, & quæ novit parcere subjectis, absterfit. Fides tantùm religione firmanda fuit; idq; ab illis requisitũ, ac indito nostri militis præsidio præstitum in Ducis Demetrij tentorio: præsidiaria manus antè illos præmissa è sclopetario equitatu cum Joanne Denemarck. Datum aliud lenitatis regiæ & prudentiæ argumentum. Nam Denemarckio ducentis aureis in militis usum oblatis, ansa vexandæ civitatis ablata. Exactum postridie à civitate verbis ritè conceptis jusjurandum & à sacrificulis, quod Culmensis Palatinus excepit. Hæc ante Sobum amnem Regalis gloriæ fastis accessêre: ultra amnem par felicitas, & dedentium sese prona studia. Adhuc tamen Scytha in victoriæ votis Principi, jamq; instructis in aciem signis ivimus, ubi formido hostem abdiderat. Capta latentis vestigia, quod in nostros vernulas equis pabula scrutatos è latibulis eruperit, illis aliquandiu gravis, sed nec exploratorum sagacitas, nec acies famæ vestigium secuta, hostem arenæ impulit, metu furorem coercente, quem in vernas effuderat. Per hyberna dein dispertitus miles. Kalnici cataphractus, loricatusq; cum Michaéle Kozubscio Satrapa Horodelienſi fixit stativa: Palatinum Russiæ Staviscij accepêre. Palatinos Kijoviæ & Siradiæ Fausto-

A.C. 1675

Scythæ cædantur Nimirovienſibus graves

Sultanus fugatur famâ regij exercitûs

Kalnikum timor subigit Regi

Comiter acceptus Præfes Kalnicen sis

Regis in urbem benignitas

Hyberna novi militis in Ukraina

via &

A.C. 1675 via & circumiacens ditio: Ducem Radzivilium cum Litvaniæ copijs Podleſſia & Coroſteſum venerata: Ducem Demetrium Nimirovia: Præfectos excubiarum Barſadiæ adjacens vicinia. Regi Bratslavia viſa commodior, unde velut è ſpecula tum Valachiæ, tum Ukrainæ ſolers animus intenderet copijs cis Tyram & Hypanim amnes diſpoſitis.

Raxovia à Michaële Rzewuſcio capitur

Idem dies, qui Commilitonem in hyberna emoverat, Turcam Raſcoviâ expulit. Achmet Baſſa præerat, bis mille præſidiarijs fretus. Placuit jugo locum eximere, atq; è mente Principis, re cum Hohol collatâ, Michaëli Rzevuſcio ea cura inſedit. Nox pulchro facinori deligitur, ut ſomnus etiam, non arma duntaxat ſecuros opprimant, nec enim poſt

Cæſis ibi Turcis Græciæ bella & Ulyſſem doli jam in bellis pudet, pigetq;. Quæſito per arma aditu, urbi illabitur noſter miles, ejuſq; intima in arenam vertit. Excuſſit quietem pavor, & barbaros repentè armavit; ſed cædes fœdavit omnia, quæ demum cæſis, nexisq; hoſtibus urbem cum arce Mar-

Achmet Baſſa pulſo te induſtrio ademit. Coronidem conflictui adjecit fuga Achmet Baſſæ trans Tyram; fuitq; is ſaltem Nuntius ſtragis damnique.

Doroſzenko flectit animum in obſequia Regis. Mox fluctuat

At dum proſpera Polonam militiam latè per Ukrainam provehunt, Doroſzenci animam debilitârunt. Movit hominem Sultani fuga, nec tot copijs ſecura: movit & noſtratium armorum felicitas, quæ non per mollia bellicam laudem prenſaret. Atq;, ut ſanam mentem ſæpe revocat timor & Majeſtas, jam cum veteranis rebellium copijs Principi obſequium parabat; ſed mox fluctuare animus rebellis cœpit. Ne tamen nil ageret exercitum dolis ingenium, Principis animum per-

Aliud literis præferens tentavit. Diſſimulârunt dolum literæ, quæ negato Majeſtati occurſui, & necdum impenſæ coràm venerationi, ſtylo ſupplice veniam flagitarunt, eædem pollicitæ, quidquid omiſſum obſequij è veſtigio præſtare, modò Zaporoviæ militiæ vota diſſenſu Princeps non abroget. Exſtant literæ, quas in ſpeciem tantùm dolus, & ſinceris obliqua ſcripſit ſimulatio, quæ officijs verborum intenta, non animo, ſed manu in pagina loquitur, & in animi indicijs mendacia amat. Dum enim hæc in aucúpia gratiarum & obſequij omen iret, perſonam dolo ademerunt

Aliud tacitis cum Turcis machinamentis molimina, quibus portam pulſabat Ottomanicam, barbarico Marte, quoad liceret, Regem, ejuſque exercitum oppreſſurus. Hæc molientem, datæ ad Hanum & Vezirum literæ doli ac perduellionis convicerunt. Fucum in promiſſa fide Rex agnoverat; ſed notitiam proferre nondum libuit, ne Ukrainæ pacem id vel ſperata obſequia interverteret.

Mittitur ad illum Stanislaus Morſztyn & Josephus Szumlanski Quin etiam legationis honos impenſus rebellium Duci, datumq; id negotij Stanislao Morſztyn Subdapifero Chelmenſi, & Joſepho Szumlanſcio Græci ritûs Antiſtiti, cujus par ſchiſmatis religio Doroſzenci animum obſtringeret. Geminum legationi argumentum propenſam Principis voluntatem in Zaporovios teſtari. Item, quid à Principe ac Regno ſibi præſtitum velint, exquirere. Traxit, luſitq; tempus legatio, &

Doroſzenci impoſtura nova rurſum aperta fraudibus arena. Doroſzenkus earum faber & auctor, qui cum perſonatæ in Polonum benevolentiæ fidem aucupatur, figmenta in aucupium trahit. Nam periculo, fidus ſcilicet admonitor, præcavit, quòd à numero virtuti ingrueret, id eſt ab immenſis Nuradini Sultani copijs rei Polonæ, quod quidem commentum ſparſerat eximendæ armis Sarmaticis Ukrainæ, pellendoq; à ſe illorum metui. Sed commenta noverat Rex à veris diſcernere, imò ſi fides Nuntio conſtaret major gloriæ hinc ineundæ ſitis Principis acceſſit animum, cui

(Adzi Gevey) anſa eſt gloriæ, quod alijs cladium eſſet. Prius tamen alius minor Sultanus ab Ukrainæ finibus exigendus videbatur, quare maturando facinori

cinori arma è ſtativis evocantur ad Regem. Etiam hîc ſuam rem periculo ſubrui Doroſzenkus noverat, hinc iterum ad ſolennes metui, & congruas dolis hyperbolas. Vires Sultani attollere, Regijs Legatis idem per arcani ſpeciem committere, auctoritatem fraudi quærere: cautum velle Principi, quem objici ruinæ præſagijs non ſineret. Triumphavit hic etiam dolus, errorque in rei evidentiam verſus, Legatis arcana per literas ceu timenda pandentibus, fidem extorſit Nuntiorum auctoritas, & Tribunorum ſententia evicit, nec Principem nec exhauſtum brumâ militem aleæ per exiles vires dubiæ proponendum. Sic quæſitum fraudis patrocinium ſucceſſit Doroſzenko, novamq; Polono ſubduxit gloriam, quam facile Sultani excidio collegiſſet. Redijt Rex Bratslaviam, quo etiam Stanislaum Morſztyn obita apud Doroſzenkum legatio promovit. Hæc qua ſeriè, quibus rebellium votis producta, edocuit Legat⁹, pacem & obſequium per fœda ſtatui velle, & quorum jactura obſequio potior: non alio jugum præmio ſponderi, quàm quo labem nominis inire quis velit: pactis Hadziacenſibus inſiſti, quæ nec periculum rurſus perſvaſerit, ne dum ſancire immune periculi tempus. Porrò ut fidē ab eventu aliquam dicta caperent, Græcum Antiſtitem ad ſe cum Morſztynio Legatum tamdiu Zaporovius tenuit, donec Nuradinum Ukraina cum exhauſto milite accepiſſet. Verùm nec Antiſtes ille alia tulit, niſi quod improbitatem vota auxerint, ſui per illicita augmento. Certa hæc alieni à pace animi fuit teſſera, cui nemo ſtudet, qui partis detrimenta in eam conferre ſatagit; hoc ipſo pacem peroſus, quod eam per illa exigat, quæ nemo ſperet. Fraus tamen nova ſub fraude latuit, quâ ſuos etiam implicuit Dux rebellium, eo namq; ipſo neglectæ pacis invidiam à ſe amoliri viſus, quod jam obtentui haberet, ſe amicitiæ Polonorum ſtuduiſſe, qui tamen Zaporoviæ militiæ vota diſſenſu prætereant. Ingenium hominis adhuc credulis in operto, quare proferri certô indicio fraus debuit, ne ſcelere frueretur, ac per abdita diu falleret. Atque huc ſpectare viſus, cum pleraque eorum, per quæ rebelles vota traduxerant, Rex citra repulſæ dedecus appromitteret: aliqua tamen ſecum haud ſatis cohærere, quædam ad delegandorum Procerum arbitria, quædam ad Comitium Zaporovienſe, rejicienda indicaret. Quæ tamen Principis facilitas nondum ſuis pervicaciam dolis exarmavit, etſi fucum latebrâ exutum aperuerit.

A C. 1675

Apacis & obſequio alienus

Sed arma iterum felicia reſumo. Anni ineuntis auſpicia Scytharum dedecore conſecravimus, qui Czechinum inter & Staviſcium ſparſi, infeſtis excurſibus noſtrorum arma provocârunt. Et pœnituit audaciæ, quam ubique damna mulctârunt. Ad Zorniſcios Alexandro Polanovio jugulum dedêre, dum in eos cataphractâ cohorte procurrit, plurimos arena conſumpſit, reliquos diſtraxit metus. Sed pavidos longius removit inſequentium terror, viam profugis cruentans, & captivæ plebis examina Patriæ reſtituens. Alterum in eos alibi fulmen Dux Demetrius, hic iterũ, iterũq; (repetitis enim fortunæ vicibus crevêre animi) ad Nimiroviã illos triumphalibus ſemper copijs attrivit. Nec Palatini Ruſſiæ man⁹ à pari gloria vacavit, & feriari haud permiſit ruens in ſui exitiũ ĩmanitas, undiq; vel Scytharũ agmina iras extorſêre, vel Coſacorũ: clauſũ inermib⁹ in pabula iter, graſſante licentiâ, non diu tamẽ impuni, & ferro tandẽ domitâ. Sed fixam Raſcoviæ militiã longior in laudem provexit labor, quem ſuis pœne malis repullulans furor Urumbeti depoſcit. Sub hoc altera trans Tyram ripa gemuit gemino Murzâ Occas & Adil adgubernante. Raſcovia crebrius laceſſita, ſed nunquam impunè; cædibus

Scytharum cædes multiplex ſub anni 1675 auſpicia.

A.C. 1675 dibus ſemper in auſum repetitis, & Murzæ filio in funus icto: neq; à mutuis incurſibus ceſſatum, donec pulſas immanes copias ſecuritatis amor Techinum impuliſſet. Adeò hoſti nihil quandoq; infeſtiùs, quàm ſuus furor, qui dum adverſas vires in campum prolicit, ſuorum funera & clades metit. Ad Nuradinum jam tranſibit calamus & hiſtoria.

Nuradinus Sultanus Ukrainâ aggreditur

Ukrainam tandem attigit exhauſto milite, & contrà quàm præſagiit viciniæ timor, exili, quater mille Tartari comitatum compleverant. Terrorem fundere primâ, quæ valida eſt, famâ conatus, proximas Excubitoris copias invaſit. Sed nec famâ potitus, nec victoriâ, & in exercitas victoriis vires inciderat, quæ cæſis etiam parentare illum haud permiſerint. A numero dein virtutem mutuaturus, Sultano alteri (Adzigereio) ſuas vires innectit Czechrinum cum reliquiis regreſſus; ſuô pares eruditurus malô, quibus famâ pugnare non congruit, cùm & manu neſciant abſq; certo armorum dedecore. At Michaëlis Rzewuſcij nomen aliò terrorē intulit. Hohol gloriæ comes, cum quo dum è Valachia commeatum petit, manipulares Scythiæ turmas ſæpius excutit, earumq; cædibus annona illi conſtitit. Nec Daciæ parſum, dum Botuſchaniis (municipio id nomen) hoſtilem in modum agit: ultus injuriam cædibus & favillâ: capto etenim per aſſultum loco, Præſidiarios ferrum, civitatem edomuit ignis, arſitq; Sonticis flammis odiū, quod in nos exarſerat. Non antea tamen in favillam, quàm in prædam abiit, metuſq; per vicina Jaſſios pervenit. Rurſus tunc alia in Scythas procella. Scythicus Dynaſta (Kaſſy Murza) ſeptingentos in comitatum, prædaſq; traxerat; ſecurior, dum ſolus ageret, nec palabundo vires metus corrumperet. Juvit Signifero Regni indicâſſe, hic Pavolociam prægreſſus, hoſtem illic advenam circumvenire laborat, adhibitô ad victoriæ vota ingeniô, cui etiam arma cedunt. Ibi Arx à Stephano Czarneccio quondam munita, in cujus præſidium ars & natura incubuit, munimen hoſti præbuit; & inſuper tria millia ſtipendiarij peditatûs Doroſzenciani vires auxerant. Propior Urbi Polonus Signifer, vallem in doli conſcientiam admittit, ubi partem copiarum recondit, parandis ex abdito inſidiis: eaſdem auxit oppoſitum latus, inductâ viribus pari latebrâ. Nec enim Ulyſſem non amant fortia, quem Diomedi manu ſtrenuo Græcia illigârat. Dolus ab auſu cepit initium, cùm lecti infra centum equites ſub urbis aſpectum equorum pernicitate deferuntur, eô conſilio, ut hoſtem extra eliciant, paucitate nihil exterritum. Favit aſtui felicitas, votis obſecuta, in noſtrum equitem Scythas, Coſacoſque urbs effudit, nec dolum, nec paucitatem ſubveritos. Noſtri adjiciunt dolo ſpeciem fugæ, quæ ſequaces in occulta virium exitu diſſimulato duceret. Sic enim fuga etiam eruditur ad triumphos, & viam laureæ præſternit. Jam vallem aſtu gravidam curſus Urbanorum attigerat, cùm inſidias campus effudit. hinc pavor ſubitus & atrox pugna, primo congreſſu præter plurium funera, Murza ille cum filio ſternitur: à fuga reliqui conſilium vitæ capiunt. Sed dum civitas in aſylum vitæ quæritur, fugæ felicitas adempta, Ductore Sulimirſcio, quem novæ lateris inſidiæ detexêre. Aucta profugis conſternatio, & nova cædes, quæ vix Scythas ſexaginta civitati à fuga reddidit. Pulcher aſtus, pulchrior ſucceſſus!

Rzewuski Tartaris infeſtus

Eosdem ad Pavolociam cadit Regni Signifer

Nicolaj Sielawski

Pavolocia cōmittitur Duci Michaeli Radzivil Procancellario M. D. Lit.

Adhuc Pavolocia poſt cæſos ſupererat, jugi impatiens, & viciniæ infeſta. Vitandam Rex ſtatuit, reiq; gloriam commiſit Duci Radzivilio, cujus copiæ auctæ Sieniavianis & Pototianis. Primum tamen in urbem telum ab auro fuit, & haſtis, quibus etiam pugnavit in Græcia Philip-

Philippus cognomento Major, argenteis. quippe argento empta à Co- *A.C.1675*
ſacis quibuſdam obſequia, in urbis capita auro ſollicitanda, quod vincit facile, ubi venales animi. Verùm, eſt, ubi tela argentea non feriunt, *Ille vi auro agit.*
nec venali Marte proficitur, adeoq; eſt, ubi melius auro ferrum, ac Mars apertior. Nec alius hic vicit, pulchriuſq; id, dum virtute conſtat gloria. Ductus in urbis proxima miles, cui prima ſtatim extra vallum velitatio. Sat fuit ex fortium uſu proluſiſſe; alter dies aſſultûs, & vi- *Tum ferro & igne*
ctoriæ fuit, præmiſſis, qui terrorem obſidij augent, ab igne Martiali fragoribus, globiſq; ignem & fata fundentibus. Erupêre Coſaci, ſed Peditatus audaciam rejecit; tamdiu tamen pro aditu urbis depugnatum, donec expugnata valli portarumq; pertinacia virtuti cederet. Hæc ur- *Capit urbē*
bem aperuit, & infudit copias triumphales. Laudem pluribus præcerpſit Kmicicz Caſtrorum Præfectus & Haraburda è Litvanis; Dapifer Poſnanienſis Nicolaus Tomicki è Polonis, quorum vi cum ſocia manu urbana vis oppreſſa. Grando plumbea procellam creaverat, quâ aditum vetaret; ſed inter hanc, vallorum ardua ridem civibus rupêre, admiſſis copiis, quæ inter civium funera jugum intulêre. Diutius in *Arcem oppugnat*
arce capienda deſudatum. Hanc decem ſclopetariorum millia firmaverant; ingens etiam citra valli, turriumq; vires munimentum. Obſtinârunt animos juratæ in ultima voces. Ferrum prius recipiendum, quàm jugum; etſi paulò poſt pejeravit timor, qui decori ac dejurii oblivia periculo inducit. Inſtabat operi, gloriæq; Princeps Radzivilius, primò per obliquiores foſſas Martem induſtrium attollens, arcis vallo militem infudit; vallumq; pro arena fuit; Coſacis cominus pugnam ingreſſis, & Radzivilianos retro agentibus. Non imbelles arx vires oppoſuit, niſi quòd hæ meliores æmulos nactæ, didicerint certa pertinaciæ damna. Portam arcis jam ignis corruperat, & ſubterraneo meatu ac fomite ibat in obſeſſos exitium, nondum tamen illis excuſſa obſtinatio. Blandius hanc oppugnare ſtatuit Regia lenitas, quæ eò robuſtiùs ſubinde agit, quò molliùs. Aliquot manumiſſos è peditatu cum Pavolocenſi captivos, veſtit liberalius, ditatq; gaza Principis, ſimulq; beneficio libertatem adimit, ne tergiverſari liceat, ſi quid à libertis exigeret. Nec magna exiguntur, dum ad ſuos cives alloquium imperatur. His literæ creduntur Pavolociam ferendæ. Aliæ cives in univerſum, Coſacos & Scythas aliæ concernebant. Utriſq; favor & clemen- *Litera Regie ad obſeſſos*
tia ſpondebatur, interpoſitâ fide Regiâ, niſi protervia vetaret. Permiſſa item cuique libertas quo ad partium ſtudia, & quoquò libuerit, migrandi. Perlatæ in urbem literæ Duci Radzivilio redduntur, dein iiſdem latoribus in argumento, cui tanta incluſa lenitas, & Principis moderatio: ſed exarſit in Tabellarios ira, ægreq; manus tenuit, ne auri- *Ægrè accepta*
bus quidem Nuntium dignata; imò procacius illud ex recutitorum ſententia oggerens: ſe Regis obſequia in Cæſarem tranſtuliſſe. Sub hæc leniora, gravius Ducis imperio machinæ fulminabant, nec ſphæris incendiariis ſubitâ peſte prægnantibus ulla quies; anteà lenitate, jam & juſto in pertinaciam furore ſtrenuè ſuis partibus defugente. Terruêre obſeſſos tot tonitrua, & tædium aures fatali ſonitu læſas invaſit; hinc proxima deditioni obſeſſorum diſſenſio. Proniùs in mortem, quàm in deditionis vocabulum aliqui agebantur; aliis audaciæ tuta præhabentibus. Inter votorm diffidia crevit numerus turbida pertæſorum; qui etiam evicit, aurem regali Nuntio literisq; dandam. Nempe tamdiu hanc Regi negârat loci fiducia, & ſperata ab Hano auxilia (qui jam Ukrainam ingreſſus, ad Czechrynum reſpirabat) donec & aures obtunderet

A.C. 1675 Martialis ignium fatalium terror, & succursus non adest. Lectæ literæ, quibus Nuntij pondus à Principis encomio addiderunt. Nihil eò comius asserebant, qui captivis etiam Patrem inter victoris fortunam misceat. Cosacos à pugna infelici superstites, ejus nutu indemnes agere, nemini manus, nemini ferrum injici; nec Regis lenitatem id sinere: vitæ ac libertati studere omnium, quâ frui captivos pro libitu velit. Placuit oratio, & mox deditio. Postulati à Duce Radzivilio deditionis arbitri, ac (ut facile est annuere ad ea, quæ ipse ambias) dati. Arbitris nihil primò & ultimò ingestum, nisi regalis veniæ vota: se negatis à Dorosenco auxiliis edoctos, cui pareant: male in rebellem ferri animis, & cui etiam ipsi jugum immineat, vel fatum deterius; etiam imperio Poloni Principis subdi, quod excutiat: se illud eligere, nec alium sibi deinceps Principem fore: id quod etiam jurejurando contestari velint. Fidei tesseram vinctos Scythas futuros, quos in Regis atria catenis onustos propediem ducant, reos utiq; deditionis prolatæ ad ultima Hani & Nuradini auxilia obsessis frustra pollicitos. Læta hæc continuò Regi Dux exscribit, & arcem præsidio, manuque capit: Cives ex arce demigrare in urbem, quam flammis violare vetuit, jubet; nihilq; non præstat, quod vel promissa lenitas, vel urbis captæ posceret opportunitas. Magnificum id Duci Radzivilio, qui tantillo tempore, exercitu, non ultra tria millia, penè immensa operum definierit. Magnitudinem facti exaggerat Moschi labes, cujus vires ultra triginta suorum millia progressas urbs hæc confuderit, pluresq; hebdomades traxerit ludibrium, dum Trojam hanc minorem impeteret, abrupto demum oppugnandæ consilio, coactus abscedere. Suas tamen hic etiam partes egit Regia in libertos liberalitas, ac devincti gratiis tabellarij, ut nimirum inter vires ac liberale ingenium fœdus perpetuum intercedit, sibiq; mutuam hæc addicunt operam. Ad Hanum Scythiæ præcesserat legatio, nec sine munerum potissimo, quod captivorum libertas est. Hussein Moravium cum Turcis à Bari deditione hucusq; vincula tenuerunt, hos Rex libertate impertitos Hano gratuitò miserat gratiæ testis, Ductorq; Libertorum Adalbertus Kaczorowski, & hic jam tertius ad Hanum Legatus, nam alter eodem munere defungi nuper jussus, alter post primum per suffragia Regni aditum missus à Principe. Neuter rediit, atq; hæc tertiæ legationis materia, causas inquirere. Hanus Libertos ad Imperatorem suum demandat; Legatos Regios custodiæ addicit. Hoc munere pensata captivorũ; libertas & mirũ id, nisi factum sit à barbaro. Facinori id calcar fuit, ne vires Scythicas legatio versata nosceret, quæ Dorosenco sociatæ Regem inopino opprimerent. Sed eventus consilia confudit, & exhaustus barbaro equitatus prohibuit scelus. Quare Czechrinum copias animumq; Scytha convertit, ubi Dorosenci nidus: & plena minarum imperia sui Cæsaris illuc eum compulerant. Reperit ibi triumviros nobis hostiles Nuradinum & Adzigerejum Scythicos Duces, ac Dorosencum Poloniæ rebellem. His arma, furoremq; Hanus adnectit.

Tandem lecta, Tabellarijs lenitatẽ Principis dilaudantibus.

Arx deditur

Falli Radzivilianæ gloriæ.

Legatio ad Hanum à Rege missa

De illo in Ukrainam delato primam Rex dissimulavit notitiam, donec aliam caperet de ejusdem ac Triumviratûs hostilis viribus. Huic captandæ Joannes Greben specie legationis ad Nuradinum Sultanum addicitur. Legatio libertatem captis extorquere jussa, simulq; dissimulatâ operâ vires clam explorare. Sed ad Hanum paulò pòst defluet narratio, quam triumphalia tantisper revocant. Inter Pavolociæ facta Achmet Bassa

Baſſa à Michaéle Rzewuſcio ante Raſcoviâ exutus animum ex pudore ſumpſit, nec tam amiſſa repetere mens fuit, quàm per ultrices inſidias cladem moliri Raſcovianis in Vallachia commeatum quærentibus. Scilicet acceptam labem abolet, quod conflat recentem! neque paucitas in novam ducta lanienam; ſed maluit à plurium conſortio ſpem Achmet ducere, & vinci. Tartaros Thraci permiſcuit, utriuſq; gentis non pauca millia. Nam doluit primum vulnus, niſi multitudine mederetur. A Chriſtophoro Korycio Præſidium regebatur; & ſatis id ad illius tutelam, ruinamq; Achmetij. Scythæ laudem aditûs in urbem primi captârunt ſolennibus ſuo Marti ædium incendiis: ſed novum primæ audaciæ vulnus fuit fuga, in quam à Korycij commilitonibus compulſi: Nempe poſt favillam aliud Scyticæ militiæ ſolenne eſt, fuga. Per fugæ veſtigia, in Achmet Baſſæ copias victor incurrit: & hic altera Achmetii labes, nempe poſt ignea utrinq; jacula, internecio barbari comitatûs. Nec à cæde hic dilapſi, militi cum quæſito commeatu reduci poſt formidabiles, & pudor eſſet, fugientes timere: quin potius novam in fugitivis ſtragem ferrum Poloni edidit quorundam vinculis auctam. Interim Pavolocia coram obſequium, operamq; fide publicâ ſancitam Regi deſpondit. Octingenti unà cum ſuo Ductore (quem Semenum vocitant) Coſaci caſtra Regiâ ſubiêre; quibus in facti gloriam Quaſſæ & Barabæ Tribunorum cohortes acceſſerant. Comiter omnes habiti, eorumque regimen Hohol accepit, uti & arcium ultro Regias partes complexarum. Hic dum eorum nomina decuriatim cenſet, ſcribitq;, illo ardore nomina profitentes affatus, qui circumfuſam ponè catervam lacrymis perfudit. Juvat ſcripto ſermonem comprehendere. Primordia ſermonis duxit à beata Ukrainæ ſorte, dum Poloniæ pareret: ei tunc rerum omnium abundè, armentorum greges, opum acervos ubertim fuiſſe: hominum confertas myriades, quas ſub bella tot ferrum obruerit: felicitati ſolas ſupereſſe lacrymas, & urbibus orbitatem. Auctior, inquit, fortuna placuit, & jugum herile dejecimus, quaſi non jam initium ruituræ ſit felicitatis, reum in Dominos fuiſſe. Et miſerum planè id libertatis genus, uno eodemq; nativo Principe rejecto, pluribus per ſervitutem eſſe obnoxios: nulli ſervire, & omnibus; adeoq; nec juris Poloni eſſe, nec ſui. Id verò ſic contigiſſe infortunia docent; & quia recentia ſunt, faciunt, ut noverimus; dum tot aliorum prenſamus patrocinium, vireſq;, noſtris parum ſecuri. Nec conſtantiam in cæpto nova eventa ſinunt. Unde nunc Scytharum copiis noſtras adjicimus, nunc ruimus in Moſchi obſequia, nunc Otomana imploramus præſidia. Sed quo hæc armorum unio & ſubſidia? ruina urbium, vicorumq; docet favilla. Cinis eſt, ubi illa floruêre, & ſolitudo, ferarumq; ſaltus in vaſta urbium ſtigravit. Quin & liberi noſtri è complexu abrepti gemunt apud eos captivi, quibus nos armorum ſocietas innexuit? Demum, quid hic, alibiq; noſtri non hauſtum, fuſumq; ſangvinis? vix tantillum terræ pugillo quis capiat in hac ora, quæ noſtrorum ſangvine manum illi non imbuat? Quare tot mala bonam aliquando mentem revocent: priſtinus nobis Princeps eſto, qui noſtris rebus ita ſtudeat, ut adſcitius nemo poſſit, aut, quia eventus docuêre, velit. Lacrymas audientis militiæ non tenuit facundia, nec in finem diſtulit, quin mediam irrigaret. Dicenti nihilominus interceſſit dedititius nonnemo, dicta quidem aſſenſu luculento complexus, percontari tamen auſus, cur ille ipſe Orator antè per oppoſita mentem flexerit, quàm ſerò doceat? Verum id errori tribuente Hoholio, quem lux demum animo illapſa depulerit,

A. C. 1673

Achmet Baſſa iterum mittitur ad Rakoviam.

à Korycio.

Pavolocenſes Coſaci ſe Regiis obſequio addicunt.

Hoholi omentio.

A. C. 1675 ac reliquis omnibus id lucis apprecante, itum in contractus ſtipendiarios. Hos certo diſcrimine Rex inter majores, minoresq; Coſacos definiit. Tribunis octo argenteos leunculis inſignes in menſem attribuens: Veteranis ac centurionib⁹ legionariis ſex, aliis quatuor: inſuper veſtē geminam è panno Gallico: reliquis levioris texturæ, ac velleris indumenta, binoſq; argenteos? Acquievit dedititius miles, & ſtatim trimeſtria illis numerata ſtipendia. Porrò Quaſſa præſidio Berſadæ & Czacalnici impoſitus à civibus poſtulato: duas centurias peditum Semeni recepit Raſcoviâ: Semenus ipſe cum aliis legionariis Scharogrodi & Czerniovîciis collocatus. Molarum, aliæque loci penſiones in Veteranos liberaliter transfuſæ; quæ ut omnes gratiæ vi ſuâ pollent. adventitiis turmis, amorem Principis & obſequij auctiùs infudêre. Vertit ſe aliò regalis ſolertia dum Joannis Sirko ingentes in barbariæ cædem animos gratiis augeret, atq; attolleret. Oblata illi per Simonem Zawiſzam Magiſtrum Equitum Zaporoviæ militiæ dictatura. Pergrata hæc cupienti, ut ea, quæ votis antea prælibata eveniunt: imò non vota hic duntaxat, ſed ſupplex etiam pro munere legatio, etſi ſera poſt gratiam intervenit. Satis operum hyems dedit, quæ Ukrainâ victoriis peragratâ, plùs adhuc gloriæ, quàm oræ illius cepit. Datum deinceps relevando equitatui ſpatium: deſcripta Ukrainæ præſidia, præſidesq; copiæ tum per Podleſſiam & Volhyniam, tum prope Sanum & Iſtulam defixæ ſummo in exercitum jure penes Andream Modrzevium relicto. Rex in citeriorem Ruſſiam regreſſus, exeunte Aprili Złoczoviam attigit. Reduci captū ab armis otium rurſus publica diſtinxerunt, à quibus Principi nullū unquam otium. Hani legatio novam curarum partem obtulit, quâ perfunctus Huſſeim, Moravius redux cum Joanne Greben. Amica Hani vota deprompſit Legati oratio: Polono Principi tranquilla omnia illum vovere: incertum tamen, an pacem arma ſinerent, quæ valida paret Oriens, mittatque. Sed partium ſeſe medium fore, paciſq; arbitrum è ſui Cæſaris voto, ſi Polonus haud à pace abhorreat, & Optimates è veſtigio ſubmittat, in quos ſummum agendi jus transfuderit. Si animi arcana fas ſit detegere, ut fas amico ſemper, Major excubiarum Præfectus Hano in votis; talemq; pacis conſilia poſtulare. Hæc Hani Nuntius. Oratio plus amicitiæ geſſit, quàm ut rei perficiendæ fiduciam gigneret: pulchra quippe ſponderi viſa, ſed non perinde ſponſionis exitu honeſtanda. Rex tamen ſe conſilia mutuæ pacis eatenus complexurū Hano nuntiat, quatenus, æqui honeſtique ratio pacem ſanciat, neque per inhoneſta hæc coaleſcat: rei tantæ arbitros in mora non fore, ſi locum mutuo congreſſui pro arbitrio Hanus decernat. At Excubitor Regni interpoſito apud Hanum tabellario & amicitiæ jure, quæ illos vetus nexuit, efflictim inſtitit, ne operam hic ſuam ludi ſineret, ſi nullam requireret prælibata animo eventûs infelicitas. Ante hæc pacis molimina, Baſſa Albæ Juliæ ponte Danubium inſtravit, per quem traductæ copiæ, Imbraimi Baſſæ viribus ſociandæ. Nec Scythæ non pro ſuo more omnia: non caſtris aut raptis ditionibus attineri, ſed quò prædæ ſpes raperet, libidine eniti. Extimuit vicinia, ſed egregiæ militum virtuti fabula fuêre. Pauciſſimos in Scytham caſus invexit, & rarae fortitudinis exempla tulit. Nec centum viros locus & periculum acceperat cum Stokovio Succenturione Lubomirſciano, & Jaroſſovio Optione Palatini Caliſſienſis; attamen tantillos nec confertus gregatim hoſtis, nec denſa telorum ſeges, aut lethalis pharetræ nimbus terruit. Ignei tubi bellantium ardori præluſerunt, & arsêre longius animi, quàm feralium tuborum ſiphonum

Data illis ſtipendia trimeſtria.

Ioannes Sirko Dux Zaporoviæ à Rege creatur.

Hanus ad tractatus pacis Regem ſollicitat

Virtutis Polona ſingulare exemplum.

num flamma, quod illam manualium fulminum igniarius fomes deficeret, quamdiu tamen licuit, jaculata ignes victrix centuria. Demum ferro utrinque dimicatum, & mors jugo mitior genti liberæ visa, non tamen ab armis antè, quàm â vita cessatum, multitudine virtutem paucorum obruente. Pulchra & ævi immortalis mors secura! Alibi tamen probrum adijt occursus similis, agmen enim peditum stativa repetens, Scytharum cuneis circumfusum, barbari jugum subijt, auctaque sub jugo servitus, cùm posthac arcibus vi obtinendis ab Hano adhibitum, sævire in Patriæ pergama cogeretur. Adeò disparem nectit exitum fortuita arena, & prout est virtus, sic vincit, aut vincitur. Melius Joannes Sirko Ductor Zaporovius fortuitis ad pulchra usus; dum aliquot suorũ centurijs septus, ter Scythis obvius miseram tot hominum prædam hinc inde agentibus, egregiè populandi licentiam ultus, captivo agmini vincula ademit. Nova jam ab Imbraimo Bassa capitur belli ratio, municipijs & arcibus arma indixit; & serpsit contagio, prout passa loci iniquitas, vel civium formido. In Rascoviam primus barbari furor: Achmet Bassæ datur repetendæ negotium, quam amiserat. Ante asperiora postulatur deditio, pacta lenitatem victoris: excidium & favillam, si arma incolæ tutelaria corriperent. Non diu perorandum fuit timori; nec enim duæ Cosacorum centuriæ in egregia suffecêre. Prodière, qui urbem dederent. vitam omnium pacti. Lætus hoc nuntio Bassa in proximũ diem deditionis consilia cum crudelibus votis retulit, dato suis imperio internecionis in omnes, sævo promissæ deditionis præmio. Profuit dilatio, quæ hostilem animum civibus patefecit, eosq; in arma potius, quã ad certæ necis optionem perpulit. Nostri interpretis hæc in Urbanos beneficentiæ tessera fuit, qui luce adhuc ambigua vallum suggressus indicavit nefaria barbari edicta, sine indice tam benevolo perituris. Svasit arma, ne, si fata loci eò vergerent, pecudum more, non hominum caderent meræ furoris, hostiæ: auderent; fortitudinem pro partibus decreturam. Arreptum consilium, & arma, nec jam vita supplicum more, aut missis Oratoribus postulata, furente nequicquam, diuque supplices opperiente Bassâ. Furor inodicus assultum imperavit, qui & Scythas equis dejecit, ut pedites oppugnarent. Acrius cives rem agere; patuitq; quantum virium gerat inter metûs confinia spes erectior. Nihil non actum utrinq; Urbanis tamen prævalentibus. Aucta Martis obsessi felicitas, cùm longiores tubi fata cum ignibus vomuissent, Non meta, non ictus fallere, ruere gregatim barbari, nec in valla prius, quàm in funus certum prorepere. Scenam hanc concluſit tragica formido, quâ hostem perculit urbana eruptio, hinc enim confusa barbaries, & in Tyræ præcipitium acta, ubi æstus lymphaticos vortices demum restinxêre. Sic primam urbs procellam depulit; sed nec dum serenũ. Nempe clades & virium illusus pudor in rabiem desijt, quæ in virtutis vindictam immensa cum Imbraimo agmina excivit, Nil obfuit furor, cui incolæ ultro cesserant, antequam vel mori cogerentur, vel cedere nocte præviâ delati sponte alio post præclara, contenti primâ gloriâ; ut si hostis loco potiretur, victoriæ laude careret, cùm nemo esset, quem vinceret, caperétve. Ita hosti sæva spiranti illusum. Idem Mohiloviæ gestum, nec enim præstabat, tot capitum jacturâ temerè contempti periculi gloriam adire. Quæsita loci securitas, præsidiarijs ab incolarum excessu urbem ultrò demolientibus, Alibi Scytharum cruor affatim arma tinxit Rzewuscio, & à ferro immunes amnis sorbuit. Hanus interim oppidis infestior, illis intactis, quæ nostro milite secura nôrat. Crasilo-

A.C. 1675

Imbraimo natur Rascoviam repetere per Achmet Bassam

Subdolè ferocum

Sed cum clade rejicitur

Hano dolus nõ succedit

A.C. 1675 ſiloviæ tamen dolum adornavit, quo ſuos noverat Polonis doli Architectis gloriam cumulâſſe. Majores peregrè vires abdidit, minoribus valla juſſis prætergredi, qui noſtros paucitate provocatos in arma occulta, fugæ obtentu perducerent. Excurrit illico fretus virtute paucorum Tribunus Succamerarij Vlodimirienſis Oſmianice & fugatis acrius inſiſtens, in fraudulenta arma impingit. Fraudi ſucceſſus præripuit virtus, noſtris ſtrenuè dolum luculentâ cæde mulctantibus, & (ubi facto certitudinẽ non auferat adverſæ partis numerus) delentibus, Hanique filio glande plumbeâ icto. Doluit Hano filij vulnus, eique mederi Craſiloviæ excidio ſtatuit; nec minas ſteriles aluit dolor, quæ pincernæ Syradienſi curam municipij pro munere injicerent, Noluit noſtrorum pericula vel jacturam, nec ulla inerat oppido ſecuritas, quam ſpondet munitio. Monuit ergo Tribunum præſidij, ne ſuorum, civiumque amaret diſcrimina. Conſtantinoviam omnibus pro aſylo fore. Sic illuſa Hani Nemeſis, auctusque dolore dolor. Verùm nec Imbraimus iterum extra ictum. In Barenſes primus erupit furor. Sed dum urbem cingere parat, alij murali fulmine icti, vincti alij conſilium obſidendæ urbis turbavêre. Transferre pulſata jam arma Miedzyboziam decreverat, ſed ibi etiam parum tonitruum tempeſtas vota excuſſit. Et alibi itum his obviam, cùm de præſidiarijs armis á Rege proviſum. Brodios ex ejus nutu occupavit Dux Demetrius. Zloczoviam Palatinus Ruſſiæ, Vexillifer Regni Brzezanas. At verò Gregorium Ulaniecium cum Lubcis Bari dedititijs, item cum octo equitum vexillis, ac deſultorio equitatu Ukraina accepit, ubi Stanislai Lazinſcij copijs ſuas mutuò augeret, Moſcos, ſi arma ex pacto conſociarent; hoſpitaliter accepturus: poſt auctis viribus Corſunium & Ukrainæ reſidua invaſurus. Sed Moſcus nihil præter verba dedit, & virtus propitio cœlo novit ſe ſola vincere. Ad Hanum iterum relabitur narratio, qui pacis colloquium iteratò urſit. Proviſum ab eodem viæ ſecuritati, præfixumque ituris ad locum colloquij ſpatium, quo ſuorum licentiam cohiberet. Nec ultra diſtulit iter excubiarum Præfectus. Urſit præter repetita Hani vota imperium Regis, qui eidem itineri ac negotio adjecit Chriſtophorum Korycium & Thomam Karczevium. Hano gratiores, quòd vetus notitia amorem pareret. Nondum tamen inducias ſceleri perſvaſit conventus partium, & intenta mutuæ paci legatio: adhuc enim Scythas populandi cupido per Volhyniam circumegit. Ulta licentiã Polona arma: Succamerari Vlodimirienſis ad Orchoviã, ad Bereſtecum Equeſtres copiæ, ubi filius Schyrin Bey telo ſaucius: tertia ſub Kniechino clades caſtigavit prædæ libidinem. Et prima confeſſu pacifico querimonia de populabundis Scytharum excurſibus. Hanus id in licentiam freni haud patientem retulit? quam viciſſim ferro vindicare læſis liceat. Querimoniæ ſucceſſit plena animæ indignantis præcautio, quæ excubitor penſionis pecuniariæ nomine tributi mentionem graviter interdixiit. Hæc, inquit, turbido rerum ſtatu in pactum deducta, quàm ſi exigere nunc ſit animus, ſe ſuo, cui venerit, munere fungi nolle, nec è gentis liberæ imò & victricis decoro id fore id plane eſſet, ne dedecus quidem gratis habere, & probra carò emere, quaſi hæc etiam apud hoſtem ſint venalia nondum eò redacta omnia, ut pacem Polonus pretio conducat: primam verò injuriam non auro ſolutam, ſed vindictam ferro: tributa victis, non victoribus imponenda. Hæc dum pleno animi vultu, & lingva ingerit, Hano aſſenſum elicuit, ut penſionem probro vicinam à conſilio removeret. Suppreſſum id nomen, ne gravioribus intercederet pecuniæ libido,

Nec Imbraimo furor a-libi impotens

Tractatus pacis apud Hanum

Legati Polonici

Præliminaria colloquij pacifici

libido. Sic comitio pacis permissa initia, ubi à nostris actum primo de repetundis, seu postulatum, ut quæ per nefas, & contemptâ fœderum religione Turca invaserat, in solidum reponeret. Frustra se aliàs pacis momenta libraturos, quamdiu justæ bellandi causæ superstint: hæ tollendæ, ut armorum solida subeat quies. cujus quæ stabiliendæ fiducia? si quieta rapinæ possessio, scelere tuta, uti ante scelere felix gaudeat? tam palmares injuriæ quarumvis gentium arma concitârint. Torvicis ad hæc pars adversæ, quæ nos supplicum more acturos, aut novâ jacturâ empturos pacem præfagierat. Neque prima bilis eo loci substitit, quin ad Hanum protinus alibi sub tentorio fixum se evolveret. Non mitior ad hæc Hanus, sed bilem juvante fastu. Id demum est, inquit, non pacem extorquere, sed odia non repetundarum agere præstat, sed supplices hæc arena postulat, & admissum in Orientis copias scelus, quas nuper deleverint. Ad hæc frustra quis repetat, quæ armis ceperit idem Oriens, & consensus repetentis obtruserit. Prosilijt ad hæc Polonus Excubitor, & adductiore supercilio: id vero, inquit, surdis canatur, ut passo injuriam adhuc jus deprecandi imperes? scilicet in læso præter fas, delictum est, non potius in lædente, quod supplex aboleat! nisi forte vicisse crimen sit, & victoriæ venia à victo sit postulanda. Sed victum magis supplicem esse infelicitas jubet, quàm victorem. Nos quidem huc publicæ tranquillitatis traxit amor, & Hani desideria; cæterùm non supplices literas manu gerimus, sed ferrum: hoc nobis certius pacis omen, quàm hujusmodi conciliabula. Nondum in bella occaluit virtus, quam tot strages hostium probârunt. Addidit lingvæ acrimoniam manus, quâ arma impetu concussa exempto aliquantum, & mox vaginæ reddito mucrone. Dum ita Comitium fervet, adest Imbraimus cum exercitu, nec ultra Hano licuit pacis propositum prosequi, nostris propè in custodiam actis, & Imbraimo per Nuntium tumidè oggerente. Serò pro Ukrainæ vel Podoliæ vindicijs agi, quæ jam juris sint alieni: sua potius, quæ restent, asserant, quàm votis repetant aliena: precario potius facti Chocimensis venia imploranda, quàm ut amissa mentem subeant. Porrò Imbraimus studia cum armis in arces convertit, eligens cum saxis potius bella, quàm cum viris: blandiente sibi alicubi ignaviâ, quòd tam valido Marte acervum lapidum dissipâsset. Quamvis ne strages etiam saxea tumorem aleret, viros illi objecerint munimenta qui & loco perpetuitatem conderent, & hosti funera; nisi ubi gloriæ hostili fraus sese dedentium velificari visa, quæ suis se latebris tuetur, & proficit tacendo, donec sibi etiam ipsi dedecus palàm conscisçat. Monacinum illi primo patuit, ut facile capiuntur, quæ nemo rapinæ obnitens eximit. Protulit sese & in proxima cupiditas, quam primò repulit clades: non enim claves municipij gesserat timor, sed civium fortitudo, qui tamdiu tela ignea fudêre, quamdiu sulphurati pulveris fomes id fulmen pareret. Telis deinde actum, quæ furor obtrusit: his armati incolæ densa inter agmina prorupêre, prius sua funera ulti, quàm reciperent; graviores hosti, dum caderent, & ipsâ morte immortales. Alibi vires Asiaticæ diu convicium passæ, nec abfuit postea in deditos vindex convicij sævitia. Visniovieciam non statim pulsavit vel subegit timor, sed in undecim dies virtutem protulit, lusitque barbarum, donec tandem captivitas actus strenuos concluſisset. Zbaraziæ arci ingemuim⁹; sed incuriâ primò peccatum, reliquum egit proditio, non tam tutela arcis, quàm custodia triginta hominibus credita. Vix quadraginta postea illuc submissi, præsidio speciem & nomen dederant. At Imbraimi totum

A.C. 1675

Postulatum Legati Sarmatici.

Ejusdem oratio

Tractatus pacis dissolvitur re infecta

Imbraimus arces invadit

Et oppida

Wolczyszcza oppido nomen

Arx Zbaraziensis obsessa

hic

A.C. 1674 hic ſudavit robur, quod ut ſemel ediſcas hic obiter accipe. Quindecim Baſſæ potentes imprimis erant in hiſce armis. Ex his quinque Vezeri eâ potentiâ quam in Septemviros tantùm Thracia partitur: Beglerbegos vocant, melius Pro-Reges diceres. His octavus adjicitur, quovis faſtigio infra Principem Tyrannum major, eſtque Vezerorum Supremus. E Scythia immane acceſſit robur. Hanus ipſe in armis & Sultani filij cum Nuradino Sultano fratre: item gemini Sultani; Adzi & Dziambet Gerey cum omnibus Dynaſtis vulgò Bejis Crimenſibus, quidquid demum protulit in arma Scythia, & uſus bellandi erudijt, totum tunc in hoſtile robur coaluit, vix ternis millib⁹ domi reſiduis. Vires ergo Imbraimi erant orbi, nõ Poloniæ oppugnandæ pares, quas tamen totas in Zbaraziã arcẽ effudit. Locũ quidẽ artis ingeniũ & naturæ benevolentia armaverat; ſed eſt, ubi hæc nihil proficiant abſq; manu quãvis nec illa perexigua man⁹ non ſtrenua, quæ ultra paucitatẽ virtute progreſſa, multitudinẽ valido conatu repreſſit, nec ceſſit numero, ſed intus incluſæ plebi, quæ terrore victa, Præſidem arcis in fœda pœnè vi compulit. Geminum fuit Præſidi certamen cum hoſte, & cum exterrita plebe, plebis pertinacia expugnatu difficilior fuit, nec Præſidem tamen vicit, ut hinc conijcias hoſti ereptam arcis fiduciam, ſi ejus arbitrio, non vulgi, arcis fata ſinerentur. Non vis ergo hoſtium, at proditio, & fœdum vulgi facinus exitio arci fuit. Nam Præfecto præſidiariæ manûs, vulgi precibus obſiſtente, metu in furorem verſo, populus hominem invaſit, ſauciumq; ac compede onuſtum Imbraimo cum arce obtulit. Ita nihil hic virtuti barbaræ, ſed omnia ſceleri debentur! triſtes pœnas proditio tulit. Pars hominum ferro flagitium expiavit, pars vinculis oppreſſa æternam injit ſervitutem. Civitas prædam primò, poſtremò pertulit incendium. Arci arma prius erepta, tum in parietes ſævitũ, & ruinâ loci caſtigata proditio. Tenuit locus felicem alieno crimine ignaviam ultra quatuordecim dies. At verò caſtra Regia ſub Leopoli, huc dum primùm adventaret hoſpes Majeſtas, ſolennes in aditu Principum ignes, & feſtivos tormentorum tonitrus vetuit modeſtia. Interim impotens Imbraimi tumor perfertur Regi, ultima intentans, dum comperiat, quo illum loco arma requirant. Quare vetita Princeps abrogat, & ne hoſtem, inquit, locus lateat, quo me reperiat, agite, & per fulmina tormentis muralibus excuſſa illi Principem indicate, tali nuntio comperiat, quo illum loco opperiar. Nondum eò barbarus me redegit, ut latebras amem, quas hac Martiâ tonantium machinarum lingvâ proſcribo. Imperia Principis, horrenda urbis tonitrua excepêre; & abijt latè fragor, nec hoſtem pòſt latuit, tantum animi inerat inter exiles etiam tum copias! Quatuordecim haſtati militis Vexilla, leviora ſeptem, exiliſque peditatus totæ vires! ſed unus Princeps magnis exercitibus parem animum geſſit: unus ubique ſuffecit, ſeipſo grandem viſus implere militiam, hic verò cùm nondum armis liceret, ſolo nomine & famâ pugnavit. Injecit cum metu reverentiam Imbraimo præſens Majeſtas, & mentem abſtulit, qui mollibus canit exequias, imbellis timor, felicior futurus, ſi triumphũ capere poſſet galeata formido; vel ſi vaſtum alioqui corpus nullo animatum ſpiritu bella poſcerent. Terrorem tamen latè promoverat hoſtilis multitudo; nec deerant, qui ad Regium pectus aditum illi quærerent, ſvadere auditi, ut tutiore loco reponeret Majeſtatem. Sed omnium dicta refutavit magnanimitas Principis, quæ adjecit præclarè cœptis conſtantiam. Sanè Leopolis ſcutum in Principis fama reperit, qui Marte etiam quie-

Hoſtilis exercitûs vires & magnitudo

Arx proditur à plebe

Quæ ſceleris captivitatis luis

Rex ad Leopolim caſtra figit

Exili numero

Magnitudinis

to

to barbariem coerceret, Majeſtate ſupplens, quidquid virium caſtris deeſſet. Nempe hæc ſola etiam validum eſt in victos aliàs telum. Arma interim pœnè ignava oſtentabat Imbraim qui tantis viribus vix quidquam egerit, ſolo proditorum ſcelere alicubi felix. In urbes, quarum munitio, manuſq; validior ſpem illi expugnârat, nihil hoſtile, præter animum geſſit. Sic Zaloſcij, ſic Brodij, ſic Zloczowia, ſic Brzezanæ barbaras riſerunt vires! Zloczoviæ tamen inhiabat, quòd ibi nôſſet Palatinum Ruſſiæ, cui fuit infeſtior. Sed nihil loco deerat, quo hoſtilis conatus non concideret: & ſatis virium fuit in Palatino. Priùs alibi illuſæ vires; cùm enim imbellis otij puderet, aliquot Baſſis commiſſa oppugnatio Mikulenicij oppidi. Tutelam ſola aggreſtium colluvies præſtitit, eamque in quintum decimum diem produxit eâ barbari clade, quam nondum alibi illâ æſtate acceperit. Mortualem arenam diceres; ita ibi plurimis parentatum! crevit municipalis virtutis miraculum, uno ſubterraneis ignibus diruto per hoſtem propugnaculo, tunc enim violentius inſtare cædibus oppidani, donec onerandis ſclopis nihil in tela, vulnuſq; ſuppeteret. Promiſſa ab hoſte lenitas, ſed in vincula erupit, & in documenta perfidiæ. Vicit hanc plurium agreſtium virtus, qui hoſtilẽ aciem au ſu perrupêre, ſalutem intrepidæ virtuti commiſſam egregiè tutati. Luctuoſum ibi perfidiæ Ottomanicæ argumentum fuére civitatis Primores palis defixi. Nec aliter ſævit inflictus cladibus pudor, dum ſeſe poſt damna vindicat, nulla eſt obſtrictæ fidei religio, ubi ſæva Nemeſis animum corripuit. Poſt Mikulenicios par alibi hoſti dedecus. Ridet adhuc ejus funera Olexentium, Pociejovia, & minora nomina, quæ à ruina tanti hoſtis magnitudinem capiunt. Poſt ſuorum tot neces nihil in municipijs illis ptæter locum cepit. Deerant triumphales incolæ, qui mulctatâ ferociâ, ſed imminente majore exercitu, clam ſeſe ac de ſe pœnem ſubduxerunt. Id quod pulcherrimè ſucceſſit poſt alios Budzanoviæ inquilinis, quorum eximia fortitudo poſt diuturnam ignaviæ moram regredi hoſtem juſſit, ſolis indies opprobrijs auctiorem: civib⁹ demum ultrò ac impunè excedentibus, antequam in cædes vacuas irã validiùs armâſſet hoſtilis pudor. Hunc tamen auxit Boguſſij miles ad Trebowlam, quam hoſtis tentare armis cœperat, ſubitò è Janovienſi arce erumpens alijs ferrum alijs compedes pati juſſis, pleriſque fœdius dilapſis. Ea ſpecies Martis barbari fuit! pòſt Zaloſcijs loci ſitum recognoſci Imbraim jubet; aliquot Baſſæ id imperij capiunt, ac exeqvuntur. Placuit primò per auguria orcum conſulere, nigræ gallinæ adhibito uſu in omen ſcilicet candidum, hæc in municipiũ dimiſſa, & à medio redux itinere, augurij felicitatem evertit. Auxêre infelicitatem ominis miſſa ab arce fulmina, & ſubita armatorum eruptio, quæ Baſſas hinc trepidos amovit, nec tentatus poſt hac reditus. Telum aliud alibi fatale in eos jactatum à Rzewuſcio. Prædam Zbarazij alibiq; raptam & hominum nexorum greges Hani filius deducebat Camenecum, velut in Capitolium Orientis: ſimul affuit Baſſa æger. Uterq; in Rzewuſcij arma impegit. Fugatus Tartarus, Baſſæ medendi cura ferrô exempta, Marte Æſculapio curas eximente. Gravius ad Zloczoviam vulnus accepit Scytha. Illuc celeberrimus Crimenſium bellator Adrigerejus vicena ſuorum millia detulerat. Anſam læti ominis traxit è paſcuis, ubi felix equorum noſtratium rapina illi contigit. quaſi perinde ſit raptô confligere cum brutis, ac manu cum viris. Oppoſuit aciem Palatinus Ruſſiæ cum machinis ab igne auxiliaribus, ac diem ferme ſolidum pugna obtinuit. Cæſi Crimenſes, & eorum Sultanus glande ferreâ

A. C. 1675

Stanislaus Jabionowſki

Alias munitiones tentat Imbraimus

Mikulenicij aſſum ferro nuè

Zaloſciorũ ſitum barbarus recognoſcit

Ibidem auguriosuperſtitioſè uſus

Hani filius & Baſſa à Rzewuſcio profligati

Sultanus ad Zloczoviam à Palatino Ruſſiæ caſus

A.C. 1675 reâ caſſidi impactâ, item in latere pari jaculo perſtrictus cedere coactus ex arena, ne totus cum ſuis rueret. Noſtri cladis expertes: unum duntaxat virtus mortalitati exemit: pauci vulnus, quod triumphi quoddam mnemoſynon teſtiſq; eſt, accepêre. Major in equis ſtrages, velut barbaricus Mavors belluis metuendus ſit, non Heroum bellis. Reſumptis tandem à metu viribus Sultanus, dubium, an in amicitiæ teſſeram (nam hoſtis etiam in Heröe virtutem ſuſpicit, amatq;) an minarum novâ ſpecie Palatino viciſſim militari honorario mutuùm reſpondente. Nihil tamen felicius ſpectavit æſtas, quàm quod in ultima labente Sextili Leopolis. Tartaros ingentes ductare copias fama index pertulit: nec mendacium ſuberat famæ, etſi dubiæ, quò nam vergeret furor, vel an errorem fortunæ in Zloczovienſi conflictu vellet corrigere. Dubium profligavit præda obvia Athanaſio Miączynio. Tartaros hic cepit, qui Nuradini Sultani conatus detexerunt, ſigna è quadragies mille barbaris coalita trahentis: nec alium, quàm Regem hæc arma petere, cui immineant. Haud læſa nuntio magnanimitas, cui nil triſte fama dixit, dum novam, quam ardua non peſſundant, gloriæ materiem evulgavit. Diſpoſitæ per vias peregre excubiæ, quæ de acceſſu hoſtili commonefacerent. Leopolim montes circumjacent, quorum editior hoſtem eminus conſpexit, cùm illum gemina adhuc leuca ab urbe ſecerneret. Rex de adventante certior, caſtrorum inprimis ſecuritati cautum voluit; & tuta effecit peditatus igneo equitatui permiſtus. Lithvanum Equitem cum Duce Radziwilio ea pars Urbis Caſtrorumque accepit tutelarem, quæ retrò incurſum hoſti eriperet. Chriſtophoro Korycio dextrum urbis latus, alterum ſub arce maxima duobus haſtatorum militum vexillis committitur. Princeps reliquas vires hoſti opponit. Si numerum indages, is fuit, quo toties Princeps in laureas nobiles uſus: duo virorum millia totum robur; at, quia Tartaris perinde ac turbini cataphractum robur oppoſueris, cum eorum acies quovis Africo, aut turbine ſit mobilior, quem pari volatu ſubſequi ignoret ſolida è ferro armatura. Novum capitur in arena conſilium; Pilanæ cohortes onus demere, & ponere haſtas juſſæ; ſoloque haſtis inſtructo ſub ſignis famulitio, quod è longinquo ab hoſte timeretur ſpecie occulti inter virgulta exercitûs, devius armorum genus uſui præliandi cum hoſte volatico reddidit aptiores. Viſa tum etiam nova in æſtate prodigia, quibus barbaros primus oppugnavit æther, cùm vaſta camporum, quæ hoſtiles opplèverant manipuli, æſtas nivibus operiret. Nec arva tantùm intempeſtivâ hyeme canuêre, ſed grandine etiam concuſſa, quæ infeſti hoſtibus cœli argumentum fuit, cœlo tum alibi, tum Leopoli ſereno. Prima hæc Divinitùs hoſtem impetijt; mox alia globorum miſſilium grando è muralibus urbis machinis novæ tempeſtatis augurium dedit, tum exterrendo hoſti, tum viciniæ in ſecurius hoc indicio perurgendæ. Ibat hæc inter tonitrua Nuradinus; plus noſtris animi, quòd occurrerint contempto numero. Iamque ad trientem leucæ Regales copiæ proceſſerant, & Sultani agmina inundâſſe latiſſima camporum cernebantur; cùm è colle proximò, qui ſub tormentis gemuit primum imperatur in Sultanum fulmen; Saltus proximi ducentos ſclopetarios occultârāt, qui, ubi habenas Scytha effudiſſet; igneâ procellâ in eum depluerent. Ergo ſignum è tormentario colle datum, quod utrumque excubiarū Præſidem velitationi objecit, donec tota acies anguſtis callibus circumducta in plana evaderet. Hic Melitenſis eques Lubomirſcius velitantium

Nuradinus Sultanus Regem aggredi tentat

Rex hoſtium meroſo occurrit

Diſpoſitio exercitûs

Nivium in æſtate prodigia

Regis occurſu terretur, & primo impetu hoſtis vincitur

tium geminat gloriam, eqvum illi hoſtilis ictus deijcit, opprimitque ſeſſore incolumi in arenam effuſo, & ad fortiora hinc evectiore, quæ mox manu ausûs vindice dedit. Tandem acie in planum emotâ plenus heroæ mentis, tutusque laureæ Princeps Patriâ voce; Irrue, inquit, irrue mecum in hoſtem miles; Gemat barbarus ſub Polono, nec plura dicere inter potiora operum vacabat. Datum illico utrique alæ irruendi imperium, tum flexis in barbaros habenis, ardore animi, cui victoriæ jam omen inerat, procurritur. Sat fuerat procurriſſe; lauream ſtatim obtulit primus provolantium Aquilarum terror, qui hoſtem pavore confuderat. Diceres cervorum agmina, vel pharetratos lepores campum iniiſſe. Itum in profugos, & viæ cædibus cruentatæ, vada & trajectus hauſtis tot barbaris alveum extulêre; non ante à ſtrenuis ceſſatum, donec nox diem, hoſtemq; eriperet, datumq; receptui claſſicum ferrum reconderet. Redijt victor Princeps ſub noctis conticinium: at cæſis hoſtibus juſta parentalia nox perſolvit; comportata in obvias ædes illorum à ſuis cadavera ibi buſtum, ſepulchrale nacta, verſis in pyram mortualem mapalibus. Eadem nox fugaces copias ad octo leucas removit, etſi longiùs dedecore ſint provectæ, ibique primò aliquantum reſpiravit metus, qui fugâ diuturnior. Indidem Nuradinus à vulnere invalidos, & equorum jacturâ inutiles ad Hani caſtra amandat, alios cis Tyram ad prædas ex more agendas, cui vita rapto effluit, nec aliud illi familiarius ſcelus, additâ locorum, quos præteriit, favillâ. Sic ergo valida Nuradini impreſſio repreſſa, & virtus rurſum non multitudo triumphavit. Victoriam promovit urbana pietas, ac Reginæ potiſſimum Religio, quam ad ultimam proſperrimi conflictûs coronidem produxit, primò affuſa ad Divinæ Parentis effigiem prodigijs celebrem, dein in templo Soc. JESU ante aram B. Stanislai Koſtka diu genibus nixa, ne non utriuſq; Principis virtus in victoriam laboraret, quamvis certius in armis cœleſtibus vincendi auſpicium, unde Divorum Cõmilitonum ſuppetiæ trahuntur, quas adfuiſſe tum nivium miracula probârunt, brumam æſtati permiſcentium, tum panicus barbari timor, qui illum ante arma confecit. Verùm non hic tantùm arenam fœdavit Tauricæ cruor, etiam alibi vena furentibus perfoſſa. Nam Palatinus Kijovienſis ad Kaluſiam prædabundos ferro ſubmovit. Trans Tyram Caſimirum Zamoſcium quinque tantùm Comitibus ſecurum, & in ædibus ſe tutantem duo hoſtium millia diu infeſtavêre, & paucitas invicta laurum tulit. Item ad Sniatinum à Silnicio Caſtellano Czernihoviæ; ad Lucam alibique ab alijs accepêre exitium. Adhuc placuit Imbraimo vires in oppida impendere, Pomorzana furori deſtinatur, ubi quadraginta tantùm præſidiarij. Horum Præfecto imperatum, ut, ſi vis hoſtium major affluëret, præſidium inde, civeſq; maturius malo ſubduceret. At Præfectus non ſinè virium experimento per hoſtis repreſſi ludibria in diem producto, exceſſit ſub obſcura noctis, quod nec locus, nec vires ſecura ſponderent. In receſſu etiam hoſti pulchrius illuſum, & datus quaſi prodigio locus, dum ipſa tormenta, & oblongiores tubi poſt noſtri militis abſceſſum ignem cum ſonitu ferali funderent, nec ſimul totus effunderetur fragore terror, ſed prout per accenſa funalia ſerpere permiſſa, ſenſim ad focum adrepſit flamma. Sic Præſes cum milite decedens ignes inſtruxerat, ut ſuſpicionem ſolitudinis, vel migrantium incolarum hoſti eriperet; & eripuit, terruitque, donec aperto aſtu dies hoſtibus formidinem demeret. Rurſus alia, barbari clades, ſine qua vix locum adijt, quaſi tu-

A.C. 1673

Caſi alibi Scytha

Andreas Potocki

Imbrahimi conatus.

Pomerzana virtus.

& pulſus effus.

A.C. 1675 mulum ubique quæreret, non in prælia miſſus, ſed captanda funera: Brzezana civitas eſt, ubi vexillifero Regni nova è cæſis laurea,
Caſi à Signifero ad Brzezan barbari, ac ibidi. Scythæ Sultani Adzigerei hanc nexuêre, qui à noſtris vix primùm ſtricto in terrorem ferro diſſipati. Nec ſatis viciſſe ſemel, mox abalia municipij parte laurus altera. Ignari eventûs proximi Turcæ advolant cum Hani Filio, municiunculæ Ponti oppoſitæ intenti, locumque ſpeculati, unde ictum & cladem facilius poſſet accipere. Prædium
Nicolaus Sieniawski hoſti pro ſcuto fuit, quod juſſu vexilliferi ignibus amotum tormentis in meta hoſtem poſuit, ſubmovitque. Nec cohortes Stetkievicio Dapifero Smolenſcenſi commiſſæ laudum immunes. Bis ab his Scythæ clade comite depulſi, & victis captiva plebs adempta. Longum eſſet ire per ſingula cladium monimenta, cùm & ab Athanaſio Miączynio non ſemel aliàs fracta Barbaries iterum ad Stratinum, pòſt ad Rohatinum fœdè impegerit, nullibi ſinè vulnere, aut fœdo funere, nullibi ſinè vinculis, quæ poſtremò decem Tartaros, eidem devinxêre.
Podhayecia oppugnata Hinc jam Imbraimus in Podhaijecenſium interitum furorem impendit. Submittenda maturius auxilia Rex loco deſtinârat, ſed omiſſa auctio, ſeu civium miſeratio quoſdam tangeret, quibus is præſidij acceſſus gravior foret, ſeu incuriæ id crimen, tum demum (ut hæc ſerò & inter damna ſapit) intentæ in augmenta virium, cùm hoſtis vetuit. Aluêre malum diſſidia militarium; altero foſſam arci adjicere jubente, vetante altero, primiſq; conatibus arma civium intentante? vetandi cauſa areæ fuit jactura, & quæ perituris imponit, ſpes hoſtilitatis declinandæ. Facile fuit perire volentibus, & vanâ ſpe fretis, quam nona Septembris cœpit refellere, toto barbaro exercitu, civitatem, arcemq; ſerti ad inſtar circumplectente. Conciderunt animi, nec arma placuêre, ſed deditionis conſilia. Timor mentem confudit, ac exercitæ alibi in deditos tyrannidis induxit oblivia, ne ab alienis cautela creſceret. At neque periclitari placuit, & primam vim eludere, dum mora ſuppetias regales opponeret. Quippe præceps conſilium in metûs comitio recti legibus vix congruit. Ergo Primores militum, lociq;, funeſtis occurrere,
Nocuit rea deditio atque urbis dedendæ rationem cum hoſte inire. Scilicet à formidantium votis ac metu penderet tyrannis, & tot cladibus exaſperatos molliret imprudens ſubmiſſio. Equidem Oratores illi civitatis, ac præſidij nihil præter vincula exorârunt: civitati imperata captivitas, & vita ſervitute redimenda. Tenuit ſuum ſolenne barbaries (ut obiter hic moneam) in deditione Zavaloviæ, ubi Makovecio perbrevis tutela placuit, mox ſecutâ deditione, captivitatis reâ cum liberis ac civibus. Hæc alibi; at apud Podahecenſes nihil non expreſſit, qui ſemel inceſſit animos pavor; itumque in vota crudelitatis, ac vinculis nexa libertas. Quin
Vaſtatio civitatis & ſacrorum & Divinis irrogata injuria, dum ſævitum in ſacra per divorum vulnera, ferroque violata eorum ſimulacra, dirutas ſanctiores aras, templo poſt injurias ultimam à flammis experto. Adhuc in ſepulchra irrupit furor, mortuiſq; indixit bellum, nihil penſi habente Divina, humanaque rudi barbarie; demum civitas jam inutilis, exhauſtis in compedes civibus vix indicium ſui in cinere ac ruderibus reliquit. Hæc in civitate egit ſævities; arci infra votum nocuit, ſubjectis in ruinam doloſis ignibus hanc ſubruere nitebatur, ſed igni meatus aquei vim dempsêre. Satis ergo fuit immanitati ſuprema arcis flammis demoliri, alia flammæ haud obnoxia ferramentis corrupit. Fama tantùm obſidionis, ad Regem pervenerat, nondum deditionis, cùm ad obſeſſos totis copijs ruit, ſed vix iter ingreſſa feſtina in exitium deditio, hoſtiliſque demolitio

litio loci perfertur. Principē juſtus dolor, alios terror invaſit, jam & Majeſtati veritos, ſi ultra uſitato in malis auſu procederet. Svasêre ſecuriora ſaluti Prncipis, cujus incolumitate conſtaret publica. Sed terricula hæc haud pectus adverſis infractius concuſſere, & ſatis novit metum refellere magnanimitas. Non ergo Regem caſtra jam tenuêre, quin Lithvaniæ copijs auctior in adverſa iret, victis, quæ in terrorem objecta, argumentis. Nec totæ cum Rege copiæ, quòd Athanaſium Miączynium, & ſecutam trans Tyram legionem fortia tantiſper abſtraxiſſent; ſic tamen exiles Aquilas explicuit ubiq; Princeps, ut reprimendo hoſti non impares viderentur, ita nempe ubivis camporum defixæ, ut nec in receſſu quidquam ſubeſſet periculi, & latera ſatis virium gererent, arena verò evolvendæ in plana, & frontem aciei peropportuna legeretur. Quæ magni Imperatoris eſſe argumenta, docuit olim Macedo, & Darius ſuo malo didicit ad pilas Amanicas, & Arbelus anguſtijs loci victus? Akmurza tunc Pokutiam populationibus divexabat. Frænum licentiæ fuit Athanaſij ferrum: delevit, quos prædarum ſitis in ſcelus junxerat; & arena illa paucos ab interitûs conſortio dimiſit. Sex ultra triginta Tartaros, ſenicq; Turcæ triumphali congreſſui ſuperſtites capti in victoriæ argumentum, vinctiq; Regem adoravêre. Dies tum Divo Michàéli ſacra; cœleſtis Ducem militiæ pro Polonis eſſe, eo inſuper argumento comperimus, quòd Martino Boguſs dies eadem Scythas in novum militiæ noſtratis decus objecerit, omnes cæde, aut fugâ inglorios, octo ad Principem deductos. Par alibi præda; unde documenta cœpimus Jmbrahimum Trębowlenſi inſtare exitio, nec ſigna moturum aliò, niſi hoc primùm illato, ſuccurrere opportuniùs loco, quàm Podhayecenſibus par periculum ſvaſit, ſed ituro tantùm per cœlos auxilio iter in arcem patuit. Reperit tamen Princeps viam, quâ euntis auxilij Nuntius ad obſeſſos iret. Fragor tormentorum id præſtare juſſus, quæ viginti proximo colli impoſita ſonitu latè effuſo conjecturam obſeſſis injicerent. Verùm cōſilio ventus interceſſit, in oppoſita ſonum devehens, & obſidentium armorum ſtrepitûs fragorem obtundens. Aliud ergo Princeps arripit, quo arcis perniciem avertat. Noctem itineri deſtinat, quòd in hoſtem noſtros duceret; proximum amnem vado tranſeundum, manè inopinum hoſtem oppreſſuri irent, & ſubito aggreſſu hoſtilia confunderent, multùm ſubita valere ad animos enervandos. Prælusum jam tot eorum cædibus ad triumphum; diei unius auſpicio belli hujus tot proſpera coronanda. Fortia hæc; ſi animos primò ſuorum expugnâſſent, ſed qui antea (ut eſt res ſolliciti plena timoris amor) de Principe ſoliciti videbantur, quem immortalem vellent, iterum obſtare argumentis, obruere penè precibus, ne per incerta in diſcrimen ultimū contenderet Majeſtas, anceps eſſe bellicæ fortunæ ingenium, nec in ſolido conſiſtere; quæ, ſi aleam in præceps verteret, quid ruenti Patriæ adminiculi ſupereſſet? quæ manus à viſceribus Patriæ hoſtem ſubmoveret? Patriæ non ſat conſuli, dum placent pericula, per quæ ruat, vel ultima accerſat: lenta ſecuriùs triumphos inire, & quæ conſilio morā non eripiant: ſecuriùs ducere Podhayecenſem tractum juxta Tyram. Hæc fuit oratio, quæ ſperatæ victoriæ obex fuit, nempe ardua nemo cum illis adoritur, qui nolint. Tertium adhuc occurrit Principi, dū prima ſpem arcis haud erigunt. Martino Boguſs ſeſquimille Coſacos adijcit, qui per anguſta ſylvarum prope Trebowlam penetrârent, & raptâ, quam ibi reperiſſent, hominum manu, ab arce hoſtem laceſſe-

A.C. 1675

Acta in hoſtes alibi fortiter, ſtrenuè.

Trebowla oppugnatio

Rege in ſpē ſuppetiarū obſeſſis mittendarum intento

Per plures modos

A.C. 1675 rent: Boguſſij equitatum, ſi deſtinatis ſucceſſus obtingeret, cœptis felicibus inſtiturum; alioquin commodè illac ruentem procellam evaſurum. Nec ſpem felicitas præterîſſet, ut ex profugis, & ratiocinio conſtitit. Scythas enim alia cura diſtraxit, quòd Regi imminerent, quem adventare à Tyra crediderant, ubi Athanaſij Miązynij facinus patratum norânt, in Akmurzam. Quamvis gratior crevit conjectura, à Tyra copias immiſſurum, quòd complures lembos exercitui transferendo Regis illatos ei flumini didiciſſent. At conſilio vires ademit præceps agendi ratio, miſſos cum Boguſſio, excitatus temerè ignis prodidit, qui Tartaros indicio traxit, & egregio molimini interdixit. Porrò Trębowlenſe præſidium centumviratu ſecurum longè glorioſiùs rem geſſit, quàm, ſi numero viciſſet, Præfuit Samuel Chrząnowski, vir, cui parem urbes expetiêrint tutelarem, ſi inexpugnabiles eſſe velint. Confluxerat eodem loci vicinia, periculo in ſecura transferente. Oppugnatio loci cœpit à calamo, qui etſi mutus Orator, ſæpe feliciùs loquitur, quàm manus agat. Imbraimus tentare arcis Præſidem ſcriptô incipit, nec ſuô, ſed alienô. Makoviecium nuper captum adhibet, eiq; negotium ſcribendi imperat. Suaſoriæ deditionis erant, ac ut clementiam Præſes, non arma provocaret. Trębowlam ſcilicet tanti eſſe, ut tantis viribus illudat, quibus majora ceſſerint, ſaperet ante vulnus, cui ſerò pœnitentia comes erroris medeatur. Hoc fuit literarum argumentum, ſed arcis Præfectus, ut erat prompto, audentique ingenio, ſcripto generoſiore utriuſq; minas exploſit. Duplex literarum genus dat abarce; captivo pro ſuaſorijs, obiurgatorias mittit, quòd nimis hoſtilem animum induerit inter vincula, non aliud velit hoſtis, quàm olim civis? non puderet novo ſe crimine contaminare, qui prius nondum eluerit, nempe cui levior ſit labes proditione arcis fœdâſſe nomen, niſi & alteri parem à piaculo notam illitam velit. At ſcilicet, inquit; tu ſapuiſti, deditione ſervitutem pactus. Profuit clementiam imploràſſe, quàm vincula teſtentur, imò tui ſceleris merces me admonet, ne par flagitium conſciſcam, ſi parem in qua meritò gemis, ſortem defugio. Vale, & quoad iratus proditori æther, vivere te volet, in compede vive. Hæc Præſes captivo: aliter Imbraimo. ubi ſtylum mordaci ſale condijt feſtiva ingenij urbanitas. Inſultatorias cœpit à miſeratione teſtatus Ducis barbari ſe vicem tangere, cui loci hujus tenuitas illuſerit. Seriò, te, inquit, ludum habuit, quocunque auctore huc iras, & animum vertiſti: nec opum, nec prædæ hic quidquam, ſi libido auri inceſſit, nihil etiam è divitum tribu, quod manu capias; illud tantùm arx gerit, quo te hoſpitem inurbanius proturbet; ſubeſt nempe aliquid nitri, globorumq; miſſilium, quos in te detonem: ſubeſt, & miles, qui numerum vincat, moriq́ue præoptet, quàm capi. Certum illi confligere, quoad decus cum clade hinc referas: à me nil expreſſeris, præter iras, & tela iræ miniſtræ. Deditionem ne ſomnia, aut ſi ſomnias, vigili tibi haud perſvade; deditio fœtus timoris eſt, quem nec tuus à me tumor, nec furor exprimet. Sed neque, ſi loco potiâre, quod militum virtus, nec cœli imprimis ſinet benevolentia, aut inde tibi gloriæ plurimum, aut Poloniæ aliquid accedet jacturæ. Hæc ego nunc ex arce; mox alia mittã, quæ graviùs feras; experire, an facta ſcripto congruant. Pupugit liber, & dignus martiâ manu calamus, Imbraimum: confeſtim igitur in arcẽ fulminari imperat. Præſtitum id abundè, itumque ultra imperia, ſilente interim Vulcaniâ arcis, donec intra metam tormentariam hoſtis conſiſteret; tum primùm tonare arcis machinæ, nec irrito jactu; Non enim inno-

Litera Makowiecij ad obſeſſos juſſu Imbraimi

Reſpondet arcis Præfectus Makowiecio

Arcius Imbraimo

Arcis validа oppugnatio

innocentes flammæ in caput noxium vibrandæ, quin etiam uno è noſtris fulmine tormentum, quod pontis dorſo ſuperiectum in arcis interitum trahebatur, cum tractorijs operis dejectum. Correxit errorem imprudentia, & ſapere arcis, damnique magiſterio didicit, dum ſe à meta removit. Poſtridie par repetitus furor globos intus jaculis, & exitio fœtos excuſſit, atque vis excuſſæ ſphæræ trochleam aquæ tractoriam corrupit; hinc aquæ penuria, ſi quæ hauſta dein ex puteo, culullo inter operas effuſa ſitim depulit: globi incendiarij in arcem diſploſi quadringenti, ſupra ſex & viginti, aliquâ pecudum ſtrage, minore hominum, qui jam occalluerant ad hæc ejectamenta, facilè aquis offuſis ſævire prohibita. Poſt globos hujuſmodi, ſeu nova Phenellæ poma, deventum ad ſaxa, quibus globorum vicem indidit exhauſtus hoſtis. Sunt, qui Orientales machinas quinquies mille globos vomuiſſe dictitent. Nam è minoribus ſclopis non facilè ict⁹ in numerũ digeras. Paſſa damnũ haud exile mœnia, quòd dejecti murorũ tori ac cortinæ teſtantur. Hominum ſtrages non major, quàm octo & quadraginta Præſidiariis in necem ictis, ac uno Signifero; è vulgo itidem ictus lethales inter opera Martialia paucos abſumpſêre. Quater tentata per ſubjectos arci igniarios fomites ruina, ſed damnavit conatum rupes. Arcis Præfect⁹ animum geſſit, in quem nil caſui liceret, eundem in alijs fovit, etſi ſclopetarijs locum ademerint ſuũa mœnium decuſſa, jamq; penè omnia hoſti aperta, poſt tot feralia jacula. Par animus illius conjugi, quæ inter arcis tentatæ pericula Mariti virtutem auxit terroribus. Gemino armata cultro minas acuit, ceu altero in Maritum, ſi arcem, ſeq; dederet, altero in ſuam cædem uſura. Sic Amazon hæc conjugi minitata. At ille & ſtrenuis cautelam miſcuit, cùm familiares plurium congreſſus imperio, manuq; non inermi vetaret. Veritus ne his conſilium arcis tradendæ clam coaleſceret. Quare ubi ſynodicos ejuſmodi confluxus cerneret, deſtricto acinace imperium acuit, quo valli, murorumq; tutela cœtibus decreta, fandi copiam eripuit, ne dum fœda in cõmune ſvadendi. Captavit & audaciæ ſucceſſum, cùm ex arce miles erumperet, qui è foſſis per obliquum euntibus hoſtem exturbavit. Item hoſtilibus telis uſus, quæ in Thracum retorſit capita, bis mille globis meliore jactu Imbraimo redditis, ictiſq; totidem barbaris. Sphæræ etiam incendiariæ in nos innoxiæ primò reſtinctæ, tum in arce feliciùs accẽſæ peſtem in ſuos poſtliminio fuderunt, Arcis animos firmare Regis literæ vovebant, ſed vota ſuperavit exercitus. Literis argumentum vicinæ Regis ſuppetiæ dedêre. Fatum id Nuntij fuit in barbaros incurriſſe, ſinus excuſſas literas effuderunt. Appreſſum annulo ſignum auctorem dixit Principem, crevitque arcanorum ſuſpicio, & legendi aviditas, apertum ſchedium, lectumque: hinc arci ſalus, ac barbaris formido, quæ non receptui ſigna, ſed fugæ confeſtim cecinit: poſtridie in Cameneci proxima metum cum ſuis detulit, nec noſtro exercitu, nec arcis Præſide ſat eventûs gnaro, qui tamen heri profugum telis igneis proſecutus, quo ad trepidantium volatus ictum exciperet. Tum demum datum arci otium, poſt tam fortia; labor pulcherrimus ad ſextum decimum diem productus. Præfectus præſidij comem paulò poſt Principis, quem cum Signifero adijt, benevolentiam expertus. Neq; præmio, quo parùm ſtudia animis inderentur, caruit virtus, ipſa alioquin ſibi præmium, pretiumq;. Nam Præfecto arcis vicarium Tribuni, ſeu Colonelli munus, Signifero proximum obtigit; minores aliorum præfecturæ mutatæ grandioribus, ne gregarijs quidem honore

A.C.1756

Arce validè ut reſiſtente

Laus præfecti arcis

Fortitudo fœminæ

Eruptionet ex arce Clades hoſtilis

Literæ Regiæ ad obſeſſos intercepta

Hoſtem fugãrunt

Regia liberalitas in Præſidem arcis, & Præſidiarios

A C. 1675 militari vacuis. Muneri accessit congiarium à Principe, quod mille aurei nummi refudêre. Nullus item ex ijs, qui arcis gloriam virib⁹ promoverunt, præmij, laudisq; exsors, sed subditum merituris deinceps calcar, quod præmia gerunt. Numerosior jam in Regijs castris miles. Tum Palatinus Kyoviæ stipendiarias cohortes illis intulit, & Plocensis Dapifer (Kłokocki) mille viros è Ducatu Słucensi Principis Radziwiliæ, aliiquè complures. Placuit hostem inquirere, in quo ferrum tam nobile hebesceret. Præmissi bis mille Cosaci, quibus cura demoliendi pontis Tyræ impositi fugientibus opportunè indicta, quibus additus cum Athanasio Miączynio, & Dapifero Plocen. miles, sed Cosacis potior tunc prædæ, quàm gloriæ, vel imperij amor, qui agrestium catervas cæduâ arbustorum ruinâ circummunitas infestare svasit. Athanasij tamen copias, quâcunq; se inferrent, cadendo sæpiùs adoravit Scythes, etiam captos Dapiferi milites collatis viribus coactus libertati reddere. Ad Gradecum (municipio id nomen favillæ tantùm jam jam superstiti impressum) exercitus hostem operiebatur, ubi Tyras Seretum amnem haurit, eique nomen abolet, at frustra fugientem quis expectet. Adhuc Boguslio exploratrices copiæ committuntur, nec peregrè quærendus fuit hostis, qui se objecit, leucam prætervecto. Hunc sub filij signis centuriatum Hanus captare jusserat Regii exercitûs notitiam. Numerus infra viginti millia desciderat. Difficile fuit Boguslio tantas vires convellere, satius visum est periculum in reditu vincere, non sine armorum industria, in quorum usu duos illi arena citra necem abstulit. Alter fuit Odoiescius, qui ne hosti pretio sua vincula constarent, dum in eâ raptatur, aureos nummos, quos in sinu gerebat, clam in gramen abjectos prædæ eripuit. Juvit hæc viri captivitas haustumq; è nervo Patrium robur, namque ad Chanum deductus, dum virium nostrarum laudem exaggerat barbaros sine pugna profligat, Regem modico intervallo ab ijs dirimi; eundem in Orientis interitum ingentes animos, nec minores afferre aquilas: totàs cum principe ire Litvaniæ vires, hastatæ militiæ (quæ semper hostibus terrori, & exitio fuit) affatim in armis deduci, etiam plerisque Optimatium talia, nec non leviora ad involandum signa ultrò Regis, Regnique obsequio allicientibus. Fidē reperit captivi oratio, alijs in eandem victorum sortem conjectis, è nervo, & compede idē perorantibus. Quare Chanū à Zwanecensib⁹ cāpis formido ultra promovit; Odoiescio ad Imbraimū Ablegato, nec aliud illi, quam quæ pari terrore animos imbuerēt, felici facundiâ ingerente. Sic etiā vincula libertati militant, & vincti victorias parant. Fregit omnes unius lingva, neq; cunctatio fugam impedijt, quin è vestigio ultra Tyram fræna impelleret. Scythæ copiam pontis neglexerunt, sed natatu quadrupedum flumen superare ausi (quid enim non audet in fuga timor?) postridie Hierasum attigerunt sex leucis dissitum. Ibi Odoiescio vinculis onusto libertas patuit industriâ, dum noctem non in soporem, sed in vindicias sui solicitat; hic enim stragulis desuper injectis penè oppressus, & duobus Janizaris velut in cervical adhibitus mirâ felicitate, & à cervicalis munere sensim se emovit, & custodiæ oculos reptando elusit. Potissimus in demendis vinculis labor è bubulo recenti corio confectis; hæc officulo acutiori, quod illum heri offendiculo cruentârat, opportunè asservato dissecuit, demum densas Scythiæ phalanges pari industriâ lusit, atque in fuga equo obvio potitus Tyrā sub Chocimo tranavit. Aucta in pratis felicitas, quibus aurum commiserat capiendus, nihil à quoquam de illo delibatum depositō, quo demum

Sequitur profugos noster miles

Captivus Odoieski magis barbaros exterret

Fugit trās Tyram, & Danubium

Hiemsq; vulgò Prut vocatur.

demum à pratis recepto in castra Regia hostilis fugæ Nuntius, & auctor evasit. Nuntius Regem iterum in egregia impulit. Prima pontis obtinendi studia, qui hostem transtulit. Equiti Melitensi ea cura incubuit. Relicta in pontis custodiam à barbaris Vallachiæ signa, sed custodiæ imperia svasit linquere trepidatio, è nostris eminùs conspectis hausta. Turcæ adhuc Imbraimi vestigia turmatim relegentes supererant, hos quoq; Equitis Melitensis arma peregre propulêre. Inter hæc pigebat moræ bellicæ quosdam è nostris; hi subveriti, ne pons ille incolumis bella nobiscum in Vallachiam transferret, eum incendio corrumpunt. Novæ hinc Principi curæ, quem ausus hic nonnihil affecerat; ergo equitatus cum Martino Kątscio, & operæ pontificio incubituræ mittuntur, si pons flammas expertus sit, sui patiens restaurandi. Sed imperijs intento equitum, ac operarum Ductori nova præda, & arena objicitur. Quingenti currus, qui è Vallachia Camenecensibus annonã invexerant fœnis, aut quatèrnis bobus jugũ trahentib⁹ redibãt; ducebatur & captiva plebs promiscua, cui adhibita in prædæ securitatẽ Janizarorũ vexilla. Læt⁹ obviâ prædâ gloriâq; Polon⁹, & Janizaros cũ Vallachis, & currus invadit. Cadunt ferales hostiæ cædibus imminutæ, & victoriæ præmium tum gloria fuit, tum præter armamentarium tot curruum prædam captivæ plebis libertas. Mandatæ dein pontis excubiæ equitatui sclopetario sub Francisco Galecio, arma Miączynij, & Dapiferi Plocensis cum Melitensi Equite jussa ponte superato Bassæ occurrere, quem currus annonâ onustos sequi vulgaverant captivi. Paruêre copiæ, sed pons oneris primò tolerantior, negatô reliquis obsequiô compage laxatâ dissilit coactique reliqui Equites vada calcare, nec hostis, nec præda uspiam reperta, adeoque redeuntium captivorum fabulam votis opposita refutârunt. Castra igitur repetit miles, hoste jam nullo. Athanasium tamen Miączynium puduit triumphum castris non inferre Ergo Soczavam mercimonijs Turcarum celebrem parte copiarum invadit; statim virtuti patuit, & terror primò, tum excidium successit: quod à præda immune incendium hausit. Ivit latius fama facinoris, & trans Istrum se se extulit metu, qui est in auxeses pronior, plura adijciente. Fama hæc rursus Barbaros profligavit, ac Istrum illicò prætergredi coegit, ne ijs quidem immotis, qui ultra Danubium stativa inierant, quin viciniora fluminis fugâ indecori linquerent. Sic quieta etiam arma timuit Oriens pugnante etiam pro nobis famâ! Etiam Cameneco tunc hostili dempta rerum hominumque adminicula, nec enim foveri scelus par fuit, quod tamdiu rapto exultaret. Sylvæ in proximo consitæ fago, vulgi agmine refertæ; has incolis despoliat, Poloniâ orâque propiore in domicilium vulgò addictâ. Sic enim vicina propugnacula in solitudinem demigrarent, & minuerentur operæ, quibus usi hactenus Turcæ, seu ponte amnem insternere, seu annonam Cameneco devectam vellent. Hinc & in vicos, molasq; adiacentes jus ignibus datum, ne piaculum Orientis nulla non damna plecterent, quæ alieni obsequij, vel commodi spem flammâ vindice abstudissent. Quin & navium nihil, vel opportunæ ad trajectum fluvij trabis relictum, omnia vel amnis navigio, vel incendio miles submovit. Demum exercitu per stativa dispositio Zolkieviam Princeps remeat, victor in paucis incruentus. Vsque adeo & paucitas illi pæanem decernit, satisque est subinde copias minores immensis opponere, ut vincat, & pulchrius est, si non semper lauream sangvis inquinet, viroremq;

A.C. 1673

Alia Regis cura.

Hieronymo Lubomirski

A.C 1674 remque illi funeſta hæc eluvio decoloret. At Imbraimo ut æſtatem penè ignavia eripuit, ſic autumnum fuga, nec initijs non ſat finis congruere viſus, cùm & magnis ſe paſſibus inferret Poloniæ, & auferret. Sed læta aliquantum temeravit paulò poſt Bratslaviæ vertigo. Novi tumultûs fax fuit Buluk Baſſa ſtudioſiſſimus Doroſczenci excidium Regio præſidio clam inibi molitus. Traxêre urbem veſana conſilia, flaminibus Schiſmaticis maximè hanc flammam ſufflantibus, cui ſcilicet miles gravior, quàm ruina. Dies nefarijs deſtinatus, quo Tribunus urbis Conſtantinus Regi, & Reip. addictior indigna pertulit, cum liberis & affinibus Buluk Baſſæ urbis invaſori traditus. Poſt Tribunum verſa in præſidium vulgi audacia, quo nemo fœdiora audet, cùm ſemel furere cœpit mens acta in tranverſum. Præfectus noſtratis præſidij Sakien erat, qui vulgus imbelle, & Buluk Baſſæ conatus armis depulit. Adiecit ſceleri pœnam, civitatis in colle eminentiori ſitæ incendium. Inflammata hinc magis odia in nova exarsêre; obſidione cinctus Præſes, & aquæ ademptæ penuriâ. Is Nimiroviâ vires augeri poſtulat, ab Ahaſſvero Wrzoſpolſcio, ſed miles per diſſita diſtractus vires negavit. Satis tamen ſubſidij abinde tractum, cùm Nimirovicenſes Coſàci in ripa Hyppanis ſubitò comparentes occlamarent, ingentes ſuppetias Nimiroviâ & Kalnico Bratslavienſi Præfecto è veſtigio affuturas. Plus vox ſola hæc præſtitit, quàm promiſſæ ſuppetiæ feciſſent; proſtrari ſinè ferro animi, alibique aſylum quærere coacti; nēpe Ladizini, ubi nidū, & tumultuū ſedē fixerat Buluk Baſſa. Præſtò erat in tumult⁹ remediū. Præſes Bratslavienſis cū viciniæ Præfectis excidio loci ſtudebat, nec dilata molitio, quæ malè pœnas flagitijs perendinat. Aberat Buluk Baſſa cùm Ladizinum invaderetur à Regijs, hic qui Regias partes complexi, exitio exempti. Cæterùm Civitas poſt excidium funeſtis arſit ignibus abolitumque flammis nefas. Hinc verò in imam Bratslaviæ partem colli exuſto antea ſubjectam ignes translati; vallum ruina, ſepimentum valli flamma involvit, atque è rogo urbis, buſtum, & favilla tantùm ſuperfuit; nempe non unum fumat Ilium, cùm intùs odia ignes cient. Nec vitio data eſt ædium ruina, cum qua rebellio rueret, aut, ſi loci vitium fuit, eadem cum loco extingveretur. Præſidij Præfectum cum milite Nimirovia accepit, dignū utique meliore loco, quàm Braslaviâ, ubi Sedem fixit rebellio. Interim Gregorio Vlanecio potiſſima curarum, reliquo Ukainæ tractu Doroſzenkonem exuêre. Boguslavia primus obex; in eum hinc Coſàci emicuerant, ſed in valla omnes retruſit timor, plurimos mucro aut nervus compeſcuit. Ubique felicius dein rem egit, & nuſquam præterijt induſtriam fortuna fortium pediſſequa, quæ jam pleraque in Regis obſequium Gregorij conatu traxerat. Sed in eo poſt alios patuit rara felicium, & diuturnitatis eſſe fœdera! morb⁹, qui maxima intervertit, cœptis primò obſtitit, mox etiam mors morborum comes. Ab ejus obitu Lazinſcius copiarū capit imperiū, nec in imparem id defluxit. Huic tamen Moſchus ſua ſociare arma abnuit, dubium, an arcana molitio interceſſerit? an rumor velut Ducibus Regni, & Lithvaniæ armorum unionem pollicitus, non Lazinſcio. Quare omiſſo cum noſtris fœdere, Moſchus Czechwino ſigna admovet, quod nuper cepit. Terruit advena Doroſzencum, auctuſq; à ſuis timor, qui ſi alieno ſint animo, plus nocent quandoq; quàm hoſtis nôrit, velitq;. Timoris cauſa timor proditionis fuit, cui amovendo Sirkonem in arma tutelaria è Zaporovia evocat, ſolennique ritu, & ſacri profaniq; cœtûs occurſu acceptus hoſpes.

Bratslaviæ vertigo & interitus.

Vlanecij acta

Doroſzenci cum Sircone fœdera

Hîc

Hîc Duumviri illi conceptis verbis mutuo ſe ſacramento contra barbaros obſtringunt, & Moſchi tutelæ ultrò ſubijciunt. Epulo dein lautiore acceptum hoſpitem auget milite, ac ſex tormentis bellicis. Buluk Baſſa ignarus eorum, quæ Zechvini agitata, novis iterum rebus ſtudet; ac municipes Berſadenſes alioſq; Zechvinum compellit. At Quaſſa perjurij religione nil animum tangente Regi, ejuſque gratiæ tot argumentis, compertæ renuntians, Moſcho Ukrainam ſtudet conciliare. Is curribus Berſadenſium, quos Buluk Baſſa deducebat, fortè obvius, ab his Buluk Baſſam depoſcit, ac recipit. Pejus inſanijt Quaſſæ furor, cùm in Lazynſcij copias arma perjura vertit, ſed perjurij pœna dolus fuit, qui eum in caſſes impulit, è perſonatæ fugæ voto à noſtris in ſpeciem adhibitæ, ut in totas Lazinſcij vires, læſæ fidei, Majeſtatiſq; reus traheretur. Detulit hominem, quò noſtrorum fuga voluit, cùm Lazinſcij robur exabdito ultricia arma profert, ſtatimque adverſos opprimit. Perijt & Quaſſa mille necium reus, ſed unâ hac infelicior; Buluk Baſſæ injecta vincula cum ſcriba Caſtrenſi; parſum curribus, qui Boryſthenem pòſt tranârunt. Annus jam ſæculi labentis quintus ſupra ſeptuageſimum haud peregrè à meta abeſt, cùm interim ab armis non nihil ceſſatur inter ultima Ukrainæ fata, quæ poſt tot incendia in vaſtam eremum abijt, nil jam uſpiam vicorum hominumq;, niſi ubi præſidia fiximus, nempe Niemiroviæ, Kalnici, Pavolociæ, Bialocerquiæ, Kotelnæ, Czarnogrodcijs, Dimieri. Quam enim partem Moſchus inſederat, ut Kanioviam, Tripolim, Staykios, reliquit, & Corſunio ad favillam damnato ſolam Kijoviam præſidio retinuit; Zabotinum, Sobotoviam, Chechrinum &c. *A.C.* 1675

Buluk Baſſa, & Quaſſa interficit

VOTUM IN SENATU ANTE CONSILIUM BELLICUM ANDREÆ OLSZOWSKI EPISCOPI CULMENSIS PRO-CANCELLARII REGNI.

SIt id manifeſto, gloriæ & virtutis, orbi documento, fluat, fluetq; in ſeram poſteritatem, nunquam tacendæ, & tacituræ famæ præconio, nuſpiam memoratum, memorabile ſemper ingentis animi Regiæ Majeſtatis exemplum, an prodigium, quòd novo, nec ullis, modo reperto fatis, non celeritate ſed maturè deliberans, cunctando Thronum Regium conſcenderit; Poſt fortunatam verò ſacra inter altaria Domini, heſternâ luce inthroniſationem, ad conſilia publica, ad ſublevandam, caſui proximam Rempub:, nullâ morâ properare ſit dignata; plane teſtudo ad ſolium; ad Patriæ ſalutem Aquila. Non ponit Regiæ inter fortunæ lucra, fulgere oſtro, & diademate; verùm primario à bellico nobiſcum conſilio capeſſit Rempub:, ferro prius, quàm ſceptro, & caſſide, quâm corona clareſcere, inter fauſta regnandi cenſet auſpicia, ut in hoc conſultationum ſacrario, ſolido bellico conſilio, in Martio campo prompta & valida potentia, contra S. crucis hoſtes, vitæ propriæ diſpendio, ſalutem, & integritatem Patriæ tueatur: non rectorem & dominatum, ſed cives & Patriam cogitat. Meruit diſerta lingvarũ pennarumque præconia, boni quondam vox Imperatoris Romani: Amici perdidimus diem: Elapſum non modicum temporis gerendis

A.C. 1674 dis negotijs, & conſilijs noſtris, fatali tarditate; at compenſabit id, aſſequeturq; paterna Regiæ Majeſtatis ſolicitudo, quæ minimè perdit diem, dum nobis luminibus, & columinibus Patriæ convocatis ad conſilium, quod premit & perimit Rempub: repræſentat. Pertingit ad aures omnium hoſtilis potentiæ pavor, quam orbi formidandam, quis melius ponderare poteſt, noſtraſq; enervatas & exhauſtas vires, quam tot bellis, & victorijs erudita conſummata Regiæ Majeſtatis prudentia, quæ, ut ipſa perpendit, ſic vobis ſervandæ Patriæ rationes ad commune & efficax proponit conſilium. &c.

PROPOSITIONES LEGATORUM à PRINCIPIBUS EXTERNIS MISSORUM IN ELECTIONE IOANNIS III.

Varſaviæ II. Maij inchoatæ.

PRIMA LEGATIO LOTHARINGICI.

PRopoſitio *ima*. Offert Sereniſſimus Princeps ea ſubſidia, quibus urgentioribus neceſſitatibus ſubveniri, & militiæ de toto Orbe Chriſtiano tam bene meritæ ſtipendia in nonum, ab hoc præſenti, menſem, vel tria, ut vulgò vocant quartualia exolvi poſſint, quibus & nobilitas ſublevabitur, & militum ardor ad nova facinora excitabitur.

Explicatio. Tria dicta Quartualia perſolventur exercitui Polono & Litvano, ſecundùm numerum in ultima convocatione deſignatũ.

Primum Quartuale incipiens à 1ma Maij ſolvetur Varſaviæ, decimo quinto die poſt Electionem & nominationem Regis.

Secundum Quartuale incipiens à 1ma Auguſti, ſolvetur eomet die. Interim aſſecurabitur Gedani intra duos menſes poſt nominationem & Electionem Regis.

Tertium Quartuale incipiens à 1ma Novembris, ſolvetur eomet die, & aſſecurabitur intra tres menſes poſt nominationem Regis.

Propoſitio *ſecunda*. Offert quinque Peditum millia ſervitio Sereniſſimæ Reipublicæ, pro hac imminenti Turcica expeditione ære proprio ſuſtentanda.

Explicatio. Tradentur & adducentur in idem temporis, quo movebitur exercitus Polonus & Litvanus contra Turcas ſive pro 1. Julij.

Propoſitio *Tertia*. Cedet Lotharingiæ Dux in commodum Sereniſſimæ Reipub: durante vitâ ſuâ medietatem ampliſſimorum redituum Lotharingiæ & Barri Ducatuum, qui ubi Hæreditario Jure ad Principem Carolum devoluti fuerint, accedet & altera medietas rebus Polonis in priſtinum ſplendorem reſtituendis liberaliter applicanda.

Explicatio. Extradet Sereniſſimi Ducis Plenipotentiarius actum authenticum illius ceſſionis vi plenipotentiæ ſuæ, ad cujus actûs exhibitionem Generalis Lotharingiæ Theſaurarius abſque mora ſolvet.

Redi-

Reditus autem Lotharingiæ & Barri Ducatuum, & ditionum annexarum ad Ducem Lotharingiæ pertinentium sunt amplissimi, salinarum fuerunt ducentorum millium aureorum annuatim, cùm distributio salis extendatur ad Regiones adjacentes, Helvetiam, Alsatiam Palatinatum Argentinam, Marchionatum Badenæ, Ducatum Bispontinum, Electoratum Trevirensem. *A.C.1674*

Propositio *Quarta.* Assumet Sereniſſimus Princeps quingentos Polonos Nobiles in corporis sui custodiam in qua tanquam in Seminario ad ulteriora in militia officia formabuntur.

Explicatio. Si ita placet Sereniſſimæ Reipublicæ.

Propositio *5ta.* Bina in confiniis Fortalitia, unum in Turcicis, alterum in Moschoviticis, sumptibus propriis extrui curabit, nisi Sereniſſima Respublica maluerit eos Cameneco, ubi recuperatum fuerit, muniendo imponi.

Explicatio. Si ita placet, statim ac Sereniſſima Respublica judicaverit, loca curabuntur muniri.

Propositio *6ta.* Gymnasium pro centum nobilibus Polonis, exercitiis Equestribus imbuendis, vel Mussiponti in Lotharingia, vel in ipsa (si libuerit) Polonia fundabit

Explicatio. Lotharingia est quasi medium Europæ, ex qua potest quòlibet peragrari. Mussipontum est in ipsa Lotharingia Urbs insignis, in qua jam est Academia fundata. Ibi omnes facultates docentur, ibi commodiſſimè poterit esse locus singularis pro centum Nobilibus Polonis, præter literas humaniores, in Mathematicis & alijs exercitijs Equestribus instituendis, si magis libuerit Sereniſſimæ Reip; in Polonia fundari illud Gymnasium, utique Sereniſſimus Princeps assentietur. Constituetur reditus dicti Gymnasij ad majorem securitatem, super proventus Lotharingicarum salinarum.

SECUNDA LEGATIO NEOBURGICI.

PRopositio *1ma.* Primum occurrit, nec minimum Rempublicã nihil susceptura incommodi, Principe Palatino Rege, nec enim illi cum ullo in Europa Principe dissensiones, aut bella sunt sed amicitia cum omnibus, cum multis fœdera.

Secunda. Etsi noscat Sereniſſimus Princeps tam augustam Rempublicam conferre Regibus ornamenta, & commoda, non ab illis expectare solitam esse, tamen non ignarus præsentium Reipublicæ necessitatum, solvet unius anni stipendia militiæ Polonæ & Litvanæ, tam præclarè de Republica, & universo Orbe Christiano meritæ, eâ ratione, ut intra tres à nominatione (siquidem illa per DEI & Procerum favorem in ipsum cadat) hebdomadas, duos milliones, & post mensem primum solutionem secuturam, alteros duos milliones florenorum Polonicorum, monetæ currentis, reliquam summam post trimestre à secundo termino computandum exolvi faciet, ut ijs nobilitas

A.C.1674 bilitas ſublevetur.

Locus ſolutionis erit Gedanum, aut Hamburgum, pro aſſecuratione obſtringet ſe Sereniſſimus Pater, cum Provincijs Hæreditarijs Reipublicæ, quæ Provinciæ non ſunt ſomnia, ſed tres in Imperio Romano, majores & opulentiores Ducatus; Neoburgenſis, Juliacenſis, Montenſis, quos poſſidet, minores prætereundo ditiones.

Altera aſſecuratio in Pactis conventis, & juratis conſtare poteſt.

Tertia ex oratione magni Galliarum Legati ad Rempublicam in commendationem Sereniſſimi Principis Neoburgici habita, intellecta eſt, cum fide juſſurum aſſeruit Chriſtianiſſimum Regem, de ijs, quæ Sereniſſimus Princeps oblaturus eſſet.

Quarta eſt, quòd ſua Regia Majeſtas Sveciæ & Sereniſſimus Princeps Elector Brandeburgicus, eandem, quam Rex Chriſtianiſſimus de promiſſis ritè præſtandis fide juſſionem, ſi eum Reſpublica deſideret, non difficiles dabunt. Nec minus Gedani & Hamburgi Mercatores, ad quos literæ cambij dirigentur, ſecuram de ſolutione reddere poſſunt Rempub:

Comparabit, ſi Reſpublica deſideret, & vicena veteranorum Peditum à ſua Regia Majeſtate Sveciæ, & ſua Serenitate Electorali Brandeburgica, ſex millia absque ſuis ſtipendijs, donec bellum Turcicũ compoſitum fuerit, eaque intra ſex poſt nominationem hebdomadas, in finibus Regni ſine damno Reipub: ſiſtet.

Sereniſſimus Pater antevertens fata, ſtatim cedet Ducatuum Juliæ & Montium ampliſſimos proventus Sereniſſimo Filio in ſubſidium præſentium Reipub: neceſſitatum impendendos.

Poſt fata Sereniſſimi Parentis, quæ DEUS diu nolit, omnium Paternarum ditionum ex aſſe Sereniſſimus Filius Jure primogenituræ in Domo Neoburgo-Palatina conſtituto, omnes omnium reditus rationibus, commodis ac gloriæ Reipub: applicabit.

Duo munimenta ſuo ære conſtruet, modo & loco, quo Reſpub: præſcripſerit, aut Coloniæ ad Rhenum, aut Ingolſtadij ad Danubium, aut in ipſa hac Republica Collegium fundabit, in quo centum Poloni, Litvaníve Nobiles in liberalibus literis, & exercitijs Equeſtribus & militaribus inſtituantur.

Prætoriam cohortem quingentorum, vel etiam ſexcentorum nobilium Polonorum, Litvanorúmve in cuſtodiam ſui corporis, ſi Reſpublica optabit, adſciſcet & ſuis ſtipendijs alet.

Matrimonium ex Regni legibus inibit.

Aderit Reipublicæ, quantocius ex tempore, quo Reſpub. præſcribet. Amicitiæ & armis Reip. amicos & confœderatos ſuos contra communem hoſtem adjungere conabitur. Omnia ſub ijsdem initio nominatis fide juſſionibus & promiſſionibus.

Rex Chriſtianiſſimus totam nec indecoram officijs ſuis cum Turca pacem promovebit.

TER

TERTIA LEGATIO MUTINENSIS. A.C. 1674

PRimo Intra duos menſes à die prænominationis tres milliones in bona moneta argentea omninò dare pro ſtipendijs militum contra Turcas promitto.

Secundo. Non tantùm modò, ſed alijs occaſionibus præſto eſſe Poloniæ pro viribus ſuis.

Tertio. In utroque Ducatu, tam Mutinenſi, quàm Regienſi, & alijs ditionis Ateſtinæ occaſione ſtudiorum pro nobilibus Polonis, & Magni Ducatûs Litvaniæ omnem exhibere commoditatem, ſi & quatenus illis placebit ibi immorari.

Quarto. Rogat, quatenus etiam dignentur ſe ſe reflectere ſuper commodis majoribus, quæ provenire poſſunt ex Regno Angliæ, & quæ etiam proventura non diffidit ab affectu ſinceriſſimo illius Majeſtatis, erga ſuam Sereniſſimam Celſitudinem, conteſtato ultimo, quando fuit in Anglia, tanquam ſuo Cognato.

Quintò etiam in Aula Romana aſſecurat, quòd tam Cardinalis Barberinus ſacri Collegij Decanus, quàm etiam Cardinalis Carolus illius Nepos, & tota Domus Barberina pro viribus proprijs inſervient ſemper Regno Poloniæ. Et jam ſatis nota etiam moderno tempore pietas, & generoſitas dicti Cardinalis Decani, & quantum agat pro contributione ſtatuta Decimarum ad illius Regni favorem.

Ulterius rogat, quatenus advertere velint ipſum Principem eſſe liberum, & independentem, nec ulli Monarchæ malè affectum, ſed bene viſum omnibus, præſertim Domui Auſtriacæ tanquam Pronepotem Philippi ſecundi Hiſpaniarum Regis, unde ab utraque Corona ſubſidia contra Turcas & alios inimicos Poloniæ ſperare poterit, præſertim à dicto Rege Angliæ.

QUARTA LEGATIO DANIÆ.

QUod Sereniſſima Reſpub. inclyti hujus Regni Poloniæ, me tamen ſolenni deputatione dignata fuerit, erit utique, de quo gloriari ſummoperè poſſum, firmiſſimæ innixus ſpei, tam felicibus auſpicijs ſecundùm Sereniſſimi Regis mei, quàm ſimiliter Sereniſſimæ Reip. vota & emolumentum bene ceſſura. Sed cùm Excellentiæ, uti & Perilluſtres M. ac Generoſæ Dominationes Vræ propius deſiderant de adventûs, negotijque mei capitibus, plenius informari, duxi ipſis breviter exponendũ quòd ſacra Regia Majeſtas poſtquam intellexit in præſenti Reipub. orbitate in paucos propendere in perſonam Sereniſſimi Principis Georgij Fratris ſui amantiſſimi, huc me miſerit tentatum, nũ aliqui tractatus eâ ſuper re cum Serenisſima Republica erigi, aut concludi poſſent, ſed tamen hoc cum moderamine, ut ſi aliorum modo inter ſe colluctantium Candidatorum partes jam nimis promotas viderem, ego non temere nimis Regij honoris apicem caſui exponerem. Atque cùm etiam nunc

A. C. 1674 res in eo statu sint, ut de successu prædictarum partium, nihil adhuc certi sperari possit, ita honorem hujus negotij planè in sinum confidentissimè hujus coronæ dimittit, ut si spes sit aliqua de felici negotiationis eventu assequendo, res hæc quàm celerius ad optatum exitum deducatur. Ut autem Excellentijs ut & Perillustribus, Magnificis ac generosis DD. Vris tantò certiùs de intimis Sacræ Regiæ Majestatis sensibus, & quanta in Serenissimam hanc Rempublicam præstare in animo habeat, constet. Sequentia Excellentias Vras abundè docebunt eâ de re.

1mo. Offert Serenissimus Rex fœdus in defensionem mutuam, quòd quidem cujus pretii, & existimationis habendum sit, facile ex præteritis temporibus & superatis per Divinam misericordiam periculis, judicari poterit.

2do. Offert amicam interpositionem inter Cariam suam Majestatem Moschoviæ, & inter Serenissimam hanc Rempublicam.

3tio. Offert tres milliones currentis monetæ.

4to. Offert quinque millia Peditum selectissimorum Sacræ Regiæ Majestatis Sumptibus ad dimidii anni spatium sustentandorum, quos deinceps tamdiu in Serenissimæ Reip. stipendiis relinquet, usque dum Serenissimus Rex ipsismet rursus indiguerit.

5to. Offert pro mercaturæ vix non penitus collapsæ restauratione, pro virili se decertaturum, sed cùm in præsenti minutiæ hujus articuli satis commodè explicari non possint, ita in ipso temporum progressu plura ad hanc rem concernentia detegi poterunt, præsertim cum jam sub felicissimis Serenissimi Regis auspiciis Indiarum Orientaliun merces in Daniam recto itinere deducantur, quarum distractio hic perquàm opportuna institui poterit, taceo jam, & longè plura, quæ ex tam abundanti, & quotannis multos milliones, superante scaturigine, promanare possunt immensa commoda. Quòd si ergo Serenissimæ Reip. visum fuerit, cum requisita ad id plenipotentia me sistam. Sin verò minus, & si fortè obstacula, quæ clam non superanda se se offerunt, amicæ saltem genti hæc dicta sint, dum Sacra Regia Majestas, uti dictum Illustrissimis Ordinibus, & florentissimæ hujus Nobilitatis Generositati hoc negotium saltem amicè conciliandum proponat.

6tò. Offert Serenissimus Rex, si fortè contingant tractatus hosce ad felicem exitum deduci splendidissimam & hujus Reipub. convenientem legationem, quæ S. R. Majestatis gratitudinis sensus, & quàm bene Serenissimæ huic Reip. consultum cupiat, ulterius exponere possit.

Denique magno utique mihi verborum apparatu opus esset, si condignas Serenissimæ hujus Reip. grates rependere deberem, pro tam solenni & splendida hesternâ die mihi decreta audientia, cujus honoris participem fieri, & coram tam Illustri congressu, ut & instituta

tuta nunc hodierna deputatione Serenisſimi Regis mei commiſſa mihi munia imponendi. Mihi planè improviſi in valetudinem meam inſultus facultatem non permiſerunt. Ego ſanè tam magnanimę propenſionis nunquam immemor, me Illuſtriſſimis DD. Vris officioſiſſimè commendo. *A.C.* 1674

QUINTA LEGATIO SABAUDIÆ.

PRopoſitiones Franciſci de Caillire Equitis Romani Rupis Chellę & Gninij Ablegati Sereniſſimi & Potentiſſimi Principis Thomę à Sabaudia nepotis ſui, quem inter Candidatos Sereniſſimę & Potentiſſimæ Coronæ Polonicæ, Magniquè Ducatûs Litvaniæ proponi ſtatuerunt.

Propoſitio *ima*. Promitto & offero in nomine dictorum Sereniſſimorum Principum in meæ Plenipotentiæ virtute ad Sereniſſimam Remp. Regni Poloniæ & Magni Ducatûs Litvaniæ duos milliones argenteos florenorum Polonicorum bonæ pecuniæ ad ſolvenda ſuorum Exercituum ſtipendia, & hoc mediante unanimi Electione & Coronatione Sereniſſimi Principis ex Sabaudia. Qui milliones in Urbe Gedanenſi ſunt parati apud mercatores, qui meis mandatis eos remittent.

Secunda. Promitto etiam in nomine Sereniſſimi & Potentiſſimi Ducis Sabaudiæ Regis Cypri clementiſſimi mei Domini auxilium quinque millium Peditum ſtipendiatorum, uſque ad firmam & ſtabilitam pacem cum certis bonis & honorificis conditionibus inter Sereniſſimam Remp: & Turcas, aut ſi mavult Sereniſſima Reſp. hoc auxilium copiarum in annuum pecuniæ ſubſidium convertere.

Tertia. Promitto, ſi Sereniſſimus meus Princeps eligatur magnas ſuas ditiones, bona & dominia, quæ in Gallia nunc poſsidet (multaque alia, quæ Iure ſucceſsionis poſsidebit) nempe Principatum & Ducatum Carignenſem, comitatum Auguſtæ Sveſsionum, Comitatum Druchoctorenſem, Comitatum Elermontij, quorum ſinguli magnorum Principum Regij Gallici ſangvinis Dominia, & peculij attributiones olim fecere, multaſque alias ditiones minores, quæ ad Sereniſsimam ſuam Celſitudinem pertinent, venditurum, & in pecuniam converſurum, & quæ ſummam octo millionum argenteorum florenorum bonæ pecuniæ conficere poterunt. Quos milliones poſt ſuam Electionem ſine intermiſsione in Poloniam venire jubebit, ut iſtis commodius & facilius hujus Potentiſsimi Regni quietem, ſecuritatem & felicitatem ſtabilire valeat, eamque à cupreis monetis, quæ harum Regionum commercium perturbant, ruinantq;, purget, & liberet.

Quarta. Præter quas conditiones oblatas & promiſſas in nomine Sereniſsimi Ducis Sabaudiæ Regis Cypri & Sereniſsimi Nepotis ſui, multa alia ſubſidia, & auxilia, maximè Sereniſsimus hic Prin-

A.C. 1676 ceps accipiet ex parte Sereniſsimorum Principum, quaſi conſangvineorum, cognatorumque Sereniſsimi hujus Principis, & Fœderatorum Regiæ ſuæ Domûs, quę auxilia conſiſtent in duobus alijs præſentibus millionibus, in alijs copijs, aut ſubſidijs annuis, de quibus propoſitionibus, quę ad pecuniam attinent, confirmationes & teſtimonia mercatorum dare offero.

XXXIII.

GALLEACEO MARESCHOTTI NUNTIO APOSTOLICO IN HISPANIA ANDREAS CHRYSOSTOMUS ZALUSKI

die 1mâ Junij

Relatio Comitiorum Coronationis Joannis III & Funeralium Joannis Caſimiri, & Michàëlis Regum.

PRoſequor, quoniam ſic juſſiſti, relationem injunctam, in qua deſcribenda inter faſtigia votorum meorum mandata tua numerans, deficiam potiùs, quàm defatigabor. Jam non ex rumoribus vulgi hæc accipies, ſed ex me, qui præſens interfui, quamvis fortè in enarrandis omnibus par voluntati non ſuppetet facultas. Sufficit, quòd novis in benigniſſimis literis tuis incentivis, & in hoc ipſo, quo nihil facio libentius, calcar mihi addi credo. Ac proinde in corde perfecto diligenter vanâ rerum imagine non captus, & exactè id exaro, quod affectus in te meus & gratitudo jubet: nam animus & ad obediendum tibi promptitudo eadem eſt, ac fuit. Non dubito te & lætaturum, & temporibus noſtris hoc Principe gratulaturum, ad cujus conſtituendũ imperiũ contendere virtus & fortuna videntur &c.

Indicta Coronatio Regis

Amœnioribus ergo diſpungam triſtia, & à ſolitudine Ukrainæ in urbem Regni Principem mentem tuam revocabo. Armorum labor Principi tandem in auguſta deſijt, quem Regalis inauguratio excepit. Diſtulit hanc modeſtia ultra ſeſqui annum. Sat moræ, ſi ambitûs morem ſpectes; plus, ſi quandam meritorum iujuriam, quæ tamdiu extra faſtigium. Differre ſolij aſcenſum fuaſit oblata campi gloria, quòd nihil ingentes animæ grande reputent, ſi temporis ratio id ſinat creſcere. Ante indicta publico edicto inaugurationis dies, quæ in pares veterum triumphis impulit apparatus. Nemo non in ejus diei gloriam laboravit, ne meritis demeret, quidquid decederet quæſitæ elegantiæ. Non parſum impendio, non arti, aut ingenijs, nec Dædala vacavit manus, ſeu ſubitarias moles in urbe conderet, ſeu cultum inſtrueret, qualem hæc ſcena ambiat, & theatrum. Cracovia urbium Poloniæ caput, omnis apparatûs meta; nec impendij ipſa parcior. Hæc ingreſſu Principis extrema Januarij ſerenavit, ubi nihil non magnificum, & ex auguſtæ ſcenæ more, Veterum magnificentiæ præreptum decus, urbs, & quorum ætas retrò pertigit, conteſſa. Cœlum minacius primò viſum, quàm ut Serenitati pompæ voveres; & ſparſa nivium pruina ſpem ſudioris cœli abſtulerat; ſed aura ſubitò lætitiæ votis obſecuta tamdiu infeſtior donec ſerena omnia ingreſſus poſceret, cum quo aura mitior, nec jam æther nubilus. Ante urbis aditum frequens Procerum occurſus, & Equeſtris Ordinis, imò & urbanæ elegantiæ teſtis comitatus frequentia, ſpeciem exercitûs geſſit, uti nec parvo ſe magna inferunt apparatu. Frontem urbana tenuêre. Propior Majeſtati flos Optimatium. Sub ſignis viginti centuriatæ urbicæ cohortes, cultu & elegantiâ Germanicum, ac Polonũ agmen

Solennis ingreſſus Principis Cracoviam

Comitatûs frequentia

agmen à primis distingvente. Urbanis militaria signa succesêre. Primò peditum legionibus Ductore Generali Denhoffio, & Morstzynio aucta pompæ celebritas. Armis jam levioribus insessa area quæ sub compluribus auctorata vexillis Equestrem traxêre militiam. Huic auctior successit loricatus miles, & ab armis, aura, & pompæ elegantia exsplenduit; secutæ cataphractorum aquilæ, & horrida hastarum seges. Militare hactenus, & sub signis agmen, jam extra decus armorum à cultu Patrio, & avita luce spectabile. Præivit equitum Polonorum illustris globus, numerum æquârat splendor, aliàs pauca recensêre solitus, quæ illustria à paucitate pretium alibi captante elegantiâ; sed hîc pretium intendit par decori agminis multitudo. Alius dein equitatus tum Patrio, tum extero amictu utercque splendore certabat, neuter victor, neuter victus. Auctus iterum ad geminum mille equitum prodromorum numerus, quem præclustria Polonorum nomina conflârant. Hi tamen adhuc extra majorum Procerum florem, & laticlavios Reipublicæ Quiritcs, quos propiùs admovit Mti nativa, & munerum celsitudo; ultima hi obtinuêre, & ante Principem inaugurandum purpurati Antistites, quos inter Regis Christianissimi Legatus Tussanus de Forbin Massiliensis Antistes. Tum Rex Persico sublimis equo, cui patrios cultus aurum accenderat, & soli certaturi adamantes. Equitanti porrò adstitêre Æthiopes, quibus amictus cultior injuriam vultûs absterſit. Persæ item quadrupedi Regio circumfusi quatuor supra viginti levi serico cyaneum cœli in vestibus exprimente. Persis proximos locus defixit comites serico intus, extra peregrino vellere amictos. Tum viginti quatuor secuti ephebuli, quibus ætatem floridam pinxit insuper artis vellerum tinctoriæ penicillus. Pòst equo visus frangere gradum refusus ab auro tumor; phaleræ illi ac ephippium à pyropis arsêre. Ducti & alij duodecim equi Regales, quibus par à natalibus, & induvijs superbia. Ponè equitatus meliore cultu, quàm stirps vel manus tulisset, utpote cui Prætorianæ excubiæ per humilius obsequium demandatæ. Hic avida Regis, Regnique insignia acu Phrygionum depicta vestitu præsetulit præduce Joanne Gorzynscio Satrapa Starogardensi. Dein lecticæ Regiæ holoserico desuper, auroque intus graves; fuditque superbiam in aurigas è Serum vellere contexta chlamys. Lecticis hinc pedites, quos cultu à Janizzaris vix distinxeris; illinc alij cultu Hungarico circumfusi. Per lecticarum vestigia ivit sclopetariorum equitum legio Duce Francisco Galecio non sine suæ Musurgiæ gratia; tum Raitrûm turmæ geminæ, ac diversi equitatus signa octodecim. Mitto lecticas tot sejuges, longè ante prævias, quibus numerum penè abstulit multitudo, magnificentiam auxit pretium. Hoc comitatu per arva jam urbi vicina sese inferebat Majestas bisseno tubicine inter prodromos viciniores Principi præcinente. Hic primò campum inijt suburbana hospitalitas, quæ obvio Clepardiæ Magistratu, solenni salutantium ritu Principem venerata. Urbs deinde cultissima Romæ veteri parem submisit Senatum, in hospitalissimæ urbanitatis argumentum. Egit hic omnia è decoro urbis, & Principis dignitate. Pomœrium urbis consecrat Divi Floriani Martyris Basilica, hanc suburbana primò offerunt, & hospitem accipiunt Mtem; nec enim Princeps Orthodoxus inter sui terrenos cultus à Divorum cultu abstinet, & Regum exuvias illic tantisper deposuit mos Patriæ, quibus crastinus parentaret dies? Ante vestibulum Basilicæ Jagellonica universitas Principem plausu salutatorio excepit. Tenuit oratio tum urbana ante, tum deinde literaria hospitem, quarum plausui satis sit tan-

A.C. 1676

Occursus Principi honorarij

A.C.1676 tus Auditor. E templo iter triumphale repetitum. Porta urbis non ante manibus Regem intulit, quàm primæ ſubjectionis ſymbola claves urbs obtuliſſet. Id verò urbaniſſimè actum per loci Præſides. Hinc verò nobilis in urbem pompa manavit. Equitantem Principem tela aurea penſile mentita laquear ſurſum erecta inumbrabat; octoni è Conſularibus ſuperbum id pegma (urbis illuſtre donum) deauratis epiſtylijs ſurſum extulêre, ivitque hic cum Principe per urbem tholus inter reſonos plauſus, quos ciere ſolent, tum tympani, æriſq; ſonitus feſtivi, vel excuſſa arcis, turriumque tonitrua. Exſtructa & magnifico opere theatra, novæq; intra urbem portæ triumphales, quas pictura teſtis operum, animique urbani induxit. Primæ aquila argentea imminebat, alis in proniorem volatum explicatis; pacis ſchema, iridem pectori impreſſam gerens, ac epigraphen: *in ſalutem Patriæ.* Medium hinc Procerum avita ſymbola depinxêre, Regio nomini deſuper incubanti ſubjecta; illinc Regum ſimulacra cognatis inſignibus, partiſq; olim triumphis diſtincta. Hæc citerior ingredienti ſubitariæ molis ſpecies; ulterior ejuſdem pars Reginam obtulit, auguſtam throni Conſortem cum ſcuto, Principis nativo ſchemate, quod ſacratius lemma condidit: *Dediſti mihi ſcutum ſalutis meæ.* Seu id Patria diceret Auguſtæ Principi, ſeu Regnatrix eadem cœlo, cœlitumque Principi DEO. Alibi via Regia per triumphale pegma venas marmoris ementitum. E tholo altiore propendebat portitor Coronæ Angelus, illud lemmate teſtatus: *Triumphatori addo triumphum.* Porrò ne triumphatorem requireres, quem ſententia indicârat, media tholi Regem obtulêre, equo barbaris invectum, quos hinc, inde domitos ſchema retulit. Oppoſita molis facies Angelum geſſit, qui Polonis præripere viſus coronandi Principis munus, in ejus Cæſarie Regalem ex auro tæniam reponens, cum adjecta epigraphe: *Victorem orno coronâ*, quaſi in cœlites genios urbs transferret obſequia, quibus vix tellus ſufficeret, nempe aliquos Heroas, ut terra non capit, ita nec ſatis acta Heroum per ſe remuneratur. Hac ergo viam inijt, hoc arcem comitatu attigit inaugurandus Princeps effusâ in ſpectaculũ urbe, Regnorumq; tot advenis, atq; oculis ſibi de ſcenæ novitate blandientibus, arx demum in jura hoſpitalitatis involat, viæ terminus. Ante arcis oſtia, Regiæq; veſtibulum iterum ſolennis ritus. Satrapa Cracovienſis, idemque Regni Dapifer inter comiſſimæ ſalutationis officia clavibus de more oblatis arcis ingreſſui proluſit. Feſtiva in arce omnia, limen Eccleſiæ nobilior clerus cum ſalutis internuncia voce occupârat. Ulteriora ſacræ Baſilicæ Antiſtitem Cracovienſem Ducem Severiæ obtulêre; fixum ad Divi Stanislai Præſulis tutelares aras; nihil hic omiſsũ lingvâ vel apparatu, quòd tam læta, tam auguſta depoſcerent. Tum deinde cœlitum ſolenniores inibi cultus, & ſacri carminis gratiæ. Per Divorum atria iter ad Regiam Orthodoxæ Mti, ubi demum auguſtus viæ terminus fuit. Tonantium machinarum ſonitus repetiti iter clauſêre. Sic dies hic exijt, nec aliud illi Oriens cum primo diei radio infudit, nec occaſus, quàm auctam in momenta animis voluptatem.

Arcus in urbe Triũphales

Joannes Wielopolſki

Pompam hilarem poſtridie excepit lugubris. Regum parentalia hanc indixêre, nec id non ex Patriæ more, quæ coronandis Regibus Manes oſtentat coronatos, & capit novos phœnices ex auguſto cinere; credo, ne mortalitatis mentem eximat fortuna, ſed primordia regnandi inſinuent finem. Duos extulit Reges, dum unum hunc ſolio inferret Polonia; Joannem Caſimirum, & Michaélem Primum: illum è Jagellonia, hunc è Korybutia propagine, utrumque purparatæ Regum, Prin-

Funus Regũ Poloniæ Joannis Caſimiri & Michaélis Primi

cipumq;

cipumq; origini longè retrò immiſtum. Primum exauctoravit Regno modeſtia, rarumque inter Reges ejus fortunæ tædium, alterum præcipitata in ſolio fata, ſic, ut omnes mortales inter, ita Regiæ fortunæ finis eſt cinis. Juſta, ceu poſthumus extinctæ Majeſtati honos penultimâ Januarij impenſus. In Divi Floriani ſuburbanis ædibus depoſitæ primò mortuali ſuggeſtu Regales exuviæ, & inde parentalis pompa. Nec ſteriliùs manârunt lachrymæ, quàm heri gaudia exundârint; pari multitudine funus bis auguſtum, ac triumphales pompas proſequente. Plurimos fortunæ vel ab obitu veneratio; non paucos novi funeris ratio excivit, quod duos è throno in tumulum ferret Principes; vix antea viſum ſpectaculum; funeris editor Antiſtes Cracovien. Is in Joannis Caſimiri Manes vectigale teſtatus ſtudium, quo merita par ſit proſequi, revocato domum è Galljis poſt fata velut exule Purpurato, & Jagellonum avitis cineribus intermiſto. Idem Præſul Joannis Caſimiri exuvijs auguſtius recondendis magnifico impendio molitus ſacrarium pariter, atque Mauſolæum, quod alijs Regum cinere, & Baſilico apparatu prætumidis decus ſe ipſo iminuit, geritque illud à noſtro Vate inſcriptum;

A.C. 1676

Hoc Jagelloniaci poſtremus nominis hæres
Marmorei poſuit grande laboris opus.
Tot Regum cineres, tot pignora cara tuorum
Colligis auguſtâ Rex Caſimire domo.
Haud erit una ſatis tot Majeſtatibus ædes
Pro quibus anguſtus, quà patet orbis erat.

Inſcriptio Sacelli Regij

Funeris magnificentiam auxêre plurima, quæ proſequor. Effuſa extra ſe Civitas atrato agmine prima parentavit. Ibat & mœſta Univerſitas, quæ à Jagellonum munificentia, gratijſque originem deducit, nec enim ingratam eſſe beneficia ſinebant, cùm & literas par ſit colere, quæ in literas effunduntur, & ſemel duntaxat gratæ in Jagellonicam Domum eſſe poſſent, ex qua poſtremus Ioannes Caſimirus regnatricem Familiam terris per fata exımeret. Longior è ſanctioribus familijs ordo, quem linteatus excepit Clerus, agmenque in ſacris candidum. Sacratioris pompæ latera claudebat miles, vulgi, Clericque medius. Diſtinxit Regum, minoriſque fortunæ funera auctus à Prælatis inſignibus funeris honor. Præivêre ſigniferi Palatinatuum, Regni, & Magni Ducatûs Litvaniæ. His deorſum inverſa Provinciarum ſigna, mœroris publici argumentum. Supremus Regni Aquilifer Nicolaus Sieniawski cum Joſepho Stuſzka agmen ſignorum concluſêre; is aquilâ Regni, hic equite Ducatûs ſymbolo proniùs in ima reclini. Prælata dein regnantium inſignia; & è primis fuêre, quibus ea præferendi munus incubuit, Palatinus Vilnenſis utriuſq; Principis Diadema prætulit; ſceptra Regalia Palatinus Lublinenſis, poma Regni aurea cum honorario Regni annulo Cancellarius. Equi rubente holoſerico amicti currum traxêre mortualem, nec deteriori vellere veſtivit gaza munificentior aurigandi mun⁹ fortitos; unâ eadẽq; curuli uterq; depoſit⁹ Princeps: dexterior, qui priùs Regna cœpit, geſſitq; diuturni⁹: ſiniſtra Michaëli obtigit, quòd etiã auguſtos inter cineres mutua colatur, diſparq; pro meritis veneratio. Urnas Regales è filo aureo contexta ſuperbi⁹ tela inveſtit; nẽpe paludati Manes ne umbras quidẽ fatales non ſplendidè ingrediuntur. Subſtratum loculis emortalibus tegmen holoſericum, purpuræ index per colorem; idemque diductum latiùs extra parentale ferculum per ter-

Funebris pompa illuſtris

Prælata Regni inſignia

Michael Pac
Vladislaus Rex
Joannes Laſczenski

Lectica Funebris

ram

A.C.1676 ram non paſſi fluere ſummates magnis faſcibus inſignes, quin circũfuſi lecticæ funebri ſublatum officiosè gererent. Luſtrata cereis accenſis latera lucem extinctis affudêre, arſeruntque paſſim mœſtis ignibus lychni, ex quibus ſolus, ut ex omni penè Serenitate ſupereſt cinis. Forum pompam lugubrem retinuit, donec Principem vitâ, Regnoque functis parentaturum Arx foro redderet, alternas gaudij, mœroriſque paſſa vices. Hinc jam equitatu ſepoſito funus pedibus proſecuta Majeſtas, & in Arcem uſque par ivit modeſtia. Mortuale pegma in ſumma Arcis Baſilica ars condidit, magnifico apparatu. Binæ præaltæ pyramides ſingulos per quadrum angulos Regalis Mauſolei ſuſtulêre, quibus intextum auro ex arte Phrygia tegmen, pro fornice incumbebat. Pyramidum ſpatia virtutum effigies diſtinxêre, quæ magis Principem, quàm loculum ornant: Temperantiam leo, bilanx juſtitiam indicabat: Prudentiam angvis, fortitudinem mucro diſtrictus. At verò nativa utriuſque Principis inſignia mœſtum, dejecto in terram capite complexa alis aquila; hinc nempe Jagellonium faſcem, meſſis auguſtæ è tot laureis feracem, inde lunam Korybutiam uni tantùm huic eclipſi obnoxiam, quæ ab umbra funditur ſepulchrali. Ad urnarum capita gemina turturis effigies, telo ſaucij, & adjecta picturæ ratio; *ut geminent luctus*. Pedum veſtigijs propè ſubjectum loquaci ſcripto encomium, & collata invicem utriuſque Regis acta, ac felicitas. Illud grandiori tabulæ inſculptum juvat & paginæ memori imprimere.

Mauſoleum extẽporale

Inſcriptio Mauſolei

Joanni Caſimiro & Michàéli Poloniæ Regibus.

Illi Regium genus, huic à Ducibus Litvaniæ
Ille pluribus triumphis inſignis
Hic clariſſimæ victoriæ immortuus
Alter Regno ſalvo purpuram ponens exuit.
Ille alter in privata ſorte non exhorruit.
Ille ſatur dierum, & vetus regnandi
Hic vix deguſtato imperio & annis, extremos dies
Alter DEO dicavit, alter Patriæ.
Cineres quoque ille melior Africano Patriæ non invidit,
Hic non extulit.
Sic diſpares ſuffragijs populi, ijsdem ſceptris,
Diſſidijs civilibus, deniq́, hoc tumulo æquantur,
Æternùm lugendi eſſent
Si non meliori ceſſiſſent.

Ad aras ritu Pontificum lugubri operatus ſummus Antiſtitum Procerumq́ Regni Andreas Olſzowski, cœleſte numen ſacratiore hoſtiâ poſthumæ Majeſtati propitians. Rex ante Mauſoleum defixus, Divinæ rei, juſtisque Principum interfuit. Inter Divina è ſuggeſtu celſiore poſthuma panegyris ab Andrea Trzebicki Cracovien. Præſule dicta, quæ Latinâ, ſacrâq́ facundiâ potiſſimum Joannis Caſimiri laudes pertexuit, vel inde etiam felicis, quòd pro roſtris parentalibus tantum fuerit nactus in purpura laudatorem; nec enim funera Principum quidquam non auguſtum ambiunt, vel oratorem, ne ſuum Achylli Mæonidem, vel Tyberium Germanico invideant. Hic verò ſauvius aliquid cecinit Olor, & cui anſer Capitolinus non obſtrepat, ſecurâ ſuæ laudis eloquentiâ,

Funebris laudatio ab Antiſtite Cracovien. dicta

tiâ, quam mille gratiæ tinxêre, & Regijs facinoribus geminavêre decus. Rem Divinam dein Muſurgia lugubris in ultima per planctus deduxit, quibus deinde alij planctus ſubiêre, è Principum Mte, & imperij ſolenni uſu: is Regibus poſt ultima viget honos, ut ad eorum emortale buſtum, velut feralem ſcopulum falces honorarij, quibus prima aulæ, Curiæq; capita ijs regnantibus effulſerant, frangantur, nec tam voce præficâ parentet dolor, quàm inſignium mœſto in terras illiſu. Idem hic actum. Fregêre munerum illuſtres teſſeras, quas illuc Proceres pro munere detulerant; Mareſchalci virgas, ſeu ſcipiones honorarios, Regibus functis, prodromos,: Cancellarij Regni annulos, ſeu prætoriana Curiæ ſigilla ad cippum Regalem etiam calce impacto peſſumdedêre, ceu cum extinctis Principibus, & inſignium concideret decus, quæ nec lucem illis dare jam aliquam poſſent, nec viciſſim accipere. Peracta demum omnia, quæ ſummi funeris exambit honos, & in Patriæ Patres grata Regni mœrentis urbanitas. Data in publicum epicedia, laſſiq; in pagina mortuales, & Societas JESU affudit ſecundas lachrymas, cum primas in Cæciliæ Renatæ fraternæ Caſimiri conjugis manes, dolens Patriæ, & Litvaniæ pupilla olim eſudâſſet. *A. C.* 1676

Fracta ad tumulum inſignia.

Alter ab auguſto funere dies velut reum ſupplicem citat Principẽ, ubi mite tribunal peragit Divus Antiſtes Cracovienſis Stanislaus. Ante coronam fit ibi de more ſupplex deprecatio nec ſuæ, ſed alienæ culpæ. Locus demiſſiſſimi ritûs eſt idem, qui fuit quondam Regalis ſub Boleslao audace piaculi. Rupella extra urbem eſt Divi Michaëlis cultu celebris, ſed ſacrilegæ cædis rea, ubi cecidit nova inter aras hoſtia Stanislaus. Audacia ergo ritu ſupplici hucuſque luitur, quæ Boleslai ferrũ Antiſtitis cruore imbuit. Velut omnium putatur Principum culpa, quæ unius fuit, & veniam ſacrilegio coguntur expoſcere, qui in Regna, etſi non in par facinus ſuccedunt; atq; id eſt Regalis modeſtiæ exemplum, cui poſterum à juſtis Regalibus diem impendit, Joannes III. Locum piacularem numeroſo comitatu pedes petijt, ubi culpam deprecatus, quã non fecerat, & Divinum Antiſtitem pleno ſubmiſſæ Religionis ſenſu veneratus, eidem Regni tutelam è Divorum Indigetum uſu incumbentem revocavit. Facile veniam reperit tantus ſupplex, auxitq; Superûm benevolentiam in Regnum, & Principem. Hæc inter anni vertentis, Januarius exijt.

Regia deprecatio Divi Stanislai Præſulis

Dies tandem illuxit inaugurandæ Mti, qui Februarij initia conſecravit, Cereos mortuales alijs tunc templa ingerunt, cum Joanni III. ſceptra. Nam magnæ Superûm Reginæ, idem inter februa ſacra dies, qui pompæ Regali ſacer fuit, auxitq; lucem diei, nova Regni Mtas. Diem hunc ultro in coronamentum Princeps legerat, tum religione in auguſtam cœli, & Poloniæ Regnatricem: tum quòd teſſeram felicitatis duceret, tunc Regna augurato cepiſſe; nec enim labant facilè ſceptra, quæ è Divinæ Parentis manibus capiuntur. Aderant, quotquot ſummos novit, colitq; Patria, & Legatos exteræ ſubmiſerant aulæ. Nihil deerat, quòd inaugurationis Mtas poſceret; non frequentia, non elegantia, cultus, non Regiæ apparatus. Ad aram arcis Principem capta Regum inſignia, quæ inter Orthodoxa Altaris myſteria è voto Regni, Gneſnenſiſq; tiaræ munere obtulit Andreas Olſzowski Regni Poloniæ Primas, primusque Princeps, ſat ſeſe felicem ratus, quòd tantum Principem Regnis initiaret. Novum à coronato decus hauſerunt inſignia, patuitque imperijs ab aureo Principe, quàm ab auro plus ornamenti accedere; quippe aurifodinæ coronas proferunt, Reges optimos effundit æther.

Coronatio Joannis III Regis Poloniæ

Sonuit

A.C. 1676 Sonuit læto concentu sacratior Basilica, & mox plausibus immensis Patria ; sonuêre arcis, & urbis machinæ festivi fulminis fœtæ cum paludatus in auro solium Princeps inscendisset. Actum denique, quòd tan-
& Regina ta fieri jure deposcunt. Geminati plausus, cùm & in Augustam Consortem publico assensu paris fortunæ insignia eodem loci, dieique defluxêre, dieséq; idem, quòd rara aliàs inauguratio, utrumque in throno, & Corona Principem reposuit, augustos conjuges. Excursum liberaliter in officia, & plenas ominum apprecationes, quas præter Sarmaticos Pro-
Martelli ceres adventitij plausus congeminárunt. Adfuit Romanæ Sedis Legatus, qui Clementis X vota publico applausu deprompsit. Adfuit & Re-
Fourbin Oberbek gis Christianissimi Legatus, item Electoris Brandeburgici & Principum Lotharingiæ & Neoburgici, pluresque alij, qui inaugurationis pompam suo munere, ac plausibus serenárunt. Denique dies hic, ut ejus fert celebritas inter publicæ lætitiæ argumenta, & festivos ignes effluxit. Arsit ijsdem ignibus nox solida, nec sua cœlo lumina invidit.

Homagium posteró die Diem inaugurationis secuta Provinciarum urbiumque Regno subjectarum solennis submissio, & Regio cultu in forum aulæis coopertum descendit Mœas, prævio flore Procerum, & militiæ. Præivit & Persiæ Regis Legatus, cum toto è Perside comitatu ad fastûs illecebram splendido. Publicum ad id in foro theatrum, ubi Principem recognovêre urbes, publico subjectionis testimonio eundem veneratæ. Nec ingenia
Panegyres siluêre, quæ passim sui monimenta paginæ impressa, manus Principis impleverunt. Vix unquam se doctior literatura tam liberaliter impendit, non sterile utique argumentum nacta, tantum Principem. Evagatæ per singula panegyres, per quæ virtus Principis sese circumegit, à quibus felix calamo ubertas, rerumque copia. Picturis etiam, sculpturisq; celebrata inauguratio nec suum Alexandro invidit Lisyppum, aut Apel-
Sculptura lem Polonia post impendio felicem, ab inventione feliciorem scalpentis cœli, penicillique operam.

Prima Regni Comitia sub coronato Rege Tertiâ Februarij comitijs Regnum distineri cœpit. Auspicatiora his primordia, quàm ut parem illis finem portenderes, Mareschalcum legere, primæ Tribunitij conclavis curæ, quem publicæ voci moderari mos Patrius jubet: nec aliunde Comitia ducuntur. Dubio rerum omini locum dedit Electio quod plerique ejus muneris petitores. Et alia in omen infelicium tracta. Nam pax aberat, ubi pacis agitata consilia. Quorundam Procerum studia utrinque efferbuerant, nec vergebant, nisi in tristium præsagia. Quid enim à dissidjs læti ominis. Inerat dissidio à personis auctoritas, quæ Tribunitiam potestatem utrinque prensabat. Summum vetandi jus singulis Tribunorum, quos Provinciæ in Comitij locum mittunt. His enim Comitiorum cursum sistere, & intercedere vetando integrum est, lex pro libertate militat. Et verò libertas vocis primò pro legib⁹ fuit, ne quid adversi per potentiã jura Patria paterentur, donec quæ tẽporũ rerũq; labes est, vetandi arbitria nõ leges duntaxat, sed diversa Tribunorũ studia definirent. Hinc nõ rarò libera vox sub hasta.
Aliquãdiu turbida Aluit malum ambitus, quem urebant dilata pleraque publicorum munerum successoribus orba, & justa differendi ratio, à sublegendis maturius in munera, quæ idoneos petunt. Rex velut è specula tum vota prospectabat, tum merita, quæ votis deinde prætulit. Nec minùs Procerum paci studuit, cui mutua partium odia cessêre. Quare comitijs
Dein pacatiora spes jam exitûs, quem tranquilla consilia parant. Bellum ac ærarium primò sententias Optimatium commisit: Non enim pollicitis sat freta securitas, quibus tum ulterioris Daciæ, tum Transylvaniæ Princeps

spem

ſpem pacis nutriit, ac operam ſalubrem Regno deſpondit. Ab utroq; modum decoræ pacis exegimus; à Moldavo per Joannem Karvoſcium Podoliæ Pincernam, à Tranſylvano per Caſimirum Gizam, qui demũ non niſi cum bello redîêre, ſed nec à reditu, nec à promiſſis mollibus rei noſtræ ratio dependit, à ferro exigere pacem placuit, & ſancire armis fœdera. Decretus igitur in Othomanum lectuſque miles. Sat virium vota ſanxêre, cùm eas includerent numero, quo Alexander Orientem, imò orbem ſubegit, quadraginta ſuorum millibus fretus in immenſa. Primus & potiſſimus miles haſtatus, hunc in bis mille nongentos, & viginti redegêre Ducum arbitria. Loricatæ militiæ ſignis dena virorum millia attributa, levioribus (quæ Vallachica vocitamus) bina ultra nongentos & triginta millia. Acceſſêre Raitrum ſigna è ſexcentis conflata; ſclopetarij equitatus (vulgo Dragonelli) quater mille ſexcenti quinquaginta: peditum ſedecim millia, quatuor Zaporoviorum, mille è jugerum vectigalibus. Acceſſêre huic numero è fumali contributione octodecim millia pedeſtris militiæ: Auxit & Litvania vires octodecim ſui exercitûs millibus. Si ſola militis ſcribendi ratio bella conficeret, in charta etiam bellici decreti conſcia, debellâſſemus Alexandrum. Proſpectum & de annona tot copijs, ne fames triumphum præriperet, quæ una magnis viribus illudit, & ſæpe absque gloriæ ſtipendio armis, & vitâ exauctorat. Centum millia ærarium profudit in rem penuariam, quæ & peditem in caſtris aleret, & munimenta Arcium, quas alioqui inter obſidia fames ſubruit, ac equi Trojani intrò recepti hiſtoriam ſe ipsâ ceu hoſte inteſtino vel auget, vel retexit. Et ærario in bella tunc proviſum, ſine quo arma fatiſcunt. Ne tamen plura peſſundarent regnum vectigalia, quæ ſunt quædam hirudo fortunæ civium; Rex per mollia id tentavit; ſalinas, & poculenta in ærarij adminiculum traxit conſilio; hæc enim aucto nonnihil pretio darent ſuaviùs, quod ſolennia capitum & rerum tributa ingratijs præſtant. Scripto etiam ſententiam complexus, quæ laudem civilis prudentiæ facilè tulit, etſi non vim legis. Uſitatiora enim placuêre, quæ tamen uſu pondus non leniunt, ſed pridem incolas premunt; nempe recentia probantur, ſed inolitus veterum amor nondum aboletur. Demum urgebat finem Comitijs Princeps, quæ ultra præſtitutum proceſſerant per prima diſſidia. Ne in moram traheretur curis permiſta quies, eam ſibi negavit Mtas. Noctu, diuque producti Procerum conſeſſus, thronusq; vix Regem dimiſit. Cibus, ſomnusq; haud produxerunt moram, ſed ademptũ corpori, quod publicæ ſaluti impertirent. Biduum tandem, geminasq; noctes continuus obtinuit is labor, donec Paſcha finem Comitijs lætum indiceret. Mox nocturna, ſummaque diei celebritas curas publicas excepit, itumq; è Purpuratorum conclavi, in Chriſti reſurgentis triumphos, quos arcis Baſilica ritu Chriſtiano, eoque Principe inſtauravit. Verum ſalubrius exierant Comitia, quàm efficacius. Diſplicuêre Regni placita, dum per Provinciarum Comitia ſeorſim ventilantur; origo mali, famæ maligna garrulitas, quæ aliud lege ſanciri, aliò per occulta iri conſilia vulgavit; fruſtra arma conclamari, pace clam cum Ottomano initâ; militis delectum aliò votis deſtinari, quàm quo Patria nervum offerat; non alium armis, quàm Electorem Brandeburgicum peti, ſic nempe ſigna pro arbitrio inferri; ſic quæri hoſtem, & tributis onerari Patriam. Latè Poloniam hic implevit error, lentamq; in barbari Orientis interitum fecit. Fuêre quos errori fundendo militâſſe fama credidit, ceu pacem ſpargerent, cùm apud Vezirum auro etiam bella noſtratia

A.C.1676

& in rem Patriæ

ubi decretus in Turcam miles.

Et ærario proviſum.

Noctu diuque continuato conſeſſu

Sparſus de pace initâ error

A.C. 1676 stratia emerentur, vincendi spe nobis ademptâ sine milite, cui legendo fama pacis dedita interceſſit; nimirum ſuæ ditionis ratio vult diu alios infelices, quo ipſa ſit per aliena damna felix, per quæ ſuis commodis ſtudet, ſeu ruant alia, perinde habet, dum ſua ſtent pergama; nec amicis, vel inſontibus parcit, dum ſibi parcat. Vera diſtulerit, an ſequiora hic rumor? in medio relinquo. Domi tamen lentiùs in caſtra itum, nec ſat, in bellum ingens armorum tulimus, etſi ſummi Poloniæ Ducis in rem Patriæ, bellique aleam intenſa imperia urgerent, indicto *poſt* Comitia cogendi exercitus loco. Moſcuæ auxilia nulla, quæ toties *ijsdem* artibus, dejurio fœdata ſeſe tenuerunt, quaſi per Caſimirum Czechroſcium noviſſimè incuſſa Sacramenti Religio, ſed magnus Dux Moſcoviæ jam è vivis abiêrat, quem ſerò pœnituit luſæ fidei, nempe inter ultima ubi meliùs ſapit, etſi breviùs mens humana. Quin etiam hic illũ ad extremum adegit dolor, quòd perjurij labem novâ inſuper cumularit, objecto barbaris absq; ope Chriſtiano exercitu, totque abduci permiſſis in vincula ubi Divina ejurent, inter ſpurciſſimos Mahometis ritus. In ſe auctorem hæc mala recidêre, quæ virium adminiculo removiſſet, cùm fidem fœderum Polono datum toties temeraret. Morbus hinc imprimis evaluit in Duce, tum ſpe evoluta ſalus. Laborantem animum ſtuduit componere ſummus Religionis illius Antiſtes ſacro & civili ratiocinio uſus; A ſacris orſus: Factum extra piaculi cõfinia eſſe; imò intra meritum referri debere, præcautum armorũ commercio ſacrilegium, adeoq; negata jure auxilia, quæ citra flagitium offerri nequeant. Plus noxæ in datis iniquè ſuppetijs, nec damnorum metu noxam excludi. At latinis ſeu Orthodoxis (qualis & Poloniæ Religio) hoc ipſo ſacrilega præſtat arma, quiſquis præſtat auxilia, quod hæc Turcis, Tartarisve deteriores faciat ſecta, quam tuentur. I tantiſper, inquit, animo Princeps, per omnia, & Regnum ſceleri hos inter dabis. Nec civilis ratio facto Principis non adſtipulatur, quis enim in ſe arma efferat? & auxilijs contra ſuos militet? at Moſcuæ vires ſibi exitio futuræ, ſi Polono ſint auxiliares: induciæ, non æternum fœdus cum illo ictum, quas biennium ſolvat, & arma utrinque reducat. An ergo per armorum ſubſidia robur integrum Polonis aſſeras, quod paulò poſt in Moſchoviam effundat. Plura addidit odium gentis, & hominis injuſta bilis. Sed nihil hæc ad animi malaciam in Duce, & ſurdum fuiſſe præſtabat, ad tam abſurda. Dolor, inquies, morbum intendit, ſenſitq; fati viciniam Dux magnus. Quare in ſupremæ voluntatis tabulas illud retulit, graviſſimè obteſtatus, ut Succeſſor amicitiæ jura ſanctiùs cum Polono coleret, ac juratæ, deluſæque fidei piaculum virtute aboleret, ſubmiſſiſq; in Thracas viribus. Suprema potiùs hæreant Regnaturo, quàm prima, quæ in exemplum ante protulerit, anxium de noxa ſequi præſtare, quàm periurum. Tres ſupererant extincto filij: Theodorus è priore connubio natu maximus, annum prope decimum ſextum attigerat. Is ſceptra obtinuit, & Optimatium conſilia illuc ſpectabant, ut novercæ vota luderent, quæ imperium filio natu poſtremo devovebant. Adlegit hæc auxilio cognatum Artemonem ſummum imperij Miniſtrum. Promptior ad hæc Artemon cognati ſangvinis fortunam conſilio promovit; moriturum Ducem precibus expugnandum præſagiens, ſi pro puſionis purpura mater ageret, quin eundem poſtremo Ducis obtutui objiciendum, ſatis fore ſuffragij ad hæredem thronum: acturam abundè indolem pro ſui inauguratione, ac ætatem Regna eblanditurum, quæ ante alios daret, cui poſtremò vitam cum digna ſceptris

Obfuit Patria

Moſchi pœnitentia de auxilijs Polono negatis

A Præſide ſacrorũ varijs rationibus diſcuſſa

Sacrificuli oratio

Non tamen excuſſa

Ducis Moſchoviæ obitus, & Succeſſor

Artemonis turbata conſilia promi-norenni Duce

ptris indole indidisset; nec ætati timendum, cui pro tutore, ac Imperij Administro ipse interim foret, rerum omnium potiturus, quoad ætas Principis cum viribus coalescat. Ita Artemon in rem matris, sed melius in suam. Est tamen ubi spes ultra se ipsam non procedit, ac, ut cecinit ille; corvum deludit hiantem. Aberat fortuitò mater; aberat & Artemon, cùm animam propè Dux ageret; at præsto aderat Summatum globus, qui Theodoro studebat. Affunduntur supplices, & lecto circumfusi Principem extingvi dolent, quem immortalem voluissent: daret id solatij orbitati suæ, ut Principem diceret, cùm sese terris æternitas invideret, adesse hic Theodorum, quem in eam fortunam primò ediderit, probaret naturæ calculum suo quæ primò spem imperij cum lacte illi infudisset. Deliberandi moram extrema, precesq; abstulerant. Dictus Princeps, cùm mater ad conclave advolat, minimo suffragatura, sed non ante admissa, quàm maritus excederet. Et facilè is cessisset novercæ precibus, cùm & Theodorus morbidior, nec ei fortunæ par, ex quorundam Procerum sensu injuriâ obliquo crederetur, medium verò natu Joannem à gubernaculis removit natura, quem visu orbaverat. Sceptris sic mutatis, Artemonis fortuna pessum ijt. Dux novus avum ab Artemone mulctantum exilio revocat, & Artemonem pari fortunâ damnat; triste variantis fortunæ exemplum. *A.C. 1674*

XXXIV.

EIDEM NUNTIO APOSTOLICO IDEM 29. Decembris.

Relatio, quæ in Castris sunt acta antè & post Coronationem sub Zurawno.

TUlæ preces imperia mihi. Facio ergo, quo in tua de me opinione minimè fallaris, non tantùm ut gratitudinem meam, non illã, quam debeo; sed quam possum, tester, sed ut illud, unde exultat Patria, gaudẽt omnes, fortunâ quasi manu ducẽte ac præviâ, prolixius fortasse, quàm vellem, tibi deferam, Patriæ scilicet incolumitatem, Religionis integritatem, nostram esse perfectè constitutam prosperitatem. Actorum post Coronationem cum Scythis & Turcis sub Zurawno seriem accipe, & nobiscum vove, ut quẽ nobis DEUS Regem fecit, idem eum conservet.

Turbidæ in Moscovia res, nil opis Poloniæ spondebant. Sed neq; aliunde opis aliquid. Operam Regi addixerant Transylvaniæ, ac Moldaviæ Principes in pacis reducendæ studia; sed aurum potentius contra Poloniam peroravit, quo bella in eandem mercari placuit. Pax ergo exorari post aurum non poterat, nisi ferrô, etiam Danubij ripæ armatum in nos Orientem acciperent. Imbraim Bassa iterum munus, & bella repetijt majore apparatu. Ægypti, Mesopotamiæ, utriusq; Asiæ, & Europæ vires illi in armis, ut hæc confestim cogeret, coegit quæ mentem exterruit, fama decretæ in Comitijs militiæ; injecta invitis in orientalibus militandi necessitas, ferrumq; vel inepta bello apprehendit manus, multitudo pro armis fuit, & numero, in famam imprimis certatum. Plus Scythia terroris fudit: robur illatura campo, à numero item formidandum. Neque illam vim immanem diu tenuit ripa ulterior, quin per Danubium se citeriori Daciæ inferret. Ibi armorum imperium cum vita posuit Imbraimus, ubiq; non sat prosperum, cùm & autum-

Turcarum belli repetit.

magnis viribus

A.C. 1674 autumnus illum paulò antea campo depulerit, & æſtas exuerit vitâ. Scheitan Baſſa cum ſupremo bellandi jure ſucceſſit. Hic lentiùs egit,
Contra noſtros exiles donec Taurica Cherſoneſus Hanum ſubmitteret, & Tyras acciperet pontem. At noſter lentior miles, nec è præſcripto. Equitum ſigna nondũ plena: peditum rariora, quæ de ſtativis ægriùs dimovit ſtipendiorum fruſtratio. Modicæ erant, & adhuc ſparſæ imperio vires, quòd vaſtitatis metus ab impendente Hano ſvaſerat. Nempè ingeſſit novas Demætrio Duci ſupremo curas Ruſſiæ, & Volhyniæ tutela, ne Scythæ incurſibus liceret aliquid in inermes. Nil enim ſic Ducis animum, ut publica ſalus diſtinxit, cujus tuendæ ardor ut ante ſupremæ clavæ aditum in præcordijs arſit, ſic cũ tanto munere auctior hæc evaſit flaṁa. Gemino illi tract⁹ malo capiendo aptior vis⁹: trans Tyram aureus (hoc illi nomen aurea olim loci ætas indidit) niger alibi & Kutsmanenſis, utriuſq; copiam vetare Tartaro Dux laborat. Quare Michaëli Rzewuſcio triginta Equitum cohortes cum gemina Coſacorum legione traditæ, quas ad Tarnopolim figeret. Hinc contra vagum Scythiæ furorem ſcutum
Cura Ducis ſupremi Pontia Ruſſiæ ac Volhiniæ. Vltra Tyram pari ſcuto eguit Pokucia, & hæc cũ
Partivo Scythis oppoſitas Michaële Zbrozek Excubitorum Regni altero totidem cohortes accepit ad Stanislaviam defixas. Sic occurſum Ducis induſtriâ, ne qua per Vallachiam tempeſtas illuc permearet. Inter hæc non exuit Scytha ingenium. Primus in citeriora Tyræ furor, & in vicina Rohatini, ac Bohuſchoviæ. Illuc prædabundum irrumpit è Vallachia Scythicum agmen,
Felix Dymidety conflictus cum Scythis nec prædæ modum habuit, niſi à ferro, quo miles Dymidecij Magiſtri Equitum prædæ libidinem mulctavit. Uſtia cladis Scythicæ teſtis, quæ noſtris inhorruit armis, ibi funerum hoſti affatim, & captis vincula ferrum ademit: pars hoſtilis eadem viciſſim induit, quæ tot captis præter fas indiderat. Vinctos tum Regis, tum Ducum atria accepére. Et alibi pariibus hoſtijs orco litatum. Vrus Murza Scythicus intulerat Cameneco è Vallachia commeatum præfuturus pontificio Tyræ, & una Bi-
Item Michaëlis Rzewuſcij felicior. alogrodenſium Tartarorum manus. Diſplicuit imbelle ad pontem otium prædæq; amor in Volhyniam transtulit. Quà ivére, vaſtitas fuit & favilla, ſolenne poſt Tartaros malum: ſpolia, illatæ vaſtitatis indicium fuére. Hic jam novi incipient triumphi. Michaëli Rzewuſcio primum Uri comitumq; licentia objecit. Securos numerus fecit, & nulla de noſtris fama, nec captata notitia. Sub noctis poſtrema inopinò in eos invehimur; fat fuit præter ſpem aggredi, mox expalluit culpa, & animos remiſit. Turbantur ſubitis prædabundi ordines. Ibi â noſtris actum, quod agere læſo licuit, & injuriæ juſſére, pars hoſtium vitam, pars in vinculis libertatem amiſit: alios in amne Horino præceps condidit pavor: paucis cum Uro Murza fuga è clade exitum conceſſit. A victis facilè fuit prædam eximere, quæ victoriæ comes ad victorem tranſijt, & capta plebs libertatem repetijt. Aliundè in conſternatos irruit Tatomir Procenturio Gubernatoris Rzeczycenſis, ad minorem paucitatem redegit imminutos jam cæde barbaros. Juvat locum & tempus faſtis inſerere, non aboleat facti memoriam vetuſtas, & rea in emeritos oblivio. Ad Zaslaviam hæc geſta, unde Ducibus Regum ſangvini immiſtis olim nomẽ. Tertio Idus Julij ſic æſtus animorum incaluit, à quo nova hæc gloriæ meſſis è ſtratis barbarorum manipulis. Non impari laude ac Marte alibi decertum. Nam Michaëli Zbrozek non una tunc effronduit laurus.
Michaëlis Zbrozek alia fortia contra Scythas Prima ultra faginas ſilvas crevit, quo illum data imperia demoliendi pontes invexerant, ubi Scytharum cunei habuére obvium. Ab occurſu Tauricano nil formidinis, ſed animi magis in pugnam caluerunt,

nec

nec excubiæ nostrorum præmissæ clade acceptâ metum fuderunt. Obvios sat fuit fugâsse, reliquum peregit barbarus timor: & tales ferro se subtrahunt, dedecore victi. Plus ad pontem ab excubitore actum, cui tuendo adhibitus Dux Vallachiæ cum quinque suorum, duobus Tartarorum millibus. Ausus cum nostro concurrere, sed ausum castigavit cædes, & concursus in fugam desijt, primo irruentium ardore fract⁹. Castra profugorum cum ponte, arbitrio victoris permissa, quæ ad prædam nostri militis, uti pons ad flammas damnatus. Quia tamen hic flammæ non cessit, quòd trabes inter & sublicas limus intercederet, nec ignem is humor aleret, securibus in pertinaciam pontis decretum est, quem palis succisis dejectisq; ruina subruit. Non sat bis vicisse, etiam Camenecum victor terruit. Erupit inde confertior cum Thracibus Scytha, sed cladem in urbem retulit. Ita cœlo propitio comes ubique nobis victoria, hosti probrum. *A.C. 1674*

At verò Scheitanum Bassam prospera nostrorum, suorum fœda pulsârunt, movitq; pontis injuria non in vindicias, sed retro Daciæ remotiora, tutior quippè sibi, quo remotior ab hostis vicinia timor, ibi tamdiu hæsit formido, donec ingentes Hani copiæ illam galeato lepori eximerent. Tantùm animi Bassa hic ad bellũ attulit! plus animi ex captis infudit notitia, nihil adesse virium testata, quas Comitia jussêre, imò Regno conditæ pacis errore illusum, qui & arma indicta, & vectigalia abroget, vel retardet. Hæc demùm Scheitanum fama ad amnem promovit, ponsq; iterum Tyræ injectus, sed qui vix pedem ferret. Cum Hano tota affuit Thaurica, si Adzigereium demas, qui Crimensium ditioni tutelaris; & ne Zaporovia cum Sircone illam infestaret, per inducias parta securitas. Difficilius jam fuit licentiæ ruenti frænum, quippe effreniùs insanit, cùm semel furere cœpit furor. Non deerat Ducis supremi conatus, qui arma utrinque sisteret, atque huc spectabat honoraria ad Bassam barbariæ ductorem legatio, quæ inducijs locum exigeret, dum utrinque de pace acturos Proceres arena pacatior committeret. Verùm nec auctoritas Ducis, nec pacifici Comitij fama arma, & furorem inhibuit. In Pokuctiam se primò protulit. Stanislavia vim nõ extimuit, secura præsidio. Octo stipendiariorum millia locum firmârãt, cujus tuendi delata auctoritas Joanni Denemarck. Auxit præsidium viciniæ fuga, quæ ibi asylũ reperit, & conscius virium loci barbarus intactum reliquit, Podoliæ infestus. Verùm & ibi armatum præsidijs Barum, Medzibozia, Jazlovecum, Trebovla; nec abfuere, quæ obsidio poscit. Præmonita item â Duce municipia prædæ obnoxia, arcium tuta peterent, cui imperio dum segnius paret eventuum intrepida, Czortkovia, & Jagielnitsa prædæ simul, ac ruinæ patuit. Non sacris Divorũ, non profanis Civium ædibus parsum: in planum deducta omnia: Inde Trebovlam Bassa præterijt, nec nova placuit post labem anni superioris, nimirum & Thrax præter Phrygem damnis eruditior mitiorque. Jazlovecia affatim virium â se virisque rerum etiam ubertim, quas tutela arcis requirat: sed præsidem nacta, quem metus ante arma prostravit, nihil â præsidiaria manu oppositum, non ignes, non tela, non animi; in hostis arbitrium prona ivêre omnia; patuitque aliqua expugnari, antequam impugnentur, metu scilicet munus hostium occupante. Nil mite deditis spondere licuit post prima anni proximè evoluti excidia, & quorundam animi mollibus asperantur, & miti ingenio efferascunt. Equidem hic deditionem extrema excepêre: fortunæ omnium direptæ, muri diruti, alia flammis abolita: demum ingens imbelliſ-

Scheitan Bassa Dux belli

tandem

(etsi obsistente Duce Demetrio)

Pokutia ab ma offenditur.

Infestat Podoliam

Jagielnitsam dedit

& Jazlovecciam

A.C. 1674 que multitudo in cuſtodiam Ducis Moldavi abacta. Profuit Joannem Karvoſcium apud Moldavum tamdiu cum legati munere hæſiſſe: is præſtitit, ne vincta plebs alia impleret vincula, & ergaſtula, ſed ut Moldavus mitiorem cuſtodiam offerret miſero ſervando agmini, quo ad publicæ pacis eventa nexis aliter conſulerent. Surda inter hæc vicinia, nec ſuæ rei cavit per alienæ exempla; potuitque oraculum credi, quod Lyricen Polonus cecinit: Polonum damna ſuis cumulare damnis, nec infortunijs ſapere. Secutus primum fortunæ torrentem Baſſa exercitûs hoſtilis Imperator, & Buczatſum, inde Jeſupolim, Haliciamque minas cum viribus vertit. Par ubiq; ſecuritas venturi haud anxia, quæ tum primùm ſapit, cùm perit. Par item terroris confuſio, hoſte campos & intima inundante. Fœdum ultimis ubique remedium, deditio, hanc verò ea demùm excepit fortuna, quam apud barbarum mancipia ſperent. Pulchrius fuiſſet vinci, quàm vinciri, nam victo decorum eſt pugnâſſe, quoad inter ſtrenua cadat, vincto ſervitus diu inſultat, & ipſa durior fatis eſt cuique libero. Nihil ſub hæc opis affuit fumanti noſtro Ilio; tardius ſtativa deſeruit miles, & aberat calcar, quod ſtipendia gerunt, dum emeritis penduntur, moram obtulit, & pax credita ſubdolo fallente Mercurio. Duci Moldaviæ nihil in hæc turbida remedij occurrit, quàm ut poſtulatis, datiſque viciſſim pacis condendæ arbitris, res cum Aſiaticis mutuo componeretur aſſenſu. Durius id primò viſum, & periculi non immune. Quis enim pro barbari fide ſpondeat, quam illi alere perinde ſit, ac fallere? plerique igitur eam pro vicinia detrectârunt, quòd barbaris nil non infidum, & ſæpè inter amica hæc conciliabula vinculis pene locus fuit. Vicit tamen Patriæ amor, & Decios Romæ non invidit, quos Patriæ fata ultimis ultrò devoverunt. Primus è ſummis Proceribus Ducumq; ſangvine Conſtantinus Dux Viſniowiecius Palatinus Bratslavienſis Patriam ante diſcrimen habuit, fuitque inter exempla, auſuris paria. Non repugnârunt alij poſt Ducis exemplum, facileque pari cum poteſtate Rex Duci addidit Georgium Wielokurſium Succamerarium Vlodimirenſem, magiſtrũ equitum: Franciſcum Kobylecium Judicem Generalem caſtrorum; Thomam Karczevium Pocillatorem Sanocenſem, Caſtrorum Metatorem, Petrum Telephum Pocillatorem Halicienſem, Stanislaum Dombroſcium Pincernam Vilnenſem, & caſtrorum Lithvaniæ Judicem, Joannem Karvoſcium Pincernam Podoliæ, qui apud Daciæ ulterioris Ducem tunc agebat. Digna munere hæc nomina, rei tamen gerendæ gloria plurimum hauſit è mente Principis, quæ reſponſis, & lingvæ moderata. Cognita quippè antea è Regali adyto, quæ ingerere ultrò barbaris, quæ efflictim depoſcere par eſſet; quæ aſſenſu, quæ prætereunda diſſenſu: ut effugijs obnitendum, ut decori publici, ac honeſtæ pacis legibus inſiſtendum. Præmiſſi Brezanas obſides è Turcis, ac Tartaris nobiliores, hos inter Scheitani Baſſæ frater, & Murtaza Bey ſocer Hani, objecta hæc ſecuritati noſtrorum nomina & fortuna. Sed arma prius exegit populatio, &, quam ſupra retexui municipiorum ruina. Regẽ etiam hæc terrarum infortunia evocârunt: nam corneæ ſit fibræ, ſi quẽ hæc miſeratione haud emolliant. Subjectus Lemburgicæ urbi campus caſtra accepit. Redditæ caſtris vires Rzevuſcio Excubitori datæ, poſt triumphalia reduces, nam quòd vim immodicam traheret hoſtilis Oriens non perindè ſecurum fuit campo tantillum robur ultra credere, ſeptem hic millia Poloni, Litvani Exercitûs tria recenſita. Nam plures læſa imperij reverentia ſubduxerat. Cum his in campum, & hoſtem

Aliqua municipia nimium ſecura

De Commiſſarijs pacis agitatur

Eorũ nomina

Caſtra noſtrorum ſub Leopolì

Dein mota in hoſtem

stem Majestas prodijt, pridem enim exili numero hinc in hostes itur. Datur tamen hærentibus aquilis in regni intimis imperium, quo in usum belli convolarent, quos interim residi Palatino Siradiæ colligere, & unà cum Duce Radzivilio Procancellario Magni Ducatûs pòst castris inducere incumberet. Hic prima Ducum apud Regem postulatio: bellum & arma regeret summo ut Patriam jure, sic fortunam & victoriam in manibus fore: Coronatum quidem Principem lege publicâ à castris eximi, sed pericula legibus moderari, novasque leges condere discrimina, quibus Regni morem par sit submittere: eo rem demum recidisse, ut ille tantùm vincere possit, qui assvevit, nempè cui aspera laudem pariant semper, & difficilia nomine exuantur: nomen etiam Regium pugnaturum, & Patriæ pro scuto, pro exercitu fore, quod solum hostes non rarò exanimet, famæque viribus, ac Majestate profliget. Non multis perorandum fuit in causa Patriæ, apud Principem præsertim publicæ salutis, ac fortunæ studiosissimum. Citius persvasit periculi magnitudo, quàm oratio. Armorum ergo belliq; curam accepit Princeps, ac inter Duces copias dispertitur. Dexteriori alæ præficit Palatinum Russiæ, sinistræ Vilnensem Palatinũ, intimæ Exercitûs parti Palatinum Belzensem, omnes ex munere Duces, postremum etiam è sangvine. Mota in hostem castra XIII. Kalendas Octobris. Sat gloriæ præcepit animi fortitudo, quæ tantillo milite periculis occurrit. Transmissa dein flumina, ubiq; ob anni æstus immodicos vadosa: locus ad Zorawnum (oppido id nomen) castris descriptus. Sinistrum castrorum latus vallum oppidi texit: dextrum munijt castrensis labor non improbus, frontem torrens dubio flexu ab hoste diremit. Hostem tertio milliario campus semovit. Hinc præsusum ab hoste minoribus damnis. Novitsam oppidum cepit, præda hinc primo, dein post incendium, cinis. Oppugnata & Kalussia. Nobilius sudatum in propugnanda Woynilovia, quæ fastos meruit, nobis texuit gloriæ commentarios Julio ad Mundam non impares. Civitas est non sine munitiuncula, hanc Turcæ cùm Scythis invasêre, solâ populariũ turbâ vim aliquandiu reprimente, donec submissa auxilia fatiscenti, Peditatum ad Zorawnum reliquimus, equitem cum Rege nox inde in hostem removit, & ad Dolhe (vocabulum vici, triente leucæ à Woynilovia remoti) ante diluculum statuit, ubi tantillum hæsimus. Præmissa cum Signifero Regni Hieronymo Lubomirscio 18. circiter militaria signa, quo ductabant incendia Scythæ indicium. Nondum is municipio adito palabundum Scytharum agmen invadit obvium. Stricta utrinq; arma, sed nostra vicêre, ibiq; Tartarus prima Ditis victima fuit. Victis solennia, neces, vincula, fuga, hic affatim adfuêre. Qui vincula induerant, Janczaros, & Spahias (equitatus hic Turcæ, ut ille peditatus) munitiunculæ insistere indicárunt. Iidem vincti ad Regẽ missi, per quos Signifer plus virium imploravit. Andreæ Modrzescio Pocillatori Siradiensi datum succurrendi per auxilia munus. Signa equitum duodena Signifero trahebat, sed moram per viarum iniqua subsidium traxit. Quare Signifer Regni ante suppetias laudem tulit, solus inclusum municipio Turcam aggressus. Valuit inopina aggressio, & per hanc subitus terror; ex hoc ordinum inter hostes confusio, victi omnes quà metu, quà ferro nexi ducenti: ferrum bina millia absumpsit, reliquos abegit terror, novusq; in persequendis subijt labor. Nempe fuga imbellium, sequacem Lubomirscij militem sub Hani castra intulit, ubi vix illi trecenti virtutis Comites alijs peregrè hærentibus, nec Siradien-

A.C. 1674

Felix Porocki

Oratio Ducum ad Regem de armorum regimine

quod Princeps recipit

Stanisl. Jabłonowski, Michaël Pac Demetrius Princeps Wiśniowiecius.

Castra transferũtur sub Zorawno. (Tyras & Stryi amnes)

Ad Halicianum Turcarum tentoria per adjacentẽ Tyre planitiẽ fusa Cecyrio amnis ripas legebant latè Tartari.

Acta à nostrogloriosè ad Woynilovium.

Præmittetur Signifer Regni. & ante submissa sibi auxilia.

Turcas adoritur vincitque.

A.C. 1674 si Pocillatori adhuc è tesquis eluctato. Inde periculi sui Regem commonefacit Vexillifer, & mox nova auxilia, properè deductæ tredecim cohortes cum Remigiano Strzałkoscio Gubernatore Letinensi, sed simul reditûs datum imperium; ne temeritas esset, quæ virtus videretur. Auxilia segniùs imperio venêre, cui dum Aquilifer Regni paret, Athanasium Miączynium, ejusq; legionarios suo regressui pro scuto opponit. Nihil non ex suo fortiumq; more hic egit Athanasius, & si filios Hani hostium castra gregatim illuc impulerint, & juxta Hanus cum Scheitano Bassa Acheronticum penè robur inveheret. Trajectus regredientibus nostris difficillior per angusta viarum, & torrentium, sed Athanasij virtutem difficultas non excessit. Hic insequentibus gravis, & ausis cominùs nocere fatalis. Tunc primùm adfuit Siradiæ Pocillator, & Athanasij vices, munusq; gessit, sat gloriâ perfuncti, & ad Regem redeuntis. Major in momenta vis barbarorum Pocillatori gravior, quâ nec Remigiani Strzałkoscij sociæ vires sat reprimebant, & ille non extra vulnus. Capti inter trajectuum ardua è nostris nonnulli, quorũ complures eadem dies aut postera liberos vidit, quibusdam captivorũ cum hoste permutatio libertatem dedit. Sub hæc ad Vicum Dobe triplici serie Rex equitatum in aciem dispertit, ijdem qui antè alarij Duces, idem medius, sed desultorium agmen angusta sepium occultârant, dolo opportuniùs moliendo, ibidem tormenta operiri jussa, dum res usũ hujusmodi procellæ poscerent: at siluêre tonitrº cũ manº sufficerẽt, hostẽ regrediẽtibº copijs sistere. Jãq; vico iminebãt barbari hinc planis infusi, illinc cum Hani filijs, collibus tumulisq; Vicissent ipso sui objectu, si multitudo bella conficeret. Occursum utrique lateri è nutu Principis. Sinistrum latus Hani filijs oppositum Castellanum Camenecensem Silnicium, dextrũ Præfectº vigilum jussus impetere. Uterq; cũ Legionarijs in barbarum agmen irruit, reliqua nostrorum acie pares animos illuc ferente: sat fuit hæc scena, ad turpem hosti catastrophen. Nil pene is attulisse visus præter arma, & numerum, quo imminutus retulit cum fuga novum dedecus, secutus fugaces copias Polonus totâ imprimis acie, sed fuga hostilis aciem cohibuit; suffecitque plectendæ Palatinus Russiæ, qui vias, & trajectus obvios cædibus coloravit. Jam & Hani filium inter captivos sors belli redegerat, sed illi per tela cædesque suorum parta libertas. Paucos capimus inter prælia, nec otia tunc Poloni militis ferrum amat. Verùm hæc arena inter nobiliores Murzas, Agasque discrevit, quos melioris fortunæ ratio neci exemit, non item vinculis. Hos inter Ali Bey saucius, frater Murtazæ Bey, qui sororius Hani, & obses Brezanos missus. Tandem insequentibus fugitivos nostris præceps in occasum dies receptui signum dedit, sed ægrè signo ac imperijs paruit (paruit tamen, ne violata imperij majestas laurum detereret) redijtque victrix acies in castra ad Zoravnum sita. Acta hujus diei (qui etiam Polonos Proceres Pacis conciliandæ munus indeptos castris barbaricis intulerat) Bassam gravius perculêre cujus aditum nostris vetuit nuntius, qui Woymłoviæ acta nostrorum in Turcas felicia tulit. Prohibiti aditu Proceres, & Scythiæ Turciæque vires in nos Bassæ imperio actæ pacis ope, ac nomine pene inter infausta abolito. Nox interim nobis per pabuli equestris curas distracta, nec non graviter id actum, quoad angusta noctis sinerent, profuitque labor, quod plusculos dies nox illa aleret, quæsito pabulo dives. Invidit copiam hostis, & igni addixit gramina, & granaria etiam in Turcam injurius, cum nobis noceret, ut fœnile Turcicum cariùs constaret, cui nonnisi peregrè quæsita â Scythis fœni copia succurreret pretiumq; rapi-

Tam à Rege revocatur

Alter & g'riosior tum hoste consistus ad vicũ Dobe 24 Septemb.

rapina remotior augeret. Scenici deinde succesſerunt dies, cum hoſtis ar- *A.C.* 1674
ma duntaxat oſtentarent, & opertos copijs montes trans amnem Swit-
ſam at arenam refugerent. Oppoſita à Rege acies, ſi quid barbaries *Arma hoſtilia otioſa & ſce nica acies 25 Sept.*
intentaret. Sic dies inijt priori cladi proxima, ſic exijt, veſpera ſce-
nam inanem concludente, & acies caſtris reſtituente. Iterum poſtri-
die heſterna repetita ſcena, nec audacia inerat numero: velitatio tan-
tùm diem diſtraxit. Polono tamen non indulta in caſtris quies, quibus
foſſam & aggerem dies eadem circumduxit, traxitque in partem operæ
noctem labor, ubi Tyras obtulit vadum, aditus militari aggere petitum- *Caſtrenſes nostrorum opera.*
que viribus præmunitus. Par cæduæ in uſus communes ſylvæ, quam ſi-
tus caſtrenſis haud longè dimoverat, tutandæ ſtudium, hanc verò lorica
è terræ aggeſtu validior, & pedite minax ſecuram reddidit. Molis etiam
aquatilibus data ſecuritas, nam minima non præterit labor, quæ in com-
mune proficiunt. Quin & auſu decoro illuſtrata dies, noſtratibus Coſa-
cis clam Scythas inter penetrantibus, & indidem captos in hoſtilium mo-
liminum indicia trahentibus. Auctior deindè noſter miles, dum Stanis- *26 Sept.*
laum Konecpolium Caſtrorum Præſidem accepimus, non ſolum id no-
men, ſed equitum peditumque ſigna ſimul affluxêre, quæ bis mille vi-
ri armaverant: Mox mille alios intulit Chelmenſis Satrapa cum Genera-
li Zeborſcio, pluribusq; è Polono ac Litvano Marte Heroibus. Lætior hâc
manu Polonus, cui nulla non idoneo triumphis virtus, ſed minor etiam
grandes exercitus laceſſit, & campi Dominæ moderatur. Pupugit Hanũ
hæc auctio, hinc ejus impotens in ſuos furor, quòd aditum non vetarent
excubiæ, ſegniùsque irent in adventantia ſigna, quàm hæc in eorum fu-
nera, ſicque nec vincerent, & vires ſinerent intendi, quibus vincerentur. Latius deindè aciem hoſtis explicuit. Turca ripas Switſæ oppleverat oppanſis latè tentorijs inter Scythas confertos medius: nempe hinc *& 27 Sept.*
ad oſtia amnis excubante Sultano majore, cum Hani filijs & Schyryn
Beio, illinc Hano cum Nudarino Sultano, turmiſque recentibus Scytha-
rum (qui quod pharetras inſveto alijs more portent Jaman Saydak vocã-
tur, utq; barbarie nemini cedunt, ſic bellicosâ virtute cæteris præſtant) õ-
ninò prævalidis. Sic deinceps diſpoſitus Mavors barbaric9. Oppoſuim9 a-
ciẽ, quæ jã toties æmulas vires terruit. At hic etiã hoſtis penè ſpectator, nõ
actor: pati maluit, quàm agere fortia. Scythas tamen impulit pudor, & cis
amnẽ Switsã promovit. Diſtinuit illos imperata noſtris velitatio, & legionũ
ſingulæ ultrò velitaturos ſubmiſerant. Sub hæc tripartitum agmen in *Velitationes.*
Getas immittitur: hinc Athanaſij Miączynij, illinc Michaëlis Zbrozek:
medium agmen ſigniferi Latitſevienſis Wronowski, Łomzenſis Zwier-
zchowski (uterque hic loricatæ militiæ Succenturio) impulêre. Actũ
fortiter, nec felicium turbata ſeries. Pars hoſtium ſclopis, & igneo *& clades iterũ hoſtilis.*
Marte extincta, pars ferro ſuccubuit, reliqua colluvies ultra amnem
transgredi, ſed vetita abrogavit ardor. Patuit tamen, quanta vis im-
perijs ineſſet ab exili quidem, clade tamen: nam exegit pœnas vio-
lati imperij fortuna, captuſq; cum vexillo aquilifer (Dymidecki) ſau- *Ubi ardor noſtrorum ultra imperia euntium mulctatus.*
cios aliquot arena, alios non citra diſcrimen dimiſit. Nimirum for-
tunæ quædam exigitur reverentia, præſtatq; illius parcior uſus, ſed tu-
tior certiorque. Adhuc & poſtero die ſcenæ priori locus fuit, totâ a-
cie ſe ſe campo intulit Oriens. Auxit priora ſpectacula uſitato prælijs
more pompâque, ſed ſimul miſcuit dolum. Panſa vexilla, & carmen
barbarum claſſico datum: dolum ficta acies, & in ſpeciem diducta in- *Hoſtile ſcenicum ſtratagema 28 Sept.*
ſtruxit. Nam partem illius cameli impleverant ſeſſore vacui, quibus
tamen appenſa militaria ſigna per ſpeciem ingentis militiæ. Nec ultra

ſcena

A.C. 1674 ſcena proceſſit, rata barbaries pecus imbelle in animos acturum, quos non fregerit non brutus hoſtis. Scilicet hos vexilla terrerent, ſi vel militari manu quaterentur. Manu res geritur, non volitantibus per aëra ſignis. Scythas tamen ſparſim propiùs admovit audacia, ſed repulit gravioris armaturæ fragor, quæ ſub ſerum reduces ad caſtra trans profluentem ſita removit. Hoſtem adhuc exercuit idem dies. Auſa ſæpiùs hinc, inde noſtram infeſtare aciem, pœnam audacia tulit, quæ à fortibus infligi ſolet. Horæ fermè octo velitando inſumptæ, & ſiniſtrum latus militiæ noſtræ graviùs impetitum. Amotus per fœda ſuorum funera hoſtis, adjecit pavor ſuperſtitum fugam comites victores paſſam Monaſtericos uſq; ubi Sultano cum filijs Hani turbata periculo quies. Captata, & aura in noſtrorum exitium. Ventis enim & igni pugnare in nos Scheitano Baſſæ placuit, dum ſub flantis Boreæ violentia è Turcarum copijs non nemo pretio illectus, caſtra noſtratia clàm irrupit incendium agitans, quod flabra Æoli juvarent, lateq; deducerent. Non latuit fraudis artifex, qui mox in vincula ivit. Subijt dein, qui in pugnæ felicis auguria trahebatur dies Divo Michàëli Archangelo ſacer. In ore tunc Orthodoxi exercitûs nil niſi pugna, & quam votis, ac ſpe præceperat victoria. Hinc ad ſacra properatum, & animi Chriſtiano ritu à noxis expiati coluêre Ducem cœleſtium legionum aucta in præcordijs flamma pareneſi ſacra Sacerdotij Catholici ſuitque quem is diutius tenuit labor, hîc illic acuendis in fortia pro ſacrorum injuria animis inſtitutus. Hoſtis tunc ferè numeroſior viſus, aciem vaſtius diſtraxit, quin & audentior jam, quod ſenſim ad nos adreperet. Datum apud nos militare claſſicum, & præliari muſurgia præluſum: tympanis mixti bellicus machinarum ſonitus, motuſq; in oppoſita miles. Fregit Orientem Polona alacritas, & retrò aliquantùm removit, adeoque primus illi congreſſus fuit, ceſſiſſe, removerat illum timor, & ignearum baliſtarum meta in qua temerè conſtiterat, jacturâ ingemiſcens barbari quidem, ſed quem nobilitas generis, & fortunæ munera altius provexerant, ſemel æneæ nobis binæ minores machinulæ reſponderunt, globoſq; ante Demetrium ſupremum Ducem impetus abjecit. Litvaniæ Ætna ignea vicem repoſuit, quæ cum alios, tum tormentarium funditorem ictum proſtravit. Diei pars potior velitationibus tantùm diſtracta, & ante veſperam ſcena barbariæ cœpta retro reduci ſua inter claſſica. Sed claſſica turbavit noſter è tormentis fragor, tacuitque timore, & clade imbellium tuba. Major pars hoſtium campo deceſſerat, cum aciei extrema Polonus jubetur convellere. Excitus hoſtium furor, Scytharum faraginem Thracibus permiſtam in nos impulit. Acies in hoſtem cum Rege & Duce Demetrio mota hiatum reliquerat, qui hoſtem facilè intrò reciperet, maturaretque intus exitium. Inſuper advertit Getes nudatum acie vallum, jamque à tergo intentior dextrum involabat cornu. Sed cornu id tutelarem habuit Palatinum Ruſſiæ & præſidij ſat fuit, tum ab ignibus, quos igniti reductus vomuerant, tum à motis in audaciam ſignis. At vero Polanovij induſtria hiatum, cui hoſtis avidè iminebat, occluſit, Palatini Cracovienſis cuneo complente aciem. Ibi Stephano Tarnovio Signifero Zydaczovienſi Janizarus ab hiatu prohibitus fatalis exſtitit, qui glande plumbeâ exanimem arenæ præliari implicuit, pœnamq; virtutis ictu lethali mortem fecit. Sic dextrum cornu hoſtem rejecit, totaq; tempeſtas ſiniſtro incubuit. Cavit tamen velitantium periculo Majeſtas, quos Palatini Vilnenſis firmavit ſuppetijs, ipſo Principe periculis

Iterum veli tatio: noſtrorum fedes

Ruſus hoſtilis dolus

Alta glorioſa die S. Michàëli Archangelo ſacra

Extrema dei trium ghalia noſtris

Non ſine militia Litvanelaude

lis immisto inter plumbeam tuborum tonantium procellam Palatinus originarios in Litvania Scythas (Lipcos vocitamus) & Petehorsios in hostem perpulit, & aliquamdiu caluit virtus, quæ longiore morâ intepuit, quod hydra esset, non hostis, quem diu impetijt, utpotè qui cæsis tot suis superstes esset, majorq; post funera. Jove Statore opus fuit ad sistendam Lipcorum fugam; & sistere parabat Vlanecius rapto è Signiferi manibus vexillo: cum Heros idem sagittâ ictus pulcherrimo conatui paulò post immortuus. Quare Palatinus Vilnensis alijs vexillis id laudis indixit, quæ ex fortium usu arenam involârunt. Diu strenua operum producta, illinc pariter peditum turmâ, hic Cosacorum viribus in idem gloriæ allaborantibus. Hostilis tandem tempestas Litvaniæ vires opportunius sub pedestris militiæ auxilia admovit, unde fœda barbaris labes. Regredi illis suasit timor, cùm adessent nostris auxilia à Ducis Demetrij imperio, quæ Castellani Camenecensis, & aliæ legiones, in lectum barbariæ florem ac æstum belli impulit. Nec diu hæc campi tempestas post strenua operum, quæ hostem dispulêre. Hinc Michaelis Zebroscij peditatu, inde Zaporovij signis amotus furor, qui rursus in recessu cladi patuit Martique sequacium. Horam nobilitavit conflictus, clades per sexcentos abijt, in tot capitum funus horam partita: pluresque straviſſet dies nisi nox, quæ arma condidit, cædibus interceſſiſſet. Nihil penè reposuit funerum hostis, nisi aliquod in nostris vulnera, nec equis aliud malum fatumve, & si funesta grando passim incideret, quæ & equi regalis auriculam leviter rasit, & Regij lateris stipatores ictu innoxio concussit, ubi & Cosmi Abbatis Brunetti coxam glans plumbea perstrinxit, non enim inter sacra nomina discernit Mars & furor. Barbarus deinde in castris clamor, qui auram peregrè implevit. Is superum honos est, cùm in gratias lingvam relaxant munera, & gratias tunc visus meruisse æther, quod sospitem nox reduxerit, quem discrimen jam in ultima deportârat. Metum attamen nox haud compescuit, quem vigiliæ non inermes prodidêre, ut nempè soporem prohibet, oditque plumam justior formido. Actum id temporis inter arma, & eqvus barbarum sessorem haud dimisit. Est tamen, ubi se premat formido, & inter pericula sese personato fastu dissimulet. Neque aliud hesternus pulsi orientis rubor mentitus. Actum, quod tumor genti cognatus fieri svasit. Pacem abnuit, ceu bella cum hesterna clade amet. Quare Hanum incitat, qui destinatis in pacis curam Proceribus bilem testetur, hinc ortam, quòd se omisso, pacis Modimperatorem Vernam Turcicum, Moldaviæ Principem Polonus delegerit. Nil profectura pacis negotia, dum is rem conficeret: vilitatem tantis obsistere: Principum id esse, non vernarum negotium: Bizantium, quos terris præficit, non ut Principes, sed velut subditos beneficio obæratos habet, quare Turcas ideo de pace minimè acturos, sed ferro judice decernendum. Astus inerat fastui, & fortibus dictis timor, nec Regem latuit, qui proindè delectis in tranquilla partium Proceribus magnanimum quiddam scripto indidit, quod tumori opponerent: nimirum Regi non aliud itidem fixum assererent, quàm ense arbitro iniqua dirimere: nullo æquiùs hæc, quàm ferro discerni, & potiorem causam triumphare. Idcirco illum cum copijs adesse, æquè prælijs accinctum, si pacem à consilio hostis removet, atque paci, si offerat, quamvis certior in ferro salus, & pacis in manu præsagia: pridem aleam belli jacturum Principem, ni æmulæ vires defugerent, producto in timorem spatio: quàm pri-

A.C. 1674

Hostis cæpo depulsus

Nō sine sua clade

Secretarius Regis Italicus

Hani querimonia de Polonis

Regia instructio data Commissarijs

A.C. 1674 primùm tamen illæ ſigna canerent, manum intrepidam arenæ illaturum. Adijcerent adhuc iniquè exigi, quæ præter fas quis obtineat. Ucrainam nullo jure votis appeti, nec à Doroſzenko addici potuiſſe, quod juris fuerit alieni: præfuiſſe illum copijs Polono ſubditis, non Ucrainæ hæredem fuiſſe aut uſuarium: venalem eidem ſervitutem eſſe ac Dominos, quibus ſe deſultoriâ fide mancipet: à Polono illum regimen Zaporovij militis, à Turca vexillum cepiſſe, quod Moſchi calcibus proterendum ſubjecerit: ageret ergo in rebellem Turca, quod res aut iræ poſcerent; Ucrainam Poloni Principis jugum, & libertatem recepiſſe. Adderent poſtremò Legati à Principe poſthac ſubmittendi ſpem ponerent, qui jus Legationis cuivis barbariæ ſacrum violaverint: heſterna in unum jacula id ſceleris adſtruere, & hodiernam in alterum injuriam, cui poſt adempta omnia, parum abfuit, quin demeretur vita. Quare ſi bella agitent, è voto Principis ſeſe ad partium fœdus delegatos continuò dimitterent, receptis viciſſim fidei, ac ſecuritatis obſidibus. His animos lingvaſque Procerum dictis imbuit ſcripto indita Majeſtas. Hano deín ſeu Principi Scythico perſcribi imperat, quæ arma Lechica inducta campo excuſarent, & omiſſam ejus operam in pacis urgendæ cura: nempè arma armis, & furore hoſtium provocata, quo acceſſit nexorum miſeratio: poſtulata ante mutua ab armis otia per Ducem Demetrium Exercitûs Poloni Imperatorem, ſed Scheitan Baſſam ad hæc ſurdiorem nil moderatiùs egiſſe (ut non facilè ſibi temperat gliſcens alieni ſitis) abegiſſe tot myriades imbellis plebeculæ. Scilicet pacẽ cum invaſore coleret Polon⁹, nec abactis armat⁹ occurreret! At verò Hanum pacis conciliandæ muneri adhibere vetuit annus prior. Intereſt, vel amico muneri ſubducere, quod invidiæ telis inſontẽ ſemel objecerit: Bizantio ſuſpectâ ideo Hani fidẽ fuiſſe, quod partium medi⁹ pacẽ anno ſuperiore curâſſet, ceu Polono ſtuderet potius, quàm Mahometi, quæ ſuſpicionum moleſta Hanum poſtea incuſâſſe, ne verò rurſus incuſaret, ab alio, Polonum id operæ exegiſſe, cui minùs etiam in repulſa vulnus, & in facto invidia. Cæterum ſi Hanus & Sultani in rem Polonam agerent, operam non gratuitò conſtituram. Nil mite ſpirabant reſponſa, & bilem impotentis Baſſæ imprimis concitârunt. Non ergo deinceps vacavit furor, ſed noctem per operas militares exhauſit. Amnis intererat; hunc ponte operire, ſuggeſtus attollere, quos tormentis majoribus oppleret, curæ fuit. Siluêre utrinq; arma, & operas, nocturnus labor per diem proximum diſtraxit. At interim Sultanis idem, qui Hanum invaſerat, iræ permiſtus dolor, hunc teſtari per nuntios primæ notæ Galga quidem per Surnkazy Murzam, Nudarinus verò per Aliſſa Agam. Doloris anſa, Moldavi honor fuit, quem Rex Principum ſangvini ad tentanda pacis fœdera præhabuerit. Noverat Polonus, quo ſpectarent querimoniæ; nec noſtram ſed ſuam cauſam agi. Nempe venale id obſequium plus lucri illis parere, quàm Polono ſpei. Ne tamen prompta venalium animarum temnerentur officia, Ioannes Greben Tribunus pedit.. ad Nudarinum Ablegatus, quo cum de fœderum modo capita confer .. At non vocat conſilijs perſonatus amor, & qui ſe aliò votis porrigit, quam officij mentiatur, quippe uterque Sultanus damnis, & dedecore pacem mercari ſvafit: omnia expedita fore ſi Baſſæ arbitrio rem geri Polonus ſinat. Scilicet illi te tuaque permittas, qui te perditũ velit. Additum â Sultano, haud ſecurum, iras alere, quas tantæ fulciant vires. Traxit harum exaggeratio moram, & terror ab armis, & tormentario Marte injectus, nec aliud expreſſit legatio, hærent enim verba, ubi

Reſponſum ad Hani querimonias

Scheitani Baſſæ molimina (Swieca amnis)

Sultanorũ ad Polonos legatio

ubi mens aliò votis evagatur. Sat otio datum; virtus iterum suo perfungi jussa munere. Kalendas Octobris Rex novo facinori consecratum ibat. Excursus in hostẽ destinatꝰ, & subitis carrago opponẽda, quæ è curruũ cõpluriũ nexu cõtexta murũ veluti curulẽ cõtra tela objicit. Formã carraginis rudis linearũ ductꝰ in charta subjecit: nec modꝰ, nec vastitas illius præterita. Idem Ducibus, quod Regis animo probatum: sed tribunitiæ voces carraginis vota turbâvere: Nimirum iniqua locorũ Tribuni opponere quæ curribꝰ latè innexis essent proterẽda, & iter malignũ præberet iniquitas. Ad hæc partẽ hoc astu impeti, quæ validũ robur à Scythis gerat: ibi Sultanũ Galgam barbari Exercitus Ducẽ, ibi Hani filios, ibi conferta Tauricanorum agmina Turcæ pro muro esse, ausuris exitio fore. Demum alienum à Polona militia hunc bellandi morem, & cui servilia tantum Cosacorum arma felicem usum indiderint. Cæterum insveta tumultum parere, nec offerre exitum, nisi quem ut usu non prænoveris, sic effugio non vites, incerta hinc ausuum fortuna, certior labes. Accessit turbidis consiliorum nubilus, humidusque aër, sic à carragine molienda destitum, cui tamen malè objectæ in opposita, cum ibi annonam tantùm Vallachiæ miles tutaretur, facilè in Poloniæ partes abiturus, ut pòst captivi monuêre. Eripuit tamen consilium atque hostem conterritum in cautelam impulit. Et jam perducti in summa suggestus machinas majores extulêre. Carthaunas, seu canones integros Polemici dicunt, qui globum 48. librarum exitio effundunt, eosdem quatuor supra viginti libræ pulveris nitrati onerant: in duodecim pedes porrigitur molis æneæ magnitudo: Barbari Baljemes vocitant, perinde ac si dicerent, non melleum hinc ictum accipi, nec dulcia deinceps sapere, quem fulmen hoc afflârit. Tùm vero horrendum tonuêre ferales machinæ, diemque his abstulit labor. Primum at innocens fulmen tentorio Regis incubuit, ubi divina peragi ritu Catholico sveverant: audacius deinde in alia fulminatum. Sphæræ item incendiariæ pestem intus ferentes passim jactatæ, quæ centum & viginti libras appenderent, & si ne sævirent, tum aquæ compescuerint, Vulcanusque Neptuno cesserit, tum extructi fomites ignem intus sic admittere non permissi. Paucis ergo hic nocuit fragor, seu per fata seu per vulnera & truncatos artus, equis major hinc stages, & sinisterior ala fulminum meta fuit. Removit tamen hæc se se ac tentoria ab ictu, vallumq; pro munimento fuit. Sic quidem Turcarum Vulcania. Sed Scytha aliò mentem flexit, signis infestioribus Polonum latiùs circumfundens. Filios Hani ulterior Tyras extulit, qui regredi obsidij specie vetuêre. Non gramen liberum, non pabula impunè captata nec perindè reditus patuit, si quem nostratium castra pabulatum dimisissent: certior capti, quàm reducis fortuna. Haud verò peregrè hostem audacia removit: intra jaculi metam sat fuit periculi. Sylva castris adjacens pabulum equis dedit, quoad folia gessit, aut quernam glandem; & si herile adhuc ibi præsepe gemeret. Profecit dein audacia, & quarto nonas Octobres pontem amni injectum calcavit, propiùs fixa barbari tentoria, & quà tormentarij suggestus, quà obliquiores fossæ castris Catholicis admotæ. Rursum ergo fulminum officina ferream tempestatem in nos depulit. Phlægram diceres, nisi quod hic non tam Joves, quàm penè Vejoves tonarent. Parùm jam à vallo interiore præsidij, quod Exercitûs ala eductum subitâ operâ in sui tutelam firmatum subierat, cum vel triplex vallum tormentaria CANONUM vis effringeret, cederetq; valli pertinacia. Non Regia, non Ducum, Procerumq; tentoria sat secura, nec miles

A.C. 1674

Regia motus

(Tabor lingua vernacula)

Cui se Tribuni opponunt

Hostilis in castra Poloni fulminatio

à Scythis obsessi

Repetita in nos fulmina

Digitized by Google

A.C. 1674 miles extra ictum, sed plura equorum funera, ingens etiam penes major fulminum horrore fragor, & mira volitantium globorum pernicitas, hanc vero indidit nova onerandi tormenti ratio, cui nuditas globi haud placuit, quin ei tinctam oleo pellem ovillam induceret, & tale inderet tormento fulmen. Hos inter tonitrus orta aëris tempestas, & imbribus imistæ nebulæ. Fraudibus opportunam hanc latebram Rex noverat, ne tamen fraudi quidquam liceret, imperio cavit quod vallo castrensi peditem equitemque adhibuit. Ab imbrium mora ægrè jam ripa amnem coërcuit, expectatumq; donec eluvio perniciem hosti daret per ripam effuso, nec alienum id ab amnis ingenio, quem minor procella alveo effert, & latè diluvijs obvia pessundat. Non latuit barbarum natura fluvij, & tempestas humida in tertium diem producta tenuit. Præmonita ergo velut tutelaria Scytharum signa, ut equitatum Ottomanicum in Daciam ducerent, si eluvies locum adimeret, Lusit spem metumq; profluens, qui inter cœli humida tumorem tenuit intra alveum, nec crevit in ripæ exitium. Haud tamen velitandi studia humescente aurâ tepuêre, confertim hostis in leviora hæc prælia ruit, tulitque semper dedecus, quod pulsis stratisque arena ingerit. Majora Principis nostri animum pulsârunt, qui armaturæ igneæ hosti tollendæ vota impendit. Et erumpere jam parabant actæ infortia cohortes. Iterum tamen conatum abrupit votorum dissidium, dum cautior, quàm fortior agendi ratio placeret, ne remoto à castris milite, castra interciperet Scytharum pernicitas. Sub hæc nostra etiam non siluit Ætna, quin ferales vomeret ignes, felicius librati ictus, qui barbarum terrerent, sensimq; attererent. Rarior dies non centussim abstulit, & aucta in dies funera etiam majorum capitum, idque non tacuit fama, quæ & pacem conciliaturos Dynastas, & captivos reduces pervasit. Erigendi tamen erant quorundam è nostris animi, quòd illis nil humile intentaret tam validus hostium furor. Erigebat auxiliorum vicinia, quæ castris jam jã plures inferrent copiæ, erecti & spectaculo, quod Zaporovij dedêre barbarorum capitibus conto infixis, palamque prælatis, quæ munificentiâ gazæ Regiæ incitati messuerant. Stupuit ingentes animos Asiaticus, id unum tum veritus, ne auxilio invalescerent. Quippè tabellario dempti codicilli, qui Radzivilium Ducem, unà cum pluribus Palatinis copijsque ad Leopolim fixum indicârant, & Hoholi tantùm ac Lazinscij cum alia ope moram subsidia morari, affuturas item novas cum Joanne Denemark cum Barrara & Semeno tribunis Cosacis cohortes, quæ sex millia implerent. Impedita auxilia, nec ulla posthac iter hostibus insessum detrivêre. Hæc inter Nuradinus iterũ per Alissa Agam nova pacis auguria, & methodum offert. Grebenium iterato submisimus, qui è Nuradino hanc excerperet. Verùm candor aberat, & fuci plena omnia. Novæ tamen Grebenio iræ proditæ, quòd Turcas etiam in bilem ageret Poloni facinus, quo Hanum Sultanosq; præterierit à pacis conciliandæ opera excluſos, nec jam tranquilla velle, sed arenam & fortunæ aleam, quam vires spondeant felicem. Adjectũ ex opprobrandi ingenio, notas esse Poloni angustias, exhausta in castris omnia, rerũ annonæq; penuriã, demũ viros equosq; nõ impar premere malũ, id verò Polonorũ literas loqui fortuitò oblatas servatasq;. At vana hæc, nec terrorem Heroum animis ingessêre. Repetita nihilominus Scythæ legatio, cui rursum Grebenius castris procul occurrit, barbarum tenere jussus inter velitantium nostrorum spectacula. Poterat nixus virtuti ardor legatum percellere, dum hæc velut ludicra bellorum serio ri-

Alia Regis & pulchra moliria

Erecti quorundam animi

Timor hostibus

Nuradini legatio iterata

fu

su geruntur, nam Lechicæ virtuti cessit Turca, Scytheſq; uterq; illius arenæ ludus risusq; & mera nostro fabula. Tum primum Nuradini castra repetijt Grebenius, ac è nutu Regio egit omnia, nil postea referens præter abjecta jam tractandæ pacis studia. Nova jam panditur arena, bellicæ laudis materies crevit â Scythæ ingenio, in quo rapinæ sitim mulctavimus. Gramen castris proximum equos nostrates aluit: hos in prædam Tauricanus destinat: nec vota nec licentiæ frena tenuit, quin locũ prædæ hacten⁹ sterilem sæpè revisseret. Repressa semper cupiditas: ut tamen semel castigaretur, dolo se virtus commisit. Rex excubiarum Campestrium Magistro & Athanasio Miączynio facinoris gloriam offert: locum in sylvis opportunum illis designat, qui cum duodecim signis dolum caperet; Hunc sylvæ arbusta astûs conscia aliquandiu celarunt, pòst prorupit idem ex abdito, & hostem in fraudem armavit. Unde in Scytham manârit notitia, id in aperto, captivi id fuerit, aut venalis animæ piaculum, quæ pretio lingvam relaxat, & occulta auro detegit. Quare dolum opponere dolo hostis: Plura Thracum Scytharumq; signa commeare, simulato ultra Tyram abscessu cum saltus, ripæ fluminis affixos clam opplerent, palàm verò plura, quàm alias agmina objicerent interrorem. Indoluit Princeps occultis, quæ moliebamur ademptam nubem, aliter proinde dolum mulctat, gloriamq; invadit. Aperto hosti velitantium ausus & fulminum nitratorum tela, machinasq; tonantes objicit, ne autem fortunæ scelere dolus hostilis exultaret, sylvestrem astum virib⁹ juvit; Loricatæ cohortes in vallem dicto gramini contiguam deferuntur, tum Palatino Russiæ, tum Palanovio illas deducente. Hic prima graminis strages, quod ignis depascitur â Tartaris injectus, latèq; flammam detulit ventus. Rex oculatior in saltuum fraudem ducentos è munimẽto subitario Tyræ incubante seligi jubet, qui feras illas è saltu exigerent. Egregiè id præstitum â milite & Cosaco, qui ducentos illos conflaverat, moxq; latibula deseruit dolus. Itum in aperta agmina, primusq; Excubitor cum Athanasio laudem arenæ occupat, Rege unà cum supremo Duce coram animos & subsidia ingerente. Fortiter prima cessère, & peregrè statim abactus hostis. Verùm hydram diceres, cui ab ictu nova cervix repullulat. Cæsis novæ subeunt vires, ac ut fluctus se se reciprocant, sic suæ nunc cædis conscius nunc numero ac eventu penè superior hostis redit.. Jove Statore opus tunc fuit, qui quorundam sisteret fugam, ut olim Romanis contra Sabinos dimicantibus contigisse fasti referunt: alio tamen Statore non eguit res Polona, cum Princeps adesset, qui raptâ lanceâ dum se adesse præsto, & ferre fatiscentibus opem clamitat, fugitantia quædam signa arenæ restituit. Diu iterum Mars alternus, hæsitq; anceps fortuna, quòd in nos proniorem, numerus hostilis in momẽta, suisq; cladibus auctior in anceps revocârit. Geminâ horâ se se circũegit, dũ sic arma & animi calerent, strage hostiũ imodicâ, & majore virtutis Lechicæ pretio, quæ hostile encomiũ tulit, seu ferro ageret, seu manualibus sclopis, quos captato ab armis otio profusiore auro mercati barbari. Aberat Scheitan Bassa, sed ementitæ suorum fortunæ admonitus præceps, advolat, relictis castrorum præsidio Janiczaris, totusq; barbariæ utriusq; equitatus. Nam raptum est, cæsi Vallachi manu labarum, è Castris Polonorum, ubi jam cruenta esset arena, excusso Scythâ, strenua tum Regem distinebant, nec advena terruit. Quin ab astu periculum illi creat, dũ Excubitori regressum imperat, in vicinius castrense munimentum, igniario Marte fætum, illuc sequacia barbarorum signa reditu impulisse, pars victoriæ fuit. Nempè sequela hæc hostem igneæ procellæ ob-

A. C. 1674

Origo novi & feucis cum barbaro conflictũ

Astus contra Scythã

Viribus auctus duarũ Legionum

Conflictus cum barbaris

Qui Bassa adventante recrudescit

Parva Polonorum manu totum Exercitum sustinente

A.C. 1674 truſit, quam Eliæ Łąki præſidiaria illius loricæ manus effudit. Tum verſa in Palatinum Ruſſiæ tempeſtas, emicuit tamen virtus, quæ tantilla manu, immenſa ludibrio perfudit. Vallo Caſtrenſi ſubiit Palatinus, ubi mole tumultuariâ invectũ Orientis robur Sarmaticus Cocles ſuſtinuit. Ibi Karachmet Baſſa vulneri, ibi complures cruento funeri patuêre. Tres noſtros hæc arena proſtravit, dignos meliore calamo Heroas; Zaleſcium, Dobraczynium, Odrechovium; Eadem Procella Polanovio, ejuſq; ſignis impendit, eadem Romano Linkievicio, eadem Wronovio, quorum cum Palatino copiæ furentes barbariæ globos, preſſêre alibi, alibi repreſſêre. Nihil hic pavori licuit, qui Heroum pectus non facilè ſubintrat. Exaggerat virtutem ſignorum paucitas, raritaſq;, quæ non ultra triginta, numerus produxit, & diminuta imperio dimidiam manum valli ſubſidio impenderant. Non minus in eandem laudem cõſpirat armorum levitas, necdum graviori Marte caſtris egreſſo. Imò quod amplius mirere, hoſtis propè ducentis ſuorum millibus fretus cũ totam rabiem effudiſſet, effecit nihil, vixq; viginti è noſtris deſiderati, quos illa tempeſtas abſtulit. Tanti eſt, plus animi, quàm virium præ-

Et depellente

liari campo intul[illegible]. Demum ſclopis non imbelle fulmen fundentib⁹ fractus hoſtis, non ultra arenæ tædium, horroremque, triaria haſtatæ militiæ manus eminus conſpecta, quam tum Palatinus Vilnenſis, tum Palanovius caſtris properè illapſus, laborantibus noſtrorum armis admovebat. Diem hunc faſti ætatum omnium celebraſſent, ſi cataphractũ robur, quod ſemper terrorem, ſemper exitum tulit, victrix arena properè accepiſſet. At Excubiarum crimen fuit, quæ de adventantibus cum Baſſa lunaribus turmis tacuere. Viciſſet notitia, quæ Rege citius caſtris reddito hoſtilia cum eodem reduxiſſet, à quibus ultima ſemper hoſti pernicies. Abſtulit triumphi partem, & nox ingruens, quæ prælia concludit. Sed ſatis cædibus indulſit dies, & ſuorum funera vix hoſtis computat, è noſtris non ultra vicenos arena rapuit, ut nempè Heroum ſigna paucorum funere, immenſa gloriæ parant feruntque. Dies eadem objecto cominus ſpectaculo perſvaſit, cui ſæpius aurium negata fides. Creditum tandem, quod à captivis jactatum audijmus (& fortius eſt oculorum, quàm aurium fundamentum) Thraciæ ſupra octoginta, Tauricæ ultra centum & triginta millia in armis contra Poloniã conſtitiſſe. Caſtra etiam ultra Leucã diſtracta argumento erant, oculiq; pene interminabilis meta ſi per objectam multitudinem ſeſe circumtulit. Sic demum is extinctus dies, à geſtis fortibus, quàm à nativa luce illuſtrior. Rabiem provocârunt infortunia, quare noctem barbarus ſollicitavit in vindictam, & ima ſuggeſtuum cum fulminatricibus machinis in altum extulit. Indè nova tonitrua, & minacior ille in nos Veſuvius. Diluculum tonare, & ingentes globos ructare cœpit. Fragor hinc inſolitus, terrarumq; tremor, montium jugis petrarumq; ſævum admurmurantibus. Igni permiſta omnia, nec auræ, ſed flammæ ſpecies fuit. Sparſi continuò & prægnantes funerũ globi, certâ pernicie intus fæti, cum diſſiliunt, & quâ transfugæ indicârant, illuc non temere conjecti, ubi vaſa ſulphurati pulveris facilè peſtem conciperent, & in caſtra momento funderent, & ſi nulla hinc pulveri peſtis ignibus intacto non citra noſtratium curam. Ad tertium & decimum diem Æthnæa hæc ac ænea producta tempeſtas. Dies per hæc exhauſti fulmina noctu foſſis per obliqua propius malum ferentibus, ex arte Polemica ſinuandis inſudatum. Nec Regalibus tentorijs à nitrato fulmine quies: tamen his nulla à ſubitario vallo ſiparia obtendi permiſit Majeſtas, du-

Novus hoſtiũ furor

Diu continuatus

ravit-

ravitq; in decimum diem constantia, & si Scheitano nihil hic animi, qui producto in fastigium firmiore vallo, vix summa tentoriorum spectanda extulit. Hic Michaëlem Zebroscium amisimus, militem è paucis, & peditum caput. Mortem nobilitavit causa. Divinæ rei affuturus, Regis adyta petebat, hic præripuit religionem ictus, & impactus è maximo curulium tuborum globus medium icit, disjecitq;. Excussere lacrymas viri merita, suasq; partes egit justus dolor, suâ insuper legione inter supremæ complorationis officia Patrem ingeminante. Deinceps tantum obsidij malis indoluimus. Tardavit hoc auxilia, quæ Leopolis, quæ Hohol, quæ Lazrucij copiæ, & Denemark pertrahebant. Iter tantum per cœlos patuit, Scytha gregatim castris nostratibus circumfuso. Ademit hic pabula, quæ tellus profuderat, & pabulatum excurrentibus injectæ manus. Insuper nec literis rectum iter tutumq;, quæ hostibus interceptæ patuerunt, imò haud actum aliquid à nostris, quod extra non sese proferret, hostemq; præteriret. Auximus mala, quorundam sæpius auctores. Literæ obfuerunt, quod deesset cautela scribentibus, & pleraque paginæ eo argumento commissa, quæ hostile robur attollerent, & fractos animis Scriptores testarentur. Inde pacis tractatus lenior, & objectæ nostris angustiæ, quas castra tegerent, proderent captivi & scireda primò à barbaris lecta, dein Regijs transmissa, quo dolor esset auctior. Data & capto famulitio fides creditumq; ab hoste, exhaustum annonæ penuriâ peditatum, cum affatim commeatus esset, salis quidem minor copia, nec vilior potus, sed à Pharsalici vatis sententiâ, satis est populis fluviusq; Cereseq;. Malis id demum accesserat, quòd ultrò aliqui ad barbaros transiêre: nec pœna terruit, qua defectio vel ab hoste propalàm castigata. Pauca in rem hanc profero. Præceps è vallo gregarius, Tyra natatu superato, ad Scythas fœdius defecit. Repensum pro merito facinus. Caput nudato transfugæ demptum, quod barbarus fecit sub nostratis militiæ obtutu, veluti alieno sceleri supplicij exemplo caveret. Nondum alienâ pœnâ sapuit alterius vertigo, placuit idem facinus equestris fortunæ militi. Spectante Exercitu eques sese Tauricanæ militiæ immiscuit. Urbanius castigatum scelus novæ amicitiæ pœna exacta ab advena. Exutus hic equo & amictu, primum verbera tulit, quibus taureis, lorisq; contusus & miserum in modum concisus, Turcis demũ mangonib⁹ venundat⁹. Sic barbaris etiã suspecta, quæ semel alibi imposuit fides? adhuc tamen spe auxiliariũ evolut⁹ Princeps animos gessit, quos semper nec mala vicêre. Quare per delegatos pacis arbitros hesternum dedecus hosti objicit, cui levior equitatus insultarit, totis copijs invecto. Vetat insuper dictis Proceribus pacis continuare negotia. Is fuit inter angusta obsidij Princeps, nec felicium continua series animum despondere sivit. Inhibita nihilominus velitatio: sola tormenta utrinque personabant: valli tutamento diu noctuque invigilatum, & excubias revisit crebrius Majestas, Ducumq; curæ vigiles, & militum è vallo in Tartaros castris effusos cum manuali Vulcania emicantium. Quarto Idus Octobris jam propiores fossæ, quæ obliquo tramite dolum ferunt, vicinius malum fecerant, cum Rex eruptionem parat in armamentarium hostile. Omnia in rei seriem disposita: auctum è religione omen, cum in tesseram salutarem publico edicto captum B. Stanislai Kostka nomen, toties Turcis fatale. Mirum quo ardore facinoris hujus gloriam miles prensarit, Martino Cienscio hastatæ cohortis Præfecto, sibi ductum Equitatûs Pedestris deposcente, ac sponte præituro in discrimina. Est tamen ubi se gloriæ invideat magnitudo,

A.C.1674

Michaëlis Zebroscij obitus

Adempta & quorumpàm pabulationes.

Intercepta nostrorũ literæ

Quorundã ad Scythas defectio

Ab hoste eius figatu

Tertia motio in armamentarium hostile

A.C. 1674 vel qui eandem periculo elidat. Evaluit eventuum metus, dum ſe opponeret, pulchris conatibus interceſſit. Nempe diſtantiam cauſatus ſuggeſtuum hoſtilium à noſtris caſtrenſibus, quare timendum, ne diffiſa noſtris armis tentata diſcrimen crearent Scythis in caſtra tunc involantibus, reditu iis intercepto. Ceſſit alienæ formidini Princeps, ſed dolorem expreſſit amiſſum ſvaſu oppoſito decus. Sanè audita hæc molimina hoſti vigilias diu noctuq; alternas perſvaſêre, etiam Equitatu Turcico ad ſubita excubante, & Lechici Martis ſilentium in obliqua trahente. Deniq; detumuit faſtus, hoſte armorum quietem à nobis flagitare coacto, ac idcirco in pacis conſilia ſeriò eunte. Ut inſtaret, plurimâ ſvaſêre. Nam & fœtæ armis tonantibus molis ſeu ſuggeſtus periculum hoſti proditum novi aſtûs formidinem injecit, & ſuſpecta fuêre otia, quæ ante velitatio diſpungebat. Quin & tormentarij ictus non ſteriles cladium in barbaro profuêre, quarum jam pertæſos, pigere belli cœpit. Acceſſit cæli intemperies imbribus per autumum obnoxia, & locus in eluviem pronus humente cœlo. Profuit & error, quo nova cum armis auxilia clam in noſtra irrupiſſe caſtra creditum. Error à mortarij militaris uſu manavit per Generalem Katſcium in arce Zoravienſi reperti, & in funeſta adhibiti. Nam hinc Sphæræ incendiariæ in hoſtem excuſſæ, quas in nos jactaverat, ſed dempto fomite accenſo ſævire metuimus. E profugis nôrat nihil nobis hujuſmodi armorum ſubeſſe præter tormenta: novis cum ſuppetiis nova extimuit invecta arma. Ortæ in Scythas querimoniæ, quod aditu ſubſidia non prohibuerint. Sic habet, quòd in minoribus copiis formidet tumor, cum æmulum nactus majorem, quàm ut armis cedere nôrit. Poſtulatum ergo noſtræ, promiſſumq; antea ſuæ Vulcaniæ fulminatricis ſilentium: lætior brevibus induciis hoſtis pacis ſtudia coluit promovitq; Scythæ ſub armorum inducias venum ſua proferre & vallum venalibus implere, in his æqui captivi, armatura levior. Timuit paci Turca ne illum per incauta Scythes convelleret, quare majores è barbaro Exercitu Dynaſtæ (Baſſæ, Czauſij) in forum illud ſubitarium irrumpunt, qui fuſtuario Scythas abigant, ſuisq; caſtris reſtituant. Nec noſtri à pace abhorrebant, quòd nec pabuli equis, nec annonæ militi ſatis foret. Jam & tormentario Mavorti fortunam propè adimebat nitrum deficiens, nec illud, quod Dantiſcum è Reginæ nutu, curaq; ſubmiſerat, ultra Leopolim progredi poterat, clauſo viarum aditu. Porrò ne partium inducias fœdarent fortuita, quas ſæpè Turca excidio alibi; Valli tutamine proviſum, ubi Rex etiam Ducesq; perdius & pernox non miles tantùm. Scythicæ attamen ſuo adhuc ingenio vixêre. Prædæ hominum placuerunt, quas avidè ſectantur, nec alius illis potior è pugna reditus, quàm ſi quem hujuſmodi rapina comes, lentum redderet. Regni ergo intimâ populatione pervagari ſtatuunt, & orbitatem mapalibus cum favilla inducere. Non perinde licuit cupiditati obſiſtere viribus nixæ. Terrebat vel numerus, cum triginta ſupra centum millia barbariem conflarent: minore etiam manu Scytha terris nocuit. Ne tamen ſemper ferro ageret Majeſtas, etiam argento pugnavit. Vota prædarum compeſcuit gazâ Regiâ, quæ Chano, Sultanisque ac Vezero Chani honorarium effudit in pacis promotæ pretium. Sic inter grati animi vices inhibita populatio, & urbium ſolitudo. Additus à fama dolus, datumq; negotium, ſimul ut latè per aures barbaras iret: Polonis ſummam votorum eſſe, quod damnum autumet Scytha: iret hic in prædam, Polonum è veſtigio in excidium Thracis iturum: facilè hunc confici poſſe Marte Lechio, cum prædæ libido auxiliarem Scytham abſtule-

Hoſtis ad ejus famam exterritus.

Turcâ à Polono induciarum poſtulat.

Idem pacis tractatum ſeriò promovet.

Scytha in prædam & excidium urbium accinguntur.

Sed à Rege exarmẽtur

Fama contra Turcam dolus.

ſtulerit. Hinc & Chocimenſi laureæ momenti plurimùm, cui Taurica nectendæ haud interceſſerit. Exterruit fama Scheitan Baſſam, acre in imbelles telum, prædaſq; vetuit timor. Còercita edicto Baſſæ cupiditas, extra proferre licentiam gravi imperio prohibita. Atq; hinc eſt, ut utrinq; ceſſante præliarium fulminum irâ, pridie Idus Octobris cum ſub veſperum iras, & fragorem reſumerent, Thracum machinæ, non id Baſſa in fœderum injuriam retulerit, cauſante injuriam Rege in datæ fidei jura, ſed ut mortuos in Regni viſcera Tauricanos is fragor compeſceret, caſtrisq; redderet, velut index exitij, quod Polonus iterum moliretur. Sic ergo paſſa injuriam veritas, ſed ſanctitas fœderum ſanata, & oppreſſa prædarum libido. At verò primum, quod in ferendi fœderis legem trahi voluit hoſtis, fuit belli in Moſcuam ſocietas, & obſtricta metuò arma: aut ſi id non è Regni uſu, decoreq; foret, legio ſaltem Polona Tartaro auxiliaris, quæ Moſcuæ vires attereret poſcebatur, Fœdius id viſum, quàm pacis jactura: nec Polono fœdera pari conſtare dedecore voluit Majeſtas, frementè nequicquam barbaro, & à pacis concilio pene iam reſiliente. In alias ergo pacis itum ſanctiones, quas longo ſententiarum duello partium ſtudia probavêre. Prima Ukrainæ vaſtitatem trifariam partita, geminas partes Polono Principi parere, tertiam Coſacis permiſit. Altera jus in Podoliam ſuſpendit, de qua legatio Polona cum Ottomano pòſt tranſigeret, quod quidem prudentius perſvaſum, quàm in turbido ſperes. Tertiò conſultum obſidibus quos Leopolis & Pomorzana obtulerat. Utriuſque libertas & reditus in Patriam, gratuita forent. Quartò proviſum libertati, tot captivorum agminum, quæ Czortkoviâ, Iazłoveciâ, Buczatſiô, atque è deditis arcibus nervum ſubiêre ac vincula. Quintam pacis condtionem religio & Divinorum vindiciæ cõmendant. Vindicatum à non Orthodoxo Græci Schiſmatis ritu Hieroſolymis ſepulchrum Domini, & alia Bethleemi Sanctuaria, quæ oblatum Turcæ pretium Orthodoxo rapuerat Sacerdotio, hæc vero ſacræ Divi Bernardini familiæ deinceps Græcus reſtitueret è Turcæ imperio, & novâ fœderum lege. Sextò arma Thraciæ, Scythiæq; Polono uſui obſtricta, ſi Polonia his egeret, bellis alibi diſtenta, ſed nihil viciſſim virium Poloniam Bizantio, vel Tauricæ debere. Septimò cautum ut ſi Viciniam Turca bellis infeſtaret, Regni Poloniæ ditiones intactas ſineret. Octavò in Turcæ obnoxias gentes, quæ Polono circumfuſæ, lex condita, ne ſi vicina Poloniæ armis vel prædâ infeſtent, novam belli facem accendant, alioquin Regium fore Baſſam finitimum læſi juris cõmonefacere, quod reparare eidem incumbat. Nonò commercia ex jure & uſu gentium utrinq; permiſſa, retento telonij uſu. Decimò Libcos ſeu Tartaros Litvanicos jure Poloni Principis exſolvi, ut integrum illis ſit, Turcæ dominium amplecti, ſi Poloniæ nolint, anniq; unius intervallo eligendi juris optio circumſcripta. Undecimò decreta Legatio ad Ottomanum, quæ una cum hoſtili exercitu iret ac ibidem majoris legati adventum opperiretur, Pleraq; adhuc addita, quæ legatio Polona cum Porta decerneret. His legibus pax armorum, gentiumque cì áluit 17 Octobris, eædem à noſtris Proceribus & Baſſa ſcripto publico conſignatæ.

A.C. 1674

Conditiones pacis inter Polonum & Turcam.

1ma.

2da.

3tia.

4ta.

5ta.

6ta.

7ma.

8va.

9na.

10ma.

11ma.

Anno 1674

Minorem Legatum è veſtigio poſcebat barbarus: ſibi tergiverſandi anſam fore dictitans, ſi hunc Polonus quamprimùm non offerat. Andreæ Modrzeſcio Pacillatori Siradienſi ac Gubernatori Medicenſi, Legionario Majeſtatis, delatum legati munus. Sed hic non ante id muneris à barbaro permiſſus capeſſere, quàm oculorum judicio probaretur

Minor Legatus ad Portam Ottomanicã præmittitur.

A.C.1674 Conſpici, rapi fuit: idoneum ad omnia & barbarus probavit, nec à ſe amplius dimiſit. Inter hæc ſigna Thraciæ in Daciam mota, ſvaſitq; timor intumeſcentis fluminis, ne poſt eluvione trajectum exercitûs moraretur.

Turcarum abſceſſus. Tormentorum loculamenta per currus diſtracta. In caſtris barbari fœda tot cadaverum ſanies & acervus, ſtragis acceptæ argumentum. Relicti & globorum plures acervi & ſena tormenta. Neglecti funeris, & reliquiarum cauſa, feſtina regreſſio, quam metus etiam nondum certo co-

Scytharũ alitæ pacis urſit. Poſterus dies Scythas expulit, Turcæ appendicem.

Amnem jam trajecerant, cum Rex captivos ab ijs repetijt. *Affuit* ipſe inter illuſtrem equitum globum, peditumq; ſatellitia, cui Princeps Vallachiæ captivæ plebis agmina reſtituit. Ad quindena millia miſerorum numerus pertigerat, quorum ſupellex ter mille curribus tracta.

Libcorũ tumultus oppreſſi. Libcorum dein tumultus caſtra implevit: origo hujus proniora in Turcam ſtudia, cui comes ire intendit licentia. Data optio, & negare hanc fœderum lex vetuit; ſed cum turbida ferunt, odia bilemq; Exercitûs extorſêre. Tumultuantium ſigna exemit neci unius ſupplicium, quem ſummus Litvani Exercitus Dux palo addixit, in plures minacior diſtricto in ſcelus acinace. Locus dein certaminum Principi ſpectaculi, virtutiſque materiem objecit cæſorum ibi cadavera, & quos in vinculis enecuit egeſtas: hos honore funeris impertit & veſpillonum operam pretio parat. At dum è caſtris reditum adornat, de Moschi eventibus edocetur. Ingenti Exercitu in Doroſzencum lvit, trecenta ferè Moſchorum, & Co-

Moſchq; Czechrinum occupat. ſacorum millia copijs inerant: hæc trans Boryſthenem ſubſtitêre: pauciora Czechrino capiendo præmiſſa. Armis opponere arma geſtijt; ſed hæc incolis excuſſit timor, nec arma agitârunt, ſed jugum, quod obſidioni inter annonæ inopiam prætulêre: Cum Duce Moſchorum, Coſacorumq; potius ageretur, cui ſe ſuaq; Doroſzencus permitteret. Magis hic extimuit Civem, quàm hoſtem, civi enim haud tuto fideret inter deditionis vota. In hanc demum & ille animum deflexit, ſed ante jurejurando ſecuritatem pactus, quam per fratrem apud Duces advenas exegit.

Doroſzenci cum Moſchis fœdus. Firmata ſacramento ſecuritas, tum Czechrino exuitur Doroſzencus, jugum Urbs induit, pari jure tradita, atque antea tenebatur. Sic pœnas exolvere cœpit perduellio: nil tutum quippe ſceleri, nec diu fixa huic dominatio. Ad caſtra barbara Nuntium Rex promovit unà cum tabellarijs Bizantio feſtinis: ibi de novo Doroſzenci cum Moſchis fœdere per noſtros pacis publicæ arbitros Baſſam admonet. Nec noſtræ virtutis non admonitum voluit, quæ literas cum tabellarijs interceptas, fide integrâ reddat, contra quàm ille præſtiterit arcanorum Zoravienſium avidior, quàm æqui bonique interceptis noſtrorum codicillis. Movit facinus Moſchi barbaros, & ad Danubium promovit. Longius tamen productum iter, quod illos Danubio nonniſi poſt ſequimenſem reddidit mirâ ad hæc

Alla DEO gratia poſt bella finita. cœli calamitate vexatos, quam brumæ vicinia parit. Tranſiimus dein Tyram, & ad Zuroviam dies proximus nos defixit. Hic in gratias ſuperis effuſus cum Exercitu Princeps, quæ inter repetitos machinarum tonitrus perſonuêre ſolenni gratiarum carmine. Gratias elicuit tum ſalus Exercitûs, & eluſa hoſtium vota inter cladium funeſta, tum nova Romani Antiſtitis in Eccleſiæ ſolium inauguratio, nempe Jnnocentij XI. qui dictus antea Benedictus Odeſchalcus Clementi X. ſucceſſit non in vaticani tantùm Imperij clavum, ſed in Polonæ rei ſtudia. Nervum etiam armis noſtratibus privato ab ærario ſuffecit ante ſummæ Cathedræ aditum in arma emerita profuſior, quem morem tenebit deinceps amor nec aurum ferro contra barbaros deeſſe patietur. Idem dies duplicem

lega-

legatum â Magnæ Europæ Regibus castris induxit, alterum â Rege Christianissimo, Marchionem de Betunc, Sororium Reginæ, alterum à Magno Angliæ ac Britanniæ Rege. Tentârat uterque antea Regis aditum, sed conatum omnem eluſit late infuſa vijs barbaries. Nec tibicen meliùs rem geſſit, quem Anglus ad Baſſam deſtinârat, præter cultum à pretio inſignem comites illi addens ac interpretem. Literæ tibicini datæ, legati à Magno Britanniæ Rege miſſi, vota & legationis materiam concluſêre. Liber ad Regia caſtra aditus poſcebatur: ſe Polonum inter, & Orientem pacis conciliandæ arbitrum mitti. Nondum ad Baſſam penetrârat tibicen Anglicus, cum Scythæ in obvium feruntur, cultus ornatior illis patrandæ cædis illecebra; nec datum orandi ſpatium: dempta tibicini cervix ſocijſque: abjecta cadavera, & literæ, præ quibus barbaro ſpolia fuêre potiora. Acceſſit cum Illuſtribus copijs & Dux Radzivilius Sacri Romani Imperij Princeps, ac Magni Ducatus Litvaniæ Procancellarius. Hunc demum tam ardua finem vertente autumno accepêre. Spectarunt tamen vel ardua erectam ſemper Principis noſtri mentem, nec periculi paventem, quà ſe inferret, malum excluſit conſilio, per diſcrimina non imperio ivit, ſed Mtem illis iñiſcuit, ſui ſecuram. Non fregit obſidio ad viginti dies prolata, ubi diem nullum ſi non abſq; laurea, certè non ſine nova induſtriæ, aut præliaris ingenij laude exegit, tam opportuna gloriæ ſecutus, quàm temeraria præcavens, nec arenam imperans, niſi quæ lauream daret. Ille caſtris ſpatium, ille munimentis deſcripſit: inſtructa ſemper ab illo acies, aurora equitantem accepit, ſerus veſper dimiſit. Acuebat & munere ſuorum virtutem, quos ſtrenua reduces obtuliſſent, liberaliter muneratus. Quacunq; iret ærarium penè ivit, quo vel imperaret virtutem, vel reponeret. Etiam otia gregariorum, aliorumq; globis hoſtium tormentarijs expunxit, quibus colligendis impendi voluit, quidquid temporis à præliandi uſu vacuum ſupereſſet. Neq; is abſq; præmio labor, pretium deſcripſit globi major vel minor moles. Sphæris tamen incendiarijs, ijsdemq; reſtinctis pretium majus. Non ergo jam timebantur, ſed captabantur globi, ut caperetur præmium. Non minor pietas Principis in cæſos eluxit, ſeu vulnus, ſeu funus curandum eſſet, ægris ex vulnere non corporis, non animi abeſſe levamen paſſus, quin eos inſuper transferri alio vellet, ubi ægritudo non ægriùs cubaret. Denique egit hic, ut alibi ſemper Princeps, quod à Magno Principe quidem requiras, ſed ſimul ex geſtorum modo in maximo mireris. Ad extremum indictus Comitijs dies, ubi pax iterū concluſa, & pacem firmatura Legatio.

A.C. 1674

Legatio ad Regem Poloniæ.

Encomium Regis Sereniſſimi.

Hactenus bella Principis, quæ ut in pacem deſiêre, & poſt tot laureas iu oleam pacis teſſeram; ſic Auguſtum, qui Romæ Janum occluſit, Poloniæ victrici referant, diuque ſoſpitem, diu felicem Europâ, & orbe plaudentibus conſervent.

GRATIARUM ACTIO REIPUBL: A REGE JOANNE III. PRO DIPLOMATE ELECTIONIS DICTA. Varſaviæ in templo S. Joannis per Joannem Gninski Palatinum Culmenſem. die 4. Junij.

QUod olim ad ſalutem populi parandaſq; vias Domino vox clamantis in deſerto, id hodie fortunata reſonat echo in diſerto Diplomate, quod Reſpub: in ſinum reponit Electi ſui JOANNIS III. DEi gratiâ Regis Poloniæ & M. D. L. Parat viam Domino, non pridem

A.C. 1674 dem Filio nunc jam Patri, Portitori S. Fidei, libertatum, fortunarum & salutis suæ. Ibi mutus præ senio Pater tabulæ id impressit; hic dexteræ DEi digitus, prius in mollibus cordibus, innocentis, , & cum externa luctantis ambitione, gentis; deinde in Diplomate Joannes est. Joannes nomen gratiæ fortunatæ inscribit. Ibi Sanctissima DEi Genitrix MARIA, Mater salutis & misericordiæ in sterili utero vix conceptum, visitatione sanctificat: hic serenissima Ludovica Maria, fons benignitatis & clementiæ, prima in orbe Herois, velut Heroicis institutum artibus, primumq;, cum vaticinio infallibilis, Patriæ defensionis, triumphorum, & throni investit benedictione, ubi ad imaginem perfectionum suarum, tutelæ suæ, & educationis Alumnam, Serenissimam Mariam Casimiram, pelagus Angelicarum qualitatum, pietatis exemplum & speculum, propriis jungit manibus & desponsat: in Matrem Cænobiorum & Xenodochiorum, thesaurum pupillorum, & pauperum, quorum 3000 in partibus Russiæ propria manu & sumptibus sustentat, advocatam afflictorum & orphanorum, inclyto exercitui Patronam, sui loco relinquit. An enim non vidit Sancta illa Reginarum Herois, desertum in hac Patria omnibus quidem ijs, quibus perennant, & florent Regna, desertum tamen præcipuè defectu viri bellatoris, post illas Flavoxquenses, Corsunenses, Pielavicenses, Zborovienses, Batovienses, Rusvanecenses, Szepelienses, Mohilovienses, Grodocenses, Voinicenses, Opoczynenses, Cracovienses, Varsavienses, Gedanenses pugnas an fugas? an non desertum post avulsas vix non tres partes, post fames, ægritudines, pestes, aliasq; plagas innumeras? an non desertum post Golembenses, loco consilij, cruentos tumultus, & probrosos discordines? an non desertum post amissum pretiosum in Cameneco lapidem cum Podolia? post violatas Ecclesias statusq; omnes? Desertum tamen id ultra captum & historiarum fidem, plantat Electus noster, & Dilectus Polonæ fortitudinis Titus, fortunatior Regni labentis Stator? Non redeo ad primordia ætatis ejus, quam æstu, ut Rempub: velut Matrem ab incendio tueretur; algore, ut tepentem refoveret; inediâ, ut esurientem reficeret; acie & pulvere, ne reliqvum splendoris amitteret, exercuit: Ultra Crivousti columnas, audacisq; triumphos, tanta magnanimitate & liberalitate, licet tum adhuc sine officiis, Soltanos Filios Imperij, in obsequio Reipub: continuit & rexit: Civitates & Fortalitia in spatio duorum mensium, in potestatem & subjectionem Reipub: redegit, quæ, non uno petita Troja decennio, pertinax Ucraina tuebatur, Tartaros virtutis Polonæ cotem quia anniversarios Reipub: hostes, ipsumq; Hanum, non tantùm in fugam agi, verùm etiam usq; ad defectionem manuum profligari docuit: Imperatorem Turcarum terrorem orbis ita perculit, ut post victoriam, obverso tergore, demissis fascibus, facibus præ lucentibus intra 30 horarum spatium, biduo equo non descendentem, fugere non puduerit. Plane arcus & lauros tenerior præsentat ætas, tot triumphos numerans, quot Respub: sub officio; hodie jam Regis nostri, censebat hostes: Unde invidiam gloriâ, Patriam vicit beneficiis: Vicit inquam Patritio sangvine, primo Avi, supremi Ducis & Cancellarij Regni, deinde Avunculi, germaniq; fratris, qui pro Patria DEo sese litârunt, in victimam, coronâ Martyrij gloriâq; redimiti. Vicit magni sui Genitoris activitate & gloriâ, quem sacrosanctæ pacis Magnum Angelum Chocimensia castra, non multo verò post tempore, filium ejus, perfidiæ ultorem, publicæ salutis vindicem, victorem orbis, supra exempla

xempla ſæculorum, ſuſpexerunt, & hiſtoriis tradiderunt. Qui itaq; ad hoſtilia, primus reliquis præivit valia, ut orba, majeſtate, ſceptra ſuſtentaret, an non juſtè voto totiusChriſtianitatis primus ad thronum evehi, Regio fulgere paludamento, & coronâ gloriæ meruit redimiri? Voto inclyti Senatûs citra exemplum tam numerosè congregati, totiuſq; equeſtris ordinis, qui nec Martiarum expeditionum peritiorem, nec meritorum magnitudine, aut patrij ſtatus notitiâ inveniens perfectiorem, hunc Dominum & Monarcham ſuum nutu monſtravit; qui cum Turonenſi Præſule Lechium agone laborantem, velut ilium malè veſtitum mendicum veſte contegeret inauditæ victoriæ; Voto inſuper fatorum, quæ eum in natali horoſcopo Regem indigitârunt, velut martiale tormentum, terrore orientis & flagellum Conſtantinopoleos educârunt; nec ſine myſterio poſt Sereniſſimos Joannem Caſimirum, & Ludovicam Mariam interpoſuerunt Superi luſtrum viciſſitudinum, fatorum moram; ut enim liberum nobis dederunt arbitrium, ita voluerunt, ſine coactione, liberè noſtros luſtraremus defectus & errores, demumq; ſaperemus. Erraverat quidem etiam Electus populus in Samuele, ſua pertinaciter in Saulem vota dirigendo: verùm correxit errorem in Electione Davidis, ſecundùm cor DEi Viri, quod nihil irritat magis, quàm pauperum oppreſſio. Faciamus comparationem numeroſiorum nunc, quàm olim fuerunt exercituum, & caſtrorum, tum non tanta egeſtas, oppreſſio, devaſtatio, & rapinæ militum grafabuntur. Joannes eſt nomen gratiæ, qui diſcipiinam militarem in orbitam reſtituet, fortunamque Reipublicæ ad priſtinum DEo favente reducet ſtatum, & ſplendorem. Utiq; abyſſum judiciorum DEi, per media, quæ bonitas ejus ordinat ad prædeſtinata perpendimus, ex eisque ſanctam ejus voluntatem aſſequimur; altiore ergo penſemus reflexione, quod ſicut, eadem plane die & hora poſt decurſum anni, Superi nos orbitate involverunt, qua die & hora in commotionem à fundamento jurium & libertatum noſtrarum, juramentum Lublini factum; ita in craſtinum poſt decurſum ejuſdem anni, tantâ nos ſub Chocimo DEus recreavit victoriâ, ut Patrem Patriæ velut digito indicaret. Verùm ipſa quoq; illum in lege pacificationis ſibi indigitavit Reſpub: quando cum eo jam pene perdita, vitâ & ſalute cariora, jurium & libertatum illi decora, redière. Ideo Moldavi & Valachi Dominum adorârunt, ut gens noſtra Statorem ac Soſpitatorem univerſæ agnoſceret Chriſtianitatis: ſuper ſcuta, mos erat Heroibus Duces ſuos ad thronum deferre, hic gentilitium ſcutum Electi noſtri attollit collapſam Patriam, protegit ab ambitione, convulſionem compagis noſtræ, intendente. Fulgere incipit poſt nubila Phœbus, cum magna ſpe deſideratæ pacis; quando ſine turbinibus, tonitruis, incendiis, cædibus in horiſonte noſtro, oritur tam beneficum ſidus, quod omnibus ſtatibus, panem non fulmina promittat. Spiritum Paraclitum per feſta Pentecoſtes expectavimus & ſupplicibus votis invocavimus; & ecce individuæ Triadis colligimus beneficia, ubi feſtivitas Eccleſiaſtica, ſolemnizat Electum noſtrum. Sub ſpeciebus panis velut ſub ænigmate ſacratiſſimo Filio DEi, Salvatoris mundi, his diebus feſta celebrat Eccleſia; iiſdem Filius & Pater quia pridem Servator populorum, ænigmate auguſtiſſimo ad conſervandam ſalutem populorum, Sacramento ſe obſtringit. Sabbathum olim Solis expers, victoriam attulit Chocimenſem; Sabbathum præcedens feſtivitatem Triados diviniſſimæ diverſitatem unit lingvarum, Electoq; noſtro ſacrificat, ut gen-

A.C. 1674

tis

A.C. 1574 tis Sclavonicæ, tribus ordinibus antiquitus constanti, nunc interim orbatis duobus, pro tertio at supremo, omnipotens Trias Joannem III. superaddat. In triduo sub Chocimo divina bonitas terret, rumpit, frangitq; orientalem potentiam; in triduo tres (in tot enim dividimur) magnas conjungit nationes, in unamq; colligit vocem, & ad Regem Dominum, Filium & Patrem dirigit, primo tam liberè concordis, tanta deliberatione firmatæ Electionis exemplo, summa mansuetudine Regis, ac moderatione temperatæ: ut ostendat amoris vim esse maximam, metûs imbecillem. Imò dum in solem hunc, planè justitiæ nuper, triduana ante nominationẽ, nunc biseptimanariâ ante Regni desponsationem, deliberatione honoratum, irruissent umbræ passionum, en, quomodo DEus suum tuetur partum, intra triduum quasi fatuos ignes, errantes illas extingvit stellas, ut Electo accendat diem gloriæ. Non ergo vana esse potest talium incidentiarum conjunctura: ter centenis, imò utinam ter millenis annis, (mille enim anni in conspectu Domini sicut dies hesterna, quæ præteriit) triduum hoc ominatur regnaturum. Semen de domo Jacob, cujus melliflua eloquentiâ, dum tergiminis vicibus Mareschalcũ ageret Nuntiorũ, salutarib⁹ in senatu consiliis, infracto labore in castris, floruit Respub. Efflorebit iterum feliciter sub fortunatis Filij Imperiis, cujus gentilitio scuto Polona Aquila insedit ad quietem: ab humeris verò præpetis Litvaniæ Equitis, non vano omine idem insigne pendens, pollicetur; sub hoc signo, quidquid à corpore Reipub: avulsum est, assequendum ac restituendum, reducet ad compagem grandes provincias, asseret Diœceses; restituet Ecclesiis fidem, altaribus sacrificia, pauperibus panem, pacem patriæ, omnibus opes, securitatem; restituet aurea Vladislai tempora, redibuntq; Saturnia regna; ubi ex voto omniũ bonis omnes saturabimur: magnis Piastis instruet nidũ, æquabit Octaviũ, & de lutea in marmoreã transformabit Pol. & Litv. sicut verò suos Octavio fuisse codicillos, non tã redituũ ex orbe, quàm bene meritorũ, memorant fasti, ita in corde Augusti nostri, indelebiles manebunt codicilli senatus inclyti, vigilantium Pastorum, ac præsertim eorum capitis, qui pro Primatiali labore primitias referat gratiarum: manebunt codicilli strenui in sago, in toga perspicacis equestris ordinis magniq; eorum Mareschalci, qui Patrem familias in Senatu, in castris egit Commilitonem. Securè itaq; ad feliciter Electum, velut suum nuper Directorem Senatus, Duces & Ministri ad Collegam, Equestris Ordo accedet ad Consivem, qui cuivis loquetur sine sermonis interprete; securè etiam Gregarius ad Commilitonem, quem in prælio primum spectabat: Experietur quisq; id ab eo, ad quod se Sacramento ad aras obstringit; hoeq; Diploma in paternum, cum gratitudine, & gratiarum actione suscipit sinum; omnibus Reipub: statibus singulisve ejus civibus per hodiernam desponsationem spondet amorem, gratitudinem, respectum & observantiam.

RATIONES OB QUAS PROTESTATIONES POST NOMINATIONEM VALERE NEQUEUNT.

Imo QUia non licet salvo statu res concluſas evertere, & per hoc pacatum Reipubl: statum concutere, & Rempublicam discrimini exponere.

2do. Quia Electio, nulla, præter Vladislai, tam pacatè, ac moderna peracta est; quia licet fuerint schismata in votis pro Candidatis; & præfer-

præſertim magna contradictio pro M. D. L. acceſſerunt tamen etiam hi ad unionem, perſuaſi non coacti; à potiori verò, omnes Regni Palatinatus uno ferè nutu Candidatos nominatos reliquerunt, modernum verò Dominum nominârunt. A.C. 1674

3tio Requiſiti terna interpellatione de conſenſu, nemine contradicente, omnes in nominationem conſenſerunt.

4to Pacta conventa conſcripta, de quo teſtatur diploma manibus Senatorum ſubſcriptum, & à Deputatis cujusvis Palatinatus Regi redditum cum ſubmiſſione & ſponſione obedientiæ & fidelitatis erga Electum. Eſt ergo id non crimen tantùm, ſed ſceſus maximum velle turbare Rempub: his illicitis inventionibus.

5to Quod attinet ſcrupulum illum, qui paſſim volitat, quod Rex promiſerit Exercitui ſolvere pro duobus trimeſtribus; id non eſt in pactis conventis: licet enim id propoſitum fuerit à privatis, Rex tamen computatis theſauris, agnitâq; eorum inſufficientiâ in id conſentire non potuit, quod conſtat ex pactis, ſuper quæ Rex juravit; in quibus id non invenitur, licet ſcrupuloſiſſimè ſint conſcripta & jurata.

6to Diverſum habemus exemplum in Electione præteriti Domini, ubi ad Senatum exploſiones fiebant, ad aliorum latera ſclopeta dirigebantur, nullam concedendo perſuaſionem aut deliberationem, & tamen modeſtia ſenatûs ea fuit, ut noluerint protrahere interregnum Reipub: periculoſum; maluerintve diſſimulatis injuriis concludere Electionem, quàm contradicendo Rempub: confundere.

7mo Nemo dicat (id enim falſum omnino eventus docuit) conjurationes fuiſſe contra præteritum Dominum, per quas Dominio exturbaretur, nunquam enim id in re fuit, niſi in figmento defuncti Regis qui vindicativi cum eſſet ingenij, per ſua ſubjecta concitabat cives, & evertebat ita ſtatum Reipub: ut nec mica priſci moris aut libertatis remaneret, ut teſtatur conſtitutio reconciliationis. Quamvis igitur juxta juramentum Regis juraq; noſtra licuit renuntiare legi de præſtanda obedientia, eaq; ſe exvinculare; tamen magni in Repub: Cives maluerunt corrigere, quàm ad ea, quæ agere quidem licite, cum aliqua tamẽ Reipub: turbatione, poterant, deſcendere; Regemq;, inaudito non tantùm in Regno Poloniæ; verùm etiam nec in ullo orbis angulo, à condito orbe, exemplo, deponere: à potiori verò nunc velle turbare, ex nullo fundamento Rempub: eſt grande nefas, & infandum crimen. Abominari itaq; quivis vir honeſti amans haſce debet inconvenientias, & eis obviare, nec talibus præbere aurem proteſtationibus; Rex enim Reipub: præſtare non tenetur, niſi quod pactis conventis eſt concluſum; non verò quod quiſpiam in ſuo fabricavit capite ac ſuggeſtione externa; nec aliud niſi id, quod eſt in pactis conventis, quivis nobilium exiget ſine ſcelere & tumultu.

AD SACRAM CÆSAREAM MAJESTATEM, JOANNIS III. 6. Junij

Quæ à tot ſeculis Regno Populoque Polono cum Majeſtate Veſtra ejuſdemque Dominijs fœderum bona vicinitatis, amicitiæ & neceſſitudinum intercedunt vincula, eorum rationibus abunde nos proſpicere exiſtimamus, Dum Majeſtati Veſtræ quod vo-

lox

A.C. 1674 *lox jã detulit fama, significamq9, nimirũ quòd per concordia vota ordinũ Regni Sceptrũ, concordibus Suffragijs, nobis ultro delatum sit; non ingrate jam excepisse Majestatem Vestram eum Nuntium, quin imò veterem, benevoli, & propensi animi sensum, erga nos & Regnum nostrum demonstrasse, satis abunde ex ore Legati Majestatis Vestræ didicimus, quo nomine & benevolo officio, animum nostrũ Majestati Vestræ, plurimum devinctum esse fatemur, minimè dubitantes, eadem studiorum & propensionis indicia, quæ nostris constabant Prædecessoribus Majestatem Vestram nobiscum continuaturam, cui nos omni occasione libenter & merito paria reponemus. Interim Majestati Vestræ prosperrimos successus cum longæva incolumitate à DEO apprecamur.*

COPIA LITERARUM AD SUMMUM PONTIFICEM 21 Maij, à Serenissimo JOANNE III ipso die denuntiationis.

POst oscula pedum Sanctitatis Vestræ meique ac Regni & Dominiorum meorum, filialem commendationem. Præter spem omnino meam, & consilia humana accidit, ut viduato throno Regio Senatus Populusque Polonus in me studia & suffragia sua, ultrò verterit, meque in campo Electorali, more Patrio liberis & concordibus vocibus Regem suum dixerit, ac elegerit. Non ignotum habeo, quàm sollicita & verè paterna curâ, Sanctitas Vestra erga Regnum hoc Orthodoxum afficiatur. Cum Pontificiæ bonitati non satis visum malis nostris illachrimari, & votis duntaxat calamitates nostras prosequi, sed angustias etiam nostras beneficâ erigere dexterâ clementia Sanctitatis Vestræ dignata est. Ego quàm procul ambitu thronum Regium hodiernâ die conscendi, tam libenter, & meritissimo solius Divinæ voluntatis nutui, quæ tot populorum animos & ora erga me indignum disposuit, Regis fortunam meam adscriptum eo. Atque dum humeros, licet impar tantæ moli suppono, Sanctitatem Vestram, Christiani & Poloni orbis amantissimum Patrem demisso cultu, & filiali obsequio imprimis veneror. Benedicat mihi anima tua, ut Polonæ aquilæ vergens jam senectus, in lætam iterum juventutem meis auspicijs, renovetur, religio Catholica, per Regnum hoc latequè diffusas Provincias proferatur, acerrimi tot hostes cum quibus pro Deo & Patria dimicandum erit, dexterâ Excelsi franguntur. Cæterum felix ac diuturnum rei Christianæ Imperium Sanctitati Vestræ vovendo Pontificiam ejusdem benedictionem humillimè exoro.

Sanctitatis Vestræ Obedientissimus Filius.
JOANNES Rex Poloniæ.

COPIA LITERARUM AD REGEM GALLIÆ 15 Junij.

NON ingratum, ita sperare licet, Majestas Vestra excepit Nuntium de nostra ad Thronum Regium evectione. Sceptra & Coronas cælitus dari, quis jam vel nostro argumento dubitare

audeat,

audeat, cum nos nihil ultra civilem modum ſpirantes aut ſperantes, A.C. 1674
ad Regalis dignitatis faſtigium pervenerimus. DEI haud dubiè nutus & voluntas hæc operata eſt, & ſolius Domini aſſumptio noſtra. Non enim impetus aliquis aut inconſultus favor, verùm in triduum protracta, matureque librata Electoris populi ſuffragia ſceptrũ hoc Nobis dederunt. Peracto feliciter Electionis negotio, in Campo Varſavienſi die 21 Maij, tandem tradito nobis, ab Ordinibus Regni Diplomate die 5. Junij Pactorum Conventorum, ſeu Capitulationis articulos ad ſacras aras ſolenni juramento firmavimus, ac regimen capeßere incœpimus. Quod licet jam ſatis compertum, tamen etiamper Ablegatum noſtrum Venerabilem Andream Załuski Abbatẽ, Cracovienſem Canonicum, decenter Majeſtati Veſtræ repræſentandum ducimus, quo & noſtram addictiſſimam voluntatem, eidem conteſtemur, & mutuam propenſionis erga Nos animi, amicitiæ & ſtudiorum Majeſtatis Veſtræ vicem provocemus, de cujus erga Nos ſincera propenſione, uti minimè ambigimus, ita nos omni occaſione paria repoſituros pollicentes, quod ſupereſt Majeſtati Veſtræ optimam valetudinem & proſperrimos rerum ſucceßus animitus à DEO precamur.

Bonus Frater

JOANNES Rex.

AD REGEM SVECIÆ POST ELECTIONEM SERENISSIMI JOANNIS III.

SCeptra & Coronas calitus dari, ſi deeſſent alia, fateremur experimento. Non volentis, neque currentis ſtudium, ſed DEI miſerentis in nobis veneramur opera, dum hiſcè diebus, liberis, ac concordibus Populorum Noſtrorum ſuffragiis, ad Regiam evehimur dignitatem. Cuius rei nuntium tantò libentius Majeſtati Veſtræ, præſentibus mittimus literis, quantò certius pollicemur de Regio ſuo affectu, Electionem noſtram pergratam eidem fore, utpote eam, quæ primarios conatus noſtros ad illud præcipuè diademate Regio adſtringere videtur, ut Patriam hanc tot malis quaſſatam, periculoſis belli Turcici ſubducamus procellis, tamque gratã vicinis reddamus Principibus, ut poſt tot nubila, tranquillitate publicâ & finitimorum reſloreſcat amicitiis. Quod ut ex animo vovemus, ita ea de Majeſtate Veſtra Nobis promittimus, quæ à vicinitate Polona reciprocè Majeſtas Veſtra, & à Regio Noſtro præſtolatur affectu. Felicisſimum interea ſuorum Populorum Regimen, & longævam vovemus felicitatem.

COPIA LITERARUM JOANNIS III, AD REGEM DANIÆ, ANGLIÆ & HISPANIÆ.

SI privatæ ſortis hominum proſpera & adverſa communia exiſtimantur, quanto magis Regum & Principum latiorem animi me-

AD CARDINALEM URSINUM, A PROCANCELLARIO REGNI. 6. Junij. A.C. 1674

REpetitas literas Regias ad Suam Sanctitatem ex Cancellaria Regni inaugurationis heſternæ ad thronum, poſt præſtitum ſolenne juramentum denuntiatorias Eminentiæ Veſtræ tranſmitto, minimè dubitans, curâ, & officiô Em: Vræ illas Suæ Sanctitati decenter exhibitum iri. Poſſum affirmare Suam Majeſtatem Regiam, amicum, & addict.ſſimum eſſe Em: Vræ, cujus Princeps familia, conteſtata erga res Poloniæ propenſio, continuus favor, & labor, atq; erga me ſingularis gratia, jure meritiſſimo omnem meretur reſpectum. De cætero datum eſt à Rege negorium Epiſcopo Cracovienſi, ut per prudentem mediationem Eminentiſſimi Cardinalis Vidoni armorum Poloniæ poſtpoſitorum controverſia aliqua convenienti ratione componatur, quô tranſactô certò confidat Em: Vra, Regem meum ſummæ prudentiæ, & humanitatis omnia benevoli animi indicia Em: Vræ demonſtraturum. Ego præcipuè majorem in modũ lætabor, cùm primùm prætactã differentiã, vel per hoc ipſum medium (ſi utrumq; ſtemma, & Polonicum, & Portugallicum è veſtibulo portæ palatij Em: Vræ tollatur) compoſitam inaudiero. De Turca crebri Nuntij afferunt illum trajecto Danubij ponte, Duce ſupremo Vezyro limitibus Poloniæ appropinquare; Noſtro Exercitui animus, & vires non deſunt, præſertim tanti Regis auſpiciis, niſi maximæ ærarij publici anguſtiæ conſiliis bellicis obſtarent, & deſperatione undiq; auxiliorum, quæ nobis ab omnibus Principibus Chriſtianis prorſus denegatæ ſunt, audacia frangeretur. Sanè Chriſtianitatis intererat Regem noſtrum prudentiâ, & fortitudine incomparabilem ad bellum ſacrum animari, & ſubſidiis fulciri. Deſcribi enim non poteſt, quantâ authoritate, & terrore, ac nominis fama, ille toto Oriente præpolleat, quem etiam inſignis ejus moderatio, quòd Regnũ divinitus oblatum acceptare non properaverit, & vix rogatus acceptaverit, admirandum facit. De reliquo Em: Vræ devotiſſimam officiorum meorum promptitudinem commendo.

AD CARDINALEM REGNI PROTECTOREM. 5. Julij.

LEgi epiſtolam Em: Vræ Regiæ Mti, in qua publicam urbis lætitiam ob Nuntium felicis Electionis, ac ſimul de honore Capellæ Pontificiæ aliiſq; ceremoniis, & ſolennitatibus extraordinariis mihi communicare dignata eſt. Gratiſſimè id à Rege acceptum, qui omnibus argumentis ſuam propenſionem Emin: Vræ conteſtari cupit, modò armorũ iſta differentia quàm primũ componatur. Ex Cancellaria Regni pridem ſcripta eſt publica epiſtola denuntiatoria Electionis ad Summum Pontificem Seren: Reginæ Chriſtinæ,

A.C. 1674 næ, idem etiam honor motu Em: Vræ habetur, cujus Majestati ego me pridem profiteor. Nominationem meam ad Archiepiscopatum Gnesnensem cum processu formato per Extraordinarium Cursorem mitto, ac totum negotium Em. Vræ comperto aliàs mihi in Episcopatus Culmensis ante 14. annos expeditione patrocinio, & promotioni commendo. Pecuniam proxima posta ad manus Em: Vræ dirigam. Dominum Carolum Monsium amicum postponere non possum, quominùs isti expeditioni manum admoveat, sed cum totali dependentia ab Em: Vra. Confido plurimum eam gratiam accedente authoritate Em. Vræ mihi concessum iri à sacro Cardinalium Collegio, quam Antecedaneus meus Archiepiscopus Gnesnensis Casimirus Czartoryski expertus est. Par causa mea est, atq; etiam ob summos per octennium Cancellariatus labores, sumptus, incommoda viarum & castrorum, ac ob incumbentem Primatialis dignitatis, & curarum molem, præsertim quando Rex in longinquas oras, belli gerendi causa proficiscetur, possum majori ratione, & respectu gratiam istam demereri. D. Episcopus Cracovienſis haud dubiè tentaturus est aliquid in Curia Romana contra Primatialem dignitatem, & vereor ne Carolus Monsius pro eo satagat. Ego ut verum fatear non acceleratem nimis in urgenda expeditione Bullarum Archiepiscopatus, multæ enim utilitates dimisso sigillo Regni depetibunt, quæ in coronationibus Regum, Privilegiorum confirmationibus, & diversis promotionibus insigniter Cancellarijs obvenire solent. Sed majoris momenti duco honorem Coronationis Regiæ Archiepiscopo Gnesnensi competentem, deinde tranquillitatis publicæ: Gravis exoriretur Controversia, inter Episcopum Cracovienſem & Cujavienſem, maximaq; fieret Senatus, ac nobilitatis Majoris Poloniæ oppositio, cùm jus coronationis absente Archiepiscopo, seu vacante Archiepiscopatu Gnesnensi, non Episcopo Cracovienſi ex Minori Polonia, sed primo Episcopo ex Polonia Majori de jure, & consuetudine competat. Prolixius deinceps super his informabo Em. Vram. Breve Pontificium cum annexis epistolis PP. Bernardinis in manus tradidi, atq; ut duodecim scuta impensa pro expeditione remitterent admonui. Ineluſas epistolas meas, ad Eminentissimos Cardinales, rogo ut Em. Vra per aliquem ex suis domesticis reddi demandet, meæque audaciæ, quod humanitate abutar, condonare benignè velit. Interim devotissimam obsequiorum meorum promptitudinem Em: Vestræ reverenter addico.

COPIA LITERARUM AD SUPREMUM VEZYRUM 13 Junij.

TAmetsi jam fama ipsa satis compertum esse Excel. Vræ existimo de Electione novi Regis Poloniæ, feliciter peracta, nempe omnium Procerum, & populorum vastissimi Regni Poloniæ & M. D. L. atque annexarum provinciarum concordibus votis

tis & ſuffragijs die 21 Maji in campo Varſavienſi electum, & ac- Ao. 1674
clamatum in Regem Poloniæ Seren. & Potent. Principem ac Dominũ IOANNEM SOBIESKI, nuper ſupremũ Regni Mareſchalcũ, & Generaliſſimum Exercituum Ducem, tamen officij mei duxi, per literas etiam, & ſpecialem Ablegatum lætum hunc Nuntium Excell. Vræ afferre. Non ignorat Excell. Vra ſummas & incomparabiles virtutes Regis noſtri, præſertim quâ moderatione etiam inter proſpera utatur, quàm diligenter amicitiam, & fidem datam obſervet. Intercedebant Seren. Regibus & Regno Poloniæ, cum Seren. Porta Ottomanica, vetera & ſacroſancta fœdera, quæ regnante nuper Sereniſſimo Rege Michàéle, & rebus in melius mutatis, cum jam non alieno imperio, ſed ſuo, ſuiſque auſpicijs Seren. & Potent. Rex modernus, Ioannes III Remp. Polonam gubernare cœperit, uti nihil magis in votis habemus, quàm ut pax, tranquillitas bona, unitas, & amica correſpondentia cum Sereniſſima Porta Ottomanica, ejuſque Dominijs, & ſubditis reſtituatur, ita poſſum ſecuram reddere Excell. Vram, de bona inclinatione Regiæ Mtis Poloniæ ad pacem reſtituendam, modò honeſta & ſecura media offerantur. Quo in negotio lator præſentis epiſtolæ, G. Dnus Ioannes Karwowski, Pincerna Podolienſis Aulicus Sacræ Regiæ Mtis, & Ablegatus, plenam, & ſufficientem cum Excell. Vra conferendi habet poteſtatem, cui in omnibus fidem adhibebit Excell. Vra, ac pro ſua collaudata prudentia, belli graviſſimi incommoda, & pacis ac tranquillitatis maximos fructus expendet. Quod ſupereſt Excell. Vræ bonam valetudinem & proſpera quævis à Deo apprecor, meaque ſtudia & officia commendo. Datum Varſaviæ 15 Junij &c.

Andreas Olſzowski Epiſcopus Culmenſis &c.
Procancellarius Regni

AD CARDINALEM URSINUM 15 Junij.

ELectionis Regiæ Diploma Eminentiæ Vræ mitto non ſupervacaneo, uti exiſtimo, officio, quo magis heroicæ virtutes Sereniſſimi Electi noſtri innoteſcant, & meæ erga Eminentiam Vram obſervantiæ conſtet documentum. Coronationem pro 21 Julij Ordinum decreto præfixam, motu proprio Regia Mtas ad diem 9 Januarij diſtulit, ne à negotio & cura belli Turcici diſtraheretur. Deus planè, rebus Poloniæ afflictis, ac vix non perditis, tam prudentem, fortem & magnanimum Regem cœlitus ordinavit. Subſidium decimarum à ſua Sanctitate clementer Poloniæ conceſſum, ut in effectum, quàm primum deducatur, demandatum Generoſo Chriſtophoro Maſini intimo Regiæ Cameræ Secretario, ut ille Romam redire ſub authoritate Eminen. Vræ, aliorumque Poloniæ faventium Cardinalium iſti exactioni ſollicitam operam adhibeat. Turcas Tartaris conjunctos maximo numero ad confinia

A. C. 1674 Podoliæ approximare hesterno Nuntio allatum est. Auxilia Principum totâ Europâ per Ablegatos Polonicos requisita undique nobis denegantur. Quod superesset, devotissimam interim obsequiorum meorum promptitudinem, Eminentriæ Vræ reverenter dedico.

AD ELECTOREM BRANDEBURGICUM. IOANNES III. REX POLONIÆ 7 Junij.

SCeptra & coronas cœlitus dari, si alia desint nostro argumento orbis agnoscit, non enim humanitus accidit, ut populorum tot suffragia, & voces Nobis minimè ambientibus, ac nec opinantibus, non subito impetu & tumultuario favore, sed maturâ & in tertium diem protracta, omnium Ordinum Regni deliberatione in nostram ad thronum Regium evectionem conspirarent. Non differimus post juramentum die 5ta Iunij super Pacta Conventa, seu Capitulationem, in Basilica Varsaviensi, solenni ritu præstitum ejus felicis Electionis & inaugurationis nostræ nuntium ferre Serenitati Vræ. Id enim fœderatæ amicitiæ, bonæ vicinitati, alijsque vetustis & recentibus, inter Reges Regnumque Poloniæ, ac Seren. Vram necessitudinum, & mutuorum officiorum vinculis, nostræ insuper singulari erga eandem propensioni, & ineundæ ac conservandæ optimæ correspondentiæ maximè conveniens judicamus. Prolixius demandatum sibi à Nobis id negotium coram exponet Generosus Skorasze wski Vexillifer Palatinatûs Posnanienſis, Colonellus & Ablegatus noster extraordinarius, cui pronas aures, & plenam fidē à Serenitate Vra adhiberi cupientes, de reliquo longævam valetudinem & prosperos rerum successus Seren. Vræ apprecamur.

AD ELECTOREM BRANDEBURGICUM.

QUam gravi & internecino bello Turcico Regnum nostrum implicatum sit, optimè constat Serenitati Vræ, irritatus enim magis victoriâ Chocimensi, quàm debellatus hostis, collectis undique vastissimi sui imperij viribus, formidoloso apparatu contra Nos & Regnum nostrum imminet, & trajecto per Danubium ponte, jam confinijs Poloniæ appropinquare crebris nuntijs refertur. Non differimus vigore Pactorum Bidgostiensium, & nuperrimæ per Ablegatum Polonicum Tractationis copias auxiliares Serenitatis Vræ in subsidium nostrum evocare atque eo fine scribimus, ad Illustrissimum Principem, Gubernatorem Ducalis Prussiæ, cui datam esse à Seren. Vra plenam potestatem expediendi prætacti militis intelleximus, ut quam primum ad confinia Palatinatus Masoviæ sistatur, quo loco Commissarius noster ad recipiendas & reducendas Ser. Vræ copias auxiliares, paratus expectabit, & officio convenienter fungetur, ac licet in primordijs Regni nostri minimè optaremus onerare Seren. Vram desiderijs nostris, tamen vincente & cogente necessi-

neceſſitate & nonnulla ſpe, à Legato Seren. Vtæ Nobis injecta fre- A.C. 1674
ti, poſſe numeroſiorem militem, ab ejuſdem erga Nos propenſione impetrari, non gravatè feret Seren. Vra. quod ab eadem peramanter contendimus, ut aliquot millibus peditum Nobis inſuper auxiliari velit, quod negotium decenter tractandum generoſo Vladislao Skotnizewski, Vexillifero Palatinatus Poſnanienſis Colonello & Ablegato noſtro extraordinario commiſimus. Non ambigimus Seren. Vram præter documentum ſingularis erga nos & Rempub. ſtudij communi totius Chriſtianitatis defenſioni id libentet conceſſuram. Cæterum Ablegato noſtro plenam in omnibus quæ nomine noſtro proponet, acturuſque eſt, fidem adhiberi cupientes Seren. Vtæ optimam valetudinem & proſperos rerum ſucceſſus à Deo precamur.

ORATIO LEGATI REGIS SVECIÆ.

Varſaviæ 29. Julij.

Sereniſſime & Potentiſſime Rex.

SAcra Regia Mtas Sveciæ, Rex & Dominus meus clementiſſimus inclytæ Reip: Polonæ bello cruento adverſus Turcas implicatæ, & luctuosâ orbitate mœrenti Seren: Regis MICHAELIS obitum, ex animo indoluit. Intellecto verò armorum Polonicorum proſpero ſucceſſu, quo Turcarum vires ad Chocimum proſtratæ atq; deletæ fuerunt, maximâ lætitiâ affectus eſt, præſertim quòd tantæ victoriæ decus, & ſervatæ Poloniæ, defenſæq; Chriſtianæ Reip: gloria, divinæ Providentiæ, quæ adverſis læta miſcet & heroicæ Sæ R. Mtis V. virtuti, ductuiq;, gentiſq; generoſæ fortitudini debita, Remp: Polonam inter ſuſpiria & gemitus afflictam ſolaretur, juſtiq; periculi metu, & futuri anxiâ ſolicitudine univerſam Europam ſibi timentem ſolveret, & exueret. Sed majus adhuc gaudium Mtas Sua percepit ex felici Electionis Regiæ eventu, perſpectiſq; rerum & momentorum rationibus, unde Mtis V. ad inclyti hujus Regni ſceptra capeſſenda evectæ gloriam felix Regni auſpicium, Poloniæ incolumitatem, barbarorum cladem, & Chriſtiani orbis quietem & emolumentum ſperare, & augurari convenit. Quod ut teſtatum & manifeſtum faceret Mtas Sua mihi in mandatis dedit, ut qui antea Regi eligendo, & Reip: electuræ pia vota oblaturus eram, nunc utrinq; de re optimè geſta feſto & ſolenni applauſu gratularer, Mti V. ſignificarem, quanti Mtas Sua inclytas & heroicas Mtis V. virtutes æſtimet, ad quas ipſa quoq; cæleſti planè indole & animo pariter adſurgit. Gratulatur itaq; Mtas Sua Mti Vræ, quòd apud ſuos & orbem univerſum dignum meritis ſuis judicium invenerit ſic ut tantis virtutibus, victoriis atq; triumphis debitus Regalis dignitatis ſplendor tandem acceſſerit. Gratulatur quoq; Poloniæ, quæ ſaluberrimo conſilio digniſſimum ſibi Regem eligens honori & exiſtimationi Gentis ſuæ cauſæq; publicæ votis, & quieti conſuluit. Proinde Mtas Sua Mti Vræ à DEo Optimo Maximo, per quem regnant Reges, ſalutem, incolumitatem, proſperos rerum ſucceſſus, felix Imperium, vitam, victorias, triumphos, & perennem gloriam vovet, & apprecatur, Mtemq; V. fraterno animo & affectu adeo complectitur, ut nulli unquam Regũ & Principũ ceſſura ſit ſincera erga Mtem V. & Remp: Poloniæ amicitiâ & ſtudio. Et quemadmodum

Mtas

A.C. 1674 Mtas Sua intuitu virtutis, fidei, & candoris Mtis Veſtræ, totiuſq; Reip Polonæ omnino ſibi perſuadet ſanctis amicitiæ & fœderum legibus, quæ Sveciæ cum Polonia intercedunt, plenum robur, ac integritatem conſtituturam, manſuram, firmatum auctumq; iri; ita Mtas Sua non tantùm paria iis factura eſt, ſed & ubicumq; poterit, Mtis Vræ, & Reip: Polonæ dignitati, fortunis, & ornamento aliquid adſtruere, hoc omne Mtas Sua eò libentiùs votis, conſiliis, officiis, ope, atq; copiis præſtitura ſit, quò magis intelligit Regna Sveciæ & Poloniæ plurimis ex cauſis, & communione utriuſq; fortunæ indiſſolubili vinculo ad invicem ſibi connecti, ut cujuslibet ſortis ſenſus, & ratio ad utrumque eorum ex æquo pertineat.

RESPONSIO ANDREÆ OLSZOWSKI EPISCOPI CULMENS: PROCANCELLARII REGNI, NOMINE S. R. Mtis POLONIÆ.

TAm arctis & ſanctis amicitiæ, vicinitatis, fœderumque nexibus Sereniſſimi & Potentiſſimi Reges, & Regna Poloniæ & Sveciæ invicem cohærent, tantâ cõmunione utræque fortiſſimæ & glorioſiſſimæ Gentes ſociantur, ut mala bonaque pro communibus haberi, alterum alterius adverſis dolere, proſperis lætari peræquum, & maximè conveniens ſit. Separamur poloni diverſis poli climatibus, & interfuſis marium ſpatijs, neque tamen alienos omnino vel toto diviſos æquore Svecos à mutuis nobiſcum commodis & ſolatijs cenſeamus, quos terrarum Livoniæ vicinia liberi & aperti Balthici maris navigatio, & cõmercium jungit, quos militaris genius, bellorumque inclyta gloria conſimiles & propè congemmos reddit. Illa ipſa acerrima, quibus collidebamur, diſſidia, armorumque certamina nunc animorum & amorũ incitamenta ſunt, quando extinctis ſepultiſque inimicitiarum cauſis alma Oliven. Pax nunquam marcentis ſemper virentis æternos dulcedinis fructus germinaturæ ramum plantavit Olivæ, ac vetus ſcitum hic veriſſimum: Idem odijs, qui & terminus armis. Argumentum eximium capit Sacra R. Mtas D. meus clementiſſimus fraterni ſtudij & affectus Sacræ Regiæ Mtis Sveciæ, cum ſolenni hac extra ordinem legatione in ipſis regnandi augurijs ejus Mti honor habetur, cùm tam luculenter & diſertè cruenti Turcici belli, & nuperæ orbitatis noſtræ dolor, præſentis felicitatis ob Chocimenſem poſt hominum memoriam clariſſimam victoriam, ob Regiam electionem lætitia publico Excellentiæ Vræ ore exprimitur, ac vetus amicitia innovatur ſimul, firmaturque. Magnum iſtud eſt honoris faſtigium, quod Sacra Regia Mtas liberis vocibus, & cõcordibus Electoris Populi ſuffragijs thronum conſcenderit, non fortuitum id munus, ſed heroicæ virtutis præmium, bellorum & victoriarum hoſtimentum accepit, ferro ad ſceptrum, caſſide ad coronam viam ſibi præmunivit. Sed multum gloriæ & dignitati accedit, quòd univerſi orbis applauſus, Regum & Principum gratulatio, ac inter primos Sacræ Regiæ Mtis Sveciæ tanta conteſtatio fortunam Regiam accumulet, exornetque. Quidni plena fiduciæ ſperemus ulteriora amicitiæ Sveticæ documenta? quando ſponte & obviâ humanitate hæc talia præcurrunt. An defutura ſint periclitanti Rei Polonæ contra immaniſſimum, totique Chriſtianitati formidoloſum Ottomanicum Tyrannum præſidia, quæ nuper promiſſa & declarata, nunc jam certo certius legatione iſtâ confirmantur. Quantam concipiat ſpem orbis univerſus de tanto Principe qui

Ante annos animumq; gerens curaſq; viriles

non

non inter Regni ſui ampliſſimi limites clauditur. Sed magnam mentem trans maria porrigit, & conſervari, defendique Poloniam gloriæ, comodi, ſecuritatis ſuæ exiſtimat. Servent ſuperi hunc egregium animum, & indolem Majeſtatis Sveciæ, impleat ſpem orbis fortibus geſtis, triumphis glorioſis, felici Imperio. Quod animitus vovens reciprocam ſinceræ amicitiæ, bonæ vicinitatis, ſtudiorum, candoris, Pactorum, Religioſæ obſervantiæ vicem devovet, & obſtringit prolixius affectu, quàm verbis Sacra Regia Mtas D. meus clementiſſimus. A.C. 1674

COPIA LITERARUM AD REGINAM STAROGRODI, ANDREÆ OLSZOWSKI PROCANCELLARII REGNI. 3. Sept.

NUntiavit mihi Cardinalis Urſini, ſe per manus Cardinalis d'Eſtre, accepiſſe nominationem in Cardinalem, Epiſcopi Marſilienſis, non ſine admiratione, quod contra morem, nullam copiam aut notam in tanti momenti negotio, habuerit; quod adſcripſiſſe videbatur meæ Cancellariæ errori. Quid cauſæ ſit tantæ diffidentiæ, ob quam coram me ad aulam præſente abſcondita, & contra jus ſignaturæ Miniſtri inſolito proceſſu clandeſtinè citra ſcitum Cancellariæ Regni, expedita ſit prædicta nominatio, penitus ignoro. Conſcius ſum, me, pro debito meo denuntiaſſe Regi, quidquid in literis Româ, ad me vel alios datis relegi, ſvadendo Regi ut prius aſſecuraret hanc nominationem Romæ; pro quo duos ſuggerebam modos, non optans alienationem animi principio regnandi, ab illâ aulâ. Contra perſonam Epiſcopi Legati Galliæ ipſa fatente Regia Majeſtate, nullum verbum aut exceptionem intuli. Licet ergo ex ſublimitate characteris, omni reſpectu & obſervantia exhibita Epiſcopo Legato, potuiſſem, quæ ſenſi exponere, non tamen expreſsè declaratę Regis voluntati unquam contraveniſſem. Scripſi ternas nomine Regis ad Sanctiſſimum, quartas ad Collegium Cardinalium per Curſorem Buratyni, etiam quintis calamum & chartam non negaſſem pro nominatione, quę pro honore Domini, & Cancellariç decentius ſcribenda erat, quàm ut mihi legiſſe contigit. Si gratis ſuſpectus eram de concurrentia: notum non paucis, id honoris à Rege olim Michàéle ſequente poſt Electionem die, ut nominatio, nominationis collatę prçmio compenſaretur, oblatum eſſe; quod non latebat Nuntium Mareſcotti, & Legatum Schagotts. Hodiernus Rex aliquot ante ſuam Electionem diebus in privato mecum diſcurſu reprehendens honorem hunc ab externis, Polonis prçripi, urſit conſilio, ut cum Archiepiſcopatu Cardinalitiam nominationem non negligerem, fuerunt ad idem motivo mihi, primi loco, & authoritate viri, tam ſæculares quàm Eccleſiaſtici. Suggeſſit idem Nuntius Bonviſi in fundamento Concilij Tridentini. Reſpondi, dignitatem Cardinalitiam me ſuper alias æſtimare, nec me fore tam abjecti animi ut eam pro honore gentis, & Archiepiſcopatûs non ſim acceptaturus, in nul-

lam

A.C. 1674 lam tamen me ingerere posse concurrentiam; allegavi Electorum Spiritualium in imperio exemplum, addens me contentũ esse supremo gradu Primatialis, & primi in Patria Principis eminentiæ, & si per reputationem liceret, contentus essem pacifica possessione, proprio sumptu meo reparatæ Diœcesis Culmensis. Rex quidem, ut in omnibus distributionibus, sic in nominatione Cardinalis absolutam habet potestatem; officium tamen signaturæ, eo fine est institutum, ut omnes præsertim ad exteros expeditiones per manus, & Cancellariæ officium currant. Roborata est hæc authoritas legibus antiquis & novellis, pactisque Regalibus, fui bis in possessione expediendæ nominationis Cardinalis Bonsi cujus promotio licet ab initio mihi non probaretur, æstimando tamen instantias Principissæ Matris Regiæ, Primatis, & moderni Regis, protunc Mareschalci & supremi Ducis Exercituum Regni, meũ illi cum eis adscripsi nomen, solusque ferme in ulreriori progressu eam promovi, ipso id fatente Cardinale Bonsi, qui me in aliquot literis mecænatis nomine compellat, non deerant tamen aliqui prætextus scribendi Bonsio de nobis & Repub. benemerito, ut legatio geminis vicibus peracta, longa in aula Polona residentia, contracta nobiscum amicitia, expensi milliones, apud Reginam Ludovicam 20 annis comparata laboribus authoritas. Inservivi quoque in puncto nominationis nullo murmure Marchioni Gonzaga (licet effectu non secuto) tanquam colligato augustæ domus. Dolendum est, Brunetti, Graminigioli, alioque majorem habuisse confidentiam, ut propter eos Thesaurarius Regni, cujus ego nunquam derogavi potestati, mei Ministerij statum postponeret. Servivi fideliter omnibus vitæ meæ annis præsertim verò in signatoris Ministerio, Regibus: habui magnam commendationem à Rege Casimiro, Mecænate meo coram Galliæ Principibus, quod ei fidelissimè, & quantum ex me efficacissimè, abdicationem disvasissem. Regi Michàéli, licet pro meis orbi notis obsequijs, à corrupta aula & levibus, aut malitiosis conclavis consilijs injurias & disgustus sustinens, ad mortem usque in itineribus ad castra, & Leopoli unicus Senator astiti. Expertus sum firmatum virtute mea, hodierni Regis in privato adhuc affectum, cum quo, ut decebat signaturæ Ministrum, tanquam protunc Duce, constanter tenui prò bono publico correspondentiam. Unde etiam post felicem ejus electionem labores mei in expeditionibus, & penna in laudem electi Domini expedita, ut me feciſſe quantum debui testabantur, sic evincere poterant hanc gratiam, ne cedendo signatoris officio postponerer, & reputationis diminutionem, apud externos incurrerem. Non devolvo hac in parte culpam in Regem, velut Dominum, incomparabilis prudentiæ, legum patriarum peritiæ, & authoritatis, officiorum optimè gnarum, sed in homines aulæ & Reipub. pernicioſos, contra quos, meas coram Mte Vra depono querelas, cum perenni promptitudine ad obsequia.

ANDREÆ

A.C. 1674.

ANDREÆ OLSZOWSKI PROCANCELLARII REGNI, AD THESAURARUM REGNI ANDREAM MORSTIN. Lubaviâ 29. Septemb.

CErta informatione (quam manifestè tibi exhibebo) didici, motu & operâ tuâ clam sine meo & Regni Cancellariæ scitu extraditam esse Episcopo Marsilienſi nominationem. Fidem præbui facilè ex praxi anteactorum in compluribus occasionibus, nec levi conjectura, cum homo trivialis in officium signatoris tali modo sine magno authore, ausus non fuisset involare. Sigilli Regni quamvis nunc ante coronationem usus non sit, Authoritas tamen officij & exercitium Cancellariæ Regni, licet cum privato sigillo manet; sicque mota à me quæstione publicè, responsum est ab Ordinibus, omnes causas & expeditiones, non ad Notarium Conclavis, sed ad signaturæ ministrum pertinere debere; quapropter distinctum conclavis sigillum ad interim parari jussi quo ad omnes sum usus expeditiones. Cur ergo per cuniculos honor hic, qui Cancellariæ debebatur eripiendus mihi erat, cum meæ reputationis depressione; Verùm hoc ulteriori tempori reservato, nunc quod resignaveris literas ad me datas ab Artemone; ad quem ex Consilio Residentis Moschovitici cum Regis consensu ratione subsidiorum, non ratione Commissariorum scripsi, ratum habeo; inposterum tamen peto id non fieri me inconsulto.

Nominatio clàm extradita

ANDREÆ OLSZOWSKI ARCHIEPISCOPI GNESNENSIS, AD REGEM. Lubaviâ 6. Octob.

INter lituos & strepitus armorũ, metuo, ne sim importunus Mti Vræ; motivo tamen Cancellarij M. D. L. per Gielgut Notarium ad me scribentis; revoco ea; quæ togæ sunt, scilicet comitia & actum felicis, Deo dante, Vræ Mtis Coronationis. Quanquam non suppono possibile esse in Januario comitia celebrari, si campagnia in provectam hyemem protracta fuerit: exploro tamen Vræ Mtis mentem, cui me conformari convenit; meum addendo sensum, quo non optarem prorogandum ultra spatium unius mensis, Coronationis actum, maximè propter Tribunal, & extracurialia judicia aperienda. Deliberatoriæ, aliæq; solennitates, tanquam ex castris omitti poterunt. Instructionem quoq; pluribus punctis, præter punctum ad belli prosecutionem pertinens extendere non opto. Sufficiet oneri Princeps Procancellarius M. D. L. cum adminiculo Referendarij Regni; meum quoq; Regentem practicum in expeditionibus, ad castra ordino, ipse quoq; propter facilius conferendum excurro Varsaviam, imò etiam Lublinum non gravabor, ad nutum Vræ Mtis. Remisit ad manus Mtis Vræ, versas patrio idiomate ad me scriptas Moschuâ literas ab Artemone, Thesaurario Regni; scripseram ad eum ex consilio Moschovitici Residentis, ratione solorum subsidiorum, nulla facta mentione Comissariorum, pro quibus unicè instabat Węcławski meo judicio minus consultè: quando enim nobiscum Moschus non gerit bella, non dat subsidia contra Turcam, pacta Andruszovienſia penitus non conservat, quæ justitia & obligatio sine eò non tractandi, aut in punctis ab eo datis contra rationem statûs nostri tractatum rumpendi? Pollicemur nobis maxima & glorioſissima â felicitate, robore, & resolutione Mtis Vræ; vincere tamen facilius est, quàm debellare hunc hostem; qui ipsis

Tempus coronationis celerandum

EXCERPTUM EX LITERIS NOMINATI GNESNENSIS AD PALATINUM VILNENSEM 29 Decemb. A.C. 1674

REdditæ mihi ſunt tuæ literæ, eo planè tempore, quo ſiniſtra fama vulgaverat non laudabile facinus Litvani Exercitûs inobedienter Regem, & in curſu victoriæ caſtra deſerentis. Tuus in Patriam amor fideſque in Principem nulli ſubeſt interpretationi; qui cum periculo attritæ valetudinis, nulla poſt thermas domeſtica quiete, refectis viribus, exnunc in campum obſequij Regij & Rei pub. prodijſti, in nihilo obligationem magni Ducis prætermittens. Mirum non ſit Regem alteratum eſſe, receſſu ex Ucraina Litvani Exercitus; tam enim glorioſo ac fauſto progreſſu facto, non vanè ſperare poterat recuperationem totius Ucrainæ, quæ ad famam diſcordiæ & debilium Polonicarum virium, forſitan in rebellione obfirmabitur, cum irreparabili damno Reipub. unde exempla repetita, verendum ne in conſvetudinem & auſum in poſterum licentiæ militari trahantur, præſertim cum hactenus inauditum ſit in Patria, Principem perſonaliter in caſtris degentem, ab Exercitu ſuo eſſe derelictum. In noſtris partibus nemo eſt, qui encomijs non extollat magnanimitatē Principis non properantis ad Coronationem, ante triumphū, & civicam Coronam, ob vindicatam Rempublicam. Ipſa non niſi Tribunalium & juſtitiæ neceſſitas, potiſſimum detrimentum patitur; adeoq; multas ob cauſas publicas, expedit actum Coronationis ad verna tempora non prorogari.

Receſſus Litvani Exercitûs

SALUTATIO SERENISSIMI JOANNIS III. REGIS POLONIÆ INGREDIENTIS LEOPOLIM.

NON antiquo Romanorum triumphantium ritu ingredienti Leopolim M. T. fideles Cives, & ſubditi cum facibus ignitis obviam progredimur, ſed ardentibus animis, & fide erga Reges ſuos inextincta flagrantes, quos amore tui incendiſti meritis & clementia Regia inflamáſti. Ingrederis utinam fauſto pede Metropolim Ruſſiæ, verius Tuam Joannopolim tot gratijs, & beneficijs Mtis Tuæ ornatam, imò oneratam. Trita hæc tibi ſemper erat ad honores, & triumphos via, per detrita hic toties virtute tua hoſtium colla, per ſtrata cadaveribus Barbarorum à mœnibus urbis hujus per te ſæpius fugatorum, per fluenta tabo hoſtili tumentia, inter victrices lauros, florentes clivos triumphales palmas, tot curribus, quot fauſtis inde tuis, bellorum excurſibus ad perennis famæ Capitolium, tota Europa es ſubvectus, proprium tuæ Majeſtatis ſemper erat, poſt armis devictos hoſtes Civium vincere amore animos, & Sereniſſimo tuo radio perculſos, in ſui trahere venerationem, ut hinc hoſtes timore, inde fideles ſubditi amore, & reverentiâ proſternantur, atque dum humili coram te procidimus genu, è propinquo illam adoramus Majeſtatem, quæ è longinquo etiam urbem hanc tot beneficijs, ac liberalibus impenſis colluſtrabat. Aſſurgunt in trophæa muti lapides ad adventum Majeſtatis tuæ, tot facti vocales Memnones, quot Othomanico oppoſiti arieti, Leonem erigunt Europæum. Stabunt perennes tuæ virtutis bellicæ teſtes, non modo aggeres, & congeſtâ cadaverum barbarorum ſtrage, quà Chocimenſibus, quà Zoravnenſibus prælijs aſſurgentes, ſed nulli unquam obnoxia tempori, nullis abroganda ſæculis fortitudinis tuæ Regiæ monumenta, atq; hæc iris de ruderibus Leo-

A. C. 1674 burgicis assurgens moles immortalis nominis tui perennitatem pollicetur. Et verò multorum Principum pyramides, arcus triumphales, & posteritati dicati obelisci, mutas præseferent panegyres quæ vanis impensis aliorum irritent prodigalitatem, tibi Regum Potentiori, non pauciores animatæ hic attollentur columnæ, quas Cives Patriæ fidelissimi tibi statuent hâc Urbe, cui ipso nominis terrore securitatem providisti. Confluimus igitur subditi ad Vestram Regiam Mtem, tanquam ad aram salutis publicæ, pacificatorẽ Patriæ, libertatis Polonæ vindicem, ultorem barbarorum, ut post tot discrimina vitæ propè exanimes Civium animi à tuo reanimentur conspectu, nutantemq; fortunam tot bellorum agitatam procellis, ad bonæ spei te nauclero dirigant promontorium.

GRATULATIO GENERALIS JESVITARUM, JOANNI III.

NIHIL sanè optatiùs accidere potuit, quàm ut is Poloniæ Rex renunciaretur, qui jam ante Poloniæ columen, ac totius Christiani nominis Vindex omnium vocibus celebrabatur. Nullis itaq; verbis expressérim, quantâ hic Nuncius lætitiâ urbem, orbemq; Christianum compleverit, certè neminem audire est, qui non summis laudibus auspicatissimam istam Electionem prosequatur, qui non hoc demum putet certissimum pignus propitiati Numinis ac Poloniæ, imò totius Christianitatis Reip: securitati prospicientis, quæ autem inter has publicas gratulationes mens sit, ac universæ nostræ Societatis sensus, dignetur MAJESTAS VESTRA ex suis potius in nos beneficijs, quàm ex meis hisce literis æstimare. Novit enim, quàm multas causas nobis præbuerit, præter eas, quæ sunt communes cum aliis, cur ipsam isthic rerum potiri, gratulemur. Itaq; DEo Optimo Maximo immortales pro tanto munere gratias refero, precorq; MAJESTATEM VESTRAM, quam Regijs dudum virtutibus exornavit, optatis etiam rerum omnium successibus cumulet. Demum MAJESTATIS VESTRÆ obsequijs minimam istam Societatem penitus addico, atque devoveo, ejusdemq; benevolentiæ, quam hactenus experti sumus luculentissimam, summâ cum demissione commendo. ROMÆ 9. Julij.

Humillimus Servus
JOANNES PAULUS OLIVA.

COPIA LITERARUM S. R. MTIS JOANNIS III. DIE 21 MAJ. IN REGEM ELECTI AD BEATISSIMUM. Varsaviæ.

POst oscula pedum Sanctitatis Vræ, meiq;, ac Regni, & Dominiorum meorum filialem commendationem. Præter spem omnino meam, & consilia humana accidit; ut viduato throno Regio Senatus, populusq; Polonus in me studia, & suffragia sua ultrò verterit, meq; in campo electorali, more Patrio, liberis, & concordibus vocibus Regem suum dixerit, ac elegerit. Non ignotum habet, quàm solicitâ, & verè Paternâ curâ Sanct. Vra erga Regnum hoc Orthodoxum afficiatur; cujus Pontificiæ bonitati non satis visum, malis nostris illachrymari, & votis duntaxat calamitates Nostras prosequi, sed angustias etiam nostras, beneficâ erigere dexterâ, clemeno

mentia Sanct. Vræ dignata est. Ego, quàm procul ambitu thronum A.C. 1674
Regium hodiernâ die conscendi, tam libenter, & meritissimo Jolus Divinæ voluntatis nutui, quæ tot populorum animos, & ora, erga me indigenam disposuit, Regiam fortunam meam adscriptum eo. Atq; dum humeros licet impares tantæ moli suppono, Sanct. Vram, Christiani, & Poloni orbis amantissimum Patrem, demisso cultu, & filiali obsequio imprimis veneror. Benedicat mihi anima tua, & Polonæ aquilæ vergens jam senectus, in latam iterum juventutem meis auspicijs renovetur, Religio Catholica per Regnum hoc, lateq; diffusas Provincias proferatur, acerrimi tot hostes, cum quibus pro DEO, & Patria dimicandum erit, dexterâ Excelsi frangantur. Cæterum felix, ac diuturnum rei Christianæ imperium Sanct. Vræ vovendo, Pontificiam ejusdem benedictionem humillimè exoro.

AD SEREN. PRINCIPEM LOTHARINGIÆ ANDREÆ OLSZOWSKI EPISCOPI CULMENSIS PROCANCELLARII REGNI 25 Aprilis.

PAucos ante dies, è Diœcesi mea Varsaviam redux minimè differo literariâ veneratione correspondere Serenitati Vestræ, cujus erga me eximiam benevolentiam binâ epistolâ, & contestatis Ministrorum ejus officijs abundè perspexi. Gratiam, quam maximam habeo Serenitati Vestræ, quod mihi magnanimas intentiones, spesquè suas concredere dignata sit. Optimos mortalium altissima cupere, vel heroico animo, & exemplo suo Serenitas Vestra affirmat, approbatq;. De eventu susceptî conatus certò certiùs polliceri non ausim; diversa hæc longè, quàm nuperâ Electioue,& atrocissimi belli minis perturbata tempora hostem Turcam â cervicibus suis depellendum suam in hac Electione salutem unicè verti. Proceres Russiæ, & Exercitus clamitant. Egone infelix, & inauspicatus forte sim per silentium id negotij agere, & fortunam publicam, ac meam fato permittere constitui; ideoque Domino Supremo Regni Mareschalco, & Generalissimo Exercitûs inclyto Barbarorum victori, & mihi amicissimo velle, & nolle idem, reciprocâ tamen sponsione obstrinxi. Enitar ergo quantùm viribus, & industriâ potero, ut obfirmatum in partes Serenitatis Vræ flectam, qui inclinaverit, ego me totissimum dedam servitio Serenitatis Vræ. Cætera Dominus Legatus Serenitatis Vræ copiosiùs perscribet. Meorum interim obsequiorum prõptitudinem & constantiam Serenitati Vestræ devotissimè cõmendo.

COPIA LITERARUM AD CARDINALEM Vrsinum die 21 Maij.

HAbemus jam Regem Joannem tertium ex supremo Regni Mareschalco, & Generalissimo Exercituum Duce ob heroicas virtutes, prudentiam, fortitudinem, felicitatem, ob incomparabiles ex barbaris victorias, admirando Senatus Populique Poloni consensu de hodiernâ in Regium thronum evectum. Certè possum dicere non surrexit Major inter Polonos tam inclyto viro, cujus procul dubio authoritas, quam formidant amantque Turcæ, Scythæ, Daci, Cosaci, Polonam restituet rem. Ego nonnihil operatus sum, quòd me pridem declaraverim Mucianum, si ille Vespasianus fieri non recusaret. Electio hæc inopinata licet, sed matura, & divinitus planè peracta fuit, quæ non respondebit

A.C. 1674 tantùm, ſed vota & expectationem noſtram, atque Chriſtiani Orbis ſuperabit. Pluribus me diffundere non poſſum, multis obrutus, unum adjicio. Me ad vacantem Archiepiſcopatum Gneſnenſem, & Primatialem Regni & M. Ducatus Litvaniæ dignitatem deſtinari. Spero non mihi defuturum Eminentiæ Vræ benignum Patrocinium. Cujus me gratiæ reverenter, & devotiſſimè cõmendo.

COPIA LITERARUM SERENISSIMI JOANNIS III AD CARDINALEM ALTIERI RATIONE DECIMARUM ITALICARUM PRO SUBSIDIJS AD CONTINUANDUM BELLUM TURCICUM Varſav. 20 Junij

MInimè Nobis grave eſt repetitis epiſtolis noſtris Illuſtritatis Vræ identidem pulſare animum, pro obtinendis à ſua Sanctitate ulterioribus, ac præſertim Decimarum Italicarum quàm citiſſimis ſubſidijs, cùm hoſtes Chriſtiani Nominis Turcæ & Tartari, jam in Provincias Poloniæ, & Volhyniæ excurrentes, non pulſent tantùm, ſed ferrô, & flammâ graſſentur, ingentem Chriſtianæ plebis multitudinem in ſervitutem abducant, fortalicijs aliquot, per admotas tormentorum machinas, deditione occupatis, hoſtiliter ulteriùs progrediantur ac ipſemet Tartarorum Chamus cum Ottomanico Imperatore, & Vezyro conjunctus proximè imminere aſſeratur. Delegavimus iterum Generoſum Chriſtophorum Mazini Equitem Polonum, intimæ Cameræ Regiæ Secretarium, ut Romam quàm primùm redux pro augendis pecuniarijs ſubſidijs, majori, quantum fieri poteſt, conatu inſtet, & decenter rebus Poloniæ afflictiſſimis tutelam à benignitate Pontificia, ac pacatiſſima urbe ac Italia imploret. Fieri tamen poteſt, ut ille fortè venire Romam retardet. Eapropter amanter compellamus Illuſtritatem Vram, velit calamitoſiſſimi Regni Noſtri ſtatum, vivido officio Sanctitati Suæ repræſentare, velit vanam, & inimicam evellere perſvaſionem, quaſi pax à Nobis cum Turcis agitetur, eo conſilio, ut contra Vicinum Principem armorum Ottomani omnis furor (quod ab omni veritate, honeſtate, & pietate Chriſtiana alienum eſt) divertatur, velit proſpicere, ne derelicti à Principibus Chriſtianis in hac egeſtate Noſtra, deſperatione ultimâ ad aliqua indecora tranſactionis media adigamur. Non deficit Nobis animus, & vires, ſi exercitus noſter numeratis promptè ſtipendijs ſublevetur. Certum eſt ardere in hoſtem generoſa pectora Polonorum, Nobiſque, qui in civili ſorte nonnihil proſperè geſſimus, nunc in Regia fortuna creſcere magnanimum impetum, ut inſigni bellico facinore primitias Regni Noſtri exornemus, famamque, ac terrorem nominis noſtri in hoſtem proferamus. Ergo accingimus jam nos (quod DEUS Dominus Exercituum ſecundare dignetur) itineri bellico, in Ruſſiam, unde ſine experimento armorum minimè redire licebit. Intereſt orbi Catholico non otiosè eventum belli ſpectare, ſed opes ſuas pro communi cauſa ſociare, & opportunè obviate

are, ne per ſtragem, & ruinam Poloniæ, ferociſſimus hoſtis, ad excidium reliqui Chriſtiani orbis invaleſcat. Compendium deſiderij noſtri eſt, ut Illuſtritas Veſtra non tantùm Suam Sanctitatem ſed & totum Collegium Cardinalium & opulentiſſimos Italiæ Principes, ad ferenda Nobis auxilia permoveat, utque Decimarum promiſſum, in effectum anticipatè quàm primùm deduci, authoritate ſuâ procuret. Quod ſummo conatu ab Illuſtritate Vra contendentes, eidem optimam valetudinem, & proſpera quævis à DEO precamur. &c. *A.C.* 1674

AD CARDINALEM ALTIERI PROCANCELLARII AVISATORIA DE NOMINATIONE SUA Ad Archi-Epiſcop. Gnef.

Expeditio bullarum pro Archiepiſcopatu petitur

PRæclarum amicitiæ munus eſt, ſuorum incrementis ſtudere, &, quantum apud ſummos Principes gratiâ valeamus, amicorum provehendis honoribus experiri. Hac de cauſa Veſtræ Eminentiæ auxiliare ſuffragium enixè efflagito, ut judicium Sacræ Regiæ Mttis quod in nominationem meæ ad Archiepiſcopatum Gneſnenſem Perſonæ luculenter declaravit apud Sanctam Sedem promovere uſitato erga me benevolentiæ affectu velit. Maturari autem negotium Eccleſiæ ac Reipublicæ plurimùm intereſſe, Eminentia Veſtra facilè reputabit, non inſciens, quantum nocumenti ſuo illa Præſule, hæc Principe primo ſtatûs & conſiliorum orbata, accipere & pati poſſit; præſertim nondum coronato Serenmo Rege, & Barbarorum armis initia Principatûs ejus, & fortunam proculdubio jam jam exploraturis. Jam quod ad impenſas circa expeditionem bullarum ſpectat, diminutionem earum ut commendatam ſibi Eminentia Vra præcipuè habeat, vehementer rogo. Bona Archi-Epiſcopalia partim externis bellis, partim civili licentiâ non tantùm fatigata, ſed majori ex parte everſa, minores proventus pollicentur, & abundè felicitatis capient, ſi onera domeſtica tolerare poterunt, ne dum externa diſſolvere. Deinde ſi gloriari licet, Primatialis hæc dignitas mihi contigit non inani officiorum uſurpatione, aut plauſu; labore & cõſtantiâ venit, poſt Interregna duo, tum ſcriptionibus meis, tum conſilijs ad pacem animorum, & gloriam gentis feliciter efformata; poſt Caſtrenſes binis cum Serenmo Michaële & Joanne Caſimiro expeditionibꝰ, pruinas, poſt continuas vigilias unius Collegæ, ætate invalidi, poſt ingentes ad latus Regum duorum ſumptus, ut præteream Diœceſim Parochiarum reſtitutione amplificatam, inſignem Baſilicam Divi Jacobi à Calvini ſuperſtitionibus vindicatam, ſupplicationem feſto Ssmi Corporis Chriſti fractâ Thorunenſium contumaciâ publicè inductam, & firmatã. His ut modeſtè à jam promeritis ſingularem reſpectum apud Sanctitatẽ Suam interventu Vræ Eminentiæ me reperturum confido. Favebit Vra Eminentia Scræ Ræ Mttis judicio, & honori meo, cujus partem ſolidam in ejus nomen redundaturam, non eſt quod dubitet, fructuſq; ejus in me propenſionis uberes allaturam.

COPIA LITERARUM EPISCOPI CULMENSIS PROCANCELLARII REGNI, AD CAPITULUM GNESNENSE.

Varſaviæ 20. Junij.

Nominatio in Archiepiſcopum

PLacuit Superis, inclinare cor Regis, ut me, ex ſingulari ſua clementia, ad tam ſublimem proveheret dignitatem, indigniſſimo Primatiale ſubſellium, per nominationem dignatus eſſet deſtina-

A.C. 1674 re, quod per Ablegatum, & literas meas pro jure & more vobis communico. Perpendo magnitudinem tanti oneris, Angelicis humeris formidandam; pensoq; tenuitatem meam, terrente me publica Patriæ calamitate, quæ principaliter Primatem tangit, & angit. Res quoque œconomica bonorũ, & subditorũ Archiepiscopatûs non leves patitur injurias, & ruinas; committendo me tamen divinæ voluntati, fortunæ, & incomparabili Regnantis prudentiæ, memor quoq; à juventute ferè me esse enutritum in gremio Vestri Capituli, in partem curarum adscitum à piæ memoriæ Primate Lubinscio, cujus Aulæ Cancellarius quinquennio fui, gnarus magna ex parte statûs & Personarum Archidiœcesis; erigor in spem, me in hoc loco non præfuturum tantùm, verùm etiam profuturum Ecclesiæ DEi, & Reipub. Non tam ergo fiducia mea; quàm comũni vestro labore, & subsidijs fretus, sortẽ meã suffragijs liberis Electionis Canonicæ, permitto, non dubius, me antiquum confratrem, quasi unum ex vobis, favente & unanimi favore vestro prosequendum; de quo non ambigens fraterno me amori & benevolentiæ commendo.

ANDREÆ OLSZOWSKI EPISCOPI CULMENSIS, AD PALATINUM CULMENSEM.

Coronatio accelerandæ

JAM altera dies in deliberatione abijt, ratione coronationis; an illa intra septem hebdomadas absolvi debeat: verùm dilata est; uti & omnia negotia Reipub: & consilia, donec expeditio finiatur. Scopus hujus unicus est, utilitas publica, ejusque conservatio & defensio. Solidum posuimus fundamentum boni publici in unanimi Electione Principis. Dedit nobis DEus Electum ex millibus; quem dignissimum judicavimus, hunc Regem diximus; parem illi non video. Quis non optaret; ut juxta antiquam formam ordinario cursu omnes res Statûs peragerentur; verùm in casibus extraordinarijs id currere nequit: quid autem magis extraordinarium, quàm bellum Turcicum est? dum jam Annibal ad portas. Ad rationes consiliariorum tres modi porrecti sunt peragendæ coronationis: primus ut Varsaviæ absolvatur; secundus ut septem hebdomadis abhinc Cracoviæ: mea verò sententia est; ut ritu & more solenni quantocius, nec septem hebdomadæ expectentur. DEum testor, me hac in parte minimè respectu duci; cùm jam per voluntatem DEi, gratiam autem Regis, ad dignitatem destinatus sim Primatialem; quod etsi mihi non obtigisset, non tamen tædio, versando cum tanto Principe, qualis sapientissimus Rex est, afficerer. Necessariò expediri debent publica negotia; igitur etiam necessaria sunt Corona & Sigillum: existimo tamen temperamentum quoddam dari posse, ut confirmationes jurium, Mareschalcales Scipiones, Clavæ & alia officia tantisper suspendantur: nec interim opto; ut judicia & jurisdictiones cessent; Regnum enim sine justitia latrocinium est: tot in carceribus gemunt, & complurium injuriæ invocant vindictam. Quod autem fuerim Author sententiæ de differenda coronatione, ratio fuit; quòd omnia consilia nostra in eo fundanda erant: an bellum cum Turcis sit. Non decepit nos aut fefellit firma assertio Principis: statutum ab omnibus est: idem omnium affectus fuit. Hesternâ die à Rege audij, Dominum Siekierzynski non redire. Pro certa re habeo bellum ad nos ire. Intelligit id Rex se ideo electum esse; ut nos defendat ab Othomanica potentia. Expressit

pressit hoc secreto suo, se non urgente ambitu suscepisse coronam. Necessarium igitur est quia agere potest; etiam de distantibus consilia agitare; deliberandum de Szoczawa, de Chocimo, de tot innocentibus Christianis animabus. Novi casus, novæ leges. Nihil prorsùs (uti quisq; se reflectere potest) sub tempus electionis cogitavimus de defensione. Quousq; hîc Rex permanserit; certè exercitus non conveniet. Si cui in capite hæc altè hæret impressio, Electionem perperam factam; multum ille fallitur, qui in ejusmodi sententia est: divinum hîc opus fuit, non humanum: Spiritus S. direxit vota & voces, occupat eam fortunam Rex dignitate suâ; etsi id non speraveram. Audio quorundam voces esse malè ominatas; quibus in anteccessum jactare audent se digressuros sine pactis: in cujus verò id detrimentum verget, si non nostrum, nobis id nocebit. &c. *A.C.* 5167

PRÆSCRIPTUM LEGATIONIS GENEROSO VLADISLAO Skoraszewski Vexillifero Palatinatus Posnanensis Ablegato extraordinario ad Serenissimum Electorem Brandeburgicum.

QUàm celerrimè poterit Generosus Ablegatus extraordinarius, iter sibi demandatum maturabit, & Berolinum, vel ubi tum Serenissimus Elector Brandeburgicus residebit, sinè omni protelatione contendet.

Vbi quàmprimum advenerit, nactus facultatem conveniendi, & alloquendi Serenissimum Electorem præsentibus literis Regijs, felicem Electionem Suæ Majestatis in Regem Poloniæ denuntiabit, constans studium, fraternam amicitiam, Regiam propensionem luculenter & decenter contestabitur; alteras mox literas Regias reddet, & apponet pericula quorum bene gnarus, & quæ ad præsens totam urgent Rempublicam, cum potentissimus Orientis hostis, validissimo succinctus exercitu, finib⁹ Regni immineat. Tantæ moli belli sustinendæ, aut reprimendæ, imparem se prorsus agnoscit Polonia, vicinorum Principum opem, auxilia implorat. Inter eos primo reponit loco Serenissimum Electorem ad quem prospera & adversa nostra, quasi communia spectant, amici vicini Principis suppetias, in tam flagranti requirit discrimine, & cum certò intellexerit Sua Majestas, copias auxiliares, vigore Pactorum Bigodstiensium & ultimariæ per Ablegatum Polonicum Dnum Morztyn tractationis præstandas intra Ducalem Prussiam paratas promptasq; referri, referet Suæ Serenitati Ablegatus noster, scripsisse Majestatem Nostram, ad Illustrissimum Dominum Ducem de Croje Gubernatorem Prussiæ, ut quàmprimum eas in Poloniam ordinet, aderit præstò Commissarius Regius in finibus Masoviæ, qui easdem copias excipiendi, & commodiore tractu deducendi fungetur officio. *Copia auxiliarium postulanda.*

Porrò freta Sacra Regia Majestas Suæ Serenitatis propensione, & amicitiâ majores copias, videlicet duorum vel trium millium peditum, obtinere à Sua Serenitate contendit, prout ea de re cum Legato Electorali Dno libero Barone Hoverbek contulit & spem obtinuit. Sustentationẽ autem dictorum militum, ut pro uno saltem mense ex ærario proprio Serenissimus Elector provideat, angustias rationum nostrarum repræsentando, instabit Generosus Ablegatus; porrò ad ulteriorẽ eorundem auxiliarium sustentationem Thesaurus Regni obligabitur. De modo eorundem auxiliariũ deducendorũ, de tractu cõmodiore conferet, & concludet cũ Serenissimo Electore, & tempestivè tractatûs solius succesſũ significabit.

Cæte-

A.C. 1675 Cætera prudentiæ & dexteritati Generoſi Dni Ablegati committuntur, cujus ſpectatiſſima in ſago & toga merita datis occaſionibus Regia Majeſtas præmiari dignabitur.

ANDREÆ OLSZOWSKI ARCHIEPISCOPI GNESNENSIS AD REGENTEM CANCELLARIÆ REGNI STANISLAUM BUZENKI Lubaviæ 5 Januar.

Fourbin Epiſcopus Belovacenſis.

LEgato Gallico juſtificabo me, & probabo non tantum tres, verum nec unicam me contra Perſonam ejus, & nominationem, Romam ſcripſiſſe literam, qui eum aliter informavit fronti ejus inſcribo: impudens eſt, & veritas in eo non eſt; fateor me tamẽ nominationi huic non poſſe applaudere, eamq; judicio meo pro injuria gentis meæ reputo, priuſquam audiam & videam certiſſima ſubſidia ex Gallia numerata, quæ ille authoritate & fide legationis appromiſit, orbiq; typo vulgavit. Quod amicitiam Cancellarij Litvaniæ magis æſtimet, non invideo, nec id me tangit. Non meum hæc ſtatum decet æmulatio, qui tamen; ut cũ quovis in Primatiali dignitate; ſic cum illo velut antiquo collega meo amicitiam colere, præſertim ultro ejus præventus officijs non deſiſtam. Improbat collatum mihi Archiepiſcopatum Gneſuenſem; ſi Pariſienſis Polono daretur, juſtè id illi poſſet diſplicere, uti mihi non placet hoſpiti Gallo, nullô ejus meritô collatam eſſe nominationem. Relinqueret me ille potius, qui etiam cum amiciſſimis meis verbum contra hanc nominationem Varſaviâ non exæuli, nec ulli literas ſcripſi; ſi me tamen exagitaverit, uſar libertate ſentiendi & dicendi, cum debito tamen Regalis & Reginalis Majeſtatis reſpectu.

ANDREÆ OLSZOWSKI ARCHIEPISCOPI GNESNENSIS, AD REGEM. Lubaviâ 6. Januarij.

Diploma & pallium pro Archiepiſcopatu

GRatiam & beneficium Majeſtatis Veſtræ, ſuprema manus coronavit Sedis Apoſtolicæ, à qua, in novi anni exortu ſacra diplomata, & Archiepiſcopale pallium miſſum Româ ſuſcipio. Unde capeſſendo Primatiale munus, Nuntium primò fero Majeſtati Veſtræ conſecrando immutabilem fidelium obſequiorum meorum ſubmiſſionem, in quibus ut nemini unquam Primatum cedam, ita ut Majeſtas Vra ſuam, gratiâ Regali, & protectione creaturam fovere & conſervare dignetur quàm demiſſiſſimè poſtulo. Geminas Majeſtatis Veſtræ accepi literas; in quarum primis ingentem Regij cordis legi dolorem, ob inauditum Litvani Exercitûs auſum, per deteſtandam rebellionem à Veſtra Majeſtate recedentis; Non ſuppono ullum fore tam impudentis oris, ut audeat tantum nefas approbare, multo minus ſeditionis authoribus patrocinari. Tertium jam id facinus poſt Dubinenſem & Chocimenſem ſciſſionem; eò nunc deteſtabilius, quòd in conſpectu Regis, in novo Principatu, ſub tempus hoſtilitatis, in tam proxima ſpe recuperandæ Ucrainæ; quæ, ut fortunæ, & fortitudini Mtis V. cervices inclinare cœpit; ita non vanè timendum, ne ad diſcordiæ vocem, & debiles Regni vires, rebellione induretur: nunquam in hujus Patriæ faſtis nemini me legiſſe, Principem in perſona caſtris præſentem, ab Exercitu proprio, ſine miſſione, eſſe derelictum. Si ergo non correxerint errorem nec rediêrint ad operationes belli, Colonelli, vulgò Rotmiſtrzowie, deſertores caſtrorum, (cujus ſpem in datis ad me Palatinus

Exercitus Litvanus diviſus

Vil-

Vilnenſis facit) aliud mihi non occurrit conſilium, niſi ut Mtas Veſtra *A.C.* 1675
inquiri in Principales, & juxta leges imperet judicari. Impendet ad id, quiſq; bonus civis operam, vindicabit Mtis V. injuriam, inclyta Gens Litvana; honoremq; ſuum per conſtantiam partis Exercitus ſub clava Principis Radivilij perſeverantem erigere ſeriò coronabitur.

In ſecundis literis requirit jubetq; Mtas V, dari à me conſilium ratione accelerandi, aut prolongandi actûs Coronationis. Addere nemo poterit; ſive pro, ſive contra, rationum momenta iis, quæ literæ Veſtræ Mtis complectuntur. Quis non optaret; quàm citiſſimè in plena venerari Mte Unctum Domini: ſuper omnes verò, meum id ſummum votum eſt, cujus indignis manibus, ex jure Primatiali honor hic, coronandi Regem & Reginam deſtinatur. Si ergo ſine detrimento Reipub: ad unius trimeſtris ſpatium, ab Exercitu, & Ucraina Veſtra Mtas abeſſe poteſt, celebretur feliciter circa 10. Martij convocatio. Scribendo Inſtructionem, aliis ſolennitatibus Cancellaria non multum inſumet temporis; ſatis enim erit univerſalibus denuntiare, quaſi ex limitatione præſcripta legibus Comitiola; poſt quæ quatuor ſeptimanis cadentia Comitiorum Coronationis determinanda erit. In iiſdem Univerſalibus, aut in diſtinctis incluſis literis, addendum ſtipendium Exercitui debitum, roboratio belli, ordinatio Ucrainæ. Si verò hæ ſunt rerum circumſtantiæ, ut Mtas V. hyemali ſua reſidentia in Exercitu ſit ſolidatura poſſeſſionem Ucrainæ, propter quam tot Poloni ſangvinis diluvia, annis propè 30. ſunt profuſa; Si Camenecum, Czeherynum & ipſam Kyoviam præſenti activitate & terrore Mtas V. ſit recuperatura, ſi oſtentatio aut progreſſus armorum evictura ſint, glorioſam & conſtantem cum Turcis pacem, ac ſincerum cum Moſchis tractatum, ſequor politicam Taciti: Inſtandum famæ; prout prima ceſſerint fore univerſa. Prævalet in ſtatera tenuis judicii mei primus ſalutis publicæ reſpectus, Coronæq; aureæ & ſceptro, præfero civicam ob Rempub: vindicatam. Magnum momentum in Perſona & ingenio Mtis V, videt orbis; ingens econtra periculum, ne cum receſſu ex Ucraina, fortuna Reipub: vix forſan reparabili paſſu, cum jactura famæ, ſumptuum, & victoriæ partæ, retro cedat. Licet ergo à longè non penetrando reconditiora arcana, nec indies occurrentia perſpiciendo; errare poſſim, & aliquam invidiam incurrere; recto tamen judicio, & pura conſcientia, non pono rumores ante ſalutem. Sat cito & glorioſè Mtas V, actum Coronationis celebrare dignabitur, ubi Vindex & Victor (quod ſpe in DEO fretus, & corde precor) cœlo terraq; applaudente, triumphali paſſu feliciter rediêrit; Utiq; Imperatores etiam non Coronati, ſemper tamen Auguſti. Vacantiæ poſſent forſan declarari bene meritis; ne eos ſpes incerta diu torqueat. Exercitum reverentiæ & amori Majeſtatis Veſtræ ceſſurum, non dubito; ut ſpe futuri ſtipendij ad conſummationem uſq; victoriæ perſeveret; & præda ex hoſtico, portionibus ex bonis Regalibus, donativo ex ſpiritualibus deliniatur. Tribunalium frequentes limitationes pati didicimus, quæ aſſumendi, uti & Exercitus reficiendi, aliquis modus eſſet inveniendus; quod mihi proponere contra ſtatus noſtri recentem uſum non expedit; licet ſint Majorum exempla, & ratio ſupra leges, quæ pro varietate temporis juxta ſtatutum variandæ; & malum quod minus eſt; id minimè ſit malum: Quo, altiſſimo judicio Majeſtatis Veſtræ, & præſentis ad latus ejus Senatus; triumphalem exoſculor dextram.

ANDREÆ

A.C.1575 ANDREÆ OLSZOWSKI ARCHIEPISCOPI GNESNENSIS AD REGEM Liskovicijs 9 Januarij

REquirunt à me, Vilnenſis, & Samogitiæ Epiſcopi, ac ipſe Palatinus Vilnenſis, ut me ſupplicibus meis ad Mtem Vram interponam, pro reconciliatione ejuſdem Palatini & Exercitus ſub clava ejus militantis, ut ex originalibus literis conſtabit Mti Vræ, ultra quarum tenorem, & reſponſum meum, nihil efficacius addere poſſum, niſi ut ſuppliciter inſtando pro Palatino & Exercitu ejus, Andream Załuski Ablegatum meum, meque cum fideli ſubjectione Clementiſſimæ Mtis Vræ commendem gratiæ.

AD REGINAM 9 Junij

PRæſento Mti Vræ Neporem meum ex ſorore, Andream Załuski, ſuppliciter poſtulans ut eum in ſuam ſuſcipere gratiam, Regiæq; Mti commendare dignetur. Reddendo Regis Galliarum literas, referet Regiæ Mti, quidnam à me requirant Vilnenſis, & Samogitiæ Epiſcopi, ipſeque Palatinus Vilnenſis. Non dubito etiam Mtem Vram, authoritate ſua, ſe eò applicaturam, ut Dux & Exercitus Litvaniæ clementiâ verbisq; ſvavioribus Mtis Vræ deliniti, ſinant ſe trahi ad obſequia Reipub. in præſenti bellica expeditione quæ omnia cum conteſtatione promptitudinis meæ oretenus exponet meus Cancellarius; fidelia interim obſequia mea, meque ipſum clementi gratiæ Vræ Mtis dedico.

ANDREÆ OLSZOWSKI ARCHIEPISCOPI GNESNENSIS AD PALATINATUM CULMENSEM Lubaviâ 12 Januar.

MIrabilis DEUS in operibus Regiæ Mtis, ſit benedictus, pro tam fortunatis, ſupra vota noſtra, in Vcraina ſucceſſibus. Licet, puto, maxima clade Turca profligaretur in acie, non tantum comodi accederet Reipub: quantum ex recuperatione Vcrainæ, cujus amiſſio omnium malorum radix, firma poſſeſſio, fundamentum perennis felicitatis. Jam ibi hyberna Exercitui veteri conſilio Koniecpolſcij perpetuum ſtabiliri poterunt, quo nihil optabilius, utilius nihil Patriæ. Expediret, meo judicio, ut Rex partem reſcindat (junctis aliquot poſſeſſionibus) in œconomiam Regiam ſimilem Sambor: quod propoſitum erat à Rege Vladislao; verum Domini illorum bonorum, cupiditate omnia poſſidendi, impediverunt. Nunc ad id tempus eſt opportunum; cum nemo ſibi proprietatem abſolutam arrogare queat, amiſſa aliquot annorum decadibus poſſeſſione; & à Repub: ſangvine & millionibus recuperata. Debetur fructus victoriæ Regiæ Mtis, ſuo & ſucceſſorum Regum commodo, ut in Ucraina commodius poſſint reſidere. Non me puderet etiam illius modi, quem in Coronatione Regis Michàélis propoſui, ex antiquis, & præſentibus Magnarum Monarchiarum exemplis. Si enim ſine certo ſtatu & Poſſeſſore Vcrainam iterum reliquerimus, æternum bella recrudeſcent; quanquam etiam Germanicas ex regiminibus, diſponere colonias, conveniens foret & proficuum, Doroſzenko transferendum penitus

penitus optarem Czeherino, tanquam ex Regia conſiliorum & rebellionis ejus, quæ illi non tam facile in alia reſidentia ſuccederet. Non inutile quoque eſſet Reipub. ſi, ſive penitus diſarmaret, ſive diminueret tormenta bellica arcis Czeherinenſis. Non mihi placet, executionem decreti in cauſa Abbatiæ Coronovienſis demandatam eſſe Nuntio Apoſtolico, ſecreta procul dubio mandata habenti; ut protelet negotium, nolentique ſtabilire jus patronatûs Regium. Quivis Nuntiorum (præter Ranuci) curabat ſemper nobis aliquid detrahere, Romæ attribuere. Vidoni Suffraganeis titulos Epiſcopales, antiquiſſimo uſu receptos, Polonis ademit Epiſcopis, Romamque tranſtulit; quam ob cauſam Vilnenſis Suffragania, non habens certum titulum Epiſcopatûs, in partibus, vacat. Pignatelli depreſſit Nuntiaturam Polonam, primò exemplo translatam in Viennenſem, tanquam ſuperiorem. Mareſcotti hinc migrans primo exemplo reliquit vice ſui Internuntium, fruſtra me obnitente; mihi enim contrariandi ſtudio, ſubjecit ſe Internuntio Laizo Primas Prazmowski; idem auſus Nerli, imò quid amplius, cùm tecto capite à latere Regem Michaélem duceret: aſſecuro nec Bonviſi avolaturum ex Polonia, niſi rhombo excuſſo, nec poterit meliùs de Roma mereri, quàm inducendo Abbatias ad abſolutam à Papa dependentiam; bene inde habebunt Iuriſtæ, Expeditionarij, ſolicitatores, ſcribæ, quorum totus eſt Exercitus in Curia Romana; pro ſola enim Iędrzejovienſi lite, Monachi, ut ſub juramenro affirmant, impenderunt 50000 flor. Agendum ergo ſeriò hac de cauſa Regi, quod etiam Cardinales amici ſvadent; ſcribendæq; literæ ad Bonviſi; non dando tamen titulum, Illuſtriſſimi, ſed ſufficiet, Reverendiſſimo in Chriſto Patri, Domino gratè nobis dilecto. A.C. 1675

ANDREÆ OLSZOWSKI ARCHIEPISCOPI GNESNENSIS, AD REGEM Lubaviæ 1. Februarij.

IN tanto reſidentiæ meæ intervallo, ut non citò, quartâ ſcilicet ſeptimanâ ad me eiteræ per poſtam ex Ucrania perveniunt, ita reſponſa ſerò & conſilia forſan poſt res, afferuntur. Extollo admirabund⁹, non tantùm rerum geſtarum magnitudinem, verùm ut plurimum ſummam Majeſtatis Vræ prudentiam, qua, fortunæ belli, præſenti non fidens, futura proſpicere excelſo dignatur judicio. Quiſquis ſtatum Reipub: qualem Majeſtas Vra cum ſceptro Regio liberis ſuſcepit vocibus, penitius perpenderit, fatebitur Majeſtatem Veſtram, cælitus eſſe datam in Patrem afflictæ Patriæ, & Defenſorem; de quo illud dici ex vero poſſit: ſi abſq; Scipione Roma eſſet, Romæ libertas & ſalus deeſſet. Bellũ Turcicum judicio magni Zolkiewſcij Avi Majeſtatis Veſtræ, non ludi inſtar eſt. Audivit nemo aut legit, Regem aut Gentem quampiam, ſingulariter Turcicæ potentiæ parem fuiſſe reſiſtendo; plenæ ſunt hiſtoriæ victoriarum & cladium Turcis illatarum, poſt quas inſuper, ipſis feſſi victorijs & enervati Triumphatores, Othomanicis viribus ſuccubuêre, abjectiſq; laureis & trophæis, Regna diuturnis bellis perdidêre. Cum ergo ſecundantes contra tam formidandum hoſtem, non habeamus, cum manifeſtè patuerit inſinceritas & perfidia Moſchovitica, qui ſuper infirmitate, aut ruina noſtra, ſecuritatem ablatorum, & vaſtas ſpes occupandæ totius Ruſſiæ ac forſan M. D. Litv. erigunt, & ſtabiliunt. Principes Chriſtiani, toto orbe requiſiti, ſine ullo, in hominibus aut pecunijs, ſubſidio res noſtras nobis relinquunt. Decimæ Italicæ Roma promiſſæ, ſublimitatibus verborum trahuntur; de diverſione Perſarum, obſidione

A.C. 1675 ne Babylonis, validis Arabum latrocinijs inania famæ; quando non minus ferox, quàm ſuperbus, ſpirans minarum & vindictæ fremit; Exercitus in Aſiam per mare non transvecti, in hac parte in hybernis ſubſiſtunt; Armamentarium Cameneci ingens paratum, facilis & velox à Danubio in limites Poloniæ, ſine impedimentis excurſio; nulla audiuntur ut anno præterito per Mironem Koſtinum erant, pacis, & pactorum illicia; Hanus Tartarorum omnesq; Krymenſes Scythæ, devinctiſſimi, à Zaporovia & Danubio ſecuri; nec fors vicini, propter ſuam ſecuritatem, & diverſionem, ordinata charitate, periculorum, per Reſidentes ſuos otiantur; ut Turcas bello Polonico teneant implicatos. Convenit profectò noſtro nos pede metiri, omneſq; cogitationes, curas & modos, ad unum dirigere centrum; ut ulteriori, tam grandi bello, proprijs viribus ſufficiamus. Vis conſilij in hoc vertitur, quomodo nam fortis & promptus Exercitus, in campaniam verno tempore ſit educendus. Quod perpendens, tacito intra me concludo ſenſu: cùm pecunia, contributiones, & nervus belli ſint neceſſaria, ſine conſilio, & conſenſu generali, omnium Ordinũ ſubſiſtere; eſſe impoſſibile. Senſus quorundam magnorum virorum ex circumſtantia temporis, ut Leopoli, aut Lublini Comitia, vel convocatio celebretur; omnium enim judicio, alienatio Mtis Vræ ab Ucraina, minatur recidivam: Officiales Exercitûs, Regem & Ducem ſequentur. Coſacorum faſtidientium hyberna, cuſtode remoto erumpere poteſt rebellio: contemptus noſtri, Turcas & Tartaros magis animabit, Moſchum in ſuperbiam eriget, conſiderata exprobratione Czudaw Coñiſſarij Moſchovitici Andruſzoviæ, in qua ſuccenſebat, etiam antea à Rege S. M. Caſimiro Ucrainam bello ſubactam, poſtea deſertam, amiſſamq; fuiſſe. Video ergo meliora proboq;; verum conſiderans ſtatum Reipub. non vano metu angor, ne altercationes circa locum & modum, quaſi legibus contrarium, interveniant, & ex malevolis quiſpiam, non valens aliter ægrè facere, colorato novitatis in Repub. prætextu, per hujus congreſſus ruptionem, gloriæ, & reputationis Mtis Vræ, bonoque coñuni afferat nocumentum: malo jam errare cum multis, ſvadendo, ut Mtas Vra more Majorum Coronationem, & prima Comitia Cracoviæ dignetur auſpicato celebrare, ſi poſſibile in Martio: tum enim Mars eſt quieturus; adeoq; quo citius eò melius contributiones eſſent colligendæ; in eumq; finem, intimandam judico univerſalibus, aut diſtinctis literis incluſis, abbreviatione ſine ſolennitatibus comitiorum, declaratione facta, Mtem Vram, cum ultra 2 ſeptimanarum ſpatium, Cracoviæ morari nequeat, in Ucrainam redituram, concluſione etiam conſiliorum penes Senatum & Nuntios Terreſtres relicta. Memini conſilium, iñane licet, & vix Chriſtianum, pro ſalute tamen neceſſarium de vaſtanda adjacente provincia, qua belli iter hoſti; vaſtitas enim illa deſolatorum camporum pro muro nobis Chinenſi eſſet. Reſidentem Swiderski opto revocandum ex Moſchua, Moſchoviticum viciſſim Varſaviâ licentiandum, cum hæ noviter inductæ reſidentiæ, ſeminent potius diſcordias, quàm pacem concilient. Non prætereo auxiliaris peditatûs quinq; millia à Rege Sveciæ, per Capitaneum Novodvorſcenſem aſſecurata, cum conditione ſuſtentandi: tolerabilius foret eum majore (Majeſtatis Vræ exercitûs corroboratione, & hoſtium terrore) acceptare pretio dandæ ſuſtentationis exercitatum beneque inſtructum ac celebrem peditatum, quàm inſolentibus in Polonia ſubſidijs pauperes opprimere. Vexillifer Poſnanienſis, quem anno præterito Mtas Vra, Stetinum expediverat, par huic tractando negotio, cum Generali Urangel.

Conſi-

Conſiderationes meas ratione ordinandæ Ucrainæ, conſiſtentiæ in perpetuum Exercitûs, alienationis ditionum inter Danubium & Tyram, in œconomiam Regiam, innui Palatino Culmenſi ad referendum cum Veſtra Mte, cujus invictam exoſculor dexteram. A.C. 1675

ANDREÆ OLSZOWSKI ARCHIEPISCOPI GNESNENSIS AD EPISCOPUM VARMIENSEM STEPHANUM WYZDGA Lubaviæ II Febr.

TRitam mihi aperit viam, tot documentis, citra mea merita, probatus in me tuus favor, ut tranquam ad viciniorem & Comprovincialem Epiſcopum, mea dirigam vota cum demiſſa petitione, quatenus honorem ſacri pallij in Cathedrali S. Patroni mei, Fraunburgenſi templo, tuis de manibus ſuſcipiam. Aſſecuravit me pridem Wołowski Canonicus Varmienſis aſſeverans, id eſſe à te impetrabile, ſed hactenus quædam remoræ interveniebant: nunc miſſum mihi ad manus Varſaviâ pallium reſolvit deliberationem meam, ad ſumendam compellandi tui audaciam, ut mihi favorem exercendæ inveſtituræ meæ exhibeas. Dependeat tempus à beneplacito tuo, cui ego me conformans, excurram cum domeſtico comitatu, pro die 24 currentis vel 4 Martij. Accedet id cumulo tot obligationum mearum, ſi documentum id fraterni affectûs obtinuero, quem iteratis poſtulans, refero me ad tuæ nutum voluntatis, cum promptitudine obſequiorum. *Inveſtitura petit.*

ANDREÆ OLSZOWSKI ARCHIEPISCOPI GNESNENSIS, AD REGEM. Lubaviæ 16. Februarij.

UT in mari ſecundis navigandum ventis, ſic in Repub: pro temporis occurrentia, fortunæ, vel infortunij motibus Conſilia dirigenda, & ſinuanda vela, cum tempeſtas jubet. Fundabantur primi ſenſus mei in ſpe veræ, ut putabatur, ſubmiſſionis, & deditionis Doroſzenko, pacificæ Ucrainenſis poſſeſſionis, Exercitûs in illis partibus, non ſine ſufficiente ſuſtentatione, quietis; nec non ulteriori Coſacorum, cum ſubſidiis, ut Mtas Veſtra intenderat, perſeverantia, & belli proſecutione: Verùm infauſta defectio Litvani Exercitûs, omnium malorum origo, Commiſſarios Moſchoviticos in tumorem extulit, Doroſzenko & Tartaris contemptum noſtri perſvaſit, Perſonam Mtis Veſtræ, Exercitum Regni, partas, & ſperatas victorias in diſcrimen conjecit. Perpendo ergo res noſtras in ancipiti, & inevitabile timeo Turcicum bellum gravius, quàm unquam fuit: Hactenus enim reputatio amicitiæ noſtræ, ac conjunctionis animorum & armorum cum Moſchis aliquantum nobis, ad incutiendum hoſti timorem, conferebat; Tartaros deterrebat, Valachos, Moldavosq; addictiores reddebat. Nunc evaneſcente metu propriæ noſtræ potentiæ, & ſubſidiorum externorum, datis in deterius præcautionibus Imperatori Turcarum à Moſchis, Coſacis, Valachis, aliisq; captivis noſtris, ſequitur nulla fore anno præſente pacis invitamenta. Miſliſzewski ab Hano Tartarorum non revertitur; nec ulla legatio ad V. Mtem, cujus celebre & venerabile præſertim apud *Agitata poſt defectionem Litvani Exercitus.*

A.C. 1675 Tartaros nomen hactenus comparet, & quod maximum est & pessimum, Nuradinus suis cum Tartaris Ucrainæ imminet. Angor justo metu non tantùm propulsandorum ex hybernis vexillorum & legionum verùm etiam inferendæ alicujus (quod DEus avertat) cladis, ipsius V. Mtis periculi, revolutionis lubricæ fidei Cosacorum, heroum non facilè reparabilis lassitudinis, inde verò ad opera belli verno tempore obeunda, debilitatis. In tali casu & circumstantiis, quid concilij? summa est ex nostro statu Comitiorum necessitas, propter contributiones, sustentationemq; Exercitui providendam, communem motum, sine quo fors sequenti ætate subsistere non poterimus; Coronationem, & Consilia; ex altera verò parte Mtem V. in tantis turbinibus Ucrainâ excedere extremum malorum prævideo. Sola quondam Romæ D. Augustini mens, his apud nos temporibus solum caput & dextera Mtis Vræ tantæ par moli curarum & periculorum. Magna itaq; deliberatione super nova præsentis postæ, nisi ea, dextera Domini converterit in melius, supplico Mti V.; quatenus ab Ucraina se non dignetur alienare, dilato in commodius tempus Coronationis actu. Suggero simul Consilium, ut Mtas V. nullâ morâ, generalem in absentia sui convocationem Varsaviæ celebrandam, Palatinatibus, & terris utriusq; gentis intimare dignetur. In qua Senatus & Delegati ex Palatinatibus prosecutionem belli condicere, Tribunalia, & Distributiva Mtis V. poterunt aperire. Non est tanti legum solennitas, ut propter eam, Rempub: in eaq; gloriam DEi, capita concivium, grandes Provincias, ingruente hostili vi nemine sine Mte V. ad reprimendum suffecturo, perdere debeamus. Non est id insolitum priscis temporibus, & Regibus etiam non ita pridem in M. D. Lit. Quod pro Repub: geritur (dixit quidam) auspicato geritur: Alter exigentibus exorbitantiarum instaurationem: Faciam, respondit, sed prius vos salvabo. Non me meus fallebat sensus, cum publica voce Consilium supremum, perpetuum, continuum, Reipub: (quamdiu bellum Turcicum esset duraturum) faciem, & authoritatem repræsentans optarem, & proponerem. Non inconvenienter etiam id innueram, ut statim post felicem V. Mtis Electionem, rectà Varsaviâ Cracoviam pro Coronatione vias dirigeremus, omissis etiam, quæ tempori in tantis Reipub: periculis non congruebant, solennitatibus. Excurram initio Quadragesimæ Lovicium; aut si opus fuerit, Varsaviæ residebo: Optarem etiam reliquos Senatores, præsertim Episcopum Cracovien sem, per literas Mtis V. inducendum ad hanc residentiam propter faciliorem conferentiam, & celeriorem cum Mte V, toti Regno in his temporum calamitatibus; necessariam communicationem, DEus nobis det meliora sub auspiciis, fortuna, & solicitudine Mtis V, in qua post DEum unica laborantis labentisve spes Patriæ. Quodsi solida fuerit securitas in Ucraina, (quanquam ego de Doroszenko quamdiu Czeherino, velut à Consiliorum factionumq; suarum Regia, ab amunitionibus, à perverso Tukalskj non separabitur; nihil possum sperare, ut olim à Tetera, ore & scripto ad Regni Cancellariam dato, didici) Author sim, ut tum non nisi & non aliter, ordinario modo ac loco Coronatio & prima Comitia Cracoviæ celebrentur. De Ucraina breviter innuo: siquidem Resp: tot præsidiis non sufficiet, regimen in distans difficile, populus Cosaticus duræ cervicis, intolerans obsequij, DD. Hæreditariis, Starostis, Titulatis, suorum tantummodo proventuum cupidis, nulla in publicum cura; renovo, quod prudenter in Comitiis Coronationis, Regis Michaelis, svasi, ut Provinciam hanc more Romanorum per Proconsulem

lem, more Imperij, per Marchionem, more Turcarum per Baſſam, A.C. 1673
more Hiſpanorum, per vice Regem, Gallorum, Svecorum, Moſchorum aliorumq; Principum, & noſtrorum Majorum exemplis in Pruſſia, Livonia, per Gubernatorem Reſidentem; etiam Feudalem Polonæ gentis, impoſita ei obligatioue expediendorum, ſtipendiis Ucrainæ, in caſu cujuſvis belli, aliquot millium Coſacorum, & agendarum excubiarum à Barbaris, ut ſimili modo moderemur. Effectus utiq; monſtravit conſilium meum Craçovienſe, licet rudibus malè intellectum, & inviſum, futurum fuiſſe Patriæ ſalutare. Quibus altiſſimo Regio judicio expoſitis, relictis beneplacito Reipub: Victricem Majeſtatis Veſtræ dexteram exoſculor.

ANDREÆ OLSZOWSKI PROCANCELLARII REGNI NOMINATI GNESNENSIS, RESPONSUM DATUM REGINÆ ELEONORÆ. Lubaviæ 20. Februarij.

IN abitu meo in Varmiam, redditæ mihi ſunt V. Mtis literæ, in quibus documenta legi clementiſſimæ gratiæ & confidentiæ ad me humillimum Servitorem, per quam, mihi manu propria communicare dignatur, ſe cum Cæſareæ Majeſtatis conſenſu ad aliquantum tempus in Sileſiam profecturam, cujus abitus ne ſit occaſio præjudicij Mtis V. & difficultatis in reddenda proviſione à Repub: conſtituta, meę curę dignatur committere. Neminem puto inveniendum in hac Patria, qui non habeat debitum Mtis V. reſpectum, & honorem, tanquam Reginę noſtrę coronatę, incomparabili clementia, pietate, & ſanctis donibus exornatę, tot documentis gratię & affectus erga Gentem noſtram, & difficilis linguę peritiâ, celebratę; ſingulariter tamen meę ſum conſcius erga Mtem V. obligationis, de cujus tractandi matrimonio, & deducendi in Poloniam, habui honorem, & fortunam. Non tantùm ergo ex mandato Majeſtatis Veſtræ, verùm etiam ex obligatione mea, omnibus curabo viribus, ut Mtas V. circa jus ſuum conſervetur, cùm præſertim ita ſe in viam expediat, ut tempeſtivi reditûs & forte in commodiore quàm Thorunij loco reſidentiæ, ſpem facere dignetur. Aſſecurando itaque de fidelitate, & promptitudine obſequiorum meorum exoſculor demiſſe dexteram Majeſtatis Veſtræ.

LITERÆ ANDREÆ OLSZOWSKI PRIMATIS AD REGENTEM CANCELLARIÆ REGNI. Skiernevicijs 4 April.

NIhil optabilius mihi, quàm ut auctiore fortuna, Poſſeſſor, Radzejovicios, ex quibus nunc nullus mihi fructus, à me redimat: ignorans tamen gratia an odio ſim dignus apud Regem, cujus averſum animum experior; inſtantijs moleſtus eſſe nolo; cum præſertim ad nullas hactenus literas, etiam in publicis reſponſum habuerim, quod tamen dandi Archiepiſcopis fuerat conſvetudo. De rigore juris, eques Melitenſis Lubomirſcius, cum ſit profeſſus, non

A.C. 1675 poſſet manu tenere ſæculares dignitates (licet juſtè Mtas Regia re ſpicere ſit dignata Orphanos defuncti Capitanei Sandocenſis, qui omnem fere ſubſtantiam emptioni hujus Capitaneatus impendit) de uſu tamen, an abuſu memini in Polonia practicata exempla. Princeps Radivilius Eques Melitenſis, in Italia mortuus, fuit Pocillator aut Dapifer Magni Ducatus Litvaniæ ludicki quoque fuit Caſtellanus Novogrodenſis: tenuiſſeq; mihi videtur aliquam in Litvania Staroſtiam, & fuiſſe Generalis Artileriæ; cui contradicere cœperat Nuntius Apoſtolicus Vidoni, ſed inſuper diſſimulavit. Non opto ergo dari occaſionom offenſæ domui Lubomirſcianæ irrito præſertim conatu, cum tam in Polonia, quam Romæ heros hic magnos favores habeat. Id mihi audire contigit, quod non niſi ad quinquennium data eſſet commenda Tynecenſis equiti Lubomirſcio, cui ulteriorem prorogationem impedit Epiſcopus Cracovienſis, adeoque tum poſſet concurrere Radziejowski, quando equitem ab Abbatia impediret Epiſcopus.

ANDREÆ OLSZOWSKI ARCHIEPISCOPI GNESNENSIS AD MARESCHALCUM CURIÆ REGNI NICOLAUM SIENAWSKI Kurzeloviâ 9 April.

NOn ignotum tibi, Reverendiſſimi titulum, ſoli non niſi Archiepiſcopo Gneſnenſi deberi; eſto in ſtatuto titulo Dos, appellatus ſit Epiſcopus Cracovienſis Reverendiſſimus; At ibidem in varijs ſtatutis invenitur datus titulus Reverendiſſimi, Cujavienſi, Poſnanienſi, Vilnenſi, Samogitiæ, Epiſcopis, imò Archidiacono Poſnanienſi; ſtylus tamen Cancellariæ Regni, nunquam dedit Archiepiſcopo Leopolienſi, (à quo ad Gneſnenſem currit appellatio) titulum Reverendiſſimi, ut & Epiſcopo Cracovienſi, ſed tantùm Reverendi pariter cum alijs Epiſcopis; patiar non gravatè licet Epiſcopus Cracovienſis inſcribatur Reverendiſſimus, cum id titulis meis non præjudicet: te tamèn præcautum volo, non ambitu ullo, ſed optando proteſtationem facere, contra uſurpatum indebitè, & præjudiciosè titulum, quem ſi Archiepiſcopus Leopolienſis & Epiſcopus Cracovienſis affectatè ſibi uſurpaverint, mihi quid plus addendum eſſet, quod ego non ambio, ſolam nonniſi prærogativam Primatialem, meæ Eccleſiæ, tot ſæculis firmatam, ut teneor ſalvâ amicitiâ, & omni eorum obſervantiâ, præcuſtodio. Peto quoq; obnixè ut non ſpecificetur numerus Reſidentium ad latus Archiepiſcopi ſub tempus communis motus, cum nulla ſit Conſtitutio circa ejuſmodi ſpecificationem; aſſecuro tamen me ultra 15 Perſonas catalogo non inſcripturum. Opto expreſſe addendum, ut ex Capitulo Cuiavienſi, Poſnanienſi, Plocenſi, binos Deputatos Epiſcopi protunc eligant, ex Varſavienſi Collegiata unũ. Cõmiſſarios pro differentijs cum Brandeburgico non expedit per conſtitutionem deſignare, hoc enim non eſt in pactis, aliàs hoc exemplò Brandeburgicus requireret Cõmiſſarios ex Comitijs, traheretq; vel impediret Cõmiſſiones, quæ ſunt in manu Regis & pro exigentia facta requiſitione deputari ab invicem debent intra bimeſtre.

ANDREÆ

A.C. 1675

ANDREÆ OLSZWOSKI ARCHIEPISCOPI GNESNENSIS AD PALATINUM CULMENSEM JOANNEM GNINSKI 22. Apr.

EPiſcopus Vilnenſis evocatus à Cancellario M. D. L. venerat in privata domûs cauſa Varſaviam, pro quo ſpondeo, quod ſit Prælatus bonarum partium. Reſponſum ad literas Reginæ Eleonoræ, à te, ut ſcribis, miſſas non accepi. Diſpoſitio Exercitûs verno tempore peritiſſimè facta. Non mihi nimijs curis fatigo caput, tam ſapiente Principe noſtri gerente curam. Comitia, & Coronatio Leopoli, ſi practicabilis, meo judicio eſt rationabilis: conformabo me, hoc in puncto, intentioni, ex præſenti ſtatu Regiæ Majeſtatis, & ſenſui plurimorum: grave id quidem marſupio foret, nullam habenti cum Leopoli connexionem, non ſentiretur nihilominus, ſi bono publico & Regi utile & commodum; cum præſertim relevaret onus abbreviatio Comitiorum. Si tamen ſine detrimento Patriæ eſſe poſſet, antiquum locum & modum Coronationis ſvadeo; omnis enim novitas inſtar ſcopuli fugienda. Reges Galliæ non coronantur niſi Remis, Imperatoribus præſcripſit Aurea Bulla, pro Coronatione Aquiſgranum, Mediolanum, Romam, alijs Regibus Metropoles privilegiatæ: à tot ſæculis, Cracoviæ locus & nomen inclytum, ac auſpicatum coronandis Regibus Poloniæ. Ego interim nec pro, nec cõtra agens, imperata Veſtra non gemens ſequar.

ANDREÆ OLSZOWSKI ARCHIEPISCOPI GNESNENSIS AD REGEM 22 April.

INgenti lætitia exultavi, accepto Nuntio de fortuna, auſpicijs & terrore Mtis Vræ, opera verò & activitate Principis Procancellarij & Ducis recuperatione Pavoloci. Magnum cum hoc fortalitio acceſſit momentum illi loco, propter tuitionem Poloniæ, conſervationem Vcrainæ, confuſionem perduellis Doroſzenko, hoſtium, & eorum, qui deſertis caſtris, famem, ærumnas & pericula, tanquam læta loquebantur. Gratulatus itaq; de tanta fortuna, quam Mtas Vra incomparabili ſtrenuitate, incommodis, laboribus tota hyeme exantlatis tanquam celebris victoriæ pari ſucceſſu coronavit, dies ſuper dies, in ſeras ærates, ulteriores nec inrerruptos triumphos ac plenam Patriæ tranquillitarem cum ſubmiſſa veneratione apprecor Vræ Mti. Eadem occaſione attollit per me manus ad Vram Mrem gemebunda Religio Catholica in Ducatu Pruſſiæ ſub Brandeburgico, in perſona Comitis Schliben oppreſſa, qui unicus duntaxat ex incolis illis notabilior Catholicus, & Regni Poloniæ indigena poſſeſſionatus, in comitiolis Pruſſiæ, ex Palatinatu Mariæburgenſi, aliquoties terreſtris Nuntius odio Religionis affligitur, nunc verò de recenti hac ſola de cauſa, quod, cum ſit Romanus Catholicus, filiam ſuam, non à Prædicante Lutherano, ſed ab Epiſcopo Cujavienſi Catholico ritu curaverit baptizari, condemnatus ad inſtantiam Fiſcalis, ſine dilatione in mulctam 30000 Imperialium, alij quoque Catholici, & ij, qui ad veram fidem diſponuntur, intolerabiliter gravantur, unico fine, ut ex Ducali Pruſſia, ſtirpitus nomen

A.C. 1675 Catholici eradicetur. Demiſſiſſimè ſupplico Mti Vræ, quatenus, ſuſcepto in Regiam protectionem prædicto Comite alijſque oppreſſis Catholicis, ſcribere dignetur ſeriò ad Brandeburgicum, admonendo eum fidei & obſervantiæ Pactorum, quibus abundè cautum Religionis Catholicæ libertati. Benedicet D. Deus heroica Veſtræ Mtis opera, ſi ex innata pietate velut Catholiciſſimus Princeps, pro innocentia, & Religione zelaverit. Fruſtra Principes victoriæ Vræ, niſi DEO & Eccleſiæ triumphetis. Reſidens Ducis Curlandiæ retulit mihi nomine Principalis ſui, Nobilitatem Curlandiæ, præcipuè Piltinenſem, etiam datis ab eo edictis non diſponi ad defenſionem illorum limitum in his motibus & metu Svecorum: requirebat à me remedia, ſed illum pro eis relegavi ad Vram Mtem, cujus victricem dexteram exoſculor.

ANDREÆ OLSZOWSKI ARCHIEPISCOPI GNESNENSIS AD PRINCIPEM PROCANCELLARIUM M. D. L. MICHAELEM RADZIWIL. 22 April.

EXultavit cor meum in gaudio cum audirem benedixiſſe dominum virtuti tuæ & amori erga Principem ac Patriam, oblata fortunæ & reſolutioni ejus tam celebri ſupra quam cõmodi Fortalitij ſine ſangvine cum comprehenſione prætoriani Doroſzenko Militis recuperatione. Jam hic conclamatum erat de clade Litvani Exercitus ſub ductu tuo, tuiq; ipſius cæde aut comprehenſione. Ergo confundantur qui fecerunt & locuti ſunt iniqua: Ego lætitiæ modum non invenio ob fortunatum & glorioſum ſucceſſum tuum & eò quidem amplioris quò magis anxius adverſis eram per duros rumores ſparſis. Demiſſas refero grates pro diſcuſſo mihi literis tuis metu & mœrore, quo inter documenta ſingularis, & nec inter arma ſilentis tuæ gratiæ ſuſcepto prolixiſſimo affectu æternum decus hujus Numantiæ captæ gratulatus, ulteriora vobis apprecor.

UNIVERSALES PRIMATIS AD TOLLENDUM LICENTIOSUM MILITEM. 30. April.

OMnibus & ſingulis quorum intereſt notum facio. Inter varias graves Reipub: exorbitantias, non poſtremum obtinet locum, quòd eo tempore, quo Mtas Regia, Regali ſuo capite ſalutem, & integritatem tutatur Patriæ; Exercitus in hoſtico ſtrenuè labores ſubeunt; complures Officiales congregatis turmis, more germanico, non habendo aut non exhibendo Univerſales Regias aut Ducales, per totam graſſantur Poloniam: Bona Regalia & ſpiritualia vaſtant, in nobilibus ſubſiſtunt, ex quovis ferè pago ſtationes pecuniarias exigunt; & quod dolendum, ementito nomine, cum injuria & honoris imminutione, inſignium heroum, ſe audent compellare: ut recenter in bonis Archiepiſcopatus mei auſi ſunt abuti nomine ſupplementi Generalis Bokum, qui emerita ætate ante biennium abdicatâ militiâ, nullum nunc Regimen habet in obſequio Reipub:. Clariſſimis alijs aliorum parco nominibus, quorum vexilla & ſupplementa, tota hyeme vitioſos, per oppida & pagos, continuando circulos, hactenus pertingere nequeunt in Ucrainam. Occurren-

currendo itaq; tantæ inſolentiæ, vaſtationi Regionum, difficultatibus in contributionibus, intolerabili & cælos penetranti pauperum oppreſſioni, è Primatiali mea ſtatione, ſub tempus Regiæ diſtantiæ, re collata, ſenſuq; explorato, complurium Senatorum & Officialium Regni, ac M. D. Lit. præmoneo omnes, Authoratores verò quoſvis admoneo, quatenus coram judicio Capturali reddant rationem, literas ſi quas pro ſupplementis, producant; decretis, aut atteſtationibus judicialiter obtentis, omnes relinquant aggravationes, injuriatis ſpontaneam faciant ſatisfactionem. In quantum autem licentioſè ulterius proceſſerint; conformiter ad leges & conſtitutiones antiquas & novellas, & ad ſeveras Regis Univerſales, juſtum eſſe cenſeo moderando rigorem, ut hujuſmodi licentioſi, ad judicia Capturalia citentur, ad acta Caſtrenſia reddantur, & poſt juſtè lata decreta, etiam prævia à Rege informatione, pro qua ipſe expedire paratus ſum; puniantur; Gregarij verò ad labores plebejis conſentaneos, deſtinentur, ſive in ſimultanea conſiſtentia, ad ulteriorem Regiæ Mtis declarationem detineantur. Quæ Univerſales meæ, ut more ſolito publicentur, & executioni mandentur, obnixè peto. *A. C.* 1675

LITERÆ AD JUDICIA CAPTURALIA CUM IJSDEM UNIVERSALIBUS.

LIcet vobis ſupremam juriſdictionem in ſua Regione ſub id temporis habentibus curæ & cordi eſſe non dubito, juſtitiam & tutelam afflictorum; Evincit tamen à me cõmiſeratio ſuper pauperes; & unanimis ſenſus complurium ſenatorum, & officialium Regni & M.D.L. ut diſtante Regia Mte, ad coercendam licentiam officialium Germanicorum per Poloniam graſſantium, univerſales has, Primatiali Authoritate expediam, quæ, ut exetucioni mandentur, utq; efficaciori jurisdictionis veſtræ remedio, contra inſolentes Authoratores & turmas, uti velitis, obnixè peto.

COPIA LITERARUM AD WICHERT, RESIDENTEM ELECTORIS BRANDEBURGICI Radzyovicijs 4 Maji.

OBvias iter agenti mihi, accepi literas tuas, ad quas ex nunc reſponſum expedio. In materia quàm propoſui Senatoribus Varſaviæ reſidentibus; non dubito, te ſufficienter eſſe informatum; adeoq; non expedit me propoſitiones memoratas ſcribere, aut copias literarum tibi mittere, cui ſtudium pacis, non irritamentum belli, curæ eſſe deberet: unde ſiquidem Rex, diſpoſitis præſidijs in Fortalicijs Ucrainenſibus, reliquóve Exercitu reſpirandi & reficiendi ex quos gratia in Podlachiam digreſſus eſt in proximo; ceſſat Vicarium meum munus, cum juxta Patriam noſtram paraemiam: ceſſet ſubordinata poteſtas, præſente Principali. Facilis ergo eſſe poteſt, in præſentibus emergentibus recurſus ad Regem, ad quem etiam ego, aliquot ſtatûs negotia remiſi, cum præſertim reſideant ad latus Domini, aut reſidere teneantur Deputati authoritate Reipub. Senatores, & ex Equeſtri Ordine conſiliarij cum ſumma poteſtate, ſub tempus belli

A. C. 1675 *belli Turcici. Quod attinet auxiliares copias ab Electore ſuppeditandas, ab his difficilis eſt, ſalvâ pactorum Bidgoſtienſium obſervantiâ; excuſatio durantibas bellis Polonicis: beneficium enim ſupremi Dominij in Pruſsia datum eſt propter officium. Id quoq; non omnino licuit, quod Officiales Electoris fecerunt, in gravaminoſo per Dominia Regni Poloniæ tranſitu, Polonos homines inter ſuos authorando, & ut mihi relatum eſt, ultra completum Regimen noſtro damno educendo. Multum profectò non tam viribus, quàm reputationi apud hoſtem hac auxiliorum Brandeburgicorum revocatione, pactis omnino contraria deceſsit. Satis erat detrimenti, aliquot ſupra 10 annis à pactis Bidgoſtienſibus Electorem Brandeburgicum nullos impēdiſse ſumptus, in ſubſidiū belligerantis Poloniæ. Rigore quoque contra Comitē Sliben fateor me ſupra modum commoveri, cum hæc forte via ſit & modus, eradicandæ Catholicæ Religionis ex Pruſſia: non enim me latet, aliquas perſonas gravari, odio & ſuſpicione Catholicismi, quod tamen nequaquam licet per pacta jurata, & decentiam.*

NUNTIO APOSTOLICO AB ARCHIEPISCOPO GNESNENSI Lyskovicijs 10 Maji

TAmetſi nulli ſecundum me profitear obſervantiâ ſublimis perſonæ & characteris Illuſtriſſimæ Dominationis Vræ, patietur tamen haud ægrè prudentiâ procedere, ut diminutionem Titulorum Archiepiſcopatus mei tolerare nullatenus poſſim. Vetus & indubitatum eſt legationis meæ natæ privilegium, à ſumis Pontificibus Archiepiſcopo Gneſnenſi donatum, à concilio Provinciali receptum, in volumen Canonum Provincialium inſertum, extraordinarijs facultatibus approbante ſede Apoſtolica, nec non Jurisdictione ſupra Archiepiſcopum Leopolienſem cumulatum, nunquam hactenus in controverſiam vocatum, quo gravius mihi accidit, frivolas imperitorum relationes allegari, magiſque quàm ſolida & luce clariora documenta attendi. Affirmare me præſente Dominus Sbąski, vel quiſpiam alius erubeſceret, quæ contrarijs probationibus & evidentiâ ipſa refutantur. Primi Principis politicus honor, & titulus Vicarium Regni, demortuo, vel potius belligerante Rege, authoritatē & poteſtatem includit. Hoc ſublato jura & prærogativas incomparabiles Archiepiſcopi Gneſnenſis nempe præſidendi publicis conſilijs, indicendi Senatum, Ordinum Conventus, Electionem Regis intimandi, Electum nominandi, in Baſilica Cathedrali Cracovienſi Regem & Reginam coronandi, ibidem, funera Regum celebrandi, Legationes vacante throno ad Principes mittendi, miſſas à Principibus admittendi, audiendi, expediendi Regalia ad uſq; Coronationem Regiam exercendi, ſalvos conductus bannitis, protectiones vulgo vadia regalia, contra vim & potentiam extradendi, edicta ſua ex conſilio Senatorum publicandi, Principem à legibus devium legitimè monendi, Scipionem per Mareſchalcum, ſuum Senatorem attollendi, eundemq; & crucem, ad uſq; intimiorem Regiam Cameram anteferendi, Prætorianos equitum & peditum Comitatus, primo & recto itinere, ad Palatium Regium ingreſſos expanſis vexillis inducendi, publicum honorem à Rege obviam moto, comiter reſalutante, ac in ſenatu aſſurgente recipiendi nulli Principum,

pum, ac ne Cardinali quidem Epiſcopo Cracovienſi priore loco cedendi, Epiſcopos Palatinos imò Legatos Imperatoris, & Capitum Coronatorum non reviſitandi, aulicos ſuos nobiles viros, ab omni alia jurisdictione exemptos, pro delictis judicandi, & puniendi, pœnas pro ſtricto gladio, pro turpiloquio juxta ſtatuta Regni irrogandi, aliaque majorum & minorum præeminentiarum, quibus nullibi gentium Archiepiſcopi extra Poloniam gaudent, convelli & ruere neceſſe ſit. De uſu pleni tituli ſub Nuntio olim Apoſtolico de Torres ad Archiepiſcopum prænemoratum Lubienium, lingvæ Gallicæ minus peritum, cujus tunc Cancellarium agebam, rectè ſatis memini, quòd illum Illuſtriſſimus Dominus Epiſcopus Cracovienſis apud eundem Lubienium, meus in Cancellariatu immediatus Poſſeſſor haud dubie affirmabit. Imperator, Reges, Principes, Cardinalis protector, legati nati, Primatis primiq; Principis integros titulos latinè præſcribunt. De Italico ſtylo minus ſollicitè ago, quo tituli abbreviantur. In epiſtolis latinis à Nuntijs Apoſtolicis talium gnaris, ut honore meo & jure ac jure præſcripto decedam, nulla me authoritas, vel difficultas licet rerum mearum adſtringet. Hæc prolixius, aliaq; de præeminentijs contra Epiſcopum Cracovienſem coram decenter exponenda, Dno Abbati Luppini comiſi, quem pronis auribus & benevolo animo admitti obnixè rogo. Et interim obſequia mea devovens, ad mandata Illuſtriſſimæ Dnis Vræ devinctus remaneo. *A.C.* 1675

EXCERPTUM EX LITERIS REGIIS, AD ARCHIEPISCOPUM GNESNENSEM. 5. Junij

Literas Palatini Vilnenſis lectas tibi remittimus. In tanta pauperum oppreſſione, non licuit ei, niſi acrius ſcribere, nec id laudare poteramus, quod cruentum, in œconomiis, panem à pauperibus extorturi eſſent, impudentes Caſtrorum deſertores, qui nos cum ſtupore, & dolore totius Chriſtianitatis, contra hoſtem caſtra moventes, inter media pericula, reliquerunt, notabiliter noſtrorum curſum impediendo moliminum. Informationem, ad formanda reſponſa, nulla tibi damus; cujus omnia ſcripta & acta, digna luce judicamus. Juſtum ſolummodo noſtrum dolorem tibi commendamus; cui optatos ſucceſſus, & bonam à DEo valetudinem precamur.

ANDREÆ OLSZOWSKI ARCHIEPISCOPI GNESNENSIS, AD SUPREMUM REGNI CANCELLARIUM. 7. Junij.

UBI ſumma authoritas in Republ: præſertim in Majoris Poloniæ Palatinatibus, tutamini eſſe nequit, periclitanti ſtatui civitatis Poſnanienſis; timeo, nè declinans jam mea dignitas, ſignatoria jurisdictio, ſit inefficax, ac impar ferendo oppreſſis remedio: Præterea lædere amicitiam Judicum Capturalium primi Palatinatûs, anceps eſt & invidioſum: Juſtitiæ tamen litando, tuiſq; parendo juſſis, do literas protectionis, vulgò Gleyt, contra decretum in contumaciam, & in foro incompetenti latum. Coronatio, magno meo tædio, & non levi incommodo differtur, & approximante Hano cum Tartaris, forſq; cum Turcis, vix inſtitui poterit, niſi poſt Campaniam; ſi indefeſſus bellò Barbarus etiam hyeme conquieverit: Scribitur mihi irritatum Hanum vulneribus, per trajectum à noſtris globum inflictis, filio, furere, & ſævire. Nuntiatur quoque Hanus formâſſe ſibi validum Regimen ex

trans-

A.C. 1675 transfugis Palatini Siradienſis, & Lanckoronſcij, aut ex captis bello, noſtris Gregariis, qui cum Tartaris oppugnâſſe dicuntur certum noſtrum fortalitium; Captum meum ſuperat, poſſe pacem, præſertim firmam & non ignominioſam, ex abrupto conſtitui, ad quam præviæ nullæ apparent diſpoſitiones; niſi mirabilis DEus in operibus Polonis, opus ſolius ſuæ fecerit Omnipotentiæ. Exercitus murmurat contra non ſolutum ſibi ſtipendium, miſitq; ad Regem minaciter petens ſolutionem, ex nunc pro tribus trimeſtribus.

ANDREÆ OLSZOWSKI ARCHIEPISCOPI GNESNENSIS RESPONSUM AD PALATINUM VILNENSEM MICHAELEM PAC EXERCITUUM M. D. L. DUCEM 9 Junij.

MUltum me ſibi obligavit Vilnenſis Epiſcopus, qui velut præclarus in Repub; ſeniô primus in M. D. L. Senator, dignâ ſuâ, pro bono publico, curâ; fraternam ſimul me inter & te redintegrat confidentiam. Fieri potuit, ut ex cõmuni ſenſu ſcriberem quidpiam non ad placitum, ut priſco Polono more ſoleo dare nomina rebus; non ſuppoſui tamen futurum fuiſſe, ut innocens meus animus, & ſtylus te offenderet, daretq; occaſionem acriori cenſuræ. Prodiêrat quæpiam literarũ copia, ad eamq; neſcio, Deus mihi teſtis, cujus reſponſum: Expoſui modeſtè dolorem meum, querelaſve Vilnenſi Epiſcopo, addendo tamen me ijs penitus non alterari, nec ſeparari à charitate, & obſervantia tui. Aliquot, poſt ſeptimanas ex Leopolienſi poſta pervenerunt ad me ipſæ originales literæ, ex quibus deprehendi, temerè auctum in deterius fuiſſe rumorem copiam enim prætactam non vidi, nec acquirere potui. Faceſſant ergo verbalia, redeamus ad realia, ſcilicet ad mutuam ſumè his temporibus inter primarios Cives, neceſſariam Patriæ confidentiam, quam ego literali tua declaratione exhilaratus ſacroſanctè obſervare, conſtantiq; amicitia, tibi, quà publicè quà privatim obſequi decretum habeo.

EJUSDEM AD EPISCOPUM VILNENSEM NICOLAUM PAC. 9. Junij.

SUmmo encomio, & debita gratiarum actione tuas proſequor curas; quas, poſt adventum tuum Vilnam, re collata cum Palatino Vilnenſi, velut magnus in Republ: ſeniô primus in M. D. Lit: Senator, bono publico impendiſti, inducendo ad pleniorem confidentiam Ducem; ejusq; Exercitum ad fidele Regi & Reipub: obſequium. Nunquam mihi alius fuerat ſenſus, niſi neminem te efficacius poſſe, hoc in negotio operari, motoſq; componere fluctus, ſolatio mihi fuerat prima notitia, cum per Prælatum, ad Lubavienſem pro tunc meam reſidentiam expeditum, promitteres te profecturum Stuckum, ad bene diſponendum Palatinum Vilnenſem, quod tum literis, tum oretenus Varſaviæ confidenter mecum conferendo, confirmâſti. Quod, ſi pridem fuiſſet factum, non ventum fuiſſet ad acerbitates literarum, & amaritudines animorum, cum etiam literæ Palatini Vilnenſis ad Regem datæ, videantur aſperiores Aulæ. Medium datum ab eodem Palatino, ut ſcilicet à Rege Commiſſarij deſignarentur ad captandum illum Exercitum, & aſſecurandam gratiam Domini; erat admodum ſalutare, & antiquitus in ſimilibus practicatum, in his tamen rerum & temporis anguſtiis, Hano cum Tartaris & Turcis propius in dies imminente; jam ſerum, & dilapſis

dilapſis ſuas ob cauſas Senatoribus Regni, vix practicabile. Meo judi- A.C.1675
cio perinde valebit, quod etiam tu, in poſtſcripto manu propria expreſſiſti; ſi Mtas Regia ſtylo dulciore fuerit dignata ad Ducem ſcribere, vocando eum in ſocietatem armorum, præteritas offenſas amniſtiâ ſepeliendo, in futurum, Regiam ſuam gratiam & reſpectum tam Perſonæ ejus, quàm toti, illi adhærenti Exercitui, pollicendo. Sequor itaq; prudentiſſimum Conſilium, & zelum non tantùm ſcribendo, verùm etiam expediendo cras Cancellarium meum Zaſuski, Canonicum Cracovienſem ad Regiam Mtem; quam ut Regium animum in condonandis offenſis exhibituram non dubito, ſic viciſſim per te peto, & obteſtor Palatinum Vilnenſem, ut alienatis ſuſpicionibus, & malecontentationibus, in tam flagranti periculo communis Patriæ, ſuum acceleret accurſum cum exercitu, ad obſequium & tuitionem Reipub. Hoc medio reſtituendum aſſecuro in integro affectum Regium, famam tot meritis comparatam, confidentiam inter utramq; Gentem, & per convenientes ſub clypeo tractatus ſolidæ omni ex parte pacis ſecuritatem. Exercitum M. D. Lit: impari affectu Principis tractatum fuiſſe, ut ad meas aures non pervenit, ſic fidem excedit. Legi conteſtationes Regias in primis ad me datis, in quibus omnis poſſibilis Palatino Vilnenſi & Exercui ſatisfactio eſt expreſſa. Hæc eſt validiſſima ratio, unicaq; excuſatio à fame, ærumnis & punuria in Ucraina, reliquæ allegatæ ad probandum difficiles, magisq; exaſperant, quàm convincunt. Non cadit id etiam in rectitudinem, & innatam Regiæ Mtis prudentiam, ut in cogitationem admittat, divertere bellum contra Carum Moſchoviæ cum periculo viciniore M. D. Lit. Licet Barbari hanc propoſitionem facerent, & perſpectâ noſtrâ debilitate hanc imperarent & extorquerent conditionem, admittere eam contra pacta conventa, & fœdera jurata non liceret. Interim actis tibi pro hoc honore gratiis, quem mihi indigno Primati, candido & faventi fratri; tuo, & Palatini Vilnenſis, totiusq; M. D. Lit: nomine exhibuiſti, totum me dico, & addico tranquillitati M. D. Lit: tanquam meæ communis Patriæ, tibi, totiq; tuæ domui ſemper addictus.

EJUSDEM AD MARESCHALCUM M. D. LITVANIÆ.
Leopoli 13. Junij.

COmpellavit me aliquot ante dies, ſuis Epiſcopus Vilnenſis literis, ut Primatialem applicarem curam conciliandæ confidentiæ Regiæ erga Palatinum Vilnenſem Exercitumque ſub ejus directione exiſtentem; ſuſcepi libenti animo eam provinciam, nec mora expedivi idoneum, & pari negotio ſubjectum, Andream Zaluski meum ex ſorore Nepotem, Tu quoq; cujus ſumma integritas, & zelus in Patriam ſemper floret, ſingulareſq; Regis meretur reſpectus, ut huic negotio tuam adhibeas operam obnixè poſtulo, ſi amma conſilij mei, ut Palatinus Vilnenſis ruptâ morâ, cum Exercitu in Ucrainam, ſive ubi generalia caſtra fuerint, gradum accelleret. Aſſecurare auſim, illum paterno, ut ante ſemper, affectu à Regia Mte, magni judicij & moderationis Principe, ſuſcipiendum, Exercitumq; M. D. L. florem planè & robur Reipub. omnem obſervans

A.C. 1675 ſervantiam ac ſatisfactionem experturum. Pax ſolida terrore armorum, Deo favente, evicta confundet hoſtilia molimina, omniaq́; tam à Regno Poloniæ, quam à M. D. L. avertet pericula.

COPIA LITERAAUM AD CAROLOMONTIUM.

Data 26 Junij

NE prolixior ſcribendo ſim, refero me ad ea quæ ſcripſi Illuſtriſſimæ Dominationi. Veſtræ Referendario Poloniæ Gubernatori Varſavienſi, Epiſtolas ad me Originales Regias mitto. Intolerabile omnino eſt præjudicium, & mira variatio diverſio pro Corovienſi abbatia, quæ Juris Patronatus Regij judicata eſt, & contra in Andreovienſibus decretis, aperta etiam fraus Madalini, & monachorum, qui ſubordinarunt quendam Thomam Gryllum, quaſi plenipotentem meum, de quo nec per ſomnium audivi, neque unquam ullam Plenipotentiam cõceſſi, neque à Madalinio citatus fui. Ego pro Officio meo, Vicariatûs Regni, conſervabo Jus Regium, uſque ad Coronationem, ac proinde palatium Andreovienſe Præſidio militari, & mandato Regis munivi. Unicum deſidero, ut detur ab urbe Commiſſio, cuicunque Epiſcopo, ac nominatim Poſnanien. & Præmislien. ad inquirendum, an fuerit fabricata, coacta, ac de jure invalida Electio Madalinij, & an reperiantur inſtrumenta in archivo Monaſterij nominationum Regiarum & Electionũ Abbatum, quæ ex mandato Commiſſarij ſupprimuntur, tanta hominis malitia ut etiam Monachos quoſdam ad pejerandum inſtruxerit. Pluribus coràm memoratus Illuſtriſſimus Dnus Referendari⁹. Ego interim maneo.

AD CARDINALEM DE ALTIERI AB EODEM Lovicij in Julio.

CUm ex cauſa denegati mihi tituli Legati nati primiq́; in Regno Poloniæ Principis commercium literarum me inter atq́; Illuſtriſſimum Dnum Nuntium Apoſtolicum, Bonviſium ceſſaverit, integrum mihi non erat Generall ejusdem requiſitioni, ſuper præeminentijs Archiepiſcopi Gneſnenſis, ab Epiſcopo Cracovienſi diſputari cœptis ſcripto reſpondere, quod per Ablegatum meum decenter excuſans, informandi tamen causâ rationes, pro Antecedaneo meo Nicolao Przmowski Archiepiſcopo in juribus fundatas, opera Domini Abbatis de Baſchis, collectas Romæ impreſſas, præſentari curavi, nititur omnib⁹ vijs Epiſcopus Cracovienſis, tot ſæculorum jura, & dignitatem huic Regno Chriſtiano coævam Archiepiſcoporum Gneſnenſium minuere, ſolique exinde aliquid adſtruere. Sed cum in Polonia prævalere nequeat (ſemper enim Reges & ordines Regni, conſervandæ activitatis Primatialis ſtudioſiſſimi erant quam pulcherrimis privilegijs, ſtatutis publicis, perpetuis in volumen legum inſertis, tanquam ſtatus ſui robur & fulcrum duxerunt) Curiam Romanam opportuniorem ſibi ratus, adverſa contra me tentat, multa ſpargit, mihique pluribus occupato, negotium faceſſit. Præceſſere tot Epiſcopi Cracovienſes inſignes & ornatiſſimi Præſules, etiam Cardinalitia dignitate fulgentes, qui Archiepiſcopos Gneſnenſes, Primates, & Metropolitanos ſuos comiter obſervabant, tantumq́; abeſt, ut controverſiam aliquam præeminentiarum moverint, ut etiam dignitati Primatiali tuendæ, ac magis augendæ, operã omnem partesque ſuas commodaverint. Primus modernus Epiſcopus

Craco-

Cracovienſis, cui contendere, contemnere, vexare, perenne quoddam ſtudium, maximumque negotiorum eſt, fortunæ meæ & gloriæ, egregijs geſtis, innocenti famæ, Regio & populari favori, bonis artibus quæſito iratus, cum me pridem graviſſimis litigijs implicaverit, beneficijs Eccleſiaſticis cognatos meos per ſummam injuriam & malitiam evolverit, maximis diſpendijs affecerit, etiam nunc labefactare, deque ſupremo gradu, deprimere totis artibus opibusque nititur. Quæ res an honori & bono Eccleſiaſtico conducat, an non in aliquod grave ſcandalũ eruptura videatur, cuilibet rerum gnaro æſtimandum relinquo, eventuique permitto. Sed ego bonâ ſpe erigor Archiepiſcopatus Gneſnenſis decora, nihil detrimenti acceptura, imò ſalva, & illæſa fore, cum Eminentiam Vram Patronum & Defenſorem advoco. Uti poſſederunt Majores noſtri, cur ego non ita poſſideam? benignam ſe pridem exhibuit ſancta Sedes Apoſtolica Archiepiſcopis Gneſnenſibus, quos Primatum Poloniæ & Legatorum natorum privilegijs, authoritate, jurisdictione, extulit, cumulavitq́, non diſparem gratiam & clementiam Sanctiſſimi Dni Noſtri Clementis X. quidni mihi pollicear, qui per veſtigia prædeceſſorum meorum progredi, de ſua Sanctitate & Eccleſia Catholica (prout hactenus non levibus documentis feci) quàm optimè mereri unicè ambio, & porrò tota virium contentione adnitar. De reliquo Eminentiæ Vræ humilem obſequiorum meorum devotionem reverenter commendo. A.C. 1675

EJUSDEM, AD ARCHIEPISCOPUM CANTUARIENSEM.

Lyskovicijs II. Julij.

CUM nonnulli idonei homines, rogatu meo ſuſceperint negotium, inveſtigandi privilegia antiqua celeberrimæ, & Primatialis in Anglia Cantuarienſis Eccleſiæ; audaciam ſumpſi, compellandi deſuper Illuſt: & Rñdmam D. Veſtram: Licet enim ignoti & Religione diverſi, tantoq́ Terrarum, ac maris ſpatio diviſi agamus, plurimum tamen confido de celebrata Illuſt: & Rñdmæ Dõnis V. humanitate, eam in extradendis mihi per copiam authenticam Privilegiis, præſertim Legationis Natæ, quibus Eccleſia Cantuarienſis, cæteris in Anglia Cathedris, antequam Romanæ Eccleſiæ Nuntium remiſiſſet, præſtabat, & præfulgebat, atq́ nunc præfulget, haud gravatè demonſtratum iri. Conceſſum olim erat anno 1515. Privilegium Legationis Natæ à LEONE X. Papa Archiepiſcopis Gneſnenſibus, Primatibus Poloniæ, tali verborum contextu. Concedentes in omnibus & ſingulis Privilegiis, libertatibus, præeminentiis, exemptionibus & gratiis uti, & gaudere ac quod omnia, & ſingula facere & exercere, mandare, ordinare, & exequi, quæ ad Legatos Natos, & hujuſmodi Legationis officium habentes quomodolibet pertinent, & qua alij Legati Nati præſertim verò Legatus Cantuarienſis, qui in Provinciis ſuis, de jure, privilegio, & conſvetudine, mandare, facere & exequi poſſint, liberè & licitè valeat. Sed quanam ex cauſa Privilegium ipſum Eccleſiæ Cantuarienſis ſuper Legatione Nata ſerviens, Anteceſſores mei nõ requiſierint, ſive illud incuria hominum, aut injuria temporum deperierit, mihi non conſtat. Reperio aliqua veſtigia in Authoribus maximæ prærogativæ Archiepiſcoporum Cantuarienſium, ex ipſo tamen fonte hauriendum duco, quod in commodum, honorem, & jus meum utiliter derivem. Quod, ſi ab Illuſt: & Rñdma D. V. impetravero, plurimum ejus benevolentiæ &

A.C. 1675 præſtito mihi officio obſtrictus vivam, ac omnibus, ſi quæ dentur, occaſionibus promptitudine meâ rependere conabor. De reliquo Rdmæ & Illuſt: Dñis V. cupio me eſſe commendatiſſimum, eidem longævam valetudinem cum omnimoda proſperitate ex animo apprecando. &c.

EJUSDEM AD SENATORES REGNI ET M. D. L. Dancoviæ 22 Julij

Conſulendū Patriæ

INvenit me in domo Caſtellani Cracovienſis, Pontificia Eccleſiæ Dancovienſis operantem triſtis fama, de non concluſis cum Barbaris, tractatibus, & aperta hoſtilitate à Turcis cum Imbraim Baſſa, & ab Hano Krymenſi cum pluribus Tartarorum copijs, in tam premente caſu & vix non in proxima ruina Patriæ, quando Exercitûs cum Rege exigua manus; vix enim non omnia Regimina in ſupplementis & conſiſtentijs; vexilla quoq; aliqua Polonica & multi milites, pridem à Rege datas, ſeveras Univerſales, non curando, caſtra deſerunt; quando Reſpub: orbata conſilio, & nervo belli deſtituta, periculum evidens Perſonæ Regiæ, Exercitûs, & Regionum incurſionibus hoſtilibus apertarum, aliaq; concatenata mala imminent. Convenit mihi ex Primatiali munere publicum Senatorum Regni & M. D. L. requirere conſilium. Collata ergo primariò re, cum Caſtellano Cracovienſi, nullâ morâ, te fraternâ petitione & ferventiore perſvaſione convenio, quatenus ad conſulendum in cõmune venire Varſaviam non graveris pro 4 Auguſti, ubi ego reſidere ſtatui: quod ſi difficultates & legalitates quæpiam, itineris impedimento fuerint, conſilium efficax per literas, modumq; porrigere, quo Perſona Regis, Patriaq; in ſuñis anguſtijs ſalvari poſſit.

EJUSDEM COPIA LITERARUM RESTIUM PRO COMMUNI MOTU. Varſaviæ 7. Auguſti.

UNiverſis & ſingulis Palatinatibus NN: vel terræ N. incolis, defero atrocia nova, fors jam velociore fama vulgata; quod ſcilicet hoſtes barbari abrupta omni ſpe tractatus, qua nos hactenus lactabant, & ludebant, ſciendo nos eſſe imparatos & ſucceſſu facilè occupati, tyrannicè ad internecionem deleti, & ſolo æquati Sbaraſcenſis fortalitij, tumidi, ferocesque; expeditis nullo effectu Commiſſariis noſtris, magno impetu, & validiſſimis viribus, Zaſozæ, ubi omnia tormenta Regni, Złoczoviæ, ubi clauſit ſe Palatinus Ruſſiæ, & ipſius Perſonæ Regis, immineant. Inſtitui primis terroribus cum Senatoribus conferentiam Varſaviæ, qui, me præſente & præſidente nihil celerius & efficacius communi motu, in tanto diſcrimine inveniunt. Concluſum fuerat expedire ad Regem citatis paſſibus, ut authoritate Regia & legitima poteſtate tertias & ultimas Reſtium Literas ex ſua juberet extradi Cancellaria; ſvaſimus etiam in iiſdem Reſtium literis à Regia Mte Staroſtis & Tenutariis bonorum Regalium inculcandum, ad Epiſcopos verò ſcribendas literas, quatenus in defectu ærarij, ſaltem medietatem hybernorum (ſubſtituendo ad interim de proprio pro Subditis) ad reficiendum Exercitum, nullâ morâ prænumerent; Sed quia opportunè venerunt mihi literæ à ſupremo Regni Cancellario, qui prudentiſſimè perpendens, caſum reciſæ Scythicis excurſionibus, cum Rege communicationis, animat me ex conſilio frequentiſſimæ nobilitatis, pro judiciis capturalibus congregatæ, ad dandas Univerſales pro communi motu; Ideo, commmunicato iterum cum hic reſidentibus Senatoribus negotio,

tio, conſiderando in arduis melius eſſe conſilium imperfectum, quàm A.C.1675
nullum, & periculoſiorem quietem, quàm audaciam; inhærendo Reſtium literis à R. Mte extraditis, conformiter ad normam Univerſalium prædicti Cancellarij, magni in Repub: viri, reſolvo me in ſpem ratihabitionis Regiæ Mtis, & Reipub: in tam prægnanti, & extrema neceſſitate extremas ciere vires, dando has Univerſales in vim tertiarum Reſtium literarum pro communi motu, qui, ut ſuo ordine juxta leges & conſuetudines congregatus, in Campaniam producatur, deſigno in locis conſuetis congreſſus pro 11. Auguſti, non dubius, Palatinos & Caſtellanos, amore Patriæ ex obligatione ſua promptè & vigilanter ſuo functuros officio juxta antiquas & novellas leges, de expeditione bellica, præſertim Conſtitutione anno 1621. Locus congrègandis communib⁹ motibus ſupra Viſtulam ſolito tractu verſus Lublinum aptiſſimus, quo illis ulteriores Regiæ mittentur ordinationes. Spem eam concipio, quòd ubi nobilitas in unum congregata fuerit, non difficilè ſit futurum, inducere Palatinatus & terras ad contribuendam ſummam aliquot tributorũ, ad expediendum de medio ſui militem, practicatis exemplis. Quòd ſi verò verſa fuerint fata in melius Reipublicæ, facilè dare poterit à Regia Mte mandatum reverſorium. De motu totius Litvani Exercitûs in ſuccurſum R. Mti, certificatus ſum datis ad me â Palatino Vilnenſi, & relatione Supremi Cancellarij M. D. Lit: inſuper literis publicis ad Duces Litvaniæ; quanquam currentibus addere calcar viſum eſt, præſenti conſilio. Jam itaq; arma viri capeſſite, accendat ardor generoſa pectora, & Chriſtiana pietas zeluſq; gloriæ DEi, Eccleſiarum ejus profanatio & inevitabilis charæ Patriæ, gloriæ, libertatum, & immunitatum ruina, fratrum noſtrorum cis Viſtulanorum Incolarum infelicis multitudinis Chriſtianorum comploratio, & interitus, Perſonæ Regiæ Mtis, bene meriti Exercitûs, tamq; vaſtarum & florentium Regionum, civitatum, Fortalitiorum, evidens diſcrimen. Admoneo ſimul civitates & oppida, ut legi & obligationi ſuæ tam de expeditione, quàm de proviſione pulverum, ammunitionum, Commeatuum, ſub rigore juris, ſatisfaciant. Milites quoq; ſive Poloni ſive externi authoramenti, quocunq; titulo in ſupplementis & conſiſtentiis per Palatinatus inveniuntur, ut juxta Regis Univerſales, non ſe ullis excuſando ordinationibus, etiam Ducalibus, licet cum 100 hominibus paratis, ad latus Domini nullâ morâ properent, ſeriò ſub rigore articulorum militarium & communium legum injungo; qui, ſi aliquam fecerint renitentiam, ulterior illis in Palatinatibus, & terris negari debet conſiſtentia. Expeditionem Agrarij militis revoco. Quæ Univerſales meæ in actis Caſtrenſibus & Parochiis debent publicari. Quod ſi his diebus tertiæ literæ Reſtium à Rege venerint, illis potiùs, in omnibus; quàm meis obſequendum erit.

EJUSDEM AD SACRAM CÆSAREAM REGIAMQUE MTEM Varſaviæ 24 Auguſti.

PRævalere fata conſilijs, maximo malo, ultimoq; jam rerum noſtrarum diſcrimine plus ſatis experimur. Poſt felices recenter armorum Poloniæ progreſſus, poſt recuperatas fortitudine S. R. Mtis Dni N. Clementiſſimi, validiſſimas Ukrainæ & Podoliæ arces, & civitates, bellicis per rigidiorem hyemem operibus attriti, ipſis victorijs defeſſi, oſtentatione facilis pactionis ab hoſtibus elu-

A.C. 1675 *si Moschoviticorum auxiliorum promissis frustra illecti, ab omnibus Principibus Christianis sæcularibus derelicti, in gravissimas adeo calamitates decidimus, ut prævalente numerosissimo Turcarum & Tartarorum exercitu, nostro autem ad exiguum redacto, nervoq; belli penitus deficiente, in præcipiti extrema fata, & excidium florentissimi quondam Regni (nisi DEUS avertat) metuamus. Non ignoro ferv*ente *nunc quàm maximo Christianitatis bello, consilia & arma Sacræ Mtis Vræ Cæsareæ aliò distrahi, vicinitatis & necessitudinum motivis, ac magnitudine periculorum advehor, ut de præsenti afflictissimo Patriæ nostræ statu, Sacram Mtem Vram Cæsaream certiorem reddam, simulq; repræsentem, quanta brevi pernicies Christianæ Reipub. impendeat, cum ingenti bellatore populo, Cosacis, & Turcis victor Turca augebitur, cùm fractis, quæ formidini adhuc & repagulo erunt, Polonorum viribus, expeditisq; Camenecia, ac alias per arces, armamentarijs, quasi apertâ per eversam Poloniam portâ, ubivis & quandocunq; libuerit, in conterminas provincias facilis bellorum via teterrimo hosti pandetur. Ac licet ea sit obstinatio animorum, & armorum Christianorum, ut fragore cadentis Poloniæ, minimè excitentur, consultum tamen visum Sacræ Mtis Vræ Cæsareæ, notam & expertam compellare benevolentiam, ne rem Polonam, sine ulla prorsus cura, & sine aliquo charitativo subsidio, nobis opportuno auxilio, relinquere dignetur. Occurret facile prudentia Sacræ Cæsareæ Mtis Vræ modus, quo non gravi suo dispendio, nobis opportuno auxilio, Christiana vicinia, & pridem amica Natio, in extrema necessitate sublevetur. Quod majori quantum possum contentione, pro Officio meo exorans Sacræ Mti Vræ Cæsareæ, cum longæva incolumitate prosperrimos rerum successus auguror, meorumq; obsequiorum demissionem gratiæ Cæsareæ Sacræ Mtis Vræ humillimè commendo.*

EJUSDEM, AD CARDINALEM ALTIERI.

Lovicij 25 Septemb.

AMicorum literis ab Urbe edoceor designatam esse Eminentiam Vrã Plenipotentem in controversia quadam Præeminentiæ, ab Episcopo Cracovienſi, Archiepiscopis Gnesnensibus intentata, veneror licet ignotus, sublimem personam Eminentiæ Vræ, cujus protectioni Archiepiscopatus mei Legationis Natæ, Primatis, primique in Regno Poloniæ Principatûs jura & prærogativas reverenter comendo. Intellexi ibidem Illustrissimos DD. Nuntium Apostolicum Bonuisium, Episcopũ Cracovienſem scripsisse Romam, me negotium istud minimè curare, exindeque negligentiæ cujusdam, an & contemptus invidiâ nomen onerari meum, aliter rem se habere paucis demonstro. Licet enim (fateor) non responderim scripto ad Epistolam memorati D. Nuncij, propter denegatos mihi competentes titulos legati nati, primiq; Principis, verbo tamen per ablegatum Varsaviam Ministrum meum Canonicum Lupini informavi, utq; in arenam litigij non descendens, prout anteceſſores mei poſſidebant, ita poſſideam, rogavi. Discursum etiam satis copiosum de

Præ-

Præeminentijs Archiepiſcopi Gneſnenſis, operâ D. Abbatis de Baſchis advocati Romani, pridem ſcriptum, Romæq; impreſſum præſentari feci, quem Dominus Nuntius recepit. Adhibui de hinc diligentiam, miſſo in remotiorem civitatem Gneſnenſem idoneo & perito homine, qui Archivum Capituli Gneſnenſis evolveret, & Privilegia mea deſcriberet, quo peracto ſcriptionem prolixam de Juribus & prærogativis Archiepiſcopalibus, cum authenticis nonnullorum Privilegiorum tranſumptis per Canonicos meos Gneſnenſes, Stanislaum Witwicki Præpoſitum Infulatum Olicenſem, Stanislaum Buzenski Cancellariæ Regni Regentem, ad manꝰ *D:* Nuntij miſi, quæ ſcripta utrum ille Romam tranſmiſerit, an fortè celaverit inconpertum habeo. De Epiſcopi Cracovienſis inani quodam ambitu, aliquid inaudiveram, ſed propoſitionem ejus, nullam omnino vidi, & legi. Nulla citatione ad Tribunal Romanum vocatus ſum, clanculum à Lovicio meo cum Romana Curia correſpondentiæ. Equidē dolendum eſt, triſtiſſimis iſtis, ac prope labentibus Poloniæ rebus, Epiſcopum Cracovienſem ambitione efferri, & litigiorum turbas concitare, cujus Anteceſſores ornatiſſimi Præſules, nullam tot ſæculis controverſiam Archiepiſcopis movebant, eorumq; dignitatem & Authoritatem Cracoviæ ac in Diœceſi ſua reverenter obſervabant. Quinque Coronationes meâ jam memoriâ, per Archiepiſcopos Gneſnenſes celebratæ fuerunt, Regum videlicet Caſimiri & Michaelis, Reginarum, Cæciliæ, Ludovicæ, Eleonoræ, interfui omnibus, neque tamen contra antecedaneos meos, de prætenſione Epiſcoporum Cracovienſium quidquam inaudivi. Agitur nō de Cracovienſi duntaxat, ſed de Poſnanienſi & Uilnenſi Diœceſibus in quibus comitia Ordinum Regni haberi receptum eſt. Quantum interſit Religioni Reipublicæ, Archiepiſcopum Primatem comitiis præſentem adeſſe, nemo vel modicè de rebus Poloniæ informatus negaverit, quodſi prærogativæ, Iuriſdictoni, & auctoritati meæ Primatiali, per Epiſcopos detrahatur, mihi omnino publico abſtinendi, & comitiorum extra Diœceſim meam, curam deferendi, neceſſitas imponeretur, unde colliſio ſtatuum, & maxima ſcandala, multa Religioni & Reipublicæ detrimenta prævideri debent. Vetera exempla exiſtunt, quàm zelozè & acerrimè ordines Regni dignitatem Primatuum Poloniæ tutabantur. Cardinali Sbigneo Epiſcopo Cracovienſi præcellentiam in ſenatu & publicis actibus negaverunt, Decretoq; comitiorum pro Archiepiſcopi Primatu & præcellentia contra Cardinalem pro tunc & in perpetuum definiverunt. Concilium Tridentinum, nihil expreſſum habet contra Primates, & Legatos Natos, quæ non vana nominatio Archiepiſcopi Gneſnenſis, præferri Privilegium à Romanis Pontificibus conceſſum, & alia cōmunicata. Ultra cum non ignoretis, de officio legati manifeſtè deducunt, an non etiam periculoſum ſit diſputationi locum præbere: Utrum Rex & Ordines ſæculares Poloniæ, Concilij Tridentini Reformationum decretis ligentur? (cum nullibi in actis, & Decretis publicis exſtet à Rege & Ordinibus ſæcularibus acceptum eſſe) prudentiæ quorum intereſt expendendum relinquo. De cætero, uti cauſam hanc ita me ipſum gratiæ & protectioni Eminentiæ Vræ iterum, iterumque commendo. A. C. 1675

SERMO CELSISSIMI PRINCIPIS OLSZOVII ARCHIEPISCOPI GNESNENSIS, AD CAPITULUM GNESNENSE.

EGredientem de thalamo ſuo ſponſam ſacro nec ſolubili fœdere mihi junctam, incertus animi, mediuſq; inter lætitiam & formidinem ſaluto. Magna oboritur lætitiæ cauſa, dum ſponſam

A.C. 1675 ſam cogito, amicam meam, dilectam meam. Recreat illa diffunditq; animum ſpecioſâ formâ ſine macula & ruga, ornata monilibus ſuis, S. Adalberti purpurata ſangvine, ſeptem ſæculorum emerita dignitate, Legatione, Primatu, Principatu eminentiſſima; duorum de ſexaginta Archi Præſulum non interruptis, neque adumbratis ſplendoribus tanquam maritorum radijs coruſcans. Nec leve momentum adjicitis vos Venerabilis Prælatorum & Canonicorum corona, ſacræ iſtius Baſilicæ decora, Senatus meus, quorum ego exaggerarum facundo ſermone affectum, ac nuncupara vota libens, lætus excipio. Sed alterâ ſubinde parte non deſunt cauſæ, & graves, quæ lætitiam tantam non nihil dubiam mihi faciant, animumque formidine reſtringant meum, quod ille rectè monet, & cum cura exiſtimo quis ego ſim, homo, peccator, quibus humeris tam immenſo, &, quod non viribus iſtis conveniat, ponderi ſuccollem, parvis, vacillantibus, quo temporis, quove rerum Patriæ ſtatu Primatialem dignitatem capeſſam, miſero, ancipiti, ne dum perdito, altiſſimis faſtigijs fermè profunda, ac prærupta adjacent; turbines, empeſtateſque ſororeæ illa aſſiduè impetunt. Hoc ſupremo in rebus Polonis, viri duntaxat Regiæ Majeſtati ſecundo culmine, niſi virtutis firmum pedem defigas, decidas, niſi pervigilem & ſpeculatorem oculum rectà ubivis torqueas, detorqueas, niſi probitate, doctrinâ, doribuſque egregijs animos, oculosque omnium in te unum verras, teque, tuaque cuncta pervertas. Arduum inde & lubricum dignè gerendi Archiepiſcopatûs negotiũ non jam metu recipio, animo tamen erigor, arque ab ipſa difficultate excitare virtutem, acuere induſtriam deliberatum, decretumq; eſt. Non excidit memori mente, neque niſi cum vita exringvi poterit, quod à teneris annis pectori altè impreſſum gero; primùm mihi admodùm adoleſcenti in Principe hac Baſilica, in Collegio Metropolitano Sacerdotium fuiſſe, primum hunc vix octodecenni fortunæ & honoris gradum, à quo magnis paſſibus ad uſque iſtud fortunarum, & honoris faſtigium, quo non datur ultra DEO, & fato propitio alcendi, Alumnus fui, & Nutritius Eccleſiæ Metropolitanæ, cui nunc indignus Sponſus adſcitus ſum, Con-Canonicus veſter vixi, quorum Archi-Præſul, Primas audio, neque novum me hoſpitem ampliſſima Archi-Diœceſis habet, illa mihi natale ſolum, fortunarumque avita ſedes, illa rudimentum & tyrocinium fuit, in qua magnæ ſanctitatis Archi-Epiſcopi Lubinij curiæ Cancellarium agens non nihil tanto Magiſtro regimini & curis Pontificijs inſvevi, meque illa Palæſtra portans jugum ab adoleſcentia, ad gubernandas Diœceſes exercui. Ergo magno DEo fretus, ingentem ſumo animum onuſque vel Angelicis humeris formidandum non refugiens, Divinam imprimis clementiam humili cultu, indignâ prece venerot, providentiam & virtutem ex alto, quæ in parvis magna operari amat, in me exerceat,

ſit, mentemque boni & æqui intelligentem non gratiæ, non odio, aut pravo cuilibet affectui obnoxiam, conſtantem adverſus metus, pro veritate & juſtitia invictam mihi donet. Cælorum item Auguſtiſſimæ Reginæ Archi-patronæ meæ, Divi Adalberti, Divorum Tutelarium & indigetum templi, ac Regni, validam opem advoco. Vos porrò Venerabile Capitulum, ac univerſum Clerum ſæculare, & regularem, fratres, & in vinea Domini cooperarios meos amanter rogo, hortorque, conatus noſtros pro gloria DEI, laboribus, ſtudijs, conſilijs juvare nitamini, hoc agamus, quàm quiſq; poſſumus, ut veræ & unicæ Religionis, extra quam nulla Religio, ſed cæca confuſio eſt, cultus efflореſcat, ira in nos, in Patriam noſtram numinis ſacrificijs placetur, Magni Regis noſtri, exercitusq; fortiſſimi ſuffragiorum pietate & fervore corroborentur, manus ad prælium, & digiti ad ſacrum bellum. Diſciplina Canonica revigeat, jura Eccleſiæ vindicentur, zelus cum ratione temperatus ardeat, mores ad priſcam normam, ad ſacrorum Canonum amuſſim formentur, ut, qui ex adverſo ſunt, vereantur, nihil habentes dicere malum de nobis, neque cupiditatem mundi in nobis formare, quàm charitatem DEI flagrare, graviſſima Auguſtini cenſurâ arguantur. Hoc voto, quod jam dictionis reliquum eſt, ſanctæ univerſali Eccleſiæ, Sedi Apoſtolicæ ſponſæ meæ Gneſnenſi intaminatam fidem, & Pontificium zelum, Patriæ amantiſſimæ, cujus ſalute & libertate, ſacrorum noſtrorum integritas, & tutela conſtat, indefeſſam Primatialem operam; Venerabili Capitulo, nec non Clero Archi-Diœceſano fraternam charitatem, vobis Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Antiſtites Regni, multâ amicitiâ & amore mihi junctiſſimi Suffraganei, Abbates, Præpoſiti, Infulati, Excellentiſſimi Domini Senatores, Palatini, Caſtellani, Officiales in procuranda Repub. Conſocij, tibi præprimis Ornatiſſime Collega Magne Regni Cancellarie, qui, ut honorem meum inſigni præſentiâ adornares gravi ætati, & valetudini parcere neglexiſti; Vobis lectiſſimi & nobiliſſimi Equites, quorum pleroſque nota in aula, Comitijs, caſtris, exercitaque amicitia, alios propinquus ſangvis, & privata neceſſitudo, omnes ſummâ erga me benevolentiâ concelebrando, primo ad ſponſam meam ingreſſui immemorabili frequentiâ excivit gratiſſimam, & victuram, donec mortalis ero, teſtati officij memoriam obligatique animi mei devotionem addico & conſecro. A.C. 1675

COPIA LITERARUM SACRÆ CÆSAREÆ MTIS AD PRIMATEM ANDREAM OLSZOVIUM

Leopoldus Divinâ favente clementiâ Electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus &c.

Poſt titulos. Quo animi noſtri ſenſu ea, quæ literis ſuis decimâ quartâ Menſis Auguſti proximè præterlapſi datis Reverendiſſima Paternitas Veſtra

A.C. 1675 Veſtra, cùm ex Primatiali ſuo officio tum Regni Senatorum Varſaviæ congregatorum ſententia de afflicto Regni illius ac in præceps inclinante ſtatu nuntiare voluit, perceperimus, quibuſq; curis & anxietate ex interno, quod totam Chriſtianitatem perſtrepit, viſceraq; & nervos depaſcitur, bello impleti fuerimus, quivis alius, ne dum Reverendiſſima Paternitas Veſtra facile æſtimat; quippe, cui optimè cognitum eſſe debet, quòd Regno huic inclyto nulla non occaſione, curarum, viriumq; ac extrema etiam opis libenter impenderimus, ut vel eò magis inpræſentiarũ nos cruciet, quod à cauſa communi illic defendenda, dum pax Chriſtiana ex DEi munere, noſtroque unico voto reſarciatur, vires noſtras malo hoc vel ipſa Paternitas Veſtra Reverendiſſima id prudenter agnoſcẽte, nimis quantum diſtentas ſentiamus. Qui cæteroquin tamen, quantum rerum ſtatus permittet, operam ſemper dabimus, quo priſtinus affectus noſter, ac benevolentiſſimi Vicini ſtudium cùm Paternitati Vræ Reverendiſſimæ, tum univerſo Regno illi maneat probatiſſimum, reciprocam inde vicinitatem atq; correſpondentiam meritò nobis promittentes. Quod ipſum dum noſter ad aulam illam Regiam miſſus reſidens Conſiliarius noſter honorabilis, fidelis nobis dilectus Joannes Chriſtophorus de Zierowe Zierowski pluribus explicabit, facilem ei, amicamque aurem à Reverendiſſima Paternitate Vra præberi cupimus. Cui, quod reliquum eſt, gratiæ ac benevolẽtiæ noſtræ Cæſareæ affectum confirmamus. Datum Viennæ die 4. Septemb. Anno Regnorum noſtrorum, Romani 10mo, Hungarici 21mo. Bohemici verò 19no.

ANDREÆ OLSZOWSKI ARCHIEPISCOPI GNESNENSIS, AD PALATINUM CULMENSEM. 7. Nov.

REdux Gneſna trinas à te datas inveni, cum pleniſſima geſtorum belli, ad 22. Octob: relatione, pro qua demiſſas refero grates. Intanta propinquitate jam fortè finita eſt transactio, aut propè finienda, faxit DEus ſine ſangvine Civium, & cum concluſione ſaltem qualiſcunq; pacis; diu enim cum Turcis belligerando ſuccumbemus, ſine nervo, ſine ſubſidiis, ſine ſecundantibus, &, ſi armiſtitium ad annos aliquot conſtitutum fuerit, nec id, meo conſilio, eſſet contemnendum, priuſquam Chriſtianitas componatur, & diverſio aliqua Turcis præparetur: Nunc forſan Turcæ, & Tartari facillimè inducias poſſent arripere, propter convertendum bellum contra Moſchum, dummodo nos ſecum in ſocietatem non trahant; quemadmodum ſenio provectus homo, non cogitans rejuveneſcere, adhibet tantummodo media conſervandæ vitæ, in quocunq; ſtatu, ita priſtinus Reipub: ſtatus fruſtra forſan ſperandus eſſet, ſufficiet, ſi id, quod adhuc ſupereſt ſolvetur, ne reliquum amittamus, niſi Omnipotentia DEi, & fortuna ac prudentia Regiæ Mtis, aliquid ſupra vires & ſpem hominum effecerit, Univerſales pro Comitiolis ſperavi me inventurum, quæ nulla mora, ſvadeo ad acta præmittere, tempus erit poſtea, & lævior labor in tranſmittendis ad ſuperiores Senatores, in Palatinatibus reſidentes, inſtructionibus cum Credentialibus, pro Legatis ad Regem. Præſtat his temporibus inſtructiones publicas, quàm occluſas literas expediri. Materies Conſilij in Comitiolis & Comitiis erit ſtipendium Exercitui; defenſio Reipublicæ, expeditio bellica, ſive in vim communis motus, data optione, ſive, cui domeſtica commoda, juxta verba conſtitutionis 1658 placent; ex Perſonis & facultatibus juſtæ expeditionis, ſive more Majorum univerſæ nobilitatis motus, emendata tamen conſtitutione imperfecta anni 1621 Reſtitutio

Materia in Comitiolis & Comitiis

ſtitutio magnarum expenſarum Regiæ Mti: Adinventio proviſionis Reginæ Eleonoræ, exonerando œconomias ſupra modum depauperatas. Multa puncta & privata deſideria proponi ſvadeo, nec juris patronatûs fieri mentionem, ſe ipſis hæc, uti & aliæ materiæ ex articulis Comitiorum evolventur. Audivi quorundam ſenſum, cui ſubſcribo, ut Rex trium duntaxat ſeptimanarum indicat Comitia Coronationis. Contigit mihi legiſſe literas Epiſcopi Cracovienſis ad ſupremum Regni Theſaurarium, quibus affirmat, Regem declaràſſe paſſivè ſe & indifferenter habiturum, ratione Internuntij, nec ſe eſſe conſcium literariæ inhibitionis Juriſtis, adeoq; ſubreptitiè factæ; Si quæ eſt declaratio Regia, intelligas peto, meq; certiorem facere non graveris, ut etiam ego, quemadmodum in omnibus, ita in hoc conformem me beneplacito Principis: Terminus hic, paſſivè, ſignificat manſurum Internuntium, judiciaque, & negotia tractaturum; quod indignum & præjudicioſum eſſe, ſolidis rationibus, ſuper quibus factæ Romæ reflexiones, demonſtravi. Admirationem meretur, ſcandali plena inconſtantia, ne dicam malitia hujus obſtinati in ſuo ſenſu Epiſcopi, qui ante, plus aliis oppugnabat Internuntium, literasq; publicas ad Summum Pontificem nomine Epiſcoporum in Comitiis, ſubſcriptas, ipſe concepit: Nunc mihi contrariandi ſtudio aliter ſentit, & ſvadet. Omnes alij Epiſcopi, & Adminiſtratores ſedium vacantium rationes meas approbârunt; Suffraganeus Cracovienſis, Prælatus pietati apprimè deditus, ſuo & cleri Cracovienſis nomine egit mihi gratias, quod Internuntio reſtiterim. Suppono, Romam, de hac Regis declaratione ſcripſiſſe, Epiſcopum Cracovienſem, dando me ad invidiam, at ego fido Principi, tuisq; literis, ac Palatini Poſnanienſis. Interrogandus forſitan eſſet Przeborowski, & Sbąski Correſpondentes Epiſcopi Cracavienſis, an non, & quo tenore ad eum ſcripſerint? Quanquam finietur hæc brevi controverſia, jam adveniente in Poloniam Nuntio Martellio; de cujus adventu, & ſuſceptione (poſtpoſita inſtantia Regis pro Ranucio, & nulla ſatisfactione pro Romanis præjudiciis, pro exorbitantiis Bonviſi) ſcribere nihil audeo. Si bellum Turcicum finitum non fuerit, ſum Conſilio, ut Mtas Regia officiis literariis, &, ſi eſſet poſſibile per Ablegationes, negotium pacificandæ Chriſtianitatis promoveat, & per tractatum obligentur Principes Chriſtiani, ad ſuccurrendum Poloniæ; bonum eſſet ad tractatus ex parte Poloniæ habere Miniſtros: Deberent Abbates hujuſmodi obſequia, ſuis præſtare ſumptibus, aut ex proventibus propriis idoneis ſubjectis ſumptum ſuppeditare. *A. C. 1675*

AD SERENISS: REGEM ANGLIÆ ANNUNTIATORIA de rebus bene geſtis in Vcraina, & tempore Coronationis. Ex Caſtris ad fluvium Zbrucz in Podolia 7 Novemb.

JOANNES III. DEI Gratiâ Rex Poloniæ &c. Sereniſſimo, & Potentiſſimo Principi Dno Carolo eâdem gratiâ Magnæ Britanniæ, & Hyberniæ Regi, Fidei defenſori, Fratri Nro chariſſimo ſalutem ac mutui affectûs continuum incrementum.

POſtquam DEO, Patriæ, imò rei Chriſtianæ litatum, hoſtis vel in hoſtiam cæſus, vel in Tauricam pulſus, vel ultra Tyram & Danubium ejectus; orbis æmulus, experiundo didicit, nihil tam firmum, cui periculum non ſit, etiam ab invalido. Ucrainâ omni,

A. C. 1675 omni, quam uſurpaverat, exutus; campis Podoliæ, Daciâ, & Baſſarabiâ everſis exolvit. Ætatis prædo, præda ipſe autumni. Nidificet licet adhuc Cameneci, quod ſtupore, non armis ceperat, ſtupere ipſe coactus. Trembovliam nuper per quindecim dies ab octoginta ſclopetarijs, contra omnem vim, & Regnorum victores ſine vallo defenſam; binorum ab Electione annorum caſtra noſtra vice variâ aſtra exercebant, gelu horrida, æſtate torrida, ſolitudine famelica, videbantur. Nihilominus ope Angelicâ dum ſocij ſubvenire deliberant, veniam orant Rebelles. Fana & delubra Mahometica cremantur. Oriens Regni ſpe inescatus, unius Cameneci unâ petrâ, & ſilice veſcitur. Ni puderet linquendo, quo exhauritur, non nititur, pœniteret. Hæc propitium dedit Numen, quod mereri, quàm coronari elegiſſemus. Coronandi tamen labores, caputq; redimiendum ferimus tandem Cracoviam Regni Metropolim, Actus ſolennitati, ſecundam Februarij anni futuri præfigentes. Utrumque Mti Vræ pro mutuo in rem Chriſtianam zelo communicandum rati ſumus. Pleni ſpei, eandem Nobis, ut in commune merenti amico ſtudio, ac favore, hoſtibus in terrorem, mutuo ſtatui, ac conditioni in decus, & honorem aſtituram. Cui proſperrima quæque à DEI benignitate, ac imprimis bonam valetudinem apprecamur.

ANDREÆ OLSZOWSKI ARCHIEPISCOPI GNESNENSIS, LITERÆ AD EPISCOPUM VILNENSEM

REdijt Cancellarius meus Javoroviâ, à Rege bene ſuſceptus & auditus. Excuſavit abundè Regia Majeſtas realem ſtylum ſuarum literarum, quæ non ex intentione, nec conſvetudine Regiæ Mtis, ſed ex natura materiæ eſſe debebant, aut videri, acriores. Tulit mihi idem Zaluſcius copiam literarum, & ordinationis Regiæ de data 15 Junij ad Palatinum Vilnenſem. Non erat Rex contentus punctis quibuſdam à te affirmativè ſcriptis, ſcilicet quod officiales Litvani Exercitûs vocati non fuerint ad conſilia, eaq; ſecretiora; quod majorem reſpectum Poloni Heroes Litvanis experti fuerint; quod ex contextu Regij reſponſi intelliges. De expeditione Commiſſariorum ad œconomiam Mohilovienſem, innotuit mihi jam poſt abitum ad Aulam Zaſuſcij. Contulit mecum Varſaviæ Cancellarius M. D. L. hac in materia, non negando licere Reip. mittere Commiſſarios pro reviſione, diſponereq; de bonis proprijs œconomicis, inferendo tantum poſſe majoris arendæ quotam imponi Palatino, non ei tollendo de manibus adminiſtrationem. Nunc habita copia literarum ejus de data 22. Junij, laudare nequeo hujuſmodi per abruptũ, proceſſum, & injuſtam convulſionis jurium objectionem, notæ orbi integritati, judicio, & moderationi Regiæ Majeſtatis. Sigillo conclavis ad cauſas publicas uti vetant pacta conventa: ſimiliter Arendarij ad aliquot annos contractus ſigillo Regni in Polonia, M. D. L. in Litvania pro ſecuritate Arendantium firmari petunt. Non licere tamen ad privatas cauſas nominatim Oeconomiæ, ad reviſionem rei familiaris, ad ordinationem proventuum Domini, inſtrumenta cum ſigillo conclavis evehere, Commiſſarios ad bona expedire, Adminiſtratores ad tempus inſtituere, erroneè, & contra praxim allegatur: aliàs etiam literas publi-

Sigillum conclavis

cas

cas ſcribere, res belli & ſtatûs tractare, ordinationes Ducibus & Exer- *A.C.* 1675
citui dare, irritum foret eo prætextu, quòd ſine magno ſigillo pro injuria legum, diminutione officiorum, reputare, non æſtimare, eiſq; non obedire, impune liceret. Mittit Majeſtas Regia Commiſſarios ſuos ad œconomias de illiſq; liberè diſponit; nemo tamen, nullitatem inſtrumentis & illegitimitatem objicit Commiſſarijs. Cauti Gedanenſes, juxta ſuas leges non niſi capiti Coronato proventum Fontcameræ tenentur extradere; ex novo nihilominus prolongatæ Coronationis emergenti, ad ordinationem & quietationem cum ſigillo conclavis, ſummam ad ærarium Regis comportarunt; ſcripta publica Principis, tam magiſtratus quam communitas, præter morem & jura ſua acceptârunt, illaq; typo expreſſa, ad effectum deducunt. Magna profecto hinc inconvenientia, & multarum ex privatis rationibus quæſita, cauſa diffidentiarum, cum irreparabili Patriæ, defenſione ſua deluſæ, damno: dum Rex ſuarum rerum Arbiter ſuos vult proventus perſpectos habere, ſine quibus dignitas Regis, & Reipubl: ſubſiſtere nequit. Ignotum nemini, quàm nociva & probroſa fuerit egeſtas Regis p. m. Michàëlis, cui vix aliquid & penè pro libitu tenentium, ex œconomijs dabatur; nulla legum reverentia, leves arendas ſeverè prohibentium, nulla Religione ſenatorij juramenti, in his expreſſis verbis: utilitates S. Ræ Majeſtatis augmentabo. Et alio in loco: pro ſuæ Majeſtatis proventibus fideliter conſulam. Non ergo ſenſu meo hanc eſſe ſummam injuriam, ut Palatinus allegat, judico, quando Rex jure ſuo utitur, egere non vult, nec debet, cum ſine proventu non tantum regnare, verùm etiam vivere ſit difficile. Videns itaq; errore errorem trudi, opto remedium à perſvaſione & authoritate tua, tanquam in ſenatu M. D. L. & in domo propria Principis perſonæ. Melius eſſet meo judicio precario cum Rege procedere, properare cum prompto Exercitu ad obſequia Regis & Reipub: procurare decenter prorogationem adminiſtrationis, aut arendæ juſto contractu, ſine enormi læſione, legibus & conſcientiæ repugnante.

EJUSDEM AD ARCHIEPISCOPUM STRIGONIENSEM. 19. Novembris.

CUM in Electoralibus Imperij Comitiis Francofurti ad Mænum, ac iterum Viennæ Ablegatum Regis Poloniæ extraordinarium agerem Illuſt: ac Excell: & Rñdmæ Dõnis V. erga me gratiam & amicitiam expertus ſum, neq; memoriâ excidit, Excell: Veſtram Præſulatûs in Patria honorem, provectioribus annis, & meritis, mihi benevolè auguratam fuiſſe. Exinde animo meo hæret, ſublimis Excellentiæ V. dignitas, doctrinæ omniumq; virtutum & meritorum præſtantia, ac propenſa erga me humanitas. Ergo animum ſumo ſcribendi ad Excell: V. prensãdæq; amicitiæquã inter Strigoniensẽ & Gneſnensẽ Archiepiſcopos, antiquitus viguiſſe documentis authenticis comperio, documentum hocce mitto; deſcripta legationis meæ natæ privilegia, quæ Gneſnenſem à Strigonienſi Archipræſule, ſibi Eccleſiæq; ſuæ derivâſſe clarè deducitur. Prodeunte itaq; libro de Primatu Regni Poloniæ, non mediocriter me fulſit prærogativæ Strigonienſis authoritas, tot vetuſtis Pontificum Diplomatibus firmata. Non dubito Originalia in Archivo Archipræſulienſi. Excell: Vræ in hunc uſq; diem ſervari, quorum in Archivo Gnesnenſi authenticum inſtrumentum in pargameno habemus. Audeo inſuper orare, ſi quid ultra privilegiorum, vel probationum ſuper uſu Primatis,

A.C. 1675 matis, ac legationis natæ in Regno Ungariæ, Excell: Vra habeat, mihi pro aſſerendis juribus ac prærogativis Primatum, & legatorum natorum, quàm primum communicare ne gravetur, curam ad me transmittendi communis diligentiæ, D. Baronis de Siri, Polonici ad aulam Cæſaream reſidentis, communis hæc cauſa videtur, neq; honor Eccleſiæ Gneſnenſis, augeri, diminui, niſi ut Strigonienſis quodamodo creſcat, decreſcatq;. Excuſet fiduciam Excell: Vra, meq; perenni porrò amicitia proſequatur. De cætero Excell: Vræ longævos annos ex animo apprecor, ac meam devotiſſimam offero promptitudinem.

ANDREÆ OLSZOWSKI ARCHIEPISCOPI GNESNENSIS AD COMITIOLA CORONATIONIS

IN primo Primatialis dignitatis ingreſſu, conveniens cenſeo fraterna ſalutatione inclytum veſtrum gremium venerari, ſubmittendo vice mei, cum Archiepiſcopali benedictione intima vota, ut ſpiritus conſilij & concordiæ, dirigat omnes intentiones veſtras, ad unicum centrũ gloriæ Dei, boni publici, & ſublevandæ ab ultimo interitu Patriæ. Inſtructio Regia ſat diſerta & expreſſa, non indiget inani verborum meorum, & inſveta genio meo, hautologia. Propoſitam comitiorum abbreviationem boni velitis conſulere, pro temporis ratione, & pro exemplo Magni Regis Vladislai, qui; ut mihi legiſſe contigit, propter bellũ Moſchoviticum, Comitia Coronationis trium ſeptimanarum Comitiolis propoſuit. Bellum Turcicum extremum judicij diem veteres appellabant Poloni; comparandi ergo animi, conſilia, & vires, ad reprimendam formidabilem potentiam, cui nullus Principum ſe ſolo reſtitit: ſummi Pontifices & Roma, Saracenis; Conſtantinopolis, Vienna, aliæq; Monarchiæ Turcis tributa annua in redemptionem concedere, probro ſibi non ducebant: avertet id extremom à nobis omnipotens Deus, ſi omnes ex facultatibus noſtris aliquid contribuerimus, ad defenſionem S. fidei; charæq; Patriæ. Non expedit meo judicio ſcribere Nuntijs publicos articulos, de medijs pacis, vel belli; ſed Romanam illam dare inſtructionem: viderint ne quid Reſpub. detrimenti capiat, exemplo verò omnium conſtitutionem de bellis Turcicis, delegare authoritate Comitiorum ad latus Regium, pro ſemper belli, paciſq; Arbitros. Commiſſionem ad ſolvendum ſtipendium, optarem ſub tempus Comitiorũ celebrari; hoc enim modo retenta in Palatinatibus, peculatus exactorũ, & quomodo unumquodq; vexillum ſerviverit, præſertim verò intolerabiles, nec in ullo Regno auditu Regiminum diſordines, Officialium exorbitantiæ, authorantium rapinæ, facillimè manifeſtari & computari poterunt; ad occurrendum verò rapinis graſſantium ſupplementorum judicarem forum per jus deſignandum eſſe in actis caſtrenſibus, citatione, & termino peremptorio, etiamſi ſalva appellatione ad Ducalia judicia, cum parata inquiſitione. Modus verò executionis placuit mihi in Pruſſia, ubi ad caſtrenſes Palatinorum univerſales, quiſq; nobilium ſe ſiſtere, aut bene armatum expedire, ſub pœna irremiſſibili 15 aureorum, tenetur. Cauſas ordinationum, ne Reipub. creent difficultatem, per ſecretos calculos in Comitijs decidere, compendioſum & conſultũ duxerim. Cauſarum Tribunalitiarum immenſa farrago, tamq; ſerus, non niſi poſt aliquot annorum decades turnus, promptum Palatinatuum requirit remedium, quod efficaciſſimum, per continuationem toto anno Petricovienſis, & Lublinenſis Tribunalium innovando poſt ſingula ſeme-

meſtria Deputatos. Compellatus ſum ab inſigni quodam Senatore, ut promoverem ad Comitiola articulum, ne Magiſtratus ſupremi ſint perennes. Experientiâ didicimus multis in hac Patria exemplis ea, quæ convertuntur, in deterius mutari; æſtimando tamen tantæ authoritatis rationes, ſubmitto eas diſcurſui Comitiorum, & conſenſui totius Reip. ſalvis modernis poſſeſſoribus. Non leve id quoque ab eodem Senatore propoſitum judico ut æqualis ſit per totam Poloniam modius, cenſerem eſſe Gedanenſem. Legatus Electoris Brandeburgici, poſt felicem Regis Electionem obtrudebat nomine ſui Principalis in ſcripto cum antidata ſuffragium electorale, cujus habeo copiam, circumſpectio & incorrupta rectitudo Theſaurarij curiæ M. D. L. Mareſchalci Electionis, non acceptavit illud tentamentum, remq; aperuit Regi, nobiſque ſignaturæ Miniſtris: rejectus ergo importunus ſuffragator, quod, quàm nocivum ſit Reipub. Vræ defero conſultationi, veſtri ſit judicij ſive diſſimulare, ſive pupillam libertatis liberam Electionem omni meliore modo roborare, & renovare. Quorundam Religioſorum ambitu jus Patronatus Regium penitus eſt convulſum, intruſi Jędrzejoviam, Koroſzoviam, Mſtoviam, Hebdoviam, & in Czerzycenſem coadjutoriam ſine præſentatione Regia Abbates, & quidem duo poſtremi, fors etiam genere impares; emanarunt duo decreta rotæ Romanæ, quibus ex ſiniſtra informatione abjudicatus Rex jure patronatûs, ea potiſſimum de cauſa, quod non habeant privilegium à Pontifice in limine fundationis; quodve Reges Poloniæ commendaverint, non nominaverint eligendos Abbates. Non tam ergo ex meo intereſſe, quod minoris duco, quàm ex obligatione boni civis, & juramento Regi & Reipub. Senatoris, hac in parte præmoneo, ut præjudicio Mtis indigno, Religioſorum auſui, exinanitioni Poloniæ per litigia (ut enim mihi conſtat ex calculatione ſola Jędrzejovienſis cauſa 70000 flor. inſumpſit) occurrant Comitia, Primatialis prærogativa varijs modis domi foriſq; impetitur: ſequor exempla magnorum Archiepiſcoporum in tali caſu, præſidium Reipub. ſi opus fuerit, pro defenſione invoco: publica res agitur. Dignitatem Primatialem pro cardine libertatis, pro decore gentis inclyti Majores Vri ſemper judicabant pro eaque ſe magnanimè opponebant, cujus documenta cum juribus meis in publicum dabo minimè dubius, me fraterno favore veſtro, non deſerendum contra quoſcunque oppugnatores, uti nec ego jura, libertates nobilium bonique publici partes deſeram.

A.C. 1675

COPIA LITERARUM REGIS JOANNIS III. AD CARDINALEM URSINI. Cracoviæ 28. Martij.

Poſtpoſitio armorum

CUM primùm innotuit Epiſcopis & Senatoribus Regni noſtri Diploma Protectoratûs Poloniæ, illis inſciis in Perſonam Illuſtritatis V. à nobis nuperrimè ſubſcriptum, & innovatum eſſe ſe graviter nobis expoſuerunt maximum dignitatis noſtræ Regiæ totiusq; Regni honoris præjudicium, & dedecus in eo verti, quòd Illtas Vra arma Poloniæ Portæ nobiliori Palatij ſui præfixa, in ſiniſtram partem transferre, ac dehinc inferiore loco deponere, & tali facto dehoneſtare in animum induxerit. Quo nomine tam eorundem Senatorum, quàm Equeſtris Ordinis publica in Comitiis modernis Coronationis noſtræ poſtulatio intervenit, ne talem poſtpoſitionis in-

A.C. 1675 *juriam, ſilentio, & diſſimulatione omittamus; Sed potiùs decenti, & opportuno modo dignitati noſtræ Regiæ, ac totius Nationis honori conſulendo armorum noſtrorum præcellentiam in integrum reſtitui curemus. Equidem magni à nobis æſtimatur Principis Familia, & meritorum Illtis V. claritudo, ſed honoris imprimis noſtri condigno ſenſu, & ſtimulo permoti, ac prætactæ Ordinum petitioni meritò concedentes, requirimus ab Illte V, arma Poloniæ in eum locum, in quo à principio Protectoratûs ſui fuerunt, & fulſerunt, decenter reſtituere ne gravetur. Non dubitamus Illtem V. expreſſæ huic voluntati noſtræ, & deſiderio Reipub: Polonæ indilatè ſatisfacturam. Boni porrò conſulet Illtas V. hanc retinendi honoris, (quo nihil carius habemus in vita) curam, neq; nobis eam neceſſitatem imponet, ut ex cauſa ulterioris poſtpoſitionis, ad ulteriora poſtremò remedia, nolentes volentes deſcendamus. De reliquo Illuſtritati Veſtræ incolumitatem, & proſpera quævis optamus.*

COPIA LITERARUM REGIS EJUSDEM JOANNIS III. AD CARDINALEM ALTIERI eâdem die.

Epiſtolam noſtram Regiam ad Cardinalem Urſinum innexo exemplari Illuſtritati Veſtræ communicamus. Intelliget Illuſtritas Vra, quàm præjudicioſam dignitati noſtræ, ac totius Regni noſtri honori, poſtpoſitionem armorum Poloniæ ducamus, ac niſi Nobis, ac Reipub: condigna ſatisfactio præſtetur, nos tale dehonestamentum diſſimulare, & tolerare minimè poſſe declaramus. Quod ut Suæ Sanctitati benevolè Illtas V. repræſentet, majorem in modum optantes: De reliquo Illuſtritati Veſtræ bonam valetudinem, & proſpera quævis apprecamur.

XXXV.

EXCERPTUM EX LITERIS ANDREÆ CHRYS: ZALUSKI AD VARIOS SCRIPTIS.

Relatio eorum quæ ab Ablegatione peracta intermedio inter Comitia coronationis tempore & ſub eadē intervenerunt.

An: 1675. & 1676. AB adventu meo in Patriam, cùm jam in Subdiaconum à Ranucio Nuntio Apoſtolico ordinatus eſſem; nihil prius habui, quàm ut in Diaconum & deinde in Presbyterum conſecrarer. Præſtitit id utrumq; mihi Avunculus jam Archi-Epiſcopus, ſub ſacri adventûs ferias Lubaviæ; ſecundùm quæ, nec ille, nec ego ultra in Culmenſi Diœceſi morati ſumus: Skiernievicios Primas, utpotè jam per bullas Romanas de poſſeſſione Archiepiſcopatûs ſecurus abijt; ego Thorunium movi: ut concreditum mihi ſcriniolum, in manus Eleonoræ Reginæ tum ibi habitantis ex diſpoſitione Reipub. conſignarem. Excepit humaniſſimè reducem prænominata Princeps, literiſque & ſcriniolo à Regina Hiſpaniæ ſibi tranſmiſſis læta, ad alia civilitatis argumenta pretioſum Latori adjecit annulum. Triduum ibi me tam ipſius Reginæ voluntas, quàm Magnatum præſentium detinu-

detinuit converſatio. Agebat Mareſchalcum aulæ Vladislaus Rey Pala- *A.C.* 1676
tinus Lublinenſis, pro Cancellario præerat Venceslaus Leſzczynski Abbas pro tunc Czervinenſis, qui poſtmodum in Luceorienſi Cathedra diem ſupremum clauſit. Inde avunculum inſecutus Skiernievicijs deprehendi; à quo poſt Natalitia Chriſti feſta, in quibuſdam privatum intereſſe concernentibus ad Hieronymum Olſzowski tum Regni Subdapiferum expeditus, negare id nullatenùs dicti, ad quem miſſus fueram, avunculi in me affectui potui; quin ipſius hoſpitio ad tres hebdomadas continuato uterer, & primam Deo hoſtiam Szancij ipſo præſente offerrem: ad quod ſacerrimum omnium negotium ut paratior accederem, Pinczoviæ apud Paulinos dies aliquot in ſacro otio, animiq; recollectione inſumpſi. Interfuit ipſis Primitijs præter alios inſignes hoſpites etiam divæ memoriæ parens meus, qui per paternum in me affectum illuc ſtudioſè venire voluit; quò ſua ſolatia ex filio cæleſtem victimam immolante propriis oculis delibaret. Redij ſub hæc ad Principem Primatem iam adulto jejunio, pro ingreſſu ad Archiepiſcopatum ſe parante; uti defacto brevi poſt ipſo ſacro Paſchatis die ſolennem hunc à Diœceſi Culmenſi ad Archidiœceſim tranſitum Lovicij celebravit: ubi cultiſſimâ oratione eum excepit Stanislaus Krajewski Cuſtos Lovicienſis & Canonicus Gneſnenſis, vir aliàs inſignis; niſi procerior ſtatura dignitati illius obſtitiſſet. Fuit ille poſtmodum à fatis avunculi mei, uti etiam poſt deceſſum Joannis Wydzga à Capitulo in Adminiſtratorem electus non ſine ſuo lucro & compendio tam poſt primum quàm ſecundum; deinde Decanus Gneſnenſis, ac tandem Regens Cancellariæ ſub Joanne Wielopolski deceſſit. Celebrato ingreſſu egit avunculus meus cum Dno Sielski Caſtellano Gneſnenſi ratione connubij fratris mei. Interceſſerat vetus Primati cum eo viro conſvetudo, ab illo uſq; tempore; quo Venceslaus Leſzczynski Epiſcopus tum Varmienſis, deinde Archiepiſcopus Gneſnenſis cum Palatino Poſnanienſi Grudzinio famoſi illius non pridem libidinibus & luxu Regni Subdapiferi, quem tamen (quæ æterni Numinis bonitas eſt) cum magna reſipiſcentia & de peccatis dolore Oeniponti deceſſiſſe intellexi, parente, Legatione in Gallias fungebatur. Hic tũ Sielski aulæ prædicti Principis pro Mareſchalco præerat, nomẽ etiã apud illã gentẽ ex quibuſdã dictis, ſive ea ſales, ſive ſeria fuêre, merit⁹. Viderat Principẽ Condæũ choreis vacantẽ; nõ placuit ſaltus homini inter feſtivum & ſerium medio: mirari ſe dixit; quomodo tanti nominis tam apud exteros; quàm inter ſuos ſaltare potuiſſet Princeps? indignum enim exiſtimabat graviſſimum Magnatem tam levi ſeſe proſtituere motu. Adhibitus verò convivio Cardinalis Mazarini tum principalis Miniſtri Galliæ, cùm non ad guſtum illi vinum accidiſſet, his formalibus inclamavit: heus tu Ephœbe! da mihi de illo vino, quod Cardinalis bibit cum Domina de Breche, quando eſt ſolus cum ſola. Moverunt ea verba riſum tam præſentibus, quàm toti Pariſienſi Civitati. Cum hoc Avunculus meus mores Gentium & Urbes luſtratum profectus, jam eo tempore notitiam & neceſſitudinem contraxerat: cujus non immemor dictus tum adhuc Subdapifer Lencicienſis, quò ſuum teſtaretur affectum, geminas pupillas opulentæ hæreditatis præſentavit; ut ſi quæ alicui conſangvineorum ſuorum optaretur, hic & nunc ſignificaret. Filiæ eæ erant Stanislai Witowski Caſtellani Sendomirienſis Legatione in Moſcoviam cum laude perfuncti; quas ex priore Conjuge de domo Gniewoſzynorum Venatoris quondam Regni Filia tulerat, uni Tereſſæ nomen, alteri Eliſabethæ. Porrò ipſe Parens divitiis præ a-

A.C. 1676 liis inclytus (quod præter hæreditaria ampliſſima bona, complures Capitaneatus, nimirum Lublinenſem, Kniezynenſem, Novotarenſem, Zawiechwoſtenſem, Bochnenſem & Krzeczovienſem teneret) & generoſitatis nimiæ, per quam venditis omnibus Capitaneatibus præter unum Krzeczovienſem, in quo ſecundi thori Uxor domo Firleana improlis communi mortalium fato ſuam conſummavit vitam, de ſuo impoſterùm vixit. Hoc prævio inſtinctu Primas iterum poſt aliquot à reditu ex exteris menſes, Javoroviam, per occaſionem deflectere juſſit Jedlonkam; ubi prædictæ pupillæ cum Noverca Sendomirienſi Caſtellana verſabantur, quò unam illarum in thori & vitæ ſociam ALEXANDRO ZAŁUSKI tum Venatori, deinde Vexillifero, Caſtellano ac tandem Palatino Ravenſi Germano meo conciliarem. Parui, & Georgio Dönhoff Abbate Witovienſi comitatus, ſat numeroſo aſſumpto famulitio eò contendi. Reſpondit votis effectus: ea intra hebdomadam futuræ amicitiæ poſui fundamenta, quæ ſolida fuiſſe coalitum ſacri Connubij vinculum probavit: Rectà inde profectus Javoroviam, ubi tum temporis Majeſtates ſtativa habebant, præſentibus ad latus illarum Referendario Regni Maſachowski, qui poſt Cracovienſis Epiſcopus deceſſit, Sbąſcio tũ Præmislienſi, deinde Varmienſi Epiſcopo, Radziejovio ſatis tum tenui, deinde Varmienſi Epiſcopo, nunc Archiepiſcopo Gneſnenſi, non eum aulæ offendi vultum, quem impenſus bono publico labor & obſequium merebantur. Sat frigida prima ſalutatio meiq́ exceptio fuit; cujus cauſa literæ ab Avunculo ad Reginam datæ, quibus eam perſtrinxerat, non niſi radiis Sereniſſimi Regis eam fulgere aſſerendo. Differentiis his occaſionem præbuerat Lencicienſis Scholaſtici munus, quod Regina Adamo Sarnowski multo tempore Regis Cubiculario & Secretario digniſſimo aſſertum ibat, me præterito; cui vigore gratiarum illud debebatur. Verùm irriti illius fuêre conatus, quòd fortiſſimo Avunculi mei ſuſtentarer patrocinio. Ut ut ergo in me effundere vindictam, cùm in Authorem non poſſet, volebat; fruſtra fuêre præpoſtera ſtudia, meditata in innoxium caput mala cum impotentis Principis ira ſubſidêre. Evolvit etiam ſupra memoratam Pariſiis à Marchioniſſa transmiſſam fabulam: At & iſtud ens rationis facili diſcuſſi negotio. Intererat enim Reginæ, quàm maximè captare Primatem eumque in ſuas partes pertrahere; cujus reconciliandi, ratione coronationis in me ſuſcepi curam, promiſſo eum nec officio, nec actui huic defuturum: cœperant enim aliqui Palatinatus conſurgere per factionem (uti falsò ab aula ſpargebatur) Reginæ Eleonoræ, coronationẽ impediturí; quæ poſtmodum cauſa prætexta fuit; ut dicta Regina Thorunio primùm, tum Kruſzyno (bona ea ſunt domus Dönhoffianæ) moveretur & in Sileſiã migrare cogeretur. Per eundem reſpectum Capitaneatus Zarnowiecenſis de reformatione Reginali ademptus Stephano Bidzinski tum Præfecto vigiliarum Regni, deinde Caſtellano Sendomirienſi: qui utrumq́ id tenuit ad Palatinatum uſq́, quo jam occupato non ſine pretio præfecturam vigiliarum in favorem Stephani Potocki Venatoris Regni reſignavit, cedẽte ſub hæc Venatoris officio Stanislai Dąbski Epiſcopi Cuiavienſis Coronatoris Auguſti Regis Patrueli, nunc Caſtellano Voynicenſi, cui ſucceſſit in eadem functione D. Dziduſzycki, eo demum aſcendente ad Præfecturam ſtabuli, munus id Jordano Capitaneo Dobczycenſi permiſſum eſt. Abſolutâ relatione Ablegationis Majeſtatibus valedixi, iterq́ direxi Sendomiriam, non quòd illàc iter accideret, ſed quòd deflectere neceſſũ foret ad Dnum Skotnicki, ſub cujus tutela Caſtellanides Sendomirienſes erant.

erant. Feliciter & ibi negotium domûs meæ confectum fuit, declaratio in favorem fratris mei obtenta, nec aliter Jedloncæ vota mea excepta sũt, promissæ nuptiæ, quæ postea Septembri mense sunt celebratæ Parente & Avunculis præsentibus, ipsomet Archepiscopo assistente. Castellanus Gnesnensis Castellanidem ceremoniali oratione Sponso tradidit; ego gratias reposui oratione quæ habetur in Oratore Polono. Quietum deinde non nihil esse licuisset; nisi promissis præstanda fuisset fides. Designata jam Comitia coronationis pro secunda Februarij anni 1676. erant: unde mihi incumbendum fuit, ut prævia circa declivium anni Comitiola in favorem Majestatum combinarem, post quæ Natali Domini celebrato Avunculus me Cracoviam expedivit, non tantùm antecipandi, sed etiam tentandi animum Principis Episcopi Cracovienſis Andreæ Trzebicki, mentemq; ad concordiam flectendi. Sæpiùs enim inter utrumq; quædam intercedebant simultates, quæ quidem, quoties de publicis in Comitio agendum erat, veluti extingvebantur; at ubi illa finita fuissent, rursum revivisebant: intra literarum tamen eæ certamen & honestissimos terminos semper claudebantur. Semel Avunculus meus his formalibus ad illum terminis literas dedit: quo lucro contendimus? tu senex, ego infirmus. Quia ergo Præfatus Episcopus se verbis prodiderat, à se in Cathedrali Ecclesia Cracovienſi Archiepiscopo Gnesnenſi de funeralibus ex exequiis CASIMIRI & MICHAELIS Regum litem intentandam: expeditus ante coronationem fui; ut demonstrarem ea non Cracovienſi Episcopo, sed directè Archiepiscopo Gnesnenſi ceu Primati Regni & Metropolitano deberi. Sat pronum in me affectum apud prætactum reperi Principem; quo fretus inter mensam, cui aliquoties adhibitus fui, svaviter & fortiter persvasi; ut prædictam quæstionem tanquam scandali inter sæculares & dissensionum in statu politico fomitem neglectam vellet. Alia nunc meditanda asserui, quàm ea, quæ in partes scissura privatos viderentur, bellum Turcicum præ foribus esse, publicorum malorum quærenda remedia. Videns porrò jam in pacis studia inclinare senem, pro ut informatus fueram civilissimas avunculi mei ei tradidi literas, quibus planè victus non tantùm à prætensionib⁹ suis remisit: sed etiam pollicitus est tam coram oretenùs, quàm per literas se iteratò de publicis resumptâ confidentiâ cum Archiepiscopo acturum, & ubi primùm de adventu ejus resciviſſet, honorem visitationis habiturum, inque Ecclesia sua non tantùm ut Archiepiscopo, sed etiam ut hospiti delaturum. Nec aliter quàm dixerat, fecit, ut mox referam. Tam secundo commissi mihi negotij succesſu lætus intendi deinceps, ut omnia pro adventu parata essent & palatium quantociùs pro dignitate consummaretur singulorumq; Archiepiscoporum stemmatis & inscriptionibus exornaretur. Interea jam Majestates Niepodomicis, priusquam Cracoviam solenni pompâ ingrederentur, demorabantur; quarum adventum meus prævenit avunculus, vixq; Episcopo Cracovienſi illum adesse innotuerat; cùm ex nunc lectică se deferri ad eum voluit, Prælatis in rhedis suis suum Ducem & Pastorem sequentibus. Post amplexus tenerrimos & duarum horarum colloquium in magna secum confidentia habitum divisi sunt. Quamvis verò Archiepiscopus nemini hunc honorem habeat, præterquam Nuntio Apostolico; ut quenquam visitet: vicem nihilominùs reddidit dicto Præsuli incognitoque illum invisit; quo tempore etiam apud eum prandium sumpsit non sine magna consolatione mea, quòd renovatæ cooperatus fuissem amicitiæ, ex qua summum bonum in publicum sperabatur, uti in effectu sub Comitia Co-

A. C. 1676

Dissensio inter Primatem & Episcopũ Cracovienſem.

A.C. 1676 ronationis ſatis intricata patuit. Tanti nempe etiam duorum concordia eſt; ut momenta rerum non rarò ab illa pendeant, pluſque quandoque binis conſpirantibus pro fortuna publica debeat Patria, quàm mille alijs, quod hi præclaris Principum conſilijs ceu minora ſydera cœleſtis orbitæ rapiantur motu. Duobus ante Coronationem diebus Rex cum Regina Promnicij conſtitit, quò immediatè expeditus ab avunculo meo cum complemento, ut gratularer felicem adventum & quærerem; commodúmne foret Majeſtatibus, ſi Primas coram inviſeret? gratiſſimè exceptus ſum, promiſſumq; : quocunque tempore venire libuiſſet, extenſis brachijs ſuſcipiendum. Nec mora: inſcendit meam rhedam Archiepiſcopus, meque & duobus tantum honorarijs aſſumptis perrexit Promnicium; ubi inter mille conteſtationes primùm cum Rege, tum cum Regina aliquo conſumpto tempore, & ceremonijs peragendis propoſitis in ſuum retrò diſceſſit Palatium. Non deſcribo publicum ingreſſum primâ Februarij ad arcem abſolutum, nec commemoro, qualiter pedes Rex ex arce in aſſiſtentia plurium Senatorum & Equeſtris Ordinis ad Eccleſiam ſuper rupem ſe contulerit, ibiq; ſanctum Indigetem Stanislaum ad ejus lipſana deveneratus fuerit: quo etiam die duobus Regibus parentatum, habente orationem Epiſcopo Cracovienſi, qui in Casimiri laudibus multus (adeò virum beneficia occupaverant) vix commemorato Michaële totum abſolvit encomium. Illuxit ſecundus Februarij dies majora duo luminaria Sarmatici diadematis radijs Patriæ imò univerſo Chriſtiano accenſurus: eo enim die peracta Coronatio eſt in tanta omnis generis & conditionis hominum frequentia: ut ægrè cum Primate penetrare potuerim, ipſo etiam ingreſſu in Eccleſiam tam difficili: ut Officiales cuſtodijs præpoſiti invocandi fuerint quatenus intromitteremur allegato; ſine Primate Coronationem non abſolvendam. Tandē inceptâ eâ grande murmur proteſtantium contra Coronationem Reginæ extitit; quod tamen per amicos Regis ſedatum conticuit, nec ego tum nomine avunculi mei operæ parcus fui, in partes Regias renitentes traducendo. Coronationi in Eccleſia more ſolito abſolutæ ſucceſſit convivium, cui avunculus meus non interfuit ſtudioſè ſubterfugiens certamen de loco cum Legatis. Aſſēdēre Regiis Majeſtatibus Nuntius Apoſtolicus Martelli, Epiſcopus Belloacenſis Fourbin nunc Cardinalis Galliæ, & Oberbek Brandeburgici Legat⁹, explosa fuēre tormenta, lætitiæque vacatum. In craſtino pro more theatrum in Cracovienſi foro erectum ſtetit; in quo Rex complures in Nobilium numerum authoravit.

Coronationis dies

Comitiorū initium.

In Nuntiorum verò hypocauſto cœperunt Comitia ſub directione Benedicti Sapiehæ Theſaurarij tum Curiæ Litvanæ, Mareſchalci nuper Comitiorum Electionis, qui deinde ſub hæc Comitia officium magni Theſaurarij à Criſpino parente moderni Epiſcopi Samogitiæ & Palatini Witepſcenſis pretio comparavit. Certatum in his Comitijs acriter de Scipione Mareſchalcali eſt, diverſis in diverſos (prout quiſq; uni alterive favebat) propendentibus. Aula Nicolaum Sienawski tum Vexilliferū Regni optabat, alij autem omnes cum avunculo meo Principem Czartoryski Succamerarium Cracovienſem. Ultra hebdomadam ea tenuit contentio, indubie etiam ultra duratura; niſi tandem à Rege inductus Primas Principi Czartoryski perſuaſiſſet, ut ab ambitu deſiſteret, virgamq; directionis cederet Sieniawio. Gravia item diſſidia fuēre præſertim inter Proceres Litvaniæ: ſupremus exercituum Dux Palatinus Vilnenſis Pac & Princeps Radivilius Procancellarius idemq; Campidux Litvaniæ mutuis in ſe ferebantur odijs; perſtringebat Princeps Palatinum

Mareſchalcy Sieniawski.

& ſe-

& ſeceſſionẽ à Rege factam abitumq; cum parte exercitûs ex Valachia obliquâ configebat cenſurâ; cùm ipſe interim in hoſtico perſtitiſſet & per occaſionem Pawoloczum in poteſtatem noſtram aſſeruiſſet: prætendebat proinde tum his fretus, tum quòd Germanam Regis thori haberet ſociam; ut à ſupremo Duce impoſterùm cum ſua diviſione non dependeret. Nuntij etiam in partes abiére, uni huic, alij alteri favebant non ſine diſpendio temporis, imò non ſine diſcrimine boni publici, quod peſtis hæc in privata affectus, minabatur. Compoſitum tandem id negotium, circa quod & mihi laborandum fuit, à Mediatoribus cum propoſitionibus mediationis jam ad Ducem Stradomiæ apud Bernardinos hoſpitantem, jam ad Principem ad Baranos inq; lapidea arcis manentem diſcurrendo: donec Mediatorum, Primatis ſcilicet, Epiſcopi Cracovienſis, & Principis Wiſniowiecki tum Palatini Belzenſis & Campiducis, cui in iiſdem Comitiis major Regni clava obtigit, minore in Stanislaum Jablonowski Palatinum Ruſſiæ translatâ, quà prudentiæ quà authoritati ea ardua ceſſiſſent. Verùm vix eæ turbæ ſopitæ fuerant, cùm velut ex condicto ante diſtributionem vacantium altera erupit tempeſtas, qua dignitas potiſſimùm & authoritas Ducũ exercituũ (ut videbatur) nimia petebatur. Erat enim in votis, ut triennio nonniſi Ducalis penes unum poteſtas definiretur, alteri expirante termino deinde ad placitum Regis conferenda: optabat id cõmuni ſenſu non tantum avunculus meus alijq; Senatores, præſertim Eccleſiaſtici; verùm etiã Rex ipſe nolens æternã eã eſſe potentiam quà ipſe ante Electionẽ gaviſus fuerat. Alterũ fuit, requirebatur à Ducibus juramentũ. Verùm & eæ controverſiæ mox extinctæ ſunt operâ potiſſimũ Reginæ Jablonovſcio faventis; cujus conſortis Mater de domo Potociana Palatina Kijovienſis, uti & ipſa Ruſſiæ Palatina primo apud Reginã loco & ſumâ pollebant gratiâ. Nec Mareſchalcus Nuntiorũ defuit huic negotio in futurũ providus quòd clavã jam tum meditaretur, uti re ipſa poſtmodũ illi collata eſt; ne in ſuum caput aliquando redundaret ſuoq; ipſe decreto conficeretur author: ſic interna pace reddita ſtudia ad extrinſecam tranquillitatem tuendã converſa ſunt. Actu bellũ Turcicũ feruebat: ſeriò igitur Rex cogitare, quomodo maxim⁹ apparatus fieri poſſet; nec abnuit Reſp. decrevit contributiones, novis authoramentis copias augendas ſanxit, projectum Regis de agrario peditatu conſtitutione firmavit; quod ultimum tum quidem (ut Regi videbatur) neceſſarium & juſtum; deinde abolitum fuit, quia graviter in hoſtico exiſtentis Mtis intenta hic miles fruſtraſſet. Interceſſit etiam non levis difficultas de hæreditarijs bonis recens coronati Principis quã deinde, cũ facile ſopita fuiſſet, altera de Capitaneatibus hactenus in poſſeſſione regnãtis exiſtẽtib⁹ excepit. Exigebatur, ut per diſtributivã juſtitiã benemeritis cederẽt. Authores hujus propoſitionis audiebãt potiſſimũ Nuntij majoris Poloniæ Duce Petro Opalinski Capitaneo Miedzyrzycenſi, deinde Palatino Lencicien. & Generali Majoris Poloniæ. Nihilominus & hæc materia diſpenſante Republica in favorem Regis deciſa eſt; quid enim grandia Principis merita ſibi non vendicarent? Honores verò Eccleſiaſtici ita diſtributi ſunt; Cujavienſis Cathedra poſt Florianum Caſimirum Czartoryski, qui ad Archiepiſcopatum promotus à MICHAELE breve ibidem luxit ſydus, Epiſcopo Præmislienſi Sarnowski, collata; Præmislienſis verò Joanni Sbąski Varmienſi poſtmodum Epiſcopo: Culmenſis poſt Avunculum meum Joanni Malachowski Procancellario Regni deinde Epiſcopo Cracovienſi; Luceorienſis Stanislao Dębski Chelmenſi, qui deinde Plocenſis, Cujavienſis, tandem etiam

A.C. 1676

Diſſenſio inter Duces Litvaniæ.

Triennalis poteſtas Ducum.

A.C. 1676 etiam Cracovienſis, etſi ne quicquam fuit, ceſſit. Chelmenſis Stanislaò Swięcicki Suffraganeo Samogitiæ permiſſa, Referendariatus autem Regni Chryſoſtomo Gninski Abbati Wągrovecenſi, qui nunc Epiſcopus Camenecenſis eſt, ad inſtantiam lacrymarum Joannis Gninski tum Palatini Culmenſis datus cum ſummo præjudicio Cancellariæ ſub Avun-

Bużynski culo meo Regentis Bużynski, hominis digniſſimi & ſtylo limatiſſimi. Cauſa iſtius præteritionis infidelitas (ſi credere de tanto Viro fas eſt) fuit. Rumor enim erat, acſi ad Mohilovienſem œconomiã ordinandam miſſus muneribus in transverſum actus Regale intervertiſſet intereſſe. Diſguſtum ſuum Rex oſtendit non tantùm alteri reddendo Referendariatum, qui huic ex jure & æquitate competebat: ſed etiam interdandum privilegia quædam pro Ducali clava, Venatoris munere, & Præpoſiturâ acerbiore joco perſtringendo: egregium ſe enimvero habere Regentem, qui illius verſiculi ex Alvaro oblitus non eſſet: Dux, ſus, canis atq; ſacerdos. Pupugêre dicta tantopere virum; ut ex nunc tam Avunculo meo, quàm aulæ vale dicto in Varmiam ſeceſſerit: ubi graviùs à Capitulo exagitatus, ob aſſiſtentiam Epiſcopo Sbąski, cujus lis cum eodem Capitulo celebris eſt, præſtitam plenus dierum obiit, Bibliothecâ ſuâ & manu ſcriptis, quorum ingens copia fuit Cracovienſi Academiæ & Collegio Brunsb. S. J. legatis. Reſignavit in iis Comitiis min⁹ ſigillũ Avunculus meus, non tam citò tamen, quàm Joannes Leſzynski tũ Cancellarius Regni; qui renunciato in favorem Joannis Wielopolski Cancellariatu, ipſe Palatinus Cracov: deceſſit. Multũ ille laboraverat; ut ab initio Comitiorum minus ſigillum reſignaretur, ejus diſtributionem variis deinceps modis uſque ad exitum Comitiorum impediturus quo ſolus frueretur lucro, quod ſub tempus ejusmodi conſiliorum plurimum Cancellariis obtingit: Verùm res aliter cecidit, prorſùs ad animi mei ſententiam; non exiguam pro me & Avunculo meo collegi meſſem. Aliquot diebus poſt redditionem ſigilli ſtetit conſtitutio in favorem Stephani Wydzga Epiſcopi Varmienſis, diſpenſatâq; incompatibilitate cum Varmienſi infula, traditum ſigillum eſt à Stanislao Lubomirski, cui ab aſcenſu Joannis Sobieski ad Thronum Regni Mareſchalcalis Scipio major, minor autem Nicolao Sieniawski Mareſchalco Nuntiorum ceſſit. Fortunavit DEus Regiam domum ſub horum Comitiorum tempus prole: quartâ enim Martij in lucem edita eſt Tereſſa Cunegundis moderna Bavariæ Electoris Conjunx. Connubialia item inter aliquot illuſtres domus ſancita fuêre fœdera. Anna Jablonowska Palatinis Ruſſiæ Raphaéli Leſzczynski tum Capitaneo Wſchovenſi toties memotato deſponſata, Anna Altera ex ſorore Jablonowſcij Principi Conſtantino tum Braclavienſi, deinde Belzenſi Palatino, Oborska autẽ Caſtellanis Czernenſis Stanislao Morſtyn tum Vexillifero Zaſorienſi deinde Caſtellano Czernenſi, Palatino Mazoviæ, demum Palatino Sendomirienſi homini ſago & togâ clariſſimo ceſſêre. Cum jejunio quadrageſimali finem acceperunt Comitia; ipſo Sabbato Sancto circa noctis mediũ coronata ſunt; ut nemini divertendum domum fuerit, ſed rectà ſtatim ex Senatu ad templum eundum pro paſchali matutino non ſine lætiſſimo animorum ſenſu, & quòd finito carniſprivio cœleſtibus de Reſurrectione gaudiis frui, & Comitiis ſecunda in Patriam Coroha impoſita eſſet. Concionem deinde habui feriâ ſecundâ Paſchatis coram Majeſtatibus in Cathedra ſuper illud thema: Ibat cum illis: in qua plura in laudem Regis dixi. A Comitiis migrantibus Proceribus Cracovia & in ſua ſe recipientibus, nec Rex multum moratus eſt: exceſſit pro expeditione

tione bellica se accincturus, quæ ut illi feliciùs succederet ad Clarum Montem, aliàs Częstochoviam profectus est; ut per DEi Matris patrocinium divinam sibi propitiaret clementiam & benedictionem pro via acciperet. Mihi pro Capitulo remanendum fuit volente Avunculo, in quo frustra me excusare conatus sum à munere Deputati ad Tribunal Regni; quòd authoritati Episcopi Cracovienſis, cujus summum in me experiebar affectum, obniti arduum esset. Parere igitur coactus nuper primam in Tribunali circa hoc probavi operam ut Martinus Olszowski Avunculi Filius, Venator tum, deinde Capitaneus Wielunenſis in Mareschalcum eligeretur. Secundum id mihi fuit, nec ingratum Avunculo quamvis ob sumptus id sibi displicere præferret. A.C. 1676

ANDREÆ OLSZOWSKI ARCHIEPISCOPI GNESNENSIS AD EPISCOPUM CRACOVIENSEM ANDREAM TRZEBICKI 25 April.

GRates tibi refero, pro obtentis à Rege, & Ducibus cautionibus, ne in posterum 50000, bona Ecclesiastica; supra summam hybernorum 500000 flor: pro libitu distributorum cogantur contribuere. Fieri poterit, ut nobis hæc rescripta prosint, aut saltem jus reclamandi, & protestandi conservent. Actis ea ingrossari non opto ob expressam, tuis in literis, considerationem; ne Possessores bonorum Regalium, Ecclesiasticis oppidò infensi, levamen nostrum suum esse gravamen judicent, in Comitiolis relationis acclamationes congerant, belli Duces, & Distributores concitent. Præstat reservari hæc in secreto, ad distributionem usq; hybernorum, ad quam designabo hominem idoneum, & unitis tecum consilijs, quantum in me, adlaborabo. Alij Episcopi nostri, non sentiunt (præter Ruthenos) onus, quod sibi supra modum alleviârunt: Non foret eis grave, si nobis omnibus, tota libertas ab hoc additamento non posset obtingere, ut summam 22000 ex Archidiœcesi, in sua bona sponte, & proportionaliter, susciperent, aut illam Distributores pro æquitate transponerent. Habendi essent faventes Commissarij à Repub: ex majore Polonia Ensifer Regni, Succamerarius Lencicienſis; ex minore, qui nam sint in constitutionem impositi, ignotum mihi. Contigit mihi legisse copiam tuarum Vniversalium pro expeditione Peditatus ex fumalibus Spiritualium Diœcesis Cracovienſis: mihi non licet esse tam beato, qui II Comitiolis laudisq; subjaceo, adeoq; ab eis separari, de quo in comitijs requisitus eram, nequeo: Constitutionum protractus typus, distulit comitiola, penitusq; in his partibus tepefecit contributionum, & expeditionum promptitudinem; ego de meo ex nunc pro subditis substituo, video tamen ex hisce expeditionibus fore post bellum auxilium: certius forsan pecunia officialibus, per assignationes ad Palatinatus majoris Poloniæ, loco peditatus esset destinanda, quod illis ad rationem meritorum postmodum computaretur. Expeditionibus, timeo, ne Rex & Respub: seducatur, pacem curandi unicum votum meum, & populi. Quo ad meam personam, quia primus tuo elo-

A.C. 1576 elogio, in hoc Regno, Sacerdos, tam graves à Monacho patior vexationes, poſt tantas oppreſſiones, & damna mea, tuam appello juſtitiam & authoritatem, quatenus verificare velis jus patronatus Regiũ, multiplicatis præſentationibus, ut docet Trident: Concil: poſſeſſum, & præſcriptum. Quatenus Madalinſcio, ne Dioeceſim perturbet, ſeriò inhibeas, & juxta tuam declaratam mentem Grabianowſcio, ut prava contra me molimina, de quibus mihi conſtat manifeſtè relinquat. Non eſt conſcia ſibi Mtas Regia ſe permiſiſſe judicio Rotæ cauſam juris Patronatus ſui ſub tempus audientiæ tuæ, ſed cum Nũtius Apoſtolicus peteret, ne quidquam per conſtitutionem ſtatueretur, promittendo omnem ſummi Pontificis ſatisfactionem, propoſitioni ejus Princeps annuit. Habeo ad manum literas Regias, in quibus proteſtatur, malle ſe omnibus, quam jure Patronatûs ſpoliari.

ANDREÆ OLSZOWSKI ARCHIEPISCOPI GNESNENSIS LITERÆ AD REGEM.

COmpatior iniquiſſimo Reipub. fato, quo expeditio Peditatûs ex fumalibus, publica lege conſtituta, penitus evanuit, ſeduxitq; Mtem Vram & Patriam; cauſa hujus eſt, famelica egeſtas Nobilitatis, & populi, præterea blandi, licet falſi rumores, de facili, peneq; in manu Mtis Vræ habito, tractatu pacis. Capitales tamen cenſus ubiq; ſunt conſtituti, qui infallibiliter pro commiſſione Leopolienſi parabuntur, licet forſan cum notabili diminutione, ſiquidem magna pars hominum, profugit extra limites, alij de loco in locum, ſe transferunt, hanc contributionem declinando. Literas Mtis Vræ ad manus meas ordinatas, exnunc ad varios direxi, excitaboq;, quãtum in me, tepidos, ne deſint Patriæ, & ſacro Capiti Vræ Mtis. Multorum eſt ſenſus, ut Mtas Vra tertias, & ultimas Reſtium literas expedire dignetur pro communi motu, qui tolerabilior videtur ſolutione tributorum, pro ſubditis. Ego interim pro mei tenuitate judicij concludo, ſtipendiario milite, nos diu bellare non poſſe, ex defectu tributorum pro ſtipendijs. Si ergo adfuerit tolerabilis modus pacis, ſupplico per ſalutem afflictiſſimi populi, quatenus Mtas Vra conſiderando graviora mala, & pericula ex prolongato bello Turcico, dignetur non intermittere ea, quæ pacis ſunt. Legatio Majoris Poloniæ per Capitaneum Koſcianenſem tandem ad me pervenit: Inſtructionem mitto Mti Vræ, quatenus ſecuritatem dare dignetur majori Poloniæ non inferendi belli Brandeburgico, qui hunc modum puto per Deputationem duorum Commiſſariorum ad præſtandum invicem juramentum, juxta tenorem pactorum arripiet. Regimina & vexilla longè lateq; hactenus graſſantur, multa nunc in majorem Poloniam, in Pruſſiam abiêrunt; & in circuitu ambulant, gloriantes titulo Gvardiæ Vræ Mtis, Haſtatorum quoq; vexilla in Oppidis majoris

joris Poloniæ ſubſiſtunt: clamat cum ejulatu populus ad Dominum Deum & Mtem Vtram, quatenus duræ ſervitutis juga, cervicibus eorum dignetur deponere, hos homines univerſalibus ſuis Ducumq; ordinatione revocando. A.C. 1676

LITERÆ ITEM AD REGEM. Skernevicijs 10 Julij

JAM inanis & ſine ſpe effectûs labor, perſvadere & injungere fumalem Peditatûs Expeditionem; quandoquidem legatio majoris Poloniæ, cum optimis reſponſis Javoroviâ expedita, & Vniverſales ferventeſq; literæ Mtis Vtæ nullum ſunt ſortitæ effectum, nec ullum hic cis-Viſtulana nobilitas, hujus expeditionis facit præparamẽtum. Jam ergo elapſum tempus cogendi conſilij, cum muros obſidet hoſtis. Ultimus & unicus modus in expediendis pro communi motu Reſtium literis, quæ licet ſeræ forſan & inefficaces ſunt futuræ, ne tamen adverſa imputentur Mti Vtæ, in extremo caſu extremum robur, & præſidium juxta Patria jura, & ſcriptum ad archivum, more Majorum convenit congregari. Elector Brandeburgicus fœderum immemor habet ſuos in Polonia Jehennos & Sverinos: Illius modo ſvadeo ſcribendas caute literas ad Principes, qui pactorum Bidgoſtienſium Gvarrantiam caverunt, ſcilicet ad Imperatorem, Regem Daniæ, & Hollandos, juxta articulum 22 pactorum. Ex mandato Mtis Vræ ſcripſi exhortatorias ad omnes Majoris Poloniæ Palatinatus, quorum maximè obſtinat animos intolerabilis hactenus Regiminum circuitus, & rapina. Supplicando interim Mti divinæ ut proſperare dignetur conſilia & fortitudinem Mtis Vræ Regiam exoſculor dextram.

ANDREÆ OLSZOWSKI ARCHIEPISCOPI GNESNENSIS AD SUMMUM PONTIFICEM CRACOVIÆ die 6 Aprilis.

CAlamitoſus rerum ſtatus, & vergentis in deterius Patriæ noſtræ infortunia notiora ſunt Sanctitati Vræ, quàm ut prolixè explicari neceſſe habeant. Cohorreſcit ad nomen terroremq; potentiæ Ottomanicæ tota Chriſtianitas. Quid ni verò Polonia tot bellis maliſq; fracta, & defeſſa, imparem ſe, ac proximã ruinæ, niſi DEus ipſe conſervet fateatur. Eriginur tamen animis, nihilq; intentatum in præſentibus Regni comitijs reliquimus, quo inclinatam publicam fortunam ab ultimo caſu ſublevaremus. Colligetur Sereniſſimi Regis noſtri cura, ductu, & auſpicijs vigore ſanciti comitiorum feliciter cõcluſorum, quidquid virium, & virorum reliqui adhuc ſupereſt, nèque ordo noſter Eccleſiaſticus fulciendæ periclitanti Patriæ extremis opibus ſuis deeſſe poterit, compendioſa ratio augendi ærarij propoſitâ lex ordinum conſenſu decreta eſt, ut nullo Perſonarum diſcrimine, in vim ſubſidij charitativi cenſus à capitibus exigatur. Opponimus libertates, & immunitates Eccleſiaſticas, ſupremam Sanctitati Veſtræ auctoritatem, ac ſacrorum Canonum Religionem, ſcuti inſtar prætẽdimus

Capitalis contributio ab Eccleſia ſtitis

A.C. 1676 *dimus, ad extremum tamen adeo in arcto poſitos nos agnoſcimus, ut ſi Remp: ac præprimis rem Chriſtianam ſalvari hiſce in oris velimus, negare id ſubſidium rebus afflictiſſimis, & militiæ ſuſtentandæ, minimè integrum ducamus. Placeat Sanctitati Veſtræ, ut relaxatis pro hac vice legibus Canonicis dicta capitalis contributio à Perſonis omnibus tam ſæcularibus, quàm regularibus Eccleſiaſticis permittatur. Quod humillimè orantes Sanctitati Vræ feliciſſimum ac diuturnum rei Chriſtianæ Imperium apprecamur. Noſq; Pontificiæ benedictioni proſterninus.*

RESPONSUM EXCELSÆ CAMERÆ IMPERIALIS AULICÆ AB ALTERA PARTE.

In Nomine Ssmæ & Individuæ Trinitatis Amen.

Conventio de ſale

NOtum ſit omnibus quorum intereſt, quod Illuſtriſſimus Excell: D. ANDREAS à Morſtein Supremus Regni Poloniæ Theſaurarius nec non Joannes Wielopolski, Comes de Pieskowa Skala Dapifer Regni, Capitaneus Cracovienſis, Bochenſis, Novotarienſis &c. ambo S. R. Mtis Poloniæ Salisſodinarum Vielicienſis & Bochnenſis Adminiſtratores ab una, Perilluſtris ac Generoſus Dnus Joannes Morandus à Gieraudin S. C. Mtis Ducatuum Conſiliarius, nomine & juſſu ratione emptionis ſalis hanc inîverint conventionem, anno & die infraſcriptis in hunc qui ſequitur, modum.

1mo Iſta conventio nullius erit præjudicij, nec in parte, nec in toto contractui Principali inter Sacras Mtes Sereniſſimorum Imperatoris & Regis Poloniæ Reipublicæq; inito anno 1657 menſis Maji die 27.

2do. Præfatus Dnus à Gieraudin promittit & obligat ſe à data infraſpecificata uſq; ad ultimam Junij anno 1670, ab Illuſtriſſimis & Excellentiſſimis DD. Adminiſtratoribus accepturum, pro S. C. Mte ſuo Clementiſſimo Domino quingentos Bancos ſalis, videlicet trecentos purioris Szybkowey vulgo dicti, & ducentos viridis ſalis, ac quinq; millia vaſorum, Rumowski, nimirum tria millia Szybkowey & duo millia viridis ſalis promittens dictus Dnus Hieraudin, dictam ſalis univerſi quantitatem, parata pecunia argentea Polonica non tynphis vel ſolidis, ſed Ortonibus, & Pultoracis & Szoſtacis, non derogando quidquam Cæſareæ monetæ, tantum quantum in ſolutionem dicti ſalis dari poterit, perſoluturum ſaltem medietatem, uti humaniter fieri poterit.

3tio. Quodſi ſupranominatus Dnus à Gieraudin, adhuc majorem ſalis quantitatem devehi curare poterit, promittit fide Nobili ſe hoc facturum, & adhibiturum omnem ad id humanam diligentiam. Quoſi verò Dnus à Gieraudin, plus ſalis quàm ſupra ſpecificatum eſt acceperit tum de ſolutionis tempore ulterius accepto, inter partes factæ ſolutionis prioris, rationes ineundæ.

4to. Præfata quantitas ſalis tam Bancati, quàm Vaſati extradatur ab Officialibus Illuſt. & Excell. DD. Adminiſtratorum, quandocunq; opportunum fuerit tempus & iter ad requiſitionem Officiorum Cæſareorum, videlicet cum excluditur, ex inferiori loco porrecta Bancorum, curabunt dicti Officiales Cæſarei ſibi integram porrectam in præſentia ſua ponderari & tradi, nec ex illa jam excepta debebunt Officiales Illuſt. & Excell. DD. Adminiſtratorum quidquam pro alijs emptoribus recipere, ſed in integro dictam porrectam Cæſareis Officialibus relinquere.

5to

5to. Quod attinet ſalis pretium conventum eſt, ut pro unoquoque centenario ſalis albi quinquaginta quatuor groſſi Polonici, pro quolibet verò centenario viridis ſalis quadraginta quinq; groſſi Polonici, pro quolibet autem vaſe bene adimpleto utriuſque generis ſalis ſeptem floreni Polonici cum dimidio monetâ, uti ſupra à præfato Dno à Gieraudin perſolvantur, pro ulteriori vaſorum adimpletione ad quodvis centenum, vaſa quatuor addantur, ad quodvis verò centenum centenariorum quatuor pro ſupplemento dabunt. *A. C.* 1676

6to. Quia vero Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi DD. Adminiſtratores optimè ſciunt, & conſiderant, pro tanta ſalis quantitate ad depoſitoria Sileſitica devehenda magnâ pecuniarum ſummâ opus eſſe, ita ut ſolutio illius tam citò fieri nequeat, ideò Illuſt. & Excell. DD. Adminiſtratores promittunt & obligant ſe nullatenus ſolutionem ſalis urſuros, ſed indulturos præfato Dno à Gieraudin præſtolando ſolutionem proportionatam venditioni dicti ſalis in depoſitorijs Sileſiticis, facienda attamen ultima ſolutio pro feſto S. Michaëlis anni 1670, pro ſpecificato & accepto ſale.

7mo. Caſu quo, interveniente aliquo obſtaculo, videlicet aut militum cauſa, ſive ratione peſtis (quod Deus avertat) graſſantis, ſeu denique alijs quibuſvis de cauſis legitimis, dicta ſalis contracti quantitas intra determinatum tempus devehi non poſſet, non tenebitur Dnus à Gieraudin ad aliam ulteriorem ſolutionem, niſi ad tantam, quantam ſalis acceperit quantitatem.

8vo. Ut autem major aurigarum ſit frequentia, & plus ſalis Dnus à Gieraudin poſſit curare evehi, demandabunt Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi DD. Adminiſtratores Dno Vice-Zupano ut talem ordinem apud laboratores montium videlicet Ladoſe, & Beczkowi, Bednarze & Hutmani teneant, ne à Vectoribus Cæſareum ſalem evehentibus, quidquam noviter exigant, ſed ſint contenti illo quod accipiunt à Dno Gieraudin Ordinario.

9no. Præfati Illuſt. & Excell. DD. Adminiſtratores præcaveant ne præfatus Dnus à Gieraudin, vel per ſe, vel per alios, ab alio quovis Mercatore pro neceſſitate Excelſæ Cameræ, quam ex Zuppis ſalem emat.

10mo. Vt verò Sileſia per viam & à via ſale privatorum non repleatur, ne major venditio ſalis Theſauri in Depoſitorijs Sileſiticis fieri poſſit, adhibebunt Illuſt. & Excell. DD. Adminiſtratores viarum cuſtodes, vulgo dictos Straznicy, qui pariter in confinijs æquè Cæſareis dictum, privatum ſalem impediant.

11mo. Vice verſa ſibi præfatus à Gieraudin reſervat hujus contracti ab Excelſa Camera ratificationem, quæ ratificatio in ſpatio quatuor ſeptimanarum ad manus præfatorum Illuſt. Excell. DD. Adminiſtratorũ tradi debet, quæ omnia inviolabiliter ab utrinque obſervanda pars utraque ſub fide ſua promittit, in cujus fidem mutuò ſubſcriptum & partium ſigillis munitum fuit hoc inſtrumentum. Cracoviæ 23tia Novembris 1669.

EPITAPHIUM R. P. UJEYSKI JESUITÆ

D. O. M.

P. THOMAS UJEYSKI è SOCIETATE JESU PROFESSUS

HAC URNA CLAUDITUR.

IS aliquando Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Episcopus Kijovienſis & Czerniechovienſis. Tribus Sereniſſimis Poloniæ Regibus, JOANNI CASIMIRO, MICHAELI, & JOANNI III. ob eximi-

A.C. 1675 am virtutem, rectam sentiendi gravitatem, miram in expediendis difficillimis negotijs dexteritatem chariſſimus, in ipſis gratiarum ac ultrò ſeſe ingerentium Honorum occaſionibus caduca pertæſus, cupidus æternorum, magnis molimínibus, ac multorum annorum apud Sanctam Apoſtolicam Sedem conatu, rariſſimo exemplo, depoſitis Infulis SOCIETATEM JESU amplexus, altero probationis anno, quatuor *vota* profeſſus, paulò poſt Domui Profeſſæ Vilnenſi Præpoſitus ſumma prudentiæ & ſvavitatis laude illam quinquennio rexit. Sed cum tempus reſolutionis ſuæ inſtare perſentiſceret, quo expeditius æternis vacaret *cogitationibus*, ut etiam hanc Præfecturam exueret, magna contentione impetravit. Obtenta miſſione in Domo Probationis, totum ſe DEo, & animæ ſuæ componendis rationibus impendit, ubi poſtquam unum exegit annum, cælo maturus obijt. Vilnæ M. DC. LXXXIX. 1. Auguſti. ÆTATIS LXXVI. SOCIETATIS XII. Anno.

PROPOSITIONES CIRCA PACIS TRACTATUS AUGUSTÆ VINDELICORUM, AB AUGUSTISSIMO IMPERATORE LEOPOLDO ABLEGATIS TURCICIS VIENNAM TRANSMISSÆ.

1. PORta Othomanica reddat univerſaliter reſtituatq; integerrimum Regnum Hungariæ cum annexis ſibi ab antiquo Regnis, Ducatibus, Principatibus, Provincijs, nimirum Croatia, Sclavonia, Dalmatia, Bosnia, Servia, Raſcia & Bulgaria; tum Tranſilvania, Valachia, Moldavia, Crobavia, Rama, Siculo, Baſſarabia cum omnibus pertinentijs, ſine ulla reſerva, idque perpetuo, ac in æternum cum Rege Hungariæ duratura.

2. Eadem Porta minimè audeat præſumatq; ſumere vindictas contra Moldavos, Valachos, Tranſilvanos ob ſuſceptam protectionem & patrocinium Cæſaris potentiſſimi.

3. Magnus Soltanus obligabitur Tartaros Hungariæ Regno & ſuis Provincijs vicinos ex omnibus illis partibus & Regionibus Budziacenſibus, & quibuſcunq; Locis, & receptaculis pellere, bannitosq; in æternum proſcribere, ac in ultimas oras & Regiones longiſſimas abigere.

4. Præfata Porta propter injuſtè concitatum bellum, ac in hodierna tempora cum non mediocri Chriſtiani ſangvinis effuſione durans, ubi ſimul ad belli expenſas provocare non ceſſat, ad refundendum expenſas & damna tenebitur ſex milliones in auro pendere & exoluere. Inſuper Tributum duorum millionum quotannis Imperatori Romanorum offerre, reſpectu liberi paſſus Conſtantinopolim ſerviturí.

5. Omnes abacti in ſervitutem Chriſtiani, quorum numerus ad unum millionem ſeſe extendit, ſinceriſſimè extradantur.

6. Caput Rebellium Tekieli cum omnibus ſuis adhærentibus & aſſeclis ſtatuatur, ac vivus in manus Commiſſariorum abducatur.

7. Porta Othomanica tenebitur Regno Poloniæ reſtituere omnes ablatas Provincias, utpotè Ukrainam, Podoliam cum omnibus Urbibus, Civitatibus, Fortalitiis, Munitionibus, & cunctis appertinentiis, cui cavetur ne impoſterum tentet inſolentem invaſionem aut iniquã prætenſionem Regionum illarum ſub amiſſione Pacis concluſæ.

8. Porta Othomanica impediat Tartarorum incurſiones, reddatq; omninò ſecurum Regnum Poloniæ à barbarorum infeſtationibus, atq; omnem Provinciis, Locis, Populiſq; ejus proſpiciat in æternum tranquillitatem.

9. Por-

9. Porta in refuſionem belli expenſarum Regno Poloniæ enumeret quatuor milliones in auro ſine ulla exceptione, aut tergiverſatione. *A.C.* 1676

10. Reipub: Venetæ fiat reſtitutio Regnorum Candiæ, Negro-Ponti, Inſularum Rhodi cum ſuis adjacentiis.

11. Ducatus Athenienſis cum ſuis Territoriis, de integro eidem Reipublicæ reſtituatur.

12. In Dalmatia maris portubus, fortalitiis nempe Dulcigno & Malamocio cedat.

13. Frontiſpicia ad limites Provinciarum Lepanto & Preucza extenſius amplificentur.

14. Quadraginta millia Czechinorum vel Ducatorum contra omne fas & æquum à finitimis populis Dulcigno & Malamocio extortorum, huic Reipub: exolvat, atq; reſtituat Porta.

15. Supra expenſas belli alia reflexio ſecutura, ubi partes convenerint ad concludendos pacis tractatus.

Hæc puncta & propoſitiones Porta Othomana perpendat, reſolvatq; ſe aliquid facturam.

VOTUM JOANNIS CASIMIRI POLONIÆ REGIS

Anno Dni 1656 Die Ima Aprilis Leopoli in Eccleſia Cathedrali, per eundem Sereniſſimum Regem præſtitum in manibus Nuntij Apoſtolici.

MAgna DEI Hominis Mater & Virgo Sanctiſſima. Ego JOANNES CASIMIRUS tui Filij Regis Regum, ac Domini mei, tuaq; miſeratione Rex, Sanctiſſimis tuis advolutus pedibus, Te in Patronam meam meorumq; Dominiorum Reginam hodie deligo, atq; me meumq; Regnum Poloniarum, Ducatus Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſovia, Samogitiæ, Livoniæ, Smolenſciæ & Czerniechoviæ, Exercitus, Utriuſq; Gentis Populos univerſos, tuæ ſingulari tutelæ atq; patrocinio commendo, tuam opem ac miſericordiam, hoc in calamitoſo ancipitiq; Regni mei ſtatu contra hoſtes S. R. E. ſupplex imploro & quia maximis obligatus beneficijs tuis impellor unà cum gente mea ad novum idq; fervidum tibi ſerviendi deſiderium, promitto deinceps meo, Satrapiarum, populorumq; meorum nomine, Tibi tuoq; filio Domino IESU Chriſto me cultum ubiq; & honorem tuum per ditiones Regni mei omni ſtudio propagaturum. Promitto præterea ac voveo me tibi, ſi præpotenti tua interceſſione, & Filij tui magnâ miſeratione, de hoſtibus, & præcipuè Svecis victoriam obtinuero, apud ſedem Apoſtolicam procuraturum, ut Tibi tuoq; filio in gratiarum actionem quot annis hic dies ſolennis & feſtus idq; in perpetuum habeatur, daturumq; cum Epiſcopis mei Regni operam, ut id quod promitto à populis meis impleatur. Cùm verò magno cum animi mei dolore videam luculenter, propter gemitum & oppreſſionem hominum conditionis plebeiæ, in Regna mea immiſſa, à tuo Filio juſto Judice flagella peſtis, bellorum & aliorum malorum per hoc ſeptennium. Promitto inſuper ac voveo me ſeriò cum univerſis Ordinibus

A.C. 1676 *pace conſtituta, rationes omnes initurum ad avertenda mala, atq; procuraturum, ut à gravaminibus & oppreſſionibus injuſtis populus Regni mei eximatur. Fac miſericordiſſima Domina ac Regina, ut ſicut eam mentem mihi meiſq; Satrapis atq; Ordinibus ad concipienda vota dediſti, ita gratiam apud filium tuum ad eadem complenda impetres Amen.*

STATUS CAUSÆ DE SUMMIS NEAPOLITANIS &c.

SIGISMUNDUS I. cum Bona Sfortia Principiſſa Ducatus Barenſis in Regno Neapolitano habuit unicum filium Sigiſmundum Auguſtum & tres filias, Primam Catharinam quæ fuit nupta Joanni Regi Sveciæ, ex qua Sigiſmundus III. Secundam Sophiam, quæ fuit nupta Duci *Brunſvicenſi*. Tertiam Annam Virginem quæ permanſit in Polonia, ac poſt nupta fuit Stephano Regi Poloniæ.

Hæc itaq; Regina Bona Mater Sigiſmundi Auguſti, & prædictarum trium filiarum ante mortem ſuam migraverat ex Polonia, atq; in ſuo Ducatu Barri vitam obijt. Veróne an compilato teſtamento (ut nonnullorum eſt ſuſpicio) Regem Hiſpaniarum ſcripſit hæredē Ducatuum ſuorum ſcilicet Barenſis & Roſſanenſis, quia verò ultra hos Ducatus habuit certum debitum apud eundem Regem Hiſpaniarum ſcilicet ſummam 43000 Talerorū Imperialium cum proviſione per decem à centum, quod faciebat annuatim 34000 Imperialium.

Hæc ſumma per ſucceſſionem devoluta eſt ad Succeſſores Reginæ Bonæ, ſcilicet ad Sigiſmundum Auguſtum, & ad tres præfatas Sorores ipſius, mox mortuo Auguſto ſterniliter, devoluta ſucceſſio ad Sorores ex quibus duæ majores natu, ſcilicet Catharina Regina Sveciæ & Sophia Duciſſa Brunſvicenſis transfuderunt jus ſuum in perſonam Sororis ſuæ Annæ minimæ natu, quæ remanſit in Polonia Vxor Stephani Regis.

Elegit tandem Polonia Sigiſmundum Principem Sveciæ ex Catharina filia Reginæ Bonæ progenitum, tanquam retinentem jus ſucceſſionis ad Coronam ex linea Materna. Hic itaq; Electus, per Pacta Conventa præter alias plures conditiones reſignat & inſcribit Reipublicæ ſummam prædictam Neapolitanam quadringentorum triginta millium Imperialium, ſive Proviſionem ab eadem in Regno Neapolitano provenientem. Tandem ſub tempus Coronationis ſuæ eandem ſummam publicâ donatione ad acta caſtrenſia Cracovienſia ratificat.

Ad hanc igitur ſummam plurimi ad præſens concurrunt Succeſſores. Primo Regina Sveciæ tanquam Soror ex Patruelibus Regis Caſimiri, ultimi & immediati ſucceſſoris. Joannes enim Rex Sveciæ habuit Germanum ſuum Carolum Sudermanium, à quo Carolus Guſtavus, ex quo Regina Sveciæ, filia: jam autem Joannis Regis Sveciæ Filius Sigiſmundus III, ex quo Caſimirus Rex Poloniæ, ideoq; Caſimirus & Chriſtina Regina Sveciæ, erant ſibi in ter-

tertio gradu, conjuncti; ſed quia prædicta ſucceſſio non deſcendit à *A.C.1676*
ſtirpe Paterna Svecię de Vaſe prout domus hęc appellatur, verum ex domo Jagellonica, de qua erat Sigiſmundus Auguſtus, & tres ſuprascriptæ Sorores quas pepererat Bona Sforcia Neapolitana; ideo iſta prætenſio omnino eſt indebita & vana.

Secundus Succeſſor occurrit Dux de Anquiria, qui habet ſibi copulatam matrimonio germanam ex ſorore neptem Sereniſſimæ olim Ludovicæ Reginæ Poloniæ, quos conjuges Sereniſſimus olim Caſimirus Rex Poloniæ teſtamento ſuo ex aſſe inſtituit hæredes. Hi itaque has pro ſe videntur habere rationes Imo quod Rex Sigiſmundus III. prædictas ſummas in pactis ſuis conventis non potuerit Reipublicæ dare & reſignare, ſiquidem dictæ ſumma jam ceſſerant per matrem ipſius Catharinam Sorori ipſius Annæ poſtea Stephani Regis Poloniæ Vxori, quæ adhuc vivebat, cum pacta Sigiſmundi III. conventa, per quæ dictas ſummas Reipublicæ reſignaverat, fiebant, Atque ideo tutantes ſe illa regula juris: Nemo dat quod non habet. Ad quod ita reſpondetur. Quod hoc debuerat eſſe cum conſenſu Reginæ Annæ, ſiquidem iſta donatio &. reſignatio fiebat palàm per pacta conventa Regni, & tamen nulla intercеſſit ejuſdem Reginæ Annæ proteſtatio. Reſp. 2do Quòd Sigiſmundus III. ſtante vita Reginæ Annæ habuerit jus ad rem, ad prædictas ſummas, erat enim unicus & ſolus apud eandem Reginam ſucceſſor, tanquam nepos ex Sorore. Secundam rationem habet eadem pars Ducis de Anquiria; quòd Reſpublica Polona non fuerit unquam in uſu & poſſeſſione prædictarum ſummarum, utpote ſemper Principibus & Regibus Poloniæ tanquam filijs poſt Patrem Sigiſmundum libere eaſdem ſummas diſponentibus; ad quâ facile eſt reſpondere; quòd ſcilicet Reſpublica Polona conniventiam hanc Regio ſanguini fecerit, & reſpectu tot, tantorumq; meritorum Regiæ Domus, tum etiam ex reverentiali erga Principes ſuos obſervantia: Eratq; contenta quòd Principes & Reges ſui gauderent uſufructu prædictarum ſummarum. Sed nec eſt de jure licita defenſio, quòd ſi quis contra pactum ſuum & datam fidē, eo quod re donata & reſignata uteretur, novum ſibi jus faciat & requirat ad rem abſciſſam. Nam hoc potiùs eſſet mala fide poſſeſſio, quàm aliqua juſta & licita uſurpatio.

Tertius Concurrens ad eaſdem ſummas eſt Princeps Neoburgicus, modernus autem Elector Palatinus Rheni, idq; ex tali ratione, Quod ſcilicet Principes Poloniæ filij SIGISMUNDI III elocando pro tunc in Matrimonium dicti Principis Neoburgici ſororem ſuam Germanam conceſſerunt illi medietatem proviſionum à dictis ſummis, Ut autem ratione proviſionum earundemmet ſummarum faciliori methodus haberetur, conventum erat cum Vice-Regibus Neapolitanis taliter.

Exdiviſerant nempe certa paſcua in provincia Apuliæ annui re-

A. C. 1676 ditus 22000 talerorum efficientia, ita ut prædictos proventus & reditꝰ ſive paſcua licitum eſſet cuicunque in arendam locare, ſine quavis vice-Regis dependentia. Pro reliqua autem parte reditus annui ſcilicet 12000 talerorũ debebant adhuc Vice-Reges Neapolitani exdividere adæquata & proportionata alia bona. Interea ſucceſſit mors Principis Neoburgicæ, qua ſubſecuta Rex Caſimirus repetebat ſupra ſcriptas proviſiones, quæ non ſerviebant niſi ad vitæ tempora ſororis ipſius Principiſſæ Neoburgicæ. Tandem neſcitur quo caſu ſtetit pactum ut Princeps Neoburgicus perciperet tantùm tertiam partem proviſionum. Rurſus cum idem Rex CASIMIRUS poſt reſignationem, in Gallias per ditiones ejuſdem Principis Neoburgici proficiſceretur, hoſpitando in domo ipſius donavit ipſi medietatem earundem proviſionum uſque ad vitę ipſius tempora, qua gaudebat ſtante matrimonio Conſortis ſuę Principiſſę Poloniç. Et ſic uſque in hodiernam diem Princeps Neoburgicus percipit eam medietatem proviſionum quę efficit 11000 talerorũ. Secunda verò medietas obtentu litis & prętenſionum variarum in theſaurum Neapolitanum comportatur. Illa verò reſidua pars 12000 talerorũ, pro qua exdividere debuerant certos proventus à compluribus annis remanſit inſoluta, quam theſaurus Neapolitanus refundere tenetur unà cum ſummis originalibus.

XXXVI.

An. 1676 & 1677 EXCERPTUM EX LITERIS ANDREÆ CHRYSOSTOMI ZALUSKI AD VARIOS SCRIPTIS.

Relatio eorum, quæ ſub tempus Zoravnenſis expeditionis, & Comitiorum poſt eandem habitorum evenerunt.

UT in relatione priore dictum eſt, ſeriò Regem belli, quod cum Turcis præ manibus erat, perpenſis rationibus & momentis decreviſſe, ſe ipſum in perſona tanto hoſti objicere: ita defacto hoc anno Patriam miſeratus Princeps in hoſticũ profectus eſt, etiam proprij capitis objectu (ſi ita cœlo viſum eſſet) eam tuiturus. Comitata fuerat Regina Principem Javoroviam uſq; ; unde hoc contra hoſtem movente, ipſa Varſaviam ſe tranſtulit; credo, ut ſi quid adverſi Regi imminere audiviſſet; facilius coacto illic conſilio diſcuteretur. Via ea propemodum illi fatalis fuit: nam parum aberat, quin ex graviſſimo morbo Kraſnobrodæ extingveretur: quo factum eſt, ut poſtmodum ex voto Patribus Ordinis Prædicatorum Eccleſiam de ſolido exſtrueret muro. Subſtitit inde Janoviæ, dum vires & priſtinum vigorem reciperet: at non diu ibi demorari licuit; quòd comperiſſet Turcarum & Tartarorum potentiam gravem nimiùm exercitui & Regi incumbere, imò velut obſidione cinxiſſe: unde tam manifeſto periculo anxia accurrit Varſaviam, & ad Virgines DEo ſacras de Viſitationis nomine dictas divertit. Caſus tulerat, ut tum Varſaviæ præſens eſſem; quare quantocius me advocato literas ad Avunculum meum dedit; impensè obſecrans præſtarem id illi obſequium, Primatemq; quàm celerrimè poſſem, deducerẽ pro con-

ſi-

filio, quid facto opus in tam præsenti discrimine Regis & exercituum undiq; tam arctè cinctorum? ut Principi Radivilio Procancellario & Campiduci Litvaniæ se cum sua divisione conjungere non licuerit, necesséq; habuerit Leopolim remigrare. Obsecutus Reginæ sum, nec minus Avunculus meus: quem enim tantum periculum non adverteret? in capite unius, omnium salus vertebatur: Vix perlectis literis Skierniewiciis Varsaviam festinavit, duabusq; circiter horis cum Regina colloquio habito præsentem Senatum satis copiosum (complures enim tum Varsaviæ domicilium fixerant) ad suum invitavit palatium; ubi explicato discrimine & malè ominatis consequentiis, præsertim si (quod averteret DEus) per adversam fortunam cinctus obsidione exercitus, & Rex ipse ad Zoravnum cladem acciperet; requisivit quid facto opus esset? explorato Senatorum sensu & rationibus, prout cuiq; occurrerant in tam ancipiti articulo, tandem per verbum placet conclusum id, quod unicè Regina optabat: ut Avunculus meus tam evidente & irrefragabili necessitate adactus, pro munere Primatiali in rem & favorem Regis ederet literas restium, communem motum indiceret, ardentissimisq; insuper verbis Palatinatus accenderet ad dandum auxilium Uncto Domini & exercitibus ejus periclitantibus. Extorserat equidem tam certum exitij Poloniæ discrimen meritò ea universalia (an enim consultum nollent capiti membra, Patriq; nati) ægrè nihilominùs tulit redux ex hostico Princeps usurpatam potestatem, manifesto argumento inde; quàm zelosè Regibus Poloniæ ea jura tuenda sint; ne quis etiam Primas præsumat edere universalia: siquidem hæc à meo Avunculo edita in præsentissima calamitate arguebantur. Pluribus hic non ago de Zoravnensi expeditione, quod alibi satis de hac re à me tractatum sit, quò lectorem remitto: quare nec decretum ibi tractatum repeto, ad quẽ Comissarios fuisse Principem Constantinum Wisniowiecki Palatinum Belzensem & Joannem Szumowski Thesaurarium Curiæ Regni insinuavi. Defunctus periculo & bello Rex videns se spe sua frustratum, quã de agrario peditatu conceperat; impulsus præterea promissione & verbo in Coronatione data de futuris intra breve tempus Comitijs, expedivit universalia pro ijsdem Varsaviæ habendis; cui jam venienti obviàm perrexi usq; ad locum Konska Wola dictum repentino in via hac propemodum casu sublatus: nam equis per furorem in avia & lignis impedita carpentum rapientibus ægrè mortem evasi. Causa itineris fuère præmatura Hieronymi Olszowski Regni Subdapiferi Germani Primatis fata. Is fratrem visitatum Skierniewicios advenerat; cùm gutture laborare cœpit, & vix in quartum diem protractâ affectione ob defectum Medici & Chirurgi (vena enim aperienda fuerat) cum ingenti dolore Avunculi mei, utpote unicè dilectus inter mortales esse desijt. Testatus id animi sui vulnus est Primas obsignatâ membranâ, quam Petro Dunin Soc. J. Religioso apponendam corpori comisit: qui priusquam id exequeretur, ad me cum illa charta venit. Aperire illam ob multas rationes tum nobis occurrentes visum est; verùm nihil reperimus præter hanc inscriptionem; Andreas Olszowski animitùs mœrens de obitu fratris sui anno 1677 posuit. Hic obitus causa fuit mei expediendi in occursum Regis, ut duo impetrarem privilegia pro Palatinatu Ravensi à decessu Alberti Lipski vacante: unum quod prænominati defuncti titulo ad sepulchrum servire posset frenumq; foret: ne Petronella domo Wolutiana Palatinis Ravensis post dictum Avunculum meum per levitatem alicui, quod verebatur Primas nuberet, indubiè per ejusmodi A.C. 1676

A.C. 1676 modi connubium relictæ proli & ſat amplis bonis obfutura: gemin
nim ſupererat ſoboles Andreas & Sophia, ille poſtmodum Sophiam
necpoliciam Caſtellanidem Braclavienſem duxit, quæ fatis Conjugi
ſuperſtes ad ſecundas cum parente meo tranſivit nuptias: Sophia
neglecto Sigiſmundo in Cruſzyno Dönhoff Succamerario Wielun
deinde Theſaurario Curiæ Lituanæ, poſt mortem Primatis Capita
Ravenſi Felici Lipski nupſit. Obtinui à Rege omnia, datum privil
cum anticipata data pro Palatinatu Ravenſi in favorem defuncti
ronymi Olſzowski: adjectum alterum, vi cujus Alexandro Zaluski
camerario Ravenſi Parenti meo idem Palatinatus cederet. Inſi
Wielunenſem Capitaneatum ab obitu ejuſdem Hieronymi vacan
pro Martino Olſzowski Mareſchalco Tribunalis impetravi. Magnc
faciliorem expeditionem adjumento mihi fuerunt Palatinæ Kijow
ſis & Ruſſiæ, verebantur enim, ne ſi diutius ad latus Regium perſ
rem, nomine Avunculi etiam de Subdapiferatu Regni concurrer
quem ipſe Raphàéli Leſzczynski genero ſuo optabant. Redij ig
aſſecutus mea & Avunculi vota Skierniewicios, ſolicitavicq; Prima
nomine Majeſtatum; ut quantocius ad Comitia feſtinaret: verùm inp
ſentiarum per luctum id fieri non poterat, nec niſi paratis lugubr.
ad inchoata jam Comitia ſecundâ ſeptimanâ diſceſſum eſt. Agitat
odem tempore ab adventu meo in Primatiali foro lepida ſed ſimu
pudenda cauſa. Dominus Rey Palatini Lublinenſis ex fratre Nep
cum Conſorte ſua domo Morſztyniana Theſaurarij Regni itidem ex
tre Nepte eodem curru cum illa vectus venerat, communicq; lecto
cte illâ uſus cum eadem fuerat; & nihilominùs pro divortio ſuppl
bant promoventibus id ipſum per reſpectum privati lucri conſangv
is, nec Juriſtis iniquiſſimam cauſam tueri (uti genus hominum v
le eſt) abnuentibus: ſoli obſtabant Principales, nec jam ſeparatio
ſed confirmationem vinculi Matrimonialis urgebant quod & facti
ut ut ingentibus promiſſis expugnare tam Avunculum, quàm me
ejus Cancellarium agebam, & in ſuas partes pertrahere annitebar
Illibatum muneribus utercq; animum & manus ſervavimus. Varſav
deinde pro Comitijs feſtinatum eſt: quò unius noctis hoſpitio Fale
uſi, horis matutinis pervenimus. In occurſum nobis proceſsêre ad W
chos Epiſcopi; Plocenſis Madalinski, Luceorienſis Dąbski, Præmisl
ſis Sbąski, Chelmenſis Swięcicki alijcq; Senatores ſæculares. Notanc
Archiepiſcopum nemini dexteram in curru ſuo cedere, quamvis d
eam alteri permittat nec viſitationis honorem deferre. His comitati
ſine pompa arcem ingreſſi ſumus. Præſtolabatur Rex adventum
matis in marmoreo conclavi, quem aliquot paſſibus occurrens exce
arctiſſimecq; complexus eſt. Mox à perſolutis complementis utercq
Senatum ſe contulit. quòd iñineret ſalutatio Mtis à Mareſchalco N
tiorum recenter electo (erat is Vexillifer Poſnanienſis Skoraſzews
habenda. Tentavit in iſtis Comitijs Avunculus meus in commod
Archiepiſcoporum Gneſnenſium tranſmutationem Sampolmi & ali
pagorum pro Gneſnenſi civitate facere, & id ipſum Reipub. conſt
tione firmare: quò illa quemadmodum ſedes Primatis eſt, & ſpirit
ejuſdem ſubjacet jurisdictioni; ita etiam in temporalibus eum agno
ret Dominum. Gravius enim ferebat; quod non tantum ſæcularil
ſed etiam hetorodoxis, qualis tum præerat Dnus Vnrug parere co
retur. Ceſſerant jam ad votum pia Primati intenta, de conſenſu or
um conſtitutio ſancita erat: cum totum negotium aliena diſcuſſit a

r

ritia & penitùs evertit. Nam tam Mareſchalcus Nuntiorum, quàm Deputati ad conſtitutionem, lucra ſua pietati præhabentes muneribus ante perſvadendum ſibi tam ſalutare opus, quàm agerent, indigitabant: unde indignum ratus Archipræſul pretio emere quod juſtitiæ tribuendum erat, à cœpto ſuperſedit negotio. Plura mihi de his non occurrunt comitijs; quòd mihi coram illis intereſſe non licuerit: Deputatum enim ſuum Tribunal Piotrkowienſe repoſcebat. cui præſentiam meam negare non potui. Illud nihilominus certum eâdem fortunâ, qua priora Coronationis ſecundiſſimè terminata fuiſſe, Sabbatum Sanctum quietem & ferias indixit conſulentibus, noxq; itidem Reſurrectioni prævia ſenaculũ & comitium clauſit ita; ut ex Senatu ad Eccleſiam pro matutino eundem fuerit, forſan id agentibus Superis: ut pro tanto beneficio abſolutorum comitiorum gratias ſibi debitas reciperent quantocius. A.C. 1677

XXXVII

EXCERPTUM EX LITERIS ANDREÆ CHRYS: ZALUSKI SACRÆ REGINALIS Mtis CANCELLARII.

Relatio de motibus Gedanenſibus & quæ intermedio tempore inter priora Comitia & prima Grodnenſia intervenerunt deque obitu Primatis.

UT cœleſtes orbitæ in perpetuo motu ſunt; ita Regiæ Majeſtates etiam dum ab extrinſeco nulla Regnis incumbunt bella, nunquam quiete gaudent, interrumpunt etiam neceſſarium reficiendis viribus ſomnum immenſæ curæ de ſalute populorum, & inquiete ſuâ ſubditorum quietem tueri coguntur. Luculentè id in JOANNE III. glorioſæ memoriæ Rege elucet; cui vixiſſe vigilâſſe fuit, curis curas, labore labores adeò excipientibus; ut quieti, ſi ejus acta & vitam reſpiciamus propè defuiſſe tempus imò & locum exiſtimare liceat. A Comitiis peractis Gedanenſes Principes Principem exercuêre tumultus, quos ut ſopiret & differentias inter Magiſtratum & populum componeret, eò proficiſci neceſſarium duxit. Multi laboris id opus arduumq; omnino fuit: quare etſi ſola Auguſti noſtri mens ſufficeret; accerſere nihilominus in partem laborum Primatem voluit uſitatô Principibus exemplô, ut ſe illuſtrium virorum conſiliis Regi non detrectent, ut tutius regant dum, alios regunt. Sed de hoc mox tractabo, ubi priùs de aliquibus illuſtrium virorum etſi privatis dixero. Aderat Gedani Joannes Wielopolski Dapifer tum temporis Regni, brevi Proconcellarius futurus. Hanc enim conditionem inter procandum Marchioniſſam de Arquien adjecerat; nec effectu caruit ejus votum: & Sponſam Reginæ Germanam, & ſigillum minus obtinuit. Tractatum cum Joanne Leſzczynski tum Regni Cancellario; ut iſtud munus cederet & in vicem illius Palatinatum Cracovienſem occuparet poſt Lubomirſcium Parentem Mareſchalci Curiæ Joſephi, deinde etiam Mareſchalci Regni, nati ex Oſſolinia Regni Cancellaride; quæ poſtmodùm raro & imitando exemplo poſthabito mundo ſacrum Carmelitani Ordinis Parthenonem ſub titulo Immaculatè Conceptæ Virginis Lublini elegit, ibidemq; cæleſtem vitam pari abſolvit fine. Ante obitum prædicto Filio ſuo procuravit Connubium cum Principe Caſtellana Cracovienſi Ducis ſupremi Exercituum Regni relicta Vidua, Theophila Duce in Zaslaw & Oſtrog Regis ex Sorore Nepte,

A.C.1677 pte, quam ſeriò diſpenſatione Hieronymus Lubomirski à votis Eq
Melitenſium obtentâ, nec minus Regina utpote opibus affluentem
Germano ſuo Comite de Maligni nequicquam optaverat, prævale
utriuſq; affectui floridâ ætate & divitiis Joſephi Lubomirſcij tum P
fecti ſtabuli Regni: quam conjunctionem ſeria poſtmodum ſecuta p
nitentia eſt: nam etſi aliquot natis cum illo fuiſſet felix; nihilomi
thori & bonorum ſeparatio diſſenſionibus ortis, in & à quibus forſa
ipſe occubuit, ſancita fuit. Horum deinde grandiorem natu Filiam T
reſſam nomine Princeps Bareit Affinis Auguſti Regis in Conſortem e
petierat: verùm brevi poſt eventus deſtituit effectum. Compoſita ja
tota res erat, nihilq; reſtabat niſi ut legitimè jungerentur: cùm præt
ctus Princeps Lipſiæ exiſtens, in novos delapſus amores, de conſen
Regis Principem de Weiſſenfeld in ſociam aſſumpſit vitæ: hæc ver
neglecta Carolo Principi Palatino mediante quingentorum millium Im
perialium dote in Conjugem ceſſit. At hæc per occaſionem dicta ſun
to. Gedani in Senatûs conſilio ſigillum majus Procancellario Wydzg
minus autem Wielopolſcio declaratum eſt, Polanowſcio Marte claro Da
piferatus traditus. Difficultates verò Gedanenſes inter Magiſtratum &
populum eò deduxerunt Regem; ut per ardentes literas Avunculi me
imploraret adjutorium. Mens Regis erat eos motus omninò ex funda
mento in tranquillitatem aſſerere. Graſſari ſub hæc per Poloniam con
tagio cœperat, à qua nec Archiepiſcopatus immunis fuit: unde præter
ſpem Lovicio Primas excedere debuit, quem Zminum primùm, dein
de Kamienum aliquot ultra decem milliaribus Gedano diſtans comita
tus, ignarus me illi ultimum id præſtare obſequium. Vale ſupremo fa
cto pro continuatione tribunalis Lublinum me contuli, in quo itinere
non vano timore contagionis me perculit mors repentina famuli, dubi
um, an lue, an ſubitaneâ apoplexiæ alteriúſve morbi alteratione ſubla
ti? Veſperè ad cœnam inſerviêrat; cùm nocte in meo pallio quieſcens,
manè, prout ſe compoſuerat, extinctus inventus eſt. Nihil tamen præ
terea adverſi favente cælo paſſus ſum; ſervatus malis grandioribus, quæ
proximè impendebant. Proſperâ utcunq; Lublinum valetudine appuli,
nec minus feliciter Archiepiſcopus Gedanum delatus, gratiſſimus ho
ſpes à Majeſtatibus acceptus, à Gedanenſibus etiam cum veneratione
introductus, ubi dum ei à Magiſtratu laterna oblata fuiſſet, muneri an
notato ſuoq; nomini ſubſcripto hæc adjecit verba: quò ditior, eò impe
ditior. At brevi poſt (quæ humanarum rerum viciſſitudo eſt) eam de
adventu Primatis lætitiam factum peſſumdedit. Aliquot diebus poſt
aderat Regiæ menſæ; ſub quam repentino malo correptus de triclinio
cedere neceſſum habuit. Auxit morbũ medicina; qui fortaſſis ſeipſum
conſumpſiſſet. Stanislaus Witwicki Regens tum Cancellariæ, deinde
Kijovienſis, Luceorienſis, tandem Poſnanienſis Epiſcopus ſive gnarus
artis medicæ, ſive oſtentans artem, ptiſanam porrexit ægro; cui Regi
us Doctor Braun neſcius jam unum datum pharmacum, alterum adje
cit; tantæ efficaciæ: ut intra 24. horas Primas in vivis eſſe deſiêrit. Vi
geſima nona Auguſti fuit, quæ illum mortalium exemit numero, & in
immortalem beatæ æternitatis (ut credere fas eſt) aſſeruit vitam. Ad
ſtitit illi ſub noviſſimam horam P. Dunin Societatis I. Religioſus, & ali
quod perſvaſit teſtamentum: Verùm id conſideratione caruit; quòd &
inconſtanti manu & non ſolitâ formâ confectum eſſet. Potuiſſet indu
biè is Religioſus, ab obitu pro me impetrare Abbatiam Jędrejovienſem,
pro cujus Coadjutoria jam ſubſcriptionem habebam; verùm ille medi-

tatio-

tatione concionum magis, quàm alicujus alterius distractus interesse neglexit nostra: unde non sine præjudicio meo alter occupavit, quod mihi debebatur. Data ea Abbatia est Constantino Lipski Nominato Leopolienſi ad instantiam Virginis Danilowiciæ Abbatissæ ibidem Cœnobij Ord: S. Benedicti Amitæ Regis. Indoluêre plurimum Majestates tam præcoci Primatis fato. Evectum solenni processione corpus, inusitato hactenus Gedani exemplo cum ingenti pompa & sumptu, extractis triginta millibus bonæ monetæ ex peculio defuncti pro consummando ad Principalẽ Parochialẽ Ecclesiã Sacello, quod hactenus Regalis Sacelli nomẽ obtinet, etsi Primatis steterit pecunijs: scilicet alter perfecit, tulit alter honores. Hæc tã acerba nova me primũ Radlini apud Castellanã Sendomirienſem deprehenderunt, ad quam per otium tantisper excurreram, ut seriis defessum animum nonnihil distraherem. At aliter Superis visum, versa est in luctum cithara mea! Dolorem meum non explico, quem tot circumstantiæ uti gravissimum, sic manifestum reddiderunt. In ipsa aurora fortunæ meæ magnus Primas, à quo non dubiã mihi ominabar lucẽ, extinctus est: cecidit ingens columẽ, quà dom⁹ meæ, quà Patriæ, à quo validũ promotionis fulcrũ præsumere poterã: evanuit repente spes omnis, quòd imposterum, quo meæ res niterentur, non viderem. Scripsit ad sic afflictum Joannes Olszowski Castellanus Brzezinenſis Archiepiscopalium bonorum Administrator, Vir ut œconomiæ peritus, sic latinitatis rudis hæc formalia: defunctus est Primas Benefactor noster; Capitulum, asserit quod testamentũ Hæres, Capitulum nullum: pro eo, quòd scripsisse debuisset, Hæreditatem, dum sine testamento moritur Episcopus, Capitulo attribuendam, ipse nullitatem attribuit. Ex nunc igitur Lublino profectus, post conferentiamque cum dicto Castellano à Capitulo tam ad Regem, quàm Nominatum novum pro impetranda protectione, cujus etiam ipse egebam, festinavi Gedanum. Antequam verò eò discederem; visum præsentibus est ijs præsertim, qui aulæ defuncti præfuerant, ut res omnes conscriberentur: & quia ij asserebant, qui supremo momento adstiterant, Bibliothecam & potissimùm manu scripta ab Avunculo mihi circa illud confinium æternitatis destinata fuisse, ea in potestatem meam vindicavi. Delatus Gedanum, quò benevolentiam captarem, emi Apotheculam argenteis pixidulis desuper deauratis instructam, centenis aliquot aureis constantem; eamq; per Dñam Feder gratiosam comprimis Reginæ præsentavi rogans; ut mihi sub ejus protectione esse liceret: annuit Regina, tunc ex puerperio Principis Regij ALEXANDRI decumbens. Concurrit de Archiepiscopatu pro gradu Varmiensis Episcopus Wydzga; cùm autem pro more suo Rex diutiùs differret declarationem, prædictus Præsul moræ impatiens Dñum Matczynski his formalibus est allocutus: etiamsi scirem Judaismum optimum esse, nunquam tamen Judæus esse vellem; rationemq; dicti deinde quærenti Regi reddidit; ideò se Judaismum odisse, quòd tanto tempore expectent Messiam. Extorsit festiva responsio Regiam pro Archiepiscopatu declarationem: Episcopatus verò Varmiensis, solutis quæ intercesserant difficultatibus, Michaéli Radziejowski nunc Archiepiscopo Gnesnensi, Præpositura autem S. Michaélis Krajewscio tunc Administratori Archiepiscopatûs Gnesnensis cessit. *A.C. 1679*

Sub hæc tempora ingens emersit factio cujus Author Marchio de Bethune affinis Reginæ habebatur. Is quà pecunias, quà homines Tekelio in Hungaria suppeditaverat, Rege etiam ipso persuaso; ac si Gallia

A.C. 1677 lia in id omnibus viribus conniteretur, ut regnum illud in poteſt
Regis concederet. Senſit brevi poſt, hoc ſibi faſcino illuſum fuiſſe
ceps; unde ab ijs remiſit intentis. Pars hujus factionis Hieronymus
bomirski tum Vexillifer Regni non minima fuit; verùm de hoc
riùs, ubi ad Grodnenſia Comitia deventum fuerit. Altera item ab
Marchione prodijt factio. Elector Brandeburgicus Regis Pruſſiæ
derni parens in Alſatia Colligatorum exercitui contra Galliam pro
neraliſſimo præerat; quem ut illinc avelleret, Suecos induxit: ut
habitâ ratione fœderum merè in favorem Galliæ, ruptâ pace inſpe
in ejus dominia irruerent: quo factum eſt, ut Elector poſtpoſitis al
cõmodis ad ſua tuenda converti debuerit. Nec defuit juſtæ cauſæ
eventus: nam aſſumptis octo millibus Equitum ad Ferberlinum
minùs timentes, datâ teſſerâ, in nomie Domini, egregiè cecidit ho
Cincto deinceps ab illo obſidione Stetino omnibus modis laboravit
dictus Marchio, jamq; Regem ad connivendum induxerat; quò Si
per Samogitiam in Pruſſiam ingredi licuiſſet; verùm id fruſtra te
tum fuit, copijs Litvanicis Duce Pac, qui cum Electore amicitiam
lebat obſiſtentibus. Abij poſt hæc elapſis aliquot hebdomadis pro f
re Avunculi Gneſnam, deinde duabus abſumptis ſeptimanis Lovic
me contuli, ubi jam tum contagio prævaluerat; ex qua Palatina Ra
ſis Vidua poſt Avunculum meum in pago Lovicijs proximo dec
Ortâ inter ſucceſſores diſſenſione (quòd Succamerarius itemque C
taneus Wielunenſis per violenta media nullo reſpectu Conſucceſſo
habito ſibi omnia vendicare volebant) cùm aliter res componi non
ſet, decreta à Rege commiſſio eſt, quæ Executoribus adjuncta pr
re & juſtitia reſidua bona in ſucceſſores partiretur. Conventum ig
Lovicium ad arcem poſthabito peſtis metu, ibiq; primùm famuli, d
de prætendentes innumeri planè, demum Succeſſores ſunt quietati.
tandum verò à Canonico Culmenſi Prætnicio (parco cenſuræ, q
meruit) non leviter famam piè defuncti dictis læſam, quæ poſtmo
ſe inficiatus eſt eſſe locutum. Aſſeruiſſe autem ferebatur, ſibi defu
Primatem per ſomnum manifeſtum fuiſſe, & illa protuliſſe verba:
prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur? quæ poſtmodu
jocum ceſsêre. Aderat ſub executionem Lovicienſis Canonicus, qui
quando Soc. JESU Alumnus fuerat, Wosdazy Critico-jovialis ſali
que celebris, Canonicatum ſuum à fulcris nominavit, quòd reclin
rum illius ex bino latere fultum eſſet. Viſo Collegio Patrum Pia
Scholarum duas inter cauponas inchoatum, facetè de illo ex Polo
aſſumpto joco luſit; dicendo hinc indè Piarum, in medio autem Sc
larum. Frequens hoſpes apud theſaurarium Regni Morſztyn, quoti
nuſq; conviva exiſtens ſuos illi dedicavit verſus præfatus: venit ad t
ber meus, ut ego ſoleo non invitatus. Apud quos cœnabat, vocabat
cœnates, apud quos verò prandebat Me-Prandetes. Hic igitur etiam
vicij luſit nobis præſentibus, in eo præcipuè loco illud, quid pro
verificatum aſſerens; quod nemini quidquam ab Executoribus ſine
etatione daretur: uti & ſecundò dicendo, ſe ſcire, ubi numerentur p
niæ; neſcire autẽ, ubi comedatur, quòd quivis metu peſtis ad pagũ co
geret. Finita ea cõmiſſio eſt nõ cũ plena omniũ contentatione: plura e
impertinẽtes, quã conſanginei tulerãt: nec hac labe iñunis fuit Admini
tor Krajewski; utut poſtmodũ datâ de calumnia Accuſatorib⁹ ad trib
citatione obtentoq; ej⁹ decreto inde evaſit. Interfuit huic executioni F
ciſc⁹ Gałecki Archimagyr⁹ Regni, deinde Caliſſienſis & Poſnanienſis
ſt

ſtellanus, tum Jmo-Vladislavienſis, tandemque Caliſſienſis Palatinus, A.C. 1677
Nomine Reginæ mutuas poſtulans pecunias, quibus Jaroslavienſia bona illa redimeret. Dedit Capitulum aliquot mille aureos, quibus de meo mille adjeci, qui Grodnæ mihi ſunt reſtituti. Sepoſita etiam viginti millia pro alendo Sacerdote, quæ in bonis Zatuskie hærent. Exceſſerunt interim Gedano Majeſtates, quas Pilaſzkeviciis aſſecutus obtuli illis altare argenteum valoris decem millium imperialium, à Cæſare Avunculo meo oblatum dum deducturus Archiducem Eleonoram pro Rege MICHAELE Legatione fungeretur nomine Succeſſorum; annulum verò ab Imperatrice Matre Sponſæ, duasq; Cruces ex Smaragdo alterâ, alteram ex ſapphiro eodem nomine Reginæ præſentavi. Advenerant eodem die quo ego Deputati à Tribunali Regni, quibus, cùm nullus adeſſet Magnatum, extemporaneus Orator tam Regis quàm Reginæ nomine reſpondere coactus ſum, & hæc mea prima functo fuit. Ab inde ad ſua obſequia me Regina admiſit & ſigillum reddidit, de quo fruſtra poſtmodū Pra misli niſi Epiſcopus Sbąski tanquam actualis Cancellarius contēdit; nunquam enim illud recepit: quòd aut rarus aulam eſſet aut difficilem ſe præberet præſens ad reſpondendum nomine Majeſtatum, cujus tamen frequentiſſima erat occaſio. Tandem Javoroviam pervenimus celebrando baptiſmo Principis Regij ALEXANDRI deſtinatam. Abſolvit illum Archiepiſcopus Leopolienſis Lipski, in cujus ingreſſu Leopolim concionem habui. Levavit ex fonte dictum Principem nomine INNOCENTII XI. Nuntius Martelli, Princeps autem Radivilia Germana Regis nomine Imperatricis Viduæ, aſſiſtente Dño Zerowski; qui pro illo actu charactere magni Legati inſignitus erat. Sub ea ſolennia prætacto Legato caſus evenit, qui illi in dolorem, nobis in riſum (ut aliena infortunia ſolent) vertit. Ibat forſan ad balneum, ut erat ceremoniali pallio opertus cum D. Czechrowski Mareſchalco aulæ Principis Procancellarij & Campiducis per hortum Javorovienſem; cùm uterq; in decipulam aquaticam incidit: dolorem hinc quidem in publicum prætulimus, clam autem riſum continere non poteramus. Exhibita eodem die in horto Javorovienſi cum illuminationibus comœdia, ſucceſſit inde magnifica collatio, in qua ex Commiſſione Regis Nuntio adſtiti. Hunc actum exceperunt nuptiarum ſolennia Leopoli inter Procancellarium Regni & Sororem Reginæ celebrata. Ingreſſus cum ſumma pompa in deaurata rheda calicis inſtar factus, occurſum à Proceribus, ingens Magnatum & Procerum aliorumq; concurſus fuit. Adfuit huic actui Epiſcopus Luceorienſis Dąbski, qui mutuò datis ducentis millibus Reginæ pro redimendis bonis Jaroslavienſibus, ſpe Cancellariatum devoraverat: Verùm ſua illum ſpes fefellit Rege ſe nullatenus flecti ſinente; ut ei hoc munus conferret: nihilominus illi pecuniæ ſunt. Expeditus illinc Petrus Korycinski Præpoſitus Miechovienſis in Hiſpaniam, quam Legationem multo labore obtinuit ignarus fati ſortisque futuræ; nam hominis vota intercipiente cælo ante vitâ, quàm Legatione defunctus eſt. Ceſſit ab obitu Epiſcopo Præmislienſi Præpoſitura ſupra nominata. Reddidit Sponſam Jablonowski tunc Palatinus Ruſſiæ & Campidux Regni, mihi autem ex tempore pro nuptialibus donis, quæ duob⁹ offerebantur diebus, reſpondendū fuit: celebratæ & alteræ nuptiæ ſunt vertente hebdomadâ inter D. Modrzeiowski tū pincernam Siradienſem deinde Theſaurarium Curiæ Regni, qui glorioſiſſimo ad Viennam fato occubuit & Caſtellanidem Præmislienſem Kraſiciam. Invitatus pro redditione illius Epiſcopus Præmisl: fuerat; verùm

A. C. 1677 is pridie actûs, ficto potiùs, quàm vero morbo (ut ajunt) ſcholaſtico laborans, totum in me onus & Virginem & ſertum reddendi, agendique gratias pro muneribus derivavit. Expedita deinde univerſalia pro primis Comitiis Grodnenſibus, quæ puerperio Bialæ à Regina anticipata fuêre. Filia nata eſt non diu à partu & baptiſmo ſuperſtes. Baptiſavi eum infantem, quòd ægriuſculè valeret, ubi primùm in lucem effuſus fuit. Ingens ibi mortalium confluxus Radivilio Principe ſumptibus non parcente. Totus ille ad magnificentiam factus continuatis quemq; excepit convivijs, nec operoſa deerant ſpectacula: redux enim cum Conſorte ſua ab exteris, plures ſecum Muſicos, Cantores, Actoreſq; adduxerat. Rex ſub iter Grodnam invitatus à Theſaurario Litvaniæ Sapieha Wyſoci aliquantum ſubſtitit ſolenniter ab eodem exceptus.

INSTRUCTIO AD COMITIOLA PALATINATUUM, REGIO LEGATO DATA. 25. Decemb: Anno 1678.

NON incuſat Mtas Regia favorem Numinis, imò magna providentiæ divinæ, quam inter mille diſcrimina ſuper ſe, Patriamq; experitur, veneratur documenta: in hoc potius de noſtro conqueritur infortunio, quod ſicut poſt Chocimenſem, ductu ejus, victoriam, movere verſus Danubium, ut optabat, foroq; & fortuna uti recenti, noluerimus, ubi inermem ex accepta clade, trepidumque illum Monarcham inveniſſemus; quod ſequenti anno Ucrainenſem reliquerimus expeditionem, in qua tam inſignes & fortunati ſucceſſus erant; quod Comitiorum Coronationis ſancita executioni mandata non fuerint, quæ Rex in Valachiam inducere debuerat obviam hoſti, laudabilemque ab eo pacem extorquere; quod eodem tempore non mediocris pars exercitûs, propter tardã in Palatinatib⁹ exolutionẽ ſtipendij, tam gravis permiſit occaſionem elabi experimenti, quo tamen honeſtæ, & genti Polonæ non indecoræ victæ ſunt conditiones; ita, ubi in præteritis Comitijs ferè contra Regium ſenſum, non expectando, ut expediebat, ſub clypeo approbationem pactorum Zuravienſium, placuit Statibus Reipub: Exercitum recinctis armis diſcretioni potentis, & inde ſuperbæ Nationis committere, cui noſtra ignavia, Comitialia ſtatuta, & ſecretiorũ conſtitutionum innotuerunt contenta, condictis ſub Zurawno conditionibus, ſcilicet ceſſione cum Miedzibozio partis Podoliæ, relictione penes nos Dalruci, Niemiroviæ & Bari cum aliis; Sepulchri CHRISTI D. ritui latino reſtitutione, obſidum Leopolienſium redditione, Legatum tã diu detinuit, donec belli & armorum potens, ſimul bellum & pacem illi obtuliſſet, velut diſarmato, liberam eligendi alterutrius dando poteſtatem, cum eo complemento, ut pro beneficio ſuſciperet, qualemq; pacis conditionem genti noſtræ dediſſet Porta: Sic extrema neceſſitate adactus Legatus pacis acceptavit leges; ut verò etiam nos eadem involveret neceſſitas, non prius Turcici Exercitus in Ucrainam movêre gradum, quam Duces noſtri confirmantes ſe datæ à Repub: Legato inſtructioni cui ſe per inevitabilem neceſſitatem Lublinenſe & Leopolienſe Senatus-conſultum conformare debuerat, imperârunt evacuationem Bari, Kalnici, Niemiroviæ & Miedzibozij, ad evacuationem verò, dum lento paſſu ideò ſponte procederetur, ut belli in Ucraina cœpti oſtenderetur experimentum, ex cujus eventu futura diſponeremus conſilia. Unde, quando circa 1. Sept: evacuatio non eſt ad effectum deducta, Gens illa, proſpero ſucceſſu accepti, & everſi, in conſpectu 200000 Moſchovitici,

tici 100000 Coſatici, 50000 Caſanenſis, Aſtrachanenſis, & Calmucenſis E- *A.C.* 1678
xercitûs, Czeherini, eiſdem Exercitibus aucta, totam ſuam potentiam in non evacuata convertebat fortalitia, novum nobis illaturа bellum niſi Reſidens apud Vezyrum Palatin. Culmenſis eam ſibi feciſſet authoritatem, cum aſſecuratione, evacuandorum ſine mora præſidiis Fortalitiorum. Jam ergo omnibus & ſingulis Regni noſtri Incolis ex ſupradictis conſtabit, quam dura pacis conditio, & quàm incerta ſecuritas ſortem maneat Reipub: Unde Mtas Regia conſiderandum proponit primum hoc & principale punctum, ſecuritatis publicæ, ad quam providendam, ut plenaria facultas detur Nuntiis, pro futuris Comitiis, intereſt ſalutis publicæ; cùm præſertim ſimus in tam proximo confinio potentis Vicini, nimium gravis & formidabilis rerum noſtrarum Inſpectoris, à quo nos non jam Danubius, Prutus, & Tyra, verùm ſola mutua inter ſtatus unio, amor & confidentia tuebuntur: quibus impenetrabilia parari ſolent populis monumenta: Hinc licet Mtas Regia majorẽ optaret dare informationem, & pleniorem de imminentibus periculis præcautionem; per rationem tamen ſecreti, hoc vel maximè rerum ſtatu, neceſſarij; ad Comitiales reſervat conſultationes.

Poſt primum ſecuritatis punctum, in pactis expreſſum, de Commiſſariis ad diſlimitationem & inſtitutionem in confiniis judicum, qui controverſias, in viciniis occurrentes, ceu belli fomenta, poſſint dirimere: Quod facilius fieri poſſet, ſi civilibus mediis, nec armatus ad hanc executionem pactorum vicinus accederet. Verùm quia, ut ſupra dictum, ſucceſſu rerum ſub Czeherino hæc Gens ferocior, conditiones per Legatum noſtrum à Porta victas, ita revocat, & gloſſis explicat, ut civitatibus illis, quæ in Ucraina ad nos ex pactis pertinere debebant cum attinentiis, non niſi juxta ſuarum Coloniarum dimenſiones circumferentiam; non verò œconomias adjudicet: Quia hactenus Exercitus Turcici Ucrainâ non exceſſerunt: Quia Tartari, homines in captivitatem abducunt, interea ſubſiſtens in armis potentia, non tantùm evacuationem dictorum Fortalitiorum per literas requirit, in quibus victoriam de Moſchis obtentam jactanter nuntiat, verùm etiam per expreſſum Agam Cameneco urget, reſtitutionem detenti apud Palatinum Siradienſem Beij, ſine quo nec obſides Leopolienſes, nec primariè magnꝰ noſter Legatus, à Porta expedietur; magis noſtra videntur differri quàm auferri pericula. Injunxit præterea Mtas Regia Cancellariæ Regni, ut de eo, quod jã in Senatus-conſilio agitatum eſt Leopoli, Reipubl: Status informaret; quod ſcilicet duo, inter alios ex præcipuis, Baij poſt Chocimenſem victoriam invenirentur captivi, alter apud Palatinum Siradienſem, alter apud Strzalkovium, expertus Regiam in captivitate diſcretionem & expenſas aliquot ſupra 10 millium, ad nudũ verbum dimiſſus eo, quod Strzalkovio notabilem ſummam pro impenſis in ſe aliquot millibus eſſet per modum lytri ſoluturus.

Nunc Porta pro Leopolienſi redemptione computando liberatum Beiam, nunc jam factum Baſzam; ſimili conditione etiam alterum urget; unde dum ſeptuaginta millia imperialium redemptionis Leopolienſis, & libertatem his duobus Bais lucratur Reſpublica; proponit ergo hanc Mtas Regia neceſſitatem, ut, ſicut Palatino Siradienſi, pro expenſa in Beiam, in manibus ejus exiſtentem, provideatur ſatisfactio, ita Strzalkovio quidquid in alterum ex proprijs erogavit, ſumptus ſuos in eundem Bejam ex magnanimitate erga hanc patriam expenſos Mtas Regia non revocans in memoriam, in hoc informat, quod, niſi liberatio

A. C. 1678 tio eorum Bejarum fiat, prolongandi ſint Leopolienſium obſidum agones, quod tamen amplius permittere, Chriſtiana vetat pietas. Unde reſtat, ut ſpecioſo pacis titulo, ampliùs non deludamur, hæcq; otia, quæ nobis DEUS Optimus in noſtrum conceſſit bonum, ſaluti publicæ impendamus; in quo ex alta ſuæ providentiæ ſpecula Regia Mtas toties, totiesq; præmonet.

Proximè expiraturum cum imperijs Moſcoviticis armiſtitium, hoc rerum ſtatu, Magna Reipub. includebat momenta; adeoq; licet in præteritis comitijs varijs Reſpub. ut ſolet, impenſo tempore, mutationibus; nec Coñiſſarios, juxta pacta Andruſzovienſia, deſignavit; nec eis inſtructionem conſcripſit, nec ſumptus pro tractatu providit, qui, quatuor poſt comitia menſibus, ſcilicet in Julio præcedentis immediatè anni incidebat. Tamen Mtas Regia paterna ſollicitudine antevertendo publica pericula, quæ ex non ſatisfactione pactis, adeoq; ex incertitudine amicitiæ Cari Moſchoviæ, emergere poſſent; convocato Senatûs conſilio, coñunicatoSenatoribus &OfficialibusMagni D.L.negotio mittere dignata eſt ſuppletoriam informationem Nuntijs, qui ex præteritis Comitijs in Moſcuam, pro renovatione, inter Monarchas amicitiæ ſunt expediti; ut inpracticabilitate tractatûs cum Mediatoribus eo tempore,quo Principes Chriſtiani ipſi ſecum diſſident, evictâ, amicitiam illius Monarchæ conſervarent, & diſpoſitionem earum rerum facerent, quæ in rem, & ſecuritatem Reipub. conferunt. Et certè ſucceſſit non infortunatè negotiatio Nuntijs, hominibus aliàs ut magnæ, apud eos vicinos, famæ; ſic integri in Patriam amoris; videntes enim, illud in Moſcua conſilium, reſolutum eſſe ad ineundam, noſtro diſpendio, cum Porta pacem, in quantũ à nobis ſecuritatem amicitiæ habere non potuerit; tandem die 19 Auguſti, armiſtitium cum Czaro, ad 13 annos ab exſpiratione præteriti; qui in computo, quindecim facient, confirmârunt. Pro quo ad ſeptuaginta milliaria avulſorum reſtituit, duos milliones currentis monetæ promiſit, ex nunc̃q; unum millionem in manus Nuntiorum conſignavit, alterum in futuris Comitijs per ſuos plenipotentes Nuntios ubi tractatus per Comitia ratificatus fuerit, ſe redditurum declaravit: Pacta Andruſzovienſia Sacramento perſonalis juramenti confirmavit: reliqua ad ſecuritatem gentium pertinentia per eosdem ſuos plenipotentes Legatos in futuris comitijs exponet Statibus Reipub. quos compendioſè Mtas Regia informando de transactione in Moſchua condicta, ad approbationem eorum pertinente; tandem ſalutare fore Reipub: judicat, quatenus Palatinatus; ut ſupra dictum; dent plenam poteſtatem Nuntijs concludendi, quidquid ex ſecuritate & utilitate Reipublicæ cum Czaro poterit conſtitui.

Poſt externa; quia primum locum inter conſilia publica occupat, debita bene merito Exercitui ſatisfactio, nõ dignatur Mſtas Regia in inſtructione ſua ſpecificare quantitatem & qualitatem debitorum, non ignara datam eſſe ſufficientem de his omnibus informationem à proprijs SandomirienſisCom miſſionis, Commiſſarijs: id tantamRegiam ejus concernere videtur providentiam, quomodo nam Palatinatus & terræ, in quibus fiſcales aſſignationes ſuppreſſæ interierunt, per realem executionem factâ bene merito Exercitui ſatisfactione, in futurũ illi, ſine quo in tanta tam potentis hoſtis vicinia ſalvi eſſe non poſſumus, in futuris, DEO dante Comitijs proviſuri. Et quoniam Chiliarchi de propriis regiminibus hebdomadarias, pro victu, penſiones, vulgo Lenungi impendentes, ulterioribus expenſis nequeunt ſufficere, Mſtas Regia centum millia, de

pro-

proprio pro eis impendit ærario. Item ex Senatûs conſilio Leopoli deſignatam pro legatione Romana pecuniam eodem ordinavit; nunc deficientibus ulterioribus modis Mſtas Regia conſiderandum proponit; ut Palatinatus modos provideant, quibus Regimina ad felicem comitiorũ concluſionem ſubſiſtere poſſint, & in obſequio Reipub: contineri; aliàs ſicut plebs neſcit jejuna timere, ita miles obſequi; cujus ordinatio uti & hybernæ pertinebunt in futurum ad ſtatus Reipub: *A.C.* 1678

Ut licet coloratus concluſæ pacis titulus à qualicunq; bello concedit reſpirium, à cogitatione tamen armorum non liberat; unde, cum Artileria Regni propter exſolutam trimeſtrem penſionem contractis debitis ſine proviſione maneat, & avertant Superi repentinum in Rempub: caſum ſine uſu maneret, ideo æquum judicat Mſtas Regia, ut Palatinatus providere velint ulteriori ejuſdem ſeu Artileriæ conſervationi, à qua præcipuum haberi ſolet defenſionis robur, & victoriæ ratio.

Telonium generale, licet inter conſtitutiones lege expreſſa contineatur, tamen quidam Palatinatus in aliud contributionis genus hos cẽſus commutârunt, alij acceptarunt, quidam verò contradictionibus impediunt: unde ab æquitate & neceſſitate non diſſonũ videtur Regiæ M., ut Status Reipub:, conſiderando in his telonijs nonum millionem, qui ex calculatione militari emerſit, cõmiſſione Sandomirienſi eſſe aſſecuratum, quæ aſſecuratio Exercitum in obſequio & fide Reipub: continuit: aut dictam de Teloniis Generalibus conſtitutionem approbent, aut alium modum in recompenſam provideant, coæquationem contributionũ, ut rem juſtiſſimam in futuris faciendam Comitijs, inter prima habendo objecta.

Juſtâ perpendens Mſtas Regia reflexione, Rempub: ære alieno gravatam eſſe; cum nondum venerit tempus, quo lucrativa, ſeu deterior moneta tolli poſſet; optat, quatenus uſq; ad futura DEo dante Comitia, in eodem valore, ſcilicet florenorum duodecim Hungarici, & per conſequẽs alia moneta, ductâ proportione currat, nec pro arbitrio mercantium augeatur, aut deprimatur.

Et quoniam in proximè præteritis Comitijs Status Reipub: agnoverunt nimiam facilitatem in admittendo ad inſignia Nobilitatis pene immeritos, dumq; antea de admittendis magnis nominibus quæ ſimilia ambiebant decora, dubitaſſet Reſpub:, nunc ignotæ animæ ſunt aſſecutæ catalogum Nobilium, ideo Majeſtas Regia conformans ſe ad novellam conſtitutionem, dignatur eorum nomina per expreſſum Comitiolis porrigere, quos Regio judicio dignos eſſe judicavit, non alio motivo, niſi quod reali in Rempub: gratitudine hunc ſibi reſpectum meruerint. Nomina verò à Regia Majeſtate commendatorum & Reipubl: utilium candidatorum ſunt hæc: Wodzjecy Grott, Brawski, Batban, Neſterowicz, Kraſuski, Georgius Koſoni, qui realem ſupra 100millia ſummam meruerunt; quam pecuniam Mſtas Regia, per Senatus conſultum Cracoviæ, ordinavit pro commeatibus perpetuo manſuris, ut ad rationem ſtipendiorum Infanteriæ in caſtris & fortalitiis dari poſſent, & in locum impenſorum alij pretio comparari: verum ceſſavit hoc tam inſigne op⁹, Sandomirienſi commiſſione de ſumma illa aliter diſponente. Sic, cum plures præter ſupra dictos tunc Majeſtas Regia non commendâſſet, nunc juſto commendat reſpectui, ſtrenuum heroem, actualiter circa fortificationẽ civitatum, & in caſtrenſibus expeditionibus militantem nobilẽ Kerenza ſufne utilem, propter ſupradictam peritiã, virũ, ut illũ inſigni Nobilitatis Reſp: ad ulteriora alliciat obſequia, præterita ineo merita præmiãdo.

A.C. 1678 Notum eſſe omnibus, non dubitat Mtas Regia, quantum impendere dignata ſit, complanationi ſimultatum Gedanenſis urbis; rectè judicans tantum Regni & Europæ Emporium dignum fuiſſe ſuſceptis à Regia Mte laboribus. Verùm quia poſt tot Paterna Regiæ Mtis pacificationis media, poſt lata ex controverſijs partium decreta, non tantum interna tranquillitas non redijt; verùm etiam enormis Mtis divinæ læſio & hiſce ſæculis, etiam barbaris gentibus inaudita facta eſt violatio, adeo ut calamus minimè præſumens, omnes illos deſcribere auſus, quos ſcelerata impiorum turba in ſanctuarium Domini, & pauperes commiſit Religioſos, præmittat manifeſtam vocem abominabilis deſolationis in templo Carmelitarum; ut ea ipſa exprimat in Sanctiſſima Euchariſtia, altaribus, imaginibus & inſontibus Religioſis, tot impiorum ſcelera, & tot Iconoclaſtarum facinora: unde Mtas Regia zelantiſſimi Principis functa officio, ex ſenatus conſilio requiſivit illius urbis Magiſtratum, ut ſine mora læſi numinis oſtenderent vindicias; quia tamen hactenus ultimaria non eſt facta ſatisfactio, magni momenti interceſſerunt impedimenta, quæ tamen dilatas hucuſq; non auferent gloriæ vindicias pientiſſimo ſub Principe.

Hic Mti Regiæ præterire non licet, ſine quo pax cum Porta coaleſcere nequivit, ſcilicet civitas & fortalitium Miedzybozium, cum amplis poſſeſſionibus ad Sienavium, Curiæ Regni Mareſchalcum, pertinens. Quod quia gens Ottomanica ita extorſit, ut nullo modo nobiſcum paciſci voluerit, ſine conplacita poſſeſſione; ideo, Mtas Regia videns cecidiſſe in victimam ſalutis publicæ fortunam tanti Herois, & Senatoris; cujus familiæ excellentiam & antenatorum merita Polonæ gentis referunt faſti, propriam verò dexteritatem & reſolutionem, numeroſa, in quibuſvis caſtris & occaſionibus, loquuntur experimenta; interponit ſuam, Mtas Regia ad Palatinatus inſtantiam; quatenus in futuris, Deo dante, Comitijs, competens pro ejus laboribus provideatur ſatisfactio: nec dubitat Mtas Regia tam favorabilem cauſam, ſuos in ea gente reſpectus inventuram, quæ non mediocria ſuper Podolienſes exules nuper compaſſionis dedit documenta.

Ordinarium Reipub. negotiorum in Comitijs curſum, variæ intervenientes morari & impedire ſolent materiæ: inter quas quandoquidem in publicam conſiliorum ſeriem ſolido paſſu Oſtravienſis interceſſit ordinatio; ut hæc actum, & conſilium Comitiale, ulteriori interjectu (ut in geminis jam practicatum Comitijs) ſine ulteriore deciſione & diſpoſitione, non præpediat; optat Mtas Regia, ut adæquatè ejus quietationis efficacia adinveniantur media.

Quoniam Cracovienſia ſalinaria vulgò Zupij, propter varia impedimenta, defectum & conſumptionem ſalis magnis adeo implicantur difficultatibus, ut nec ærarium noſtrum ex mente legis, nec ſtatus nobilium, ſuam habere commoditatem poſſit, penſiones perpetuæ fundationis, labores, ædificia, aquarum extraditio aliaq; omnia neceſſaria, ceſſare debeant & deficere; ut œconomia, nobis & Reipub: tam neceſſaria, ab hujuſmodi ruina præſervetur & in ſtatu quàm optimè conſtituatur committent Palatinatus Nuntijs, pro futuris, Deo dante, Comitijs, electis: quatenus ineant circa id cum Repub: rationes; præſertim ut Lubomirſciorum ſalis fodinæ Cunegundis dictæ adjungi poſſint ſalis fodinis Wielicenſibus, ſuppoſita proviſione compenſationis.

Quo plus intereſt totius Reipub. ut Leopolis velut unicum contra repentinos inſultus & caſus propugnaculum, fortificetur & muniatur, eo major

major à statibus Reipub. habendus est respectus fortificationis, munitionis, inductionis & conservationis præsidiorum:: quod totum, intensissimo studio Mtas Regia commendare dignatur uti & alias ejusdem civitatis necessitates, simulq; debitum Badovij ad Rempub. reddendum. Perspectum habet Mtas Regia, quod ad mentem antiquæ legis, futura Comitia incidant tractanda in M. D. L. in civitate Grodna; ideoq; in illo loco ea dignatur indicere; non omittens tamen præcautionem statibus Reipub: quod scilicet civitas hæc non ita, ut esse debuit, instructa sit ædificijs; unde quanta futura sint hyberno tempore incommoda, facile Palatinatus perpendent & pro libitu decernent. *A.C.* 1678

Ultimo tandem Mtas Regia è specula paternæ providentiæ, & Regiæ sollicitudinis, solitâ perpendens perspicaciâ, quantùm interest salutis publicæ, & securitatis moderna Comitia felici eventu concludi, quandoquidem unicum id duntaxat tempus, favorabilibus ex conjuncturis nobis concedunt Superi, sublevandarum ruentis Patriæ rerum quo non bene impenso & amisso, (quod DEUS avertat) nihil salubre Patriæ huic iminere posset; ideo sicut commendare dignatur Palatinatibus immensa felicium Comitiorum pretia, ita optat, ut concordiâ & uniformitate fraterna, sublatis primò omnibus bonorum consiliorum obicibus; prudentibus, & publicum bonum amantibus, è medio sui, ad functionē Nuntiorum electis viris; datâ illis (ut supra toties dictum) sufficienti in omnes bonorum consiliorum eventus instructione, ita ad hæc consilia accedere committant, prout ad suæ salutis sacrarium: in quo Regia Mtas, Regio Palatinatibus dignatur præire exemplo paternâ ad id se applicans sollicitudine, ut pullulantia inter cives diffidiorum semina, civilibus supprimat medijs, hancq; publico ex consensu instauret harmoniam, quæ sola salutaria confert consilia, & fortunatis illa coronat executionibus.

Sat jam pœnarum in civilibus dissidijs dedit hæc Patria, quando tot florentissimis amissis provincijs, tota velut ruitura nutat.

XXXVIII.

EXCERPTUM EX LITERIS ANDREÆ CHRYS: ZALUSKI SACRÆ REGINALIS Mtis CANCELLARII.

Relatio de primis Grodnenſibus Comitijs alterisq; ab illis Colligationis, alijsq; intervenientibus.

DATUM initium Grodnensibus Comitijs uti & alijs non admodùm felix, quòd nonnihil circa Electionem Mareschalci turbaretur, hinc Paciis suum promoventibus, Majestatibus inde Franciscum Sapieham pro eo munere optantibus, qui tandem etiam perruptis obicibus eum clavum tenuit. Graves deinde intercessêre tumultus; nam Princeps Demetrius Wisnowiecki Dux supremus Exercituum, Palatinus Cracovienſis mandatum, id est citationem dederat Hieronymo Lubomirski, tum Regni Vexillifero, quod in Hungariam complures Tekelio submisisset milites. Urgebat eam causam potenter Legatus Cæsaris Altein, nec minùs econtra defendebat Marchio de Bethune, ex cujus potissimum motivo id factum fuerat. Finitum tandem id negotium interventu Majestatum & pretio Comitiorum, in quibus Nuntius Apostolicus Martelli sacri belli tuba præclarâ oratione contra Turcas classicum cecinit. Ex occasione Grodnensium Comitiorum sciendum est, nulla ibi ante hac celebrata fuisse, quò

A.C. 1678 ſed à Chriſtophoro Pac privati lucri intuitu, nam Grodnenſem œconomiam tenebat, extorta, ſancitamque conſtitutionem, magis neceſſitate, quò finirentur Comitia quàm ratione: Unde contra eam Epiſcopus Cracovienſis Trzebicki tam in Senatu, quàm caſtro Radomienſi, ſolenniſſimam fecit proteſtationem, nec ea contentus pluribus literis ad Amicos datis & re ipſa confirmavit: nam, quò ad uſq; vixit, nullo modo induci potuit, ut Grodnam contra ſuam proteſtationem proficiſceretur. In Comitiis frequentibus Nuntiorum vocibus adactus Wydzga ſigillum majus in favorem Succeſſoris reſignavit; quamvis necdum expeditio pro Archiepiſcopatu veniſſet. In ea oratione ex occaſione illũ citavit verſiculũ: dum æra ſonora ſilent, ſtrepunt crepitacula rauca, qui nobis Aulicis non leve faceſſivit negotium, Rege in ſimilibus curioſiſſimo inceſſanter nos urgente, ut Authorem carminis indicaremus. Evolvi totum corpus Pòétarum, ſed fruſtra: demum ſuſpicione aſſecutus ſum in antiquis ritualibus, ſive agendis hunc latere verſiculum; quòd à feria quinta magna uſq; ad Sabbatum Sanctum æra campana ſileant, pulſentur autem crepitacula. Ceſſit ſigillum majus Procancellario Wielopolski; minus autem Culmenſi tum Epiſcopo Maſachowski. In iiſdem Comitiis decreta eſt conſtitutio reformationis Reginæ, ex qua occaſione hæc mihi acciderunt. Sciendum prodeuntibus univerſalibus Majeſtates privatum habuiſſe conſilium; imponendúmne hoc punctum de reformatione foret? diverſis diverſa ſentientibus, ego exiſtimavi ſuperſedendum ab eo puncto ex ratione: quòd minùs faventes Regi arrepturi mihi videretur eam occaſionem ad cauſandos diſguſtus, articuloſumq; in contrarium extorturi, unde poſtmodum grandior foret difficultas obtinendi conſtitutionem: ſatiùs, ubi id factum fuerit, excuſare erit: præſertim ſi Regina ſive per literas, ſive per Legatos, quod eſſet convenientius, ad ſingula Comitiola dimiſſos, cuivis Palatinatui gratias egerit. Acceſſit ad eam ſententiam Rex non ſine felici eventu. Adjeceram videri mihi; quò occaſio aliqua huic negotio daretur: ut ex unis aut alteris Comitiolis; tanquam ex proprio motu Palatinatuum articuli in favorem reformationis proponerentur: quod & factum. Nam & ex Pruſſia & Palatinatu Ravẽſi, ex quo Frater meꝰ Vexillifer tũ, deinde Ravenſis Palatinus Nuntius fuit, ea propoſitio prolata. Cum igitur quodã veſpere opportunũ Regina crederet tempus; ut ea conſtitutio ſanciretur; quòd abſens Mareſchalcus Curiæ tum Sieniawski eſſet inimiciſſimus Reginæ; qui ſubodoratus ante Comitia eam materiam agitandam; de induſtria in Comitiolis Belzenſibus per Amicos ſuos graviſſimos in contrarium articulos procuraverat; undè ſummè arduum negotium erat, Nuntio Dunin Vexillifero Belzenſi deinde Caſtellano Lubaczovienſi obnitente, qui utpotè juramento obſtrictus de nullatenus concedendis in inſtructione vetitis indubiè operam noſtram peſſundaturus erat, niſi à Præſulibus diſpenſatum ſuper jurata fide fuiſſet: cùm autem Regina videret utpotè more ſolito in pergula uti Varſaviæ ita & Grodnæ arbitra eorum, quæ gerebantur in publico, ob paucitatem conſulentium exiſtimans tempus conſtitutioni de reformatione condendæ opportunum, avocatum à throno me cum propoſitione ad Regem expedivit; innuendo; ut Rex ad Epiſcopum Culmenſem mitteret: quò ex vi inſtructionis Provinciæ Pruſſiæ eam materiam introduceret. Invito ea functio impoſita fuit; quare monui Reginam, Regem non admodùm diſpoſitum eſſe, meq; vereri, non æquis auribus, uti re ipſa contigit, propoſitionem ab illo acceptandam. Verùm fruſtra hæc præcuſtoditio mea fuit;

fuit; parere debui. Vix initium hujus propositionis feceram; cùm indignatus Rex reposuit. non hujus temporis id negotium esse, & nec apparentiam quidem ut ea materia favorabiliter tractetur: nam etsi pauciores Nuntij essent, sed eos iniquiores futuros. Relato hoc responso non contenta Regina rursum me cum novis rationibus ad Regem expedivit: quidquid enim volebat, nimis volebat; nec modus resistendi fuit, excusavi petijq́, suspenderet tantisper, præcavi, graviter me reprehendendum; verùm frustraneæ preces fuerunt. Quamvis ergò jam futura præsagirẽ, parendum nihilominùs fuit; omni eventu respondente. Vix nomine Reginæ inceperam, ut ut mollissimis verbis discursum tegebam; cùm in mè toto impetu Rex irruit, meam accusans culpam; ac si ego induxissem Reginam ad id volendum, quod hic & nunc obtinere erat impossibile. Et quia per affectum plura contra me loquebatur; quàm ego merebar; ex impatientia in hæc prorupi verba: si non meminit Mtas Vestra, me Sacerdotem esse; saltem meminerit me Nobilem; nec me innocentem ita tractare velit, quòd Dominæ meæ exequar mandata: cum dictis exnunc à throno recessi, non expectando graviorem reprehensionem: retuli Reginæ dicta his ferè verbis usus: Habet Vestra M. solatium ex me tam indignè tractato; Verùm faxo ut id supremum sit: jam hoc momento valedico Mti Vestræ, præoptans privatam in Capitulo vitam cum honore; quàm cum damno & præjudicio ejusdem in publica vivere luce: nec mora; adii hospitium, & immediatè res cunctas componere jussi, famulosq́; viæ accinctos esse, cùm constanti intentione eo adhuc vespere Grodnâ excedendi; quod indubiè factum fuisset: nisi his cognitis Regina jam finitâ sessione cum Rege expostulâsset, meamq́; injuriam, imò & suam, (quòd per irrogatum mihi contemptum amissura esset fidelem famulum) exaggerâsset. Paucis opus fuit, nam nonnisi primi impetus apud Regem præcipites erant; mox remittebat cholera: quare exnunc expediti ad Ducem Radiviliam Germanam Regis insinuaturi, ut mihi dicta Princeps viam dissuaderet, secumq́; in arcem adduceret. Quid facerem? vocatus omnem movebam lapidem; ut id evitarem quod nomine Regio desiderabatur: at cedendum fuit, & authoritati volentium & suadentis, quæ me materno planè affectu prosequebatur. Contuli me ad arcem, vixq́; in conclavi Regio quod tum sibi supra portam Rex more solito elegerat, comparueram; cùm prior Rex me salutavit adjiciens ad salve, quàm mala Dominatio est? respondi, reprehensionem nimiam innocentis causam fuisse: extendit mox Regiam manum, meamq́; arripuit dicens cum expressione summæ bonæ; fateamur, facilis utriq́; cholera est: verùm ab hoc tempore Regio te assecuro verbo; te ne malum quidem verbum à me auditurum esse; tu vicissim id ipsum præsta, mihiq́; pollicere: quòd nunquam in me aliquam fovebis iram. Exosculatus sub hæc manum ad plantas accidi, & ab eo tempore adusq́; supremam vitæ horam, (vixisset utinam hactenùs) nè quidem contractam contra me adverti frontem. Captato deinde opportuno tempore, pacificatis minùs faventibus, Princeps Wisniowiecki Palatinus Cracovienſis Dux exercituum plurimum ad eam reformationẽ contulit; ad quem, dum à Regina missus essem in ea materia, dixit: providemus etiam vilissimæ (dum nubit) fœminæ ab obsequiis culinæ; quantò magis Reginæ. Difficultavit initio rem Lassocki tum Capitaneus Wyssogrodiensis, deinde Castellanus Jnno-Vladislavienſis, sed mox rationibus victus à suo sensu recessit, promisitq́; se eam rem promoturũ. Cùm verò Regina misisset promissi fidem postulando, ut hic & nunc vocem suã & activitatẽ exerceret, respondit se satis loqui etiã tacendo. *A.C. 1678*

Cum

A.C. 1678 Cum ſumo igitur applauſu decreta conſtitutio eſt, expeditæq; deinde tam literæ, quàm Legati, qui in ſingulis Comitiolis debitā Reip: redderent gratiarum actionē. Altera item conſtitutio ſancita tum eſt exemptionis œconomiæ Saulenſis, quæ per modum hypothecæ à DD Sapiehis pro 700. millibus tenebatur. Non grata quidem ea aſſertio accidit Creditoribus, verùm authoritati cedere illos neceſſe fuit. Miraculo proxima; ſi vera fuiſſet res, ſub hæc in Wolinia in domo cujuſdam Nobilis evenit. Certâ de nocte horâ, voces quæpiam audiebantur (animæ fuiſſe exiſtimatæ ſunt) quæ non tantum præterita, uti hunc vel illum æternæ ſalutis compotem, aut etiam damnatum eſſe; ſed etiam futura quædam prædicebant. Manavit hic latè rumor per univerſam Poloniam, præcipuè tamen Pater Gniewoſz ex Societate J. Theologus Principis Ducis ſupremi exercituum, rem ita ſe habere conſtanter aſſeverabat. Regi ipſi ex eo loco redux (nam ex mandato Principalis ſui eò diverterat) idipſum aſſèruerat: nihilominus Rex ſuſpenſo tantiſper judicio, dum plenius edoceretur, expedivit eò de induſtria D. Galecki Capitaneum tum temporis Bydgoſtienſem, datâ in ſcripto informatione; qualiter ad rem ex fundamento enucleandam ei procedendum eſſet. Redux ille ab eo obſequio meriſſimo caſu prandentem tum temporis offendit Regem; cui inter alios aſſiſtebat Pater Adrianus Pikarski de Societate JESU celebris CASIMIRI, MICHAELIS, (quamvis hic libentius audiebat D. Poplawski, modernum Epiſcopum Livoniæ, unde alternatam hos inter duos conſtituerat) & JOANNIS III Regum noſtrorum Eccleſiaſtes. Retulit prædictus Capitaneus ſe ſecundùm inſtructionem in ſcripto datam aſſecutum, rem eam totam adinventionis humanæ fuiſſe, meramq; deceptionem, utut artificiosè contextam: dumq; totam hiſtoriam, quomodò ea facta fuerat oculis ſubjiceret, Rex ex impatientia his Patrem Pikarski tum præſentem allocutus eſt: quid ad hæc veſter Gniewoſz? defendereque parantem graviore obruit reprehenſione, quæ cum aliqua læſione totius Societatis eſſe videbatur: undè tanta ex nunc prænominatus Pater apprehenſione laborare cœpit, ut immediatè ab adventu ſuo in Collegium in malignam inciderit, in qua aſſiduò in hæc erumpebat verba: læſa eſt Societas mea, vixq; hebdomadam ex eo decumbens morbo, tantus ille Eccleſiaſtes & Theologus & vir omnibus numeris abſolutus conſumptus eſt, quem Rex Epiſcopatui Kijovienſi & ſigillo Regni deſtinaverat. Mors ejus mœrorem in omnibus, in Rege autem aliquam excitavit apprehenſionem, nam verè (quamvis non ſtudiosè, & deliberatè, occaſionem ipſe dederat tam repentino fato. Exercita etiam judicia ſunt in dictis Comitijs contra Darowski læſæ Mtis reum, qui præter alios exceſſus in Mtem patratos Regiam etiam Iconem ex ſclopeto trajecerat. Abdicata ea cauſa abſente Rege ab eo judicio, & mors decreta; quam per clementiam condonantis Regis evaſit: nihilominùs ad mitiorem condemnatus pœnam Mariæburgum remiſſus eſt: ſed & inde per gratiam læſæ Mtis ſuas offenſas condonantis in libertatem aſſertus. In fine Comitiorum Princeps Radivilius Procancellarius & Campidux Litvaniæ omnem intendit operam, ut Legatus cum obedientia Romam eſſe juberetur: nec ſe ab intento ullo modo dimoveri ſivit, quantumcunq; tam Mtes, quàm amici hoc iter illi diſſvaderent. Incredibile enim, quàm tenax & obſtinatus in ſuo ſenſu fuerit non tantùm honoris appetentiſſimus, ſed etiam votis ſuis ſemel conceptis, dum fierent pertinaciter addictus. Inter alia deſiderium ſubierat philoſophici lapidis inveniendi; imò ſe inventurum omninò ſpe devoraverat: unde com-

complures curioſos homines, qui ejus menti ſuffragarentur, pellexerat *A. C.* 1578
nihil effecturus; nec tamen deſtitit: quamvis toties ſe fruſtratum & deceptum fugientibus emunctâ pecuniâ non exiguâ operis advertiſſet, quin perſeverans in illo erroneo deſiderio tanta aſſiduitate ſuis attendit fornaculis; diverſis materijs liquefaciendis occupatiſſimus: ut etiam vocẽ amitteret, ravi acquiſitâ, ut ægrè loquens audiretur. Invitæ Mtes condeſcenderunt tandẽ pertinaci ejꝰ deſiderio, declaratus Legatꝰ eſt tam Romã quàm Venetias, & ad Principes Italiæ. Romã quidẽ cũ obedientia, aliò autẽ pro petendo ſuccurſu contra Turcas. In ijſdẽ Comitijs conſiliũ magnum conſtitutum eſt ad latus Regium futurum, deputati non tantùm Senatores; ſed etiam ex Equeſtri Ordine cum plena poteſtate pariq; Comitijs. Finita ſunt Comitia more quaſi ſolito, Sabbato Sancto ante Matutinum, quo die etiam ingentes cecidêre nives, ita, ut Knyſzynum viâ carpentariâ diſcederemus. Præceſſi Majeſtates, quòd neceſſariò mihi acceleranda eſſet Gneſnam pro Capitulo; in quo Præpoſitum Gneſnenſem & Regni Secretarium Prazmowski, qui deinde in Epiſcopatu Luceorienſi fatis ceſſit pro Præſidente elegimus. Reduci ad Mtes Javoroviam, præpoſitura Jaroslavienſis poſt D. Brunetti Natione Italum hominem valdè verſatum præſertim in ſtylo, Regis Secretarium recenter defunctum à Regina mihi obtigit. Tandem pro termino conſilij illius magni profecti ſumus Varſaviam; in quo Dnꝰ Leſzczynski Inciſor tum temporis Regni, multa in contrarium Regi & dixit & fecit ſumptâ inde occaſione; rebellaverat illi civitas Wſchowenſis, ut malum hoc ſiſteret, principalem abripi juſſit & non obſtante eo, quòd appellaret poſt Curiam, judicavit, capiteq; plexuit. Ægerrimè id tulit Rex: inimicus enim erat effuſioni ſangvinis, nulluſq; ſub tempus officij ejus tam Mareſchalcalis, quàm Ducalis pœnas capite luit. Ex hoc diſguſtu dictus Leſzczynski multa dicebat & faciebat contra Mtem. In hoc conſilio ſcripta fuit inſtructio Principi Radivilio, quâ acceptâ Legationem ſuam abſoluturus profectus eſt, mihi relictis cifris ex commiſſo Regio deſtinato pro correſpondentia cum illo. Quantis difficultatibus in eo itinere conflictatus, fit dictu difficile eſt. Ingreſſus Viennam (nam etiam ad Imperatorem Legatus erat) cum ingenti pompa eſt, adlectâ non tantùm externorum ſibi aſſiſtentiâ uti famulorum, Equitum, Ephœborum ſplendidè veſtitorum, ſed inſuper aſſumptis ſecum ex Polonia cataphractis & ſquamatis loricis indutis ſtipatus: verùm hanc pompam brevi poſt confudit contagio, quæ ab aula Polona initium ſumpſit, ex qua aliquot inſigniores deceſſerunt. Unde parte aulæ expeditâ retrò domum, quamvis de induſtria miſſus Venetijs Curſor nomine Principalium ſuorum admoneret, ne ſtatum Venetum tentaret ingredi, ſciretq; ſe non admittendum: nihilominùs pro more pertinaciæ ſuæ diſceſſit. Verùm Tarviſij detentus luit pœnas obſtinati in ſenſu ſuo animi; nam duodecim & ampliùs hebdomadas inſumpſit negotiando diverſis modis, ut ei liber paſſus per Dominium Venetum daretur. Intromiſit ſe in eam negotiationem quiſpiam Baſſani, qui meum affectum expertus frequentiùs, deinde palmariè decepit, magnoq; mihi ipſius amicitia conſtitit. Idem Baſſani factus ex gratia Sbąſcij Epiſcopi Varmienſis Canonicus Varmienſis, qualiter tam ipſum, quàm Capitulum colliſerit impoſſibile explicatu eſt. At fruſtra ipſius negotiatio fuit, imperſuaſibilis ſtatus Venetus erat, nullo q; modo tranſitum concedere manifeſtus: quare duodecim & amplius hebdomadis inutiliter perditis incognito marinam tentavit viam, reſpondente eventu votis, nam aliquot duntaxat perſonis ſtipatus omnem

A.C. 1678 nem facilè eluſit cuſtodiam, & in ſtatum Papalem delatus, evicit tandem, ut reliquum aulæ eadem viâ per mare ſcilicet dimitteretur. Tandem ergo Romam appulit & cum ſumma magnificentia eam Legationẽ abſolvit; illud ſolum oberat, quòd deficiente pecuniâ, licet ea in magna copia ex Polonia expediretur, à Principe Radivilia, urgente, & juvante me, (nam mihi plenipotentiam junctim cum ipſa Principe ad oppignoranda & venden la quævis bona ſub profectionem reliquerat) non tamen ſufficere poterat, expenſis ſuperantibus cenſum coactus fuerit mutuas ſumere pecunias, reſq; ſuas Romæ oppignorare. Quòd quidem reputationi illi⁹ apud prudentes damnosũ eſſe non poterat, & eos; qui illius gnari phataſiæ modũ etiã vivendi illi⁹ generoſiſſimũ compertũ habebant. Fuit in delicijs Innocentio XI. Pontifici, honorq; ab eo illi omnis habitus, nec minùs à Collegio Cardinalium: potuiſſet, ſi diutiùs moratus ibi fuiſſet, intricatam circa jus patronatûs in conferendis Abbatijs cauſam, quæ per negligentiam Miniſtrorum hucuſq; nondum finem accepit, ad exitum perducere, ſermones & ejus & Pontificis adjungo. demoratus aliquot ultra decem hebdomadas Romæ, raritatibus variis quibus ſatiari non poterat, emptis valedixit Pontifici, brevi etiam mundo valedicturus. Nam vix Româ profectus ſimul Bononiam ſimul & metam vitæ à Deo ſibi deſignatam attigit. Domus Radivilianæ hanc urbem meritò Sardiniam dixeris, in eadem prorſus domo, quæ tum ad medicum Mateſilani dictum, nunc Marchionem à Rege factum, diem ultimum clauſit. A fatis illius ingens diſordo (copioſi enim Poloni difficiles regendo erant) fuit, corpus etiam dimittere Bononiâ noluerunt, fraude utendum fuit: per Franciſcanos Polonos ſecretò evectum eſt relictâ alterâ tumbâ ad ſpeciem ac ſi adeſſet corpus. Deprehenderunt hæc triſtia nova Mtes Zolkviæ, graviterq; perturbârunt, diebus aliquot in ſecreto ea habita ſunt nec ulli prodita, donec ex mandato Regis Leopolienſem Abbatiſſam Zolkwiam deduxi, quæ cum multis circumſtantijs mortem eam coram derelicta uxore ediſſeruit. Impoſſibile dictu eſt, quæ lacrymæ, qui dolores, imò & quanta deliquia animi fuerint. Diebus aliquot poſt ratione conſervationis diverſorum intereſſe valdè confuſorum & per cõplures, qui à defuncto comiſſa habebant implicatorum, commendavit mihi Rex Reginâ annuente, cujus actualis Cancellarius eram; ut quo ad omnia intereſſe Principi Viduæ auxilio forem, ſerioq; iterum id ipsũ ſub gratia ſua demandavit his formalibus utens: mihi præſtitum credã, quidquid ſorori meæ præſtiteris. Non defui ſpei & votis Mtum, per gratiam Dei totus in id incubui; ut aliquod milliones debitorum Venetijs & Romæ Princeps exolueret, quò Abbatem poſtmodũ Olivenſem Hacki cum magnis ſummis expedivit: deinde etiam Viennam Dominum Plater, qui poſtmodum Capitaneus Düneburgenſis fuit, pro eximendis ex pignore cimelijs, quæ itidem in acceptis mutuò Venetiis, Romæ, & Viennæ grandioribus hærebant ſummis, miſit. Acceſſit deindè ad liberationem bonorum à Creditoribus, quæ jam aſſerta & in ſatis bonum ordinem reſtituta reduces ab exteris filij Principes invenerunt. Secutis poſt hæc Comitijs Varſaviæ eoque Majeſtatibus proficiſcentibus lepidus nobis in via Szczebrzeſzyni & ſingulariter ſpecialis contigit jocus, ſubſiſtente ibi Rege Dominus Zamoyski Caſtellanus tum Leopolienſis, deinde Theſaurarius Regni, omnes aulicos ad cœnam invitavit: excuſavi me ab illa; nam literæ arcanis cifris ſcriptæ, quibus ego præeram, de mandato Regis, ex Polonia majore

jore advenerant: promiſi tamen in craſtino me obſecuturum, & jen- *A.C.1678*
taculo interfuturum: in quo dum toti aulæ præſenti peſſimum prorsùs vinum propinaretur; nec quiſquam id bibere vellet; paterfamilias, quò confuſionem evaderet in Præfectum cellæ vinariæ retorſit culpam, eum non prævidendo futura heſternâ die lagenarijs per hoſpitia ſpecialis vini ſat juſtum vas diſpensâſſe. Ad quæ ego: contentus & hoc vino ero, bibamque illud; dummodò puniatur Præfectus cellæ vinariæ pro hoc, quòd meum hoſpitium præteriêrit nec me participem fecerit iſtius vini, cum tamen non poſtremus ſim ad aulam: auditam hanc meam reſponſionem Lubomirski tum Vexillifer Regni, Dönhoff tum Abbas Witowienſis & omnes planè hoſpites repetiêrunt, & eandem pœnam poſtulârunt. Nullus planè aulicorũ ſuperfuit, qui ſe participẽ fuiſſe tã ſpecialis vini diceret. Pilaskievicijs ſignificatũ eſt de morte duorũ Epiſc. Trzebicki Crac. & Gembicki Cujav. Cracov. Epiſcopat⁹ in Comitijs collat⁹ eſt Epiſcopo Culmẽſi Maſachowski, Culmenſis ceſſit Caſimiro Opalinski, quem Stephanus Wierzbowski Coadjutorem Epiſcopatûs Poſnanienſis creaverat. Epiſcopatum Kujavienſem perſvaſi ut acceptaret Bonaventura Madalinski, Plocenſem ut ſolebat omnia, extorſit Epiſcopus Luceorienſis Dąbski, Luceorienſem accepit Witwicki Epiſcopus Kijovienſis, Kijovienſem verò Franciſcus Prazmowski, perpetuus hactenus ferè Præſidens; quia pluries, quàm decem vices illo perfunctus fuit officio. Munus is Secretariatûs reſignavit tum præſens, dum juramentum in ordine ad idem munus, quod mihi tum temporis Rex conferebat, peragerem: inſuper pugillares ſuos pro connotatione votorum Senatûs in judiciis donavit: verùm poſtmodum intra ſeſqui annum Cujavienſi, Plocenſi & Luceorienſi Epiſcopis per gradum altiùs promotis, Bullasq; ſuas Româ jam habentibus, ipſe proceſſûs ſui incurius fuit, malens adhuc Secretariatum Regni, qui tamen ipſo præſente & approbante mihi fuerat redditus. Fecit id autem Vir hic optimus, ſed commodi ſui non ſolicitus, de conſilio D. Krajewski, qui indignè ferebat ſe à me præventum, imò ideo magis, quòd Epiſcopatus Kijovienſis illum præteriſſet. Non obſtantibus tamen quibuſvis oppoſitionibus, usq; ad Comitia Colligationis in poſſeſſione fui Secretariatûs Regni. In iis Comitiis duas intra horas nemine contradicente Raphaël Lubomirski Vexillifer Regni factus eſt Mareſchalcus. Bonum inde deſumptum omen felicia & citò conſummanda fore Comitia, verùm in utroq; ſpes fefellit, quia ea Comitia Decembri inchoata ad Pentecoſten uſq; durârunt & demùm Vladislaus Przyiemski poſtmodum Palatinus Kaliſſienſis ea hoc modo rupit: dum diverſæ factiones negotia agitarent publica, ſpecialiter tamen Marchio de Bethune ſuſcepto rebellium Hungaricorum negotio videns ſe res ſuas ad optatum non poſſe perducere exitum, quærere cœpit modos, quomodo Comitia rumperet, quæ tam longo tempore cum ſumo omnium faſtidio protracta jam fuerant. Tandem Sabbato ante Pentecoſten circa horam ſecundam, dum adhuc ulteriorr prolongatio ultra Pentecoſten expeteretur, Przyiemski ex Poſnanienſi Palatinatu nullo modo conſenſit, proteſtatusq; eſt his formalibus: ſi hodie contributiones ſancitæ non fuerint, nec declarationes Palatinatuum finitæ: tum ego in conſummationem Comitiorum non conſentio, proteſtor & cum hoc exeo. Laboratum igitur tam à Majeſtate, quàm à Miniſtris circa Nuntios tam feliciter; ut intra aliquot horas declarationes obtentæ fuerint pro contributionibus. Reſtabat ut ad reli-

A.C. 1678 qua in ordine ad finem Comitiis faciendum accederetur, cùm ſtitit activitatem Czarnecki Notarius Campi Regni, allegando Comitiis finem dari non poſſe niſi Nuntius rediiſſet. Miſſum ergo pro illo ſed fruſtra, jam equis Palatini Poſnanienſis expeditus fuerat. Diſputatum dehinc an rupta jam forent Comitia, ſiquidem hæc conditio ab illo poſita ad finem faciendum fuerat adimpleta. Soluta eo die ſeſſione in ſpem reditûs, tribus diebus agitabatur ea materia, ſed quia Nuntius non comparuit; pro ruptis tanti faſtidij Comitia judicata ſunt. Vacans ſigillum poſt Małachowski redditum Joanni Gninski Palatino Mariæburgenſi, qui voto habito de aſſequendo Cancellariatu, cùm id fruſtra expectâſſet ſæcularis, reſoluit ſe ad ſpiritualem ſtatum, primumque ſacrum celebravit Villanoviæ ante Regium conclave, in quo ipſi adſtiti. Eodem anno natus eſt Princeps Regius Conſtantinus, ego autem Gneſnæ in Capitulo exiſtens obtinui Abbatiam Wachocenſem adjuvante ſincerè Palatinâ Kijovienſi nomineque Reginæ tum puerperæ petente pro me, etſi Epiſcopus Camenecenſis Woinski magni à Rege æſtimatus concurreret. Vidit hoc anno Polonia magnũ Legatum Venetijs Franciſcum Moroſini. Majeſtates ſe in Ruſſiam contulerunt, quò eas Nuntius Pallavicini poſtea Cardinalis ſecutus.

FACULTAS PROMOTIONUM COLLEGIO POSNANIENSI SOCIETATIS JESŨ

JOANNES TERTIUS &c

Significamus &c. magnâ nos moueri curâ propagandæ eruditionis literariæ, Sacræ & civilis, præſertim quæ cum ſtudio pietatis Chriſtianæ conjuncta ſit, ad eam Imperij noſtri dignitatem, felicitatemq; comparandam, quâ cætera Chriſtianitatis Regna florere conſpiciuntur. Et cùm Univerſitates ſtudiorum, Collegiaq; Societatis JESU Matres ſunt & nutrices omnis literaturæ, prudentiæq; pro toga & ſago neceſſariæ, ac veluti Miniſtræ æternæ ſapientiæ mundum gubernantis. Proinde ſummi Pontifices ſingulari pietate ac providentiâ, ijsdem conſulere cupientes per ſuas literas Apoſtolicas ſpecialibus Iuribus, Privilegijs, exemptionibus & immunitatibus dotaverunt, atque omnibus Univerſitatibus & Academijs in favoribus ſuis & favorum extenſione æquipararunt, & condecoraverunt, videlicet felicis recordationis Iulius Papa Tertius die vigeſimâ octavâ Octobris Anno 1573 Pontificatûs ſui Anno 11mo & Pius V. die 10. Martij Anno 1571 nec non GREGORIUS XIII. nonis Maij Anno 1578 Pontificatûs ſui Anno 6to ſtatuerint, authoritate Apoſtolicâ confirmârint, & ampliârint; quatenus Magiſtri & Profeſſores dictæ Societatis ubiq; ac etiam in locis, ubi Univerſitates ſunt ſtudiorũ Generalium, dummodo in ijsdem horis cum univerſitatum lectoribus non concurrant, publicè legere, ac diſputare valeant. Scholares verò

Colle-

Collegiorum Societatis quicunq; in ijs lectiones & diſputationes frequentaverint, in quavis univerſitate ad gradus literarios quoſcunq;, ſi in examine ſufficientes inventi fuerint, non minus ſed pariformiter, quàm ſi in Univerſitatibus & Academijs ſtuduiſſent, curſuum, quos in Collegio Societatis confecerint, habitâ ratione admitti poſſint & debeant. Nec non, ut Præpoſitus Generalis, vel de ejus licentia alius quilibet ex Præpoſitis vel Rectoribus Collegiorum, in quibus ordinariæ Artium liberalium, Philoſophiæ & Theologiæ lectiones habebuntur, curſuſq; ordinarij peragentur ſcholares, qui dictas lectiones frequentaverint, cùm per examinatores Societatis idonei inventi fuerint, ad gradus literarios in Collegijs Societatis dictæ, intra Univerſitates exiſtentes promovere validè, licitèque valeant. Inſuper ut in alijs quoq; Collegijs Societatis extra Univerſitates conſiſtentibus quoslibet Scholares, qui inibi ſub eorum Collegiorum obedientia, directione & diſciplina ſtuduerint, diſputaverint, prævio, rigoroſo examine prædicti Collegiorum, in quibus artium Philoſophiæ & Theologiæ curſus peragant Præpoſiti vel Rectoris, de licentia Præpoſiti Generalis, & per extenſionem ejuſdem ſedis Apoſtolicæ etiam Præfecti altiorum ſtudiorum cum duobus vel tribus Doctoribus aut Magiſtris Societatis ejusdem ad id deligendis, ad quoſcunq; Baccalaureatûs, licentiaturæ, Magiſterij & Doctoratûs gradus promouere, ipſiq; ſic promoti omnibus Privilegijs, prærogativis, immunitatibusq;, gratijs & indultis, quibus alij in univerſitatibus ſtudiorum Generalium, de jure & conſvetudine ſolent potiri, uti, gaudereq; valeant, perinde acſi gradus in univerſitatibus hujuſmodi accepiſſent ſupradicti Sanctiſſimi Patres pro ſua in bonum Eccleſiæ providentia conceſſerint, indulſerint, extenderint, & ampliarint. Et hæc omnia ſub cautela, ne ullo unquam tempore aliquo vitio, aut defectu notentur, impugnenturq;, pœnis Eccleſiaſticis munita ſint, prout literæ Apoſtolicæ fuſius loquuntur, & teſtantur. Idcirco hos quoq; eâdem pietate ac zelo gloriæ DEI, Regnique noſtri emolumento ducti, cùm Religioſum Divi Ignatij Societatis JESU inſtitutum, novo, eoq; gemino, pietatis ſcilicet, & literaturæ lumine, utriq; ante ſæculum illuxerit orbi, ab eaque humanas mentes vindicans caligine, quam ſeneſcentis mundi pridem invexerat ætas, noſtrum quoq; Septentrionem, Diviniori tum & politiori irradiaverit ſcientiâ, eodem ardore ſcientiarum amplitudinem cupientes, pari favore prædictam Societatem JESU (quam cum hac dote Apoſtolicarum gratiarum, Privilegiorum, & conceſſorum venientem olim complexa eſt Polonia Mater Noſtra) ejusq; Collegia proſequimur, gratias ſupra dictas Apoſtolicas Regiâ liberalitate concedimus, impertimur, & authoritate noſtrâ communimus, ac ſigillatim Clarum Collegium Societatis JESU Poſnanienſe, numerosâ nobiliq; Iuventute ſemper florentiſſimum, humanioribus & ſacris ſtudijs, curſibus Philoſophiæ

A.C. 1678

A. C. 1678 losophiæ ac Theologiæ institutum, Hæreticorum conuersioni peropportunum, ac de Patria ab antiquo optimè meritum, supra dictis prærogatiuis, gratijs, ac priuilegijs, uti & gaudere volumus, & de plenitudine potestatis Regiæ concedimus, quoniam ab eo loco procul absint uniuersitates Catholicæ, vicinæ autem Prouinciæ Hæreticæ cum suis Scholis & Gymnasijs subrepant, imò unica tantùm in amplissimo Regno nostro uniuersitas sit Catholica, contrà quàm Orthodoxa Regna habere soleant. In prædicto Claro Collegio Posnanienſi dictæ Societatis Præpositus vel Rector Collegij ejusdem, ac etiam Præfectus altiorum studiorum, quoscunq; Auditores Artium Philosophiæ ac Theologiæ post studia & cursus inibi sub obedientia, ac disciplina Collegij absolutos prævio rigoroso examine, & adhibitis Doctoribus uel Professoribus ad id eligendis, si eorum suffragijs idonei inuenti fuerint, ad gradus quoscunq; Baccalaureatûs, licentiaturæ, Magisterij & Doctoratûs promouere, laureas conferre, liberè, validèq; de authoritate nostra Regia valeant, prout in Collegio dictæ Societatis Romano conferri consueuerint. Promoti uerò taliter omnibus Priuilegijs, prærogatiuis, exemptionibus, libertatibus & indultis, quibus alij in uniuersitatibus studiorum Generalium creati Doctores gaudent, uti, potiri & gaudere possint, non solùm eorum instar, sed pariformiter ac si gradus in uniuersitatibus hujusmodi accepissent, quo melius pro Ecclesiæ defensione & augmento, contra Hæreses vicinas doctrinæ præmijs cumulati, dimicare queant. Volumus quoq;, ut præfatum Clarum Collegium Posnanienſe Societatis JESU prohibere fauore nostro possit, ne quisquam intra quadraginta leucas in nostris Prouinciis Hæreticæ prauitatis, Auditoria, Gymnasia, Academias erigere, excitare præsumat. Et hæc cuncta quemadmodum Regiâ dignitate subditorum bono & pro zelo propagandæ Fidei Catholicæ, pietatis, eruditionis, ac scientiarum humanarum, diuinarumq; amplitudinis proprio motu profecta sunt, ita perpetuis temporibus ab omnibus & singulis fideliter obseruari uolumus, sub gratiæ nostræ amissione, ac in contrauentores & conuulsores Iurium & Priuilegiorum Regiorum in legibus Regni sancitis pœnis mandamus. In quorum fidem præsentes literas manu nostra subscriptas Sigillo Regni communiri jussimus.

DIALOGIS-

DIALOGISMUS COLONI CUJUSPIAM CUM STATISTA, DE CONCLUSA CUM TURCIS PACE, ET SECUTURIS EVENTIBUS. Anno 1678. A.C. 1678

COLONUS.

GRatiæ DEO, quòd tam ſublimi caream ſcientiâ, quâ pleni ſunt Statiſtæ: id enim ferè cum Sapientibus agitur, quòd cum noſtris primis parentibus, qui vix guſtârunt de fructu ſcientiæ, exnunc Paradiſum, pacatamque vitam amiſerunt: Beata noſtra ſimplicitas. Etiam enim modò concluſa cum Turcis pace, ego exulto, tu demiſſo naſo, mœrore conſumeris, magis abjecto animo, quàm cùm bellum duraret.

STATISTA.

Idem tecum ſentio, fateorve ſæpè per ſcientiam boni & mali homini Paradiſum eripi; ideoque licet quiſque novit ſibi certò moriendum eſſe, non turbatur nihilominus, niſi à quopiam edoceatur, quo anno, die, mortis genere, & circumſtantijs ſit moriturus: ſic in aliis, felix qui ſuum ignorat infortunium, cùm ſaltem conceſſo, ante illud, quietus fruetur tempore. Si tantùm conſideras, quòd pax ſit optima rerum, nec penetrare ſtudes aliud eſſe in titulo, aliud in pixide, fortunatus es, ſed non diu. At ego pacem hanc non aliter, quàm nauclerus turbatum fluctibus æquor, aut medicus ſoporoſas in ægro affectiones conſiderans, lætus eſſe nequeo, cùm fluctus & naufragia cernam, nec ſomnum ſed mortiferum lethargum.

COLONUS.

Mi frater, vos ipſi ſapientes dicitis, cui in periculo conceditur tempus, concedi hoc ipſo vitam; experientia quoque docet, illum, qui ſe ferventi ſubduxit juri, periculum evaſiſſe.

STATISTA.

Verum quidem eſt alios ſcire periculis conceſſo uti tempore, ſed non nos. Ut enim antiquiores non revolvam faſtos, an non duo armiſtitia habuimus, ut nos contra Svecum præpararemus? an uſi ſumus Moſcoviticis? an Coſatica bella ſuis caruerunt intervallis, quibus, ſi uſi fuiſſemus, nunquam ad Turcicum bellum ventum fuiſſet: Gratis ergo cenſendum aliter, quàm quòd Turca ſub pallio pacis, bene ſibi ſit apud nos proviſurus, capita noſtra numeraturus, atque ſe contra nos armaturus.

COLONUS.

Prudenter tu diſcurris, verè enim ita communiter apud nos agitur. Verumtamen ſpem meam in DEo colloco, fore ut Regnum hoc, in quo tot Catholici, tot templa & cœnobia, tan-

A.C. 1678 tus devotionis viget fervor, interim non permittat, nec det Paganis in servitutem; porrigatque illud erigendi modum.

STATISTA.

Utinam quivis nostrûm Christianus politicam suam in fundamento misericordiæ DEi, uti debet, poneret? Ego dum naturaliter discurro, nihil detraho gratiæ & omnipotentiæ divinæ; certum tamen, & DEUM dare auxilium laborantibus, sublevare erigentes se, benedicere suî curam habentibus; undę dictum: Cum Jove manus move. Nec ego unquam de divina gratia desperavi, introspiciens tamen processus & excessus nostros, non ausim nostræ Genti id adscribere, quòd sit digna favore DEi, præsertim cum peccatorum nostrorum sarcina, id nos polliceri nobis apud illũ Dominũ non sinat, qui etiam filio suo non pepercit, licet alienas iniquitates portanti; & ulteriùs consideratione procedendo: ubi sunt sanctæ illæ terræ? Ubi Sion & sepulchri CHRISTI sanctuaria? Ubi illæ terræ filij DEi sangvine consecratæ mysteriis salutis nostræ decoratæ? Ubi Christianæ fidei primitiæ? Ubi Antiochenæ, Constantinopolitanæ Basilicæ? Ubi octoginta Christiana Regna cum tribus Imperiis? An non hæc omnia nostras magno intervallo superabant Ecclesias? Et tamen justo & inscrutabili Numinis judicio, Gentilium cesserunt profanationi. Non hæc eo fine dicuntur, ut de misericordia Domini desperemus, verùm ut illius fidentes auxilio, ipsi quoque nostram cum timore salutem operemur.

COLONUS.

Horrenda mihi revocâsti: Ego tamen de extraordinario concursu spem non abjiciens, sic mecum ratiocinor: Dedit nobis DEUS Summum Pontificem, Magnum Sanctæ fidei, & conservandæ Poloniæ Zelatorem; Dedit strenuum Regem, qui tot fortitudinis documentis, magnum sibi apud hostes nomen comparavit: Accedit ad hæc notitia de celeriore inter Christianitatem pacificatione. Ubi ergo SANCTISSIMUS Principes Christianos accenderit, ut Sanctam fidem tueri velint, nostrique Regis heroicos ardores secundare, nos DEi ope unitis viribus, extra Danubium Turcam propulsabimus.

STATISTA.

Quàm fallacibus discursibus Patriæ & vobis illuditis, ac decipitis? Nemo utique de paterna Supremi Pastoris dubitat sollicitudine, quâ etiam sangvinem & vitam, multò magis authoritatem, pro fide sancta exponeret. Verùm id in reflexionem venire debet, quòd adhuc tum, dum primò ex Arabibus Saracenorum nomine compellatis, & Turcis, nunc jam adulta coalesceret potentia; tota Christianitas ultra denas vices malum hoc in herba opprimere conabatur,

tur, ut, ex nondum maturis dentibus Palæſtinam, Ægyptum, & Ly- *A.C.* 1678
biam eriperet, ac ſuccreſcentem extirparet potentiam, conſpirante in idem toties toto Chriſtiano orbe, excitabant ad hoc canebantque claſſicum Concionatorum & Confeſſariorum tubæ; toties Summus Pater ab alto, theſaurum inæſtimabilem plenarum Indulgentiarum CHRISTI Heroibus aperiebat: Proficiſcebantur Imperatores Orientis & Occidentis; ibant Reges Galliæ, Angliæ, Portugalliæ, Poloniæ, aliique ad illud bellum: Invadiabant in eum finem opulenta Patrimonia Principes, Galliæ, Angliæ, Italiæ; Proficiſcebatur cum eis ipſe ſupremus PASTOR ſub ſignis CHRISTI, Epiſcopos totumq; ſpiritualem Statum ſuo trahens exemplo. Quid ex his omnibus emoluimenti? piget revocando renovare dolorem: Quis abyſſalia DEi penetrabit judicia, cur ſcilicet propè millio bellatorum ſine fructu illa geſſerint bella? Summus Pontifex in via, Imperator in fluvio, Sereniſſimus Galliæ Rex ſemel in carcere, ſecundo in peſte, poſt eum Rex Portugaliæ in eadem manſit contagione; una eademque tempeſtate, hominum quadraginta millia ſunt demerſa. Huc pertinent Varnenſes noſtri Vladislai, Huniades, Scanderbegi; quæ omnia poſt fortunatos ab initio ſucceſſus triſti exitu concludebantur. Quid dices hoc rerum ſtatu, quando noviſſimis ſæculis Hæreſiarchæ, tot Reges, Principes, Nationes, ex ovili CHRISTI ab obedientia Pontificia eduxerunt & ſeduxerunt? Quando zelus ille verè Chriſtianq; intepuit, & Chriſtiano orbi bella geri placuit nullos habitura triumphos, quia civilia. Monarchia Turcica in tribus orbis firmata partibus una domus Imperantium, cæteri ſervi. Tot potentiæ aucta gradibus, quot Chriſtianitati deceſſerunt; quomodo ſperari à te poteſt Chriſtianitas diſtracta & dilacerata auditura Supremi PASTORIS vocem, nobisque tam facilè ſuccurſura? Habes præ oculis experimentum antiquiorum & præſentium temporum; Quis ſcilicet ſuccurſum dedit primo Chocimenſi bello, quis noviſſimis temporibus? An non longè facti à nobis vicini & amici noſtri, aliorſum vires ſuas convertendo & dirigendo, tum, cum nos ſub fatorum ictu conſiſteremus? Efficaciùs ergo quid in præſenti rerum ſtatu agendum eſt, relicta inani ſpe; eo præſuppoſito fundamento, quod conceſſum nobis à Turca reſponſum, niſi maturè ſapiamus, futurum ſit exilium.

COLONUS.

Neſcio profectò quid jam tibi opponendum ſit, qui tot tantáque tenes memoriâ; quomodo ſcilicet nunquam Chriſtianitati cum hoc Monarcha bella ſucceſſerint, etiam pietate & zelo inter Chriſtianos florente. Ergo jam nihil agendum eſt, ſed penitus omnibus deſperandum, in tantorum conſideratione exemplorum?

STA-

A. C. 1578

STATISTA.

Nequaquam; ſcimus enim DEUM, ſæpe infirma eligere, ut confundat fortia. Eo fine illas adduxi hiſtorias, ut ſcires, Turcicum bellum & viciniam, non poſſe cum alijs bellis & vicinijs comparari. Eſt enim id ignis conſumens Regna & Provincias; non hic vicinus amicas admittit mediationes: non civilibus medijs novit agere cum vicinis. Quidquid voluerit, ſuum reputat; de pace non tractat, nec conditiones acceptat, ſed ſibi placita jubet, ut potentia, innatusque imperat faſtus, & ambitio. Legiſti diarium Palatini Culmenſis, quomodo ſcilicet de rebus ibi noſtris tractatum ſit, quomodo de pari diſputare non permiſſum, verum juſſa ſuſcipi pax qualis genti noſtræ ab Imperatore eſt donata. Jam itaque hoc ex faſtu devenire potes, quàm res ibi noſtræ vili pendantur: ut primo nunc non exemplo Cæſaris, ſed propriâ diſcimus experientiâ: vicinum malum, eſſe vulnere, graviorem.

COLONUS.

Omnibus quidem in aperto eſt, quidnam nobiſcum in præſens agatur, ſed futura, ſoli DEO perſpecta ſunt.

STATISTA.

Facile devenire potes, quidnam nobiſcum agendum ſit; imaginare tibi hoſtem noſtrum in Podolia ſubſiſtentem, velut accipitrem perdicibus inhiare, quæ vel ipſo terrore terræ affixæ, caput nequeunt attollere, ſub tam terribili inſpectore. Unde conclude, licebítne in Comitiolis, de bellicis verbum proferre præparamentis vel de eis tractare in Comitijs: licebítne non caput tantum verùm etiam vocem attollere? permittemur ne colligationes cum externis inire? Quandoquidem adhuc imminente bello Turcico, dictum eſt Viennæ Ablegato Polono: non poſſumus vobiſcum de belli ſocietate tractare; aliàs id ſupra Danubium conſiſtens Turca citò reſciret, præſertim cum apud nos ſecreti amor non vigeat. Conſiderandum quoque adjacentes nobis Provincias nihil curare tam anxiè, quàm ut vicinis ſuis licet non adeo formidandis, & per bella diſtractis, ad guſtum, ac beneplacitum vivant, neſcio, pacis amore, an inani terrore? Idem ſperandum ab ijs Regionibus, quibus unica erit cura, deprecari bellum non provocare. Quid ſi, quod DEUS avertat, poſſidentibus Turcis Podoliam, orbitas nobis contingeret, quid tum demum nobiſcum ageretur? Si enim pares nobis vicini, noſtris ſe tum ingerere ſolent eo prætextu negotijs, ut cum Electo Domino, pacatam colant viciniam, quid putas, liceret ne nobis quidpiam de noſtris ſine conſenſu Portæ rebus ſtatuere, quæ aut occupare thronos aut ſuos illis didicit clientes imponere?

COLO-

A. C. 1678

COLONUS

Fateor me ſapientiorem quidem, ſed & inquietiorem tuo factum eſſe diſcurſu: penè enim jam perijmus; at nonne ſuperest quodpiam morbo huic pharmacum? Non deeſt tibi rerum peritia, adeoque impoſſibile ut modum non invenias, quo poſſimus lapſis ſuccurrere rebus.

STATISTA.

Sperandum adhuc dum ſpiramus; non eſt tantopere dignis & ſapientibus, noſtra Patria evacuata ſubjectis, quæ tamen, cum ſciant, optima etiam conſilia aut nequitia, aut invidiâ, aut congenitâ hominibus corrumpi ſuſpicione, difficile ſuos poſſunt promere ſenſus, priuſquam certificentur, propenſionem ſuam in odium non vertendam: præſertim, cum in comperto ſit, homines illos, qui aliquot abhinc ſupra decem annis prædicebant omnia, quæ nobiſcum aguntur in hac Republica, mediaque ſuggerebant, mala pro bonis recepiſſe, invidias & acclamationes incurriſſe, jacturam bonorum & honoris ſubiiſſe. Unde niſi reſtituamus libertatem ſentiendi magnis in hac Republica hominibus, ſalubre non habebimus conſilium. Ego interim hac præcautione meo coronidem imponam diſcurſui, ut ſcilicet tempus nobis elabi non ſinamus, quamdiu ætas tam ſtrenui Regis activitate pollet; & priuſquam hoſpes hic, domicilium figat in Ucraina, in eaque fundet dominium, ac nos, noſtrasque perpendat ac ponderet vires, & cum vicinis noſtris, de noſtræ Reipublicæ rebus conveniat. Verùm quomodo fiet iſtud? Quandoquidem horum omnium anima eſt ſecretum; imperandi facultas, & obſequendi neceſſitas, quibus jam omnibus deficimus? Secretum enim in paucis, Imperium, ut experimur, per non obſequentiam legi, nec penes Regem, nec penes legem; obſequium quoque ubinam inveniri poſſit, ignoro.

COLONUS.

Videris jam diſcurſum finire velle: at ego illum protrahi peto; Ultimus enim hic diſcurſus ad abſolutum inclinare videtur Imperium, quod eſt ut periculoſum nobis, ſic invidioſum: unde tuam mihi, velim, explices mentem.

STATISTA.

Imò verò ſcias me, ſicut liber progenitus ſum ex Anteſatis, ita mori malle in libertate, quàm vivere in ſervitute. Abſit hæc à liberi Regni civibus; Licet Monarchiſtæ allegent ſtatum Monarchicum eſſe tantæ in Turca activitatis; Ut illi reſiſte-

A.C. 1678 reſiſtere nemo poſſit, niſi illi par opponatur potentia; Ideoque multorum eſt ſenſus; Chriſtianitatem parem non fore Turcis reſiſtendo, niſi tota unius Monarchæ ſubjecta fuerit imperio. Ego nihilominus guſtum & amorem habens libertatis, illas conſideratione percurro & perpendo nationes, quæ viventes in libertate, habuerunt ſemper, dum neceſſitas exigebat, ſumma in periculis remedia, quibus intendere poterant activitatem. Unde hoc bene perpenſo, quòd in ſpatio 30 annorum ad trecenta milliaria terræ, poſt tot clades & quidem ideò perdidimus, quod laxatis per ſummam libertatem nervis; vis tota in nobis elanguit, corpus verò Reipublicæ velut exanimis in littore truncus, proſtratum in prædam cedit; cogitandum ſeriò, ut ſalva libertate habere poſſimus & ſecretum, & imperandi facultatem, & obſequendi neceſſitatem, ſaltem ad aliquantum tempus. Hoc expoſito, ſenſum meum de modis ſalvandarum rerum, opportuniori tempori reſervando id à te peto ut non permittas candori meo, ſiniſtra verborum interpretatione invidiam parari; utique enim ſentiendi libertas, documentum eſt non nocumentum libertatis.

COLONUS.

Nollem te ulterioribus fatigare quæſtionibus, quia tamen à tanto viro doceri volo, fratribusque ante Comitiola id exponere; quandoquidem Turca ad hanc pacem adactus non eſt, unde illi hæc erga nos gratia? Metuo enim Danaos & dona ferentes.

STATISTA.

Magnam id meretur conſiderationem, ut jam tibi terminis ſaltem generalibus innui, quod, licet Turca non ſit adactus armis noſtris ad eam pacem, ſuis tamen eſt inducta utilitatibus; valebit enim illi mora hæc in malum noſtrum, & ejus bonum; quod colligi poterit ex ſequentibus particularibus.

Primo Quia arbitrantes Turcæ Moſchum in hac Boryſthenis parte ſe illis non oppoſiturum; iverunt anno præterito ſub Czeherimum, ubi inventa reſidentia inſperatè cœperunt bellum, quod omnino illis proſequendum eſt, nobis tantiſper relictis, ut illo cum Moſcho finito, aut pace inita; ubi contra nos verterint potentiam, non habeant quem metuant.

Secundo Ut ſibi Dominium in Vcraina fundarent, nobiſque ſpem adimerent, jungendæ nobis aliquando Coſaticæ potentiæ, quæ antea fuit contra nos.

Tertio Ut fundata Oeconomia in Ucraina, & Podolia, noſtris contra nos bellarent ſumptibus; noſtriſque hominibus, nobis

nobis eſſent formidabiles: Sicque his aliquot annis quibus nobiſcum poterunt ſervare pacem, Valachiam & Moldaviam ſuæ penitùs ſubjicient poſſeſſioni: Tartaros eò habebunt obſequentiores, & in campo numeroſiores, quò potentiores in eorum erunt vicinia, qui ſi ſub Zurawno ferè ſine exemplo, prorſus omnes in Turcico fuerunt obſequio, ex quo Coſaci in armiſtitium conſenſu dato, abſolverunt eos ab irruptione Conſtantinopoleos, nunc primum ubi Zaporoviam captaverint, à Boryſthene Moſcovitica pace ſecuri, noſtræ ſe aſſvefacient auræ, Podolienſes, Turcicis robuſtiores, inſidebunt equos, rormenta & commeatus non erunt illis ab altera Danubij parte convehenda, bene proviſis commeatibus & armamentarijs, in ſuis regionibus. Aſiaticus & Ægyptiacus miles, alacer ad bellum veniet, velut ad propriam domum & horreum, famem & incommoda non metuens. Sic toto ab Hungaria, uſque verſus Kijoviam nos cinget tractu, vix non medios ejus potentia, à quo jam nos Danubius, Prutus, & Borysthenes non dividet. Qui verò conſideraverit poſitionem & fertiliratem terræ, in qua vicinus hic conſiſtens, quaqua verſus nos cinxit, fatebitur, illum, terram nobis melle & lacte fluentem recepiſſe, idque dunta-xat reliquiſſe, quo vix pacis tempore poſſemus ſuſtentari. Hæc ergo commoda ſunt, quæ prævidebat Turca, dum nobis ſpecioſo pacis titulo in charta oblato, re ipſa eò terribilius, quò minus perſpectum bellum clarigaret. Hæc itaque Turcæ ex hoc bello accedent; quæ verò nobis deceſſerunt & decedent, non auſim dicere; facile enim conſideranti parere poſſunt: Ego id tantum revoco, quod ante annos aliquot illa Comitia extorquebamus, in quibus per verbum: Quare? Scrutari nobis liceret publica conſilia, intentiones, & actus; nunc eò res deveniet, ut ſingulis menſibus, à Porta, Cameneco, & ex Vcraina accurrant Czausij, Agæ, Ablegati cum verbo: Quare? & ijs Inſpectoribus, quos nobis peccata noſtra, an imminentis fati neceſſitas providit, teddenda erit ratio cujuſvis proceſsûs, metu termini facti; adeoque etiam nos mittere ſæpius debebimus, eoque ipſo ærarium publicum evacuare, incuſando jam Turcas, jam Tartaros, jam Coſacos, allegando armiſtitij inſtrumenta, quæ, quomodo acceptabuntur, interrogandus eſſet Palatinus Culmenſis. Jam utique experimento id percipimus, quod verba ſonant. Unde bene communiter dicitur, nos habere Turcarum pacem non Polonorum: Ea enim non obſtante, ſolvendum erit pro præterito & futuro anno Exercitui ſtipendium, reddendæ hybernæ, omnia belli onera ſubeunda, in hac tanta calamitate & miſeria noſtra; in qua non minus *A.C.* 1678

grave

A. C. 1678 grave nobis erit duodecim millia hominum ſuſtentare, quàm olim quinquaginta. Contra hæc verò omnia infortunia & imminentia mala, promptum conſilium in hac noſtrarum conſultationum forma, in hac multitudine conſulentium, diſparitate votorum, diverſitate ſenſuum, in hac incertitudine Comitiorum, & Senatorum, quos pro libitu tollimus, non invenio; Hoc enim certum quod nunquam nos tali rerum ſtatu ſalvaverimus. Magni olim Miniſtri ſtatûs, dum in rem Reipublicæ ultra ſolitum ſibi concederent, dicere ſolebant, malle ſe Rempublicam deprecari quàm perdere; verùm, quia hujuſmodi reſolutiones ſunt damnatæ, timeo, ne converſio fiat propoſitionis, malo Rempublicam perdere, quàm deprecari, Vale ergo & meliùs habe.

COLONUS

Abi felix gratiaſque refer pro informatione.

A. O. A. G.

A. O. A. G.

De Archiepiſcopatu Gneſnenſi.

CAPVT I.

ARTICULUS I.

ARchiepiſcopus Gneſnenſis, Legatus Natus, Regni Poloniæ Primas, Primuſque Princeps, Sacræ ac politicæ dignitatis, in Univerſo Poloniæ Regno, & Magno Ducatu Litvaniæ Provincijſque annexis, excellentiâ præfulget, proximumq; à Regia Majeſtate locum, honorem, prærogativas, antiquo jure & præſcripto uſu obtinet.

Excellentia hæc Archiepiſcopi, in cunabulis naſcentis Orthodoxæ Religionis in Regno, circa annum poſt Chriſtum natum 966. originem cepit, cum Gneſnenſem Baſilicam à Miecillao primo Polonorum Principe Chriſtiano erectam & fundatam Ædigius Cardinalis Epiſcopus Tuſculanus Joannis Papæ XIII. Nuntius à latere, in Metropolitanâ ordinaſſet. Martinus Cromerus Epiſcopus Varmienſis de Orig. & Reb: geſt: Polon: his verbis: Mox totum ſe ad propagandam per omnem Principatum ſuum Religionem, hortante & adjuvante uxore convertit. Baſilicas novem diverſis locis ædificat, eaſque ſupellectili omnis generis pretioſa ornat, cenſibus & poſſeſſionibus locupletat, & in Dioeceſes diſtributas, duas quidem ex his, Archiepiſcopatum nempe Gneſnenſem & Cracovienſem, reliquas verò, hoc eſt Poſnanienſem, Smogorzevienſem, quæ poſtea Bycynenſis, ac demum Vratiſlavienſis, dicta eſt, Cruſvicenſem, quæ Vladiſlaviam ſucceſſu temporis translata eſt, Płocenſem, Culmenſem, Lubuſcenſem, & Camenenſem, ſingulis Epiſcopis attribuit, ijſque decimas omnis generis frugum, de ſuis juxta ac nobilitatis plebiſq; agris, edicto perpetuo adſcribit. Ita quidem ut eæ decimæ poſt meſſem ab ipſis aratoribus ad conſtitutum locum convehantur. Ibidem Cromerus: *Anonymus quidam vetuſtus rerum Polonicarum Annotator, veriùs quàm Scriptor, Cracoviæ quoq; initio non Archiepiſcopum ſed Epiſcopum vult eſſe conſtitutum, deinde verò Aaronem Abbatem Tinecenſem à Benedicto Papa V. primum Archiepiſcopum Cracovienſem renuntiatum eſſe, eam verò prærogativam, ſucceſſorem ejus proximum Lampertum Zulam, neglexiſſe.*

Idem Cromerus Lib. de Republ: & Magiſtratibus Polon. fol. 500. Archiepiſcopus Gneſnenſis, inquit, perpetuâ quadam Pontificis Maximi Legatione fungitur, & Legatus natus ſedis Apoſtolicæ appellatur, quo nomine ampliorem habet jurisdictionem, de qua ſuo loco attingemus. Habet etiam Primatis honorem ab eadem Sede Apoſtolica, abſq; eo quòd eſt antiquo gentis inſtituto & prærogativâ Primas Regni, & Princeps Senatus. Proinde penes eum eſt poteſtas Indicendi Comitia, convocandi

Senatum, Senatuſque Conſulta definiendi & edicendi, abſente Rege & Regno vacante.

Antiquior Cromero Joannes Longinus, vulgo Dlugoſſus, Canonicus Cracovienſis, judicio Stanislai Lubienij Epiſcopi Płocenſis lib. Operum poſthumorum fol. 306. *eorum qui res Sarmaticas ſcriptitarunt facilè Princeps.* Statim, inquit, in primæva fundatione Archiepiſcopatuum Gneſnenſis & Cracovienſis, & ſeptem Epiſcopatuum, Tributum a Mieciſlao Eccleſiæ Gneſnenſis, ut apud illam decus Primatiale conſiſteret. Hiſt: pol. fol. 176.

Stanislaus Carnecovius Epiſcopus tunc Vladislavienſis, licet Archiepiſcopis, ob attentatam Stephani Regis Coronationem parum æqvus, in Panegyrico ad Henricum Valeſium Regem apud Cromerum fol: 695. Magna quædam & præcipua excellentia, ac præſtantia ſingularis Archiepiſcopi Gneſnenſis legibus ac moribus Regni Noſtri eſt inſtituta, qui & Rege ipſo vivo primas partes ſecundùm eum in Regno obtinet, & eo vitâ functo omnia publica conſilia moderatur, more Majorum. Hoc quidem in omnes partes tutius, quod Eccleſiaſticus homo, cui perſona Regia rectè imponi non poteſt, à ſuſpicione Regni affectati prorſus ſit remotus. Et ibidem fol: 696. Archi-Epiſcopus Gneſnenſis ſemper habitus eſt Princeps ac os Senatûs alicubi vocatur Plenipotentiarius Reipub. & primus legum Cuſtos.

Idem in libro de Primatu Senatorio pag. 12. Archiepiſcopus Gneſnenſis, qui Princeps Senatus habetur, neque Principibus ac Ducibus Feudatarijs ut vocant Regni: (olim Maſoviæ nunc Pruſſiæ & Curlandiæ, qui ex Magiſtris Ordinis Teutonici à Regibus Poloniæ Sigiſmundo I. & Sigiſmundo Auguſto Duces creati ſunt) ac nè fratribus quidem, ac filijs Regijs honore ac prærogativâ loci cedit. Tanta autem dignatione eſt antiquitus, ut ſoli omnium, dum incedit, aut vehitur in publico, etiam Rege præſente ſceptrum ſeu virga præferatur, advenienti autem Rex aſſurgat. Porrò abſente Rege, ejus authoritate cogitur Senatus, & ab eo Senatus Conſulta promulgantur. Hic ipſe Regem ritu ſolenni inaugurat, ſive inungit & coronat.] Et ſi quid publicè Senatus & aliorum ordinum nomine de rebus majoris momenti cum Rege agendum eſt, per eum agitur.

Penes eum eſt præſidium adversùs Regum Impotentem Dominatum, ſi quid in præjudicium juris & libertatis attentet. Et paulò infra: ita in Archiepiſcopo Gneſnenſi, validum & certum eſt gentis, contra Regum Impotentiam, & injurias præſidium. Et verò habetis ampliſſimas poſſeſſiones in medio Regni ſitas, quò expeditius & majori cum dignitate fungi muneribus ſuis queat. Rectiſſimè igitur penes eum ea de qua nunc agimus prærogativa Primatus eſt, & eſſe debet, ut interregni tempore ad eum cæteri conſiliarij confluant, communicatoque conſilio, de eorum ſententia, locus tempusque eligendi Regis cæteris membris & ordinibus Regni denuntietur. Nec id modo: ſed ſubitarijs etiam Reipub. periculis obviam eatur: ſecuritati & neceſſitatibus moram non referentibus propiciatur: Legationes exterorum Principum ad eum adeunt, denique electum communibus ſuffragijs Regem is renunciat & exacto ab eo juramento legitimo, ritu ſolenni, ut memoravi, coronat. Tanta quidem dignatione prædito omnes non inviti honorem habent, & obſecundant. Non verentes ne is, utpote Sacris initiatus, ad ſummum apicem aſpiret.

Idem de eximia illa dignitate & munere, ſeu Primatu Archiepiſcopi, nulla ullo unquam tempore fuit controverſia. Cùm Reip. ſimul (Chriſtiana duntaxat) & è viſceribus ejus natus, perpetuò jus ſuum, in interregnis præſertim, obtinuit, nec eum quiſquam ullo unquam tempore ante hos aliquot

quot annos convellere, vel debilitare tentavit, licet eſſent nonnunquam Archiepiſcopi non uſquequaque Senatui, vel populo vel Ordinibus Regni grati. Intelligebant nimirum homines literarum quidem atque doctrina rudes, ſed naturali ingenio præpollentes & uſu rerum prudentes, amantesque Patriæ, non perſonæ, verùm loci ac dignitatis ampliſſimæ prærogativam illam eſſe. Atque adeo, non tam loco ac perſonæ Archiepiſcopi quàm inſigni Regni parti, hoc eſt Majori Poloniæ juſtè ab univerſa Repub. ſive indultam, ſive relictam eſſe. Cùm enim quodam tempore inſignia Regni una cum Regis domicilio & Coronatione è Majore Polonia in minorem tranſlata eſſent, optimo jure Majores Poloni jus & prærogativam illam eximiam primori ſuo totiusque Poloniæ Senatori vendicarunt & retinuerunt.

Auguſtinus Thuanus lib. 56. ad annum 1573. fol. 1608. Archiepiſcopus Gneſnenſis, Legatus Romanæ Sedis natus, & totius Regni Primas habetur, & ſubtracto è vivis Rege, etiam munere apud Polonos fungitur Regio, mittendarum ad exteros Legationum, cuſtodiendorum finium, & promulgandorum Comitiorum jus habet, Regem Electum pronuntiat, Sacro oleo inungit, Regiúq; diadema imponit; in ſupremæ dignitatis ſignũ, ſublatus ei præfertus baculus, & cibum ſumpturo tympana militaria pulſantur, qui honos ſoli Regi in Polonia habetur. Aula nulla poſt Regiam præterquam Archiepiſcopalis cenſetur, & aulici familiares ejus, non famuli, ut cæterorum Epiſcoporum, vocantur.

Stanislaus Lubinski, Epiſcopus Płocenſis operum poſthumorum fol. 314. *Archiepiſcopus Gneſnenſis ab initio ſuſcepta Religionis in Polonia fundatus, nunquam intermiſſa dignitate ad noſtra uſq; tempora, quos prope ſeptingenti anni continuò ſuppeditarunt, retinet ſedem & præeminentiam.* Idem fol. 405. *Succeſſit Regis Stephani mors, interregniq;; in ipſo inimicitiarum fervore, atq; tali Reipub: ſtatu, ut de ea actum eſſe, gnari rerum æſtimatores non immeritò putarent. Summa rei, more inſtitutoq; Majorum penes Archiepiſcopum erat.* Idem fol. 144. *Vocaret Cardinalis Maciejovius Archiepiſcopus Gneſnenſis, univerſum Senatum, ac deinceps more Majorum, qui vel invitos Reges cogebant ad præſtanda ea, quæ ex pacto & legum præſcripto debebant. Senatus univerſi authoritate fretus, officij ſui Regem admoneret.* Idem fol. 123. *Archiepiſcopi Gneſnenſis, cum Regnum vacare contigerit, munus eſt, interregnum pronuntiare, noviq; Regis eligendi, conventum edicere, aliaq; Principis Senatus officia obire.*

Paulus Piaſecius Epiſcopus Præmisl: in Chronicis anni 1567. fol. 64 *Præcipua rerum agendarum authoritas, tempore Interregni eſt penes Archiepiſcopum Gneſnenſem, qui eſt Primas Regni & Princeps Senatus, & vicem Regis gerit eo tempore: ille excipit & expedit Legationes ab Exteris venientes extra Comitiorum tempus; ſub Comitiis autem ſi veniant, in conſeſſu totius Senatus audiuntur, & ex ſententia Senatûs reſponſum recipiunt ab Archiepiſcopo, qui & diriget conſilia omnia Reipub: ac illius muneris eſt convocare Senatum, indicere Conventus Equeſtri Ordini, & proponere deliberanda.* Stanislaus Orichovius Roxolanus *Coronæ Poloniæ* inquit, *Libertas*

& dignitas in Primate Majorum noſtrorum temporibus conſiſtebat. Secura erat Reſpub: jurium & libertatis ſuæ, quæ cuſtos & defenſor Primas Primusq; Princeps contra potentiam, cupiditatem, & vim Regiam tutari valebat. Ex m. s. Bibliothecæ Academ. Cracov.

Simon Starovolicius p. 5. *Archiepiſcopus Gneſnenſis à Concilio Lateranenſi, in ſpiritualibus, vices ſummi Pontificis gerit & Legatus Natus appellatur. In politicis autem præſertim Interregni tempore Pro Regis authoritatem habet. Et prout Collegium illius Capitulum Gneſnenſe ob excellentiam ſuæ Metropolitanæ Eccleſiæ, præter aliarum Cathedralium morem, Cancellarium cum dignitate nollet, qui munimentorum & libertatis illorum (omnes enim Nobiles eſſe debent, nec ad Præbendas admittuntur plebejis orti parentibus, in ullo Capitulo Cathedrali in tota ferme Polonia, niſi certus Doctorum numerus aſſignatus ex fundatione) cuſtos quodammodo eſt. Sed Archiepiſcopus ipſe, ſupra dignitatem & prærogativam aliorum Antiſtitum, aulicos, cubicularios, alioſq; Miniſtros & Satellites, more Regio habet, & qui inter eos eminet, Cancellarium ſpecialem atq; Mareſchalcum; quorum ille judiciis ſpiritualibus, quæ ad Curiam Archiepiſcopi devolvuntur cum authoritate præeſt; hic cum in publicum Princeps prodit, baculum ſeu virgam illi præfert, prout Regibus ipſis præferri, in Polonia mos eſt & aulam ipſius totam ipſe moderatur.*

Joannes Wężyk Archiepiſcopus Epiſt: in præfat: Conſt. Prov: ad Epiſcopos Poloniæ. *Majores Noſtri Legum & Reipub: Regni hujus conditores, primum in Senatu & Repub: locum Epiſcopos tenere voluerunt, ut & DEo, cujus Epiſcopi ſunt Miniſtri, & in cujus manu ſunt omnium jura Regnorum, deferrent, & illos primos in cuſtodia & tutela Legum & Patriæ collocarent, quos DEus ipſe Eccleſiæ ſuæ Præſides, cuſtodes & vigiles deſtinavit.*

Et Stephanus Damalevicius, in ſerie Archiepiſc: Gneſnen: pag. 16 *Pius Princeps Mieciſlaus Epiſcopis eum honorem præſtitit, ut non modo tanquam Chriſtianæ vitæ Magiſtros ac Duces religioſo veneraretur affectu, verùm eos etiam in partem regiminis adſciret, & primas iis ante alios omnes Regni Senatores & Reipub: Conſiliarios, ſedes tribueret. His omnibus antecellit Archiepiſcopus Gneſnenſis, Primus Regni Poloniæ Princeps, qui ſolus poſt Regem, aulam habet, ut Equeſtris Ordinis viri in ejus duntaxat curiâ, nomine aulicorum cenſeantur, quibus Mareſchalcus Aulæ Senator Regni de Caſtellanorum ordine, præfici ſolet, qui quoties ad publica Regni Comitia venit Archiepiſcopus publico ſplendori & Ordini Equitum ſolet præeſſe, auctoritate tantâ, ut abſente Regni Mareſchalco fas ſit ei, levato baculo, regiminis inſigni, Regem in Comitiis publicè prodeuntem anteire, ut Bielſcius lib. 6 refert; apud quem Uebanſcius, ſuâ ætate hanc prærogativam in uſu fuiſſe, graviter aſſeverat.* Idem pag. 12. *Unus nobis Primas Regni eſt, non modo primò poſt Regem, ſed etiam eodem loco*

quo

quo Rex, Interregni tempore ſublimus, utpote omnium Reipub: Conſiliorum Princeps, moderator & arbiter, & proinde ſolus Regium ſub Cruce Diadema in Stemmate ſuæ dignitatis circumfert.

Stanislaus Kobiericius Palatinus Pomeraniæ Hiſt. Vladislai lib. XI. *Joannes Wężyk Archiepiſcopus Gneſnenſis, Primas Primusq; Princeps, ad quem jam ab obitu Regis, ſuprema Regni ſpectabat cura, primum de Regis dubia valetudine, tandem & exceſſu celerrimis nuntijs edoctus, Varſaviam venit.*

ARTICULUS II.

SEd operæ pretium inprimis videtur, de Archiepiſcopis in genere, deque eorum dignitate & juriſdictione, ſelectiora præmittere.

I. Archiepiſcopus dicitur à Græco Vocabulo Archi, quod idem eſt ac Princeps, quaſi Princeps ac ſummus Epiſcoporum *Can. Cleros. 21. diſtinct:* ex quo præeſt omnibus ſuæ Provinciæ Epiſcopis DD.

II. Archon olim, ſummus Principatus Athenis, qui Judicibus præſidebat. *Cic. de Fato.* Archidux dicitur, ex quo eſt primus inter omnes alios Duces. Hinc Archiepiſcopus Dux Epiſcoporum dicitur per *Marant: de juriſd. par: 2. cap: 53. num: 27.* eâ ratione, quia ſicut dicitur Dux habere ſub ſe plures Comites, ita etiam dicitur, Archiepiſcopum habere plures Epiſcopos, ad quod ſufficit etiamſi unum tantùm habeat. Idem *Marant: eodem loco.*

III. Archiepiſcopus alio nomine vocatur, Metropolitanus; à menſura civitatum, quia Metropolitanus debet habere ſub ſe decem vel undecim civitates, & totidem Epiſcopos *cit: can: Cleros: 21. diſtinct:* circa principium ibi. *Metropolitani autem à menſura civitatum vocantur,* ubi gl: in verbo à menſura, ſed *melius dicitur Metropolitanus à Metros, quod eſt mater, & polis, quod eſt civitas, quia Eccleſia & civitas Metropolitani, eſt mater aliarũ civitatum,* cap. *de his: 2. diſt. & fol. 3. Couar. pract: quæſt: lib. unic. cap. 19. ſub. num. 2.* Matrix civitas ſeu urbs latinè dici poteſt, nam *Mytra,* matricẽ ſonat, polis civitatem, quod quemadmodum, in pecore ex matricibus novi ſemper fœtus, ita ex Metropoli, novæ civitates propagantur. *Calep.* Metropoles à Tertulliano lib: de præſcrip. cap: 20. *matrices ac originales fidei vocantur, à quibus* inquit *traducem fidei, & ſemina doctrinæ, cætera exinde Eccleſiæ mutuatæ ſunt, & quotidie mutuantur, ut Eccleſiæ fiant.*

IV. Idem autem ſunt, Archiepiſcopus & Metropolitanus, prout probatur expreſſis verbis, *cap: paſtoralis de Off: jud: Ordin:* Non tamen negari poteſt, reperiri nonnullos Archiepiſcopos, qui non habent Suffraganeos, & proinde in rigore non poſſunt dici Metropolitani, ut ſunt in Regno Neapolitano Archiepiſcopus Roſſanen. & Lacianen. *Ioan de Ventriglia de juriſd Archiep. Cap. 1. § 9.*

Quod autem Archiepiſcopus debeat ſub ſe habere decem aut undecim civitates Suffraganeas, *ex can. ſcitote 6. q. 3.* hodie non eſt in uſu, quia diſpoſitio dicti can. non fuit perpetua, tum etiam quia alius numerus Epiſcoporum fuit aſſignatus in unaquaque Provincia. *Barbos. de jure Eccleſ: cap: 7. num. 3.* & alij.

V. Primus Archiepiſcopus Hierozolymorum ordinatus fuis Sanctus Iacobus *can: porro 66. diſtin.* Cùm Spiritus Sanctus conſtituerit Epiſcopos ad regendam gregis certam portionem Actor. cap. XX. *In quo Vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam DEI* neceſſarium fuit ad retinendam Eccleſiæ, qua conſtat & regitur unitatem, inſtitui ab Apoſtolis modum quendã

Articul. II. communionis inter Episcopos, secundùm exemplum à Christo datum in Institutione Collegij Apostolici, quod universum Ecclesiæ corpus repræsentabat: ideoque præscribenda fuit ab eis forma regiminis Aristocratici, nimirum ita, ut unus præsideret. Præclara sunt in hanc rem verba Leonis Papæ I. *ex epistola ejus* LXXXVIII. *Inter Beatissimos Apostolos in similitudine honoris, fuit quædam discretio potestatis; & cum omnium par esset Electio, uni tamen datum est ut cæteris præemineret. De qua forma Episcoporum etiam orta est distinctio, & magna dispositione provisum est, ne omnes sibi omnia vendicarent, sed essent in singulis Provincijs singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia, & rursus quidam in Majoribus Urbibus constituti, solicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad Beatam Petri Sedem universalis cura confluaret.*

VI. In diversis locis Epistolarum Apostolicarum deprehenditur distributio Ecclesiarum in Provincias *D. Petr. ep. 1. c. 1. Salutat Vos Ecclesia quæ est Babylone* Paul. ep. ad Galat. *c. 1. & 1. Cor. c. 16.* meminit collectarū quæ fiunt in Ecclesijs Galatiæ 2. Cor. c. 8. 1. Cor. c. 16. Rom. c. *15. Probaverunt Macedonia & Achaia collationem aliquam facere in pauperes Sanctorum, qui sunt in Ierusalem c. 1. Ecclesiæ DEI quæ est Corinthi* Apoc. c. 1. Mitte *septem Ecclesijs quæ sunt in Asia, Epheso, & Smyrna, & Pergamo, & Thyatira, & Sardis, Philadelphia, & Laodiciæ.*

VII. Sed pro evidenti argumento Institutionis Metropolitani, adducitur Epist: Pauli ad Titum c. 1. *Reliqui te Cretæ, ut constituas per Civitates Presbyteros, sicut & ego dispositi Tibi.* Quæ authoritas constituendi & ordinandi Presbyteros, id est: (iuxta interpretationem ipsiusmet Pauli, versiculo sequente S. Hieronymi, S. Joannis Chrysostomi:) Episcopos, Metropolitana fuit, & quamvis ordinabantur per impositionem manuum Presbyteri videlicet universis Episcopis manum imponentibus, tamen uni tantum competebat jus tribuendi vim ordinationi: Tito apud Cretam, & ad exemplum illius unicuiq; Metropolitano in sua Provincia.

VIII. Metropolitanorum jura ex antiqua consvetudine, ut fatetur, Concil. Nicenum primum c. 7. derivantur. Cujus antiquæ consvetudinis cum nullam aliam habeamus originem, ad Apostolos ex regula Augustini referri debet: Aug. lib. 5. de Baptismo contra Donatist. cap. 24. *quod enim* inquit ille *universa tenet Ecclesia, nec concilijs institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur.* Atq; inde est quod Gregorius 7. *lib. 6. epist. 34.* Provinciarum Ecclesiasticarum divisionem, atque Metropolitanorum institutionem, ab Apostolis, & beato Clemente repetat.

IX. Ex Institutione Christi, ex Decreto Beati Petri, Clemens ejus successor singulas divisit Provincias, & in Diœcesibus seu Majoribus Civitatibo cujusque Provinciæ, Præsides, seu Metropolitanos constituit, quibus reliqui Episcopi Diœcesium illius Provinciæ subessent, & ad quos eorum Episcoporum causæ & aliæ graviores, quæ per ipsos expediri non possent, deferrentur *Anacletus in Ca: 1. 99. distin. Clemens in cap: in illis 80 dist. cap. scitote q. 9. 3. ca. Per singulas 1. & 2. q. 9. 3.* Ratio ea fuit, ut ita Ecclesiarum gubernatio esset expeditior, majorque ejusdem ornatus & pulchritudo *text. in d. cap 1 sum alijs Henriques lib. 10. cap. 30. in principio.* Instituendi Metropolitanos in Civitate, quæ Provinciæ caput erat, rationem explicat Synodus Antiochena *c.* 9. ex opportunitate & commoditate populorum, propter quod ad Metropolim omnes undiq; qui negotia videntur habere concurrunt. Fuisse autem dignitatem Archiepiscopalem adinventam, ad extendendā, formam ordinandi, & jus eligendi Episcopos, quæ prius ac naturaliter fuerat radi-

radicata in Petro. docet Loter. de re benef. lib. 1. q. 9. num. 42. *Articul. II.*

X. Archiepiſcopus tenet vicem Apoſtolicam cit. c. Cleros 21. diſt. & præſidet cæteris Epiſcopis, ib. *Singulis Provinciis præeminet, quorum auctoritati & doctrinæ cæteri Sacerdotes ſubiecti ſunt*, ib. Sine Archiepiſcopis nihil reliquos agere licet Epiſcopos, ſolicitudo enim totius Provinciæ ipſis commiſſa eſt. *Sylveſt. in verbo Archiepiſcopus Homobo. de ſtatibus humanæ vitæ p. 1. cap. 6.*

XI. Archiepiſcopi maxima dignitas eſt in Eccleſia, quæ præeſt Epiſcopali, eſt perſona magis Priulegiata *cap. ſervatis & cap. igitur 25. 9. 2.* cujus Privilegia inconcuſſa ſervari debere, iubet Hormilda Papa ep. ad Joannem Epiſcopum.

XII. Archiepiſcopum habere in ſui cuſtodiam ratione officij Archangelum, præter privatum Angelum, qui ſibi ut alijs privatis conceſſus eſt aſſerit *D. Thomas 1. p. q. 114.* Archiepiſcopi dicuntur Regum Patres & Magiſtri *cap. quis dubitet diſtin. 96. q. 6.* quod etiam Epiſcopis convenit, Succeſſores enim ſunt Apoſtolorum, qui fuerunt Patres credentium. *Gerund. Ventrigl. & alij.* Archiepiſcopus Pater & Epiſcopus animarum ſuorũ Suffraganeorum juxta Innocentij III. reſcripta quorum exempla ſubjicit. *Quarant. V. Archiepiſcopi auctoritas num. 6.* Archiepiſcopi in Hiſpania connumerantur inter Magnates, & coram Rege ſedent operto capite. *Caſar de Eccleſiaſt. Hierach. diſp. 5.*

XIII. Eccleſia Metropolitana, cujus Rector eſt Archiepiſc: eſt grandioris honoris ſuffraganeâ, quæ eſt ſub juriſdictione, poteſtate & ſubjectione Archiep: & Eccleſiæ Metropolitanæ, prout poſt *Pavin. de offic. & poteſt. c. ſed. vac. par. 2. q. 6. ſub num. 6. docet Barboſ. de jure Eccl: l. 1. c. 7. num. 12.* Unde appellatur auctoritas Metropolitana *cap. ſolicitudinem de appel. cap. de his 12. diſt. cap. fin: 50 diſt.* & alias dicitur Metropolicum jus *cap. cum à nobis de Arbitr. & in auth. de Eccleſ: tit. in princip.* Unde eſt quod Archiepiſcopus de jure habet fundatam intentionem contra omnes Epiſcopos & Eccleſias ſuæ provinciæ, & ei datur manutentio, in quaſi poſſeſſione juris Metropolici contra illos, ut poſt Rotam *apud Tambur. in fin. Tom. 3. de jure Abbatum deciſ. 56 num. 1. & 2. docet Barboſ. cit. loc. num. 13.* & tenentur Suffraganei in ſuis Eccleſijs, quod ſervatur in Metropolitana. *Quar. Sum. Bullar. verb. Archiepiſcopi auctoritas* & alij, *Pontifex in cap. dilectus de Simon.* reſcribens Archiepiſcopo Cantuarienſi eidem præcipit, quod injungat ſuis Suffraganeis, ut eandem formam per ſuas Diœceſes ſtudeant obſervare. Tenentur enim ſervare conſuetudinem Metropolis in divinis officijs, & modo pſallendi, prout diſponitur *cap. de ijs diſt. 12 cap. altaria 1. de conſecrat. diſt. 1. cap. inſtitutio de conſecr. diſt. 2.* ubi diſponitur, quod ſicut in Metropolitana Eccleſia, ita ubique Miſſarum ſolennia celebrentur, notat *Quarant. Summ. Bull. verbo Archiepiſcopi auctoritas verſ. 22. auctoritas ibid.* quia modus officiandi, concernit totum ſtatum Provinciæ ibid.

ARTICULUS III.

Inſignia Archipræſulum propria ſunt Pallium & Crux.

PAllium eſt inſigne Archiepiſcopi, & ſpeciale Ornamentum de Corpore B. Petri ſumptum. *Barboſ: de jure Eccleſ. lib. 1. cap. 7. num. 103.* Summiſtæ ac DD. Benedicitur & conſecratur à Papa ſuper altare B. Petri, & ibi ponitur, & inde traditur Archiepiſcopo præſenti, vel ejus Pro-

Procuratori, ſi eſt abſens. *Cap. quoniam 100 diſt.* Pallium Venerabile Archiepiſcopi inſigne, ſenſibus myſticis plenum *Cerem. Epiſcoporum lib. 2.* Hujus inſignis rationem reddit D. Gregorius ad Epiſcopum Solymitanum, & de eo Tertull. librum ſcripſit, quo ejuſdem vetuſtatem & uſum edocet.

II. Pallio utitur Summus Pontifex, in ſignum plenitudinis poteſtatis, ſemper & ubiq; DD. uſus Pallij fuit conceſſus primo, à Marco primo Pontifice, Epiſcopo Oſtienſi Decano Cardinalium, qui ipſum Papam conſecrat. *Baron. & Coriol. in Anno 336.* Non tamen ſequitur uſum Pallij (quod etiam habet Epiſcopus Papienſis in Lombardia, Bambergenſis in Germania. Quinque Eccleſien: in Ungaria) convenire Epiſcopis, nam reſpondetur id eſſe, ex particulari & ſpeciali Privilegio ſedis Apoſtolicæ, neq; cum pari effectu Archiepiſcop: dicitur eſſe neceſſarium Epiſcopo indultũ C 3. tr. de authoritate & uſu Pallij *Barboſ. de jur. Eccleſ. lib. 1. cap. 7. num. 103.*

III. Pallium eſt loco ſuperhumeralis, quo utebatur Summus Sacerdos in lege veteri. Exod. 28. & ſuperhumerali illo conſpicuo, quo Summus Sacerdos Hebræorum ornabatur, non poterat uti alius Sacerdos, vel Pontifex, ibid. Exod. 28. Quamvis alij exiſtimaverint, uſum Pallij deſumptum fuiſſe ex illo *Geneſ. cap. 49.* Lavabit in vino, ſtolam ſuam, & in ſanguine ejus Pallium ſuum vel ex *Cap. 9. ejusd. Geneſ.* ibi Pallium impoſuerunt humeris ſuis, & *cap. 4. extendentes deſuper. Pallium torquis effigiem habere, prout inſigniore laureâ egregiè certantes olim donari ſolebant, Petrus de Bollo Oeconomiæ Canonicæ. ¶ 2.*

IV. Pallij Ornamentum & Privilegium eſt perſonale, cum Perſona enim Archiepiſcopi ſepelitur, proinde non tranſit ad Succeſſores, tamen concedi Succeſſoribus, cum petierint, alias injuria illis fieret *gl. in Can: ſcriptorum, atq; Privilegia diſt. 100.* Conceditur autem à ſolo Romano Pontifice in ſignum plenitudinis poteſtatis, quæ à ſola ſede Apoſtolica, ejuſq; Præſidente Romano Pontifice Petri ſucceſſore, in cætera membra Eccleſiaſtica profluit. *Caſtal. in prax. cerem.* Archiepiſcopi decorantur hâc honoraria veſte Pallij, ea ratione, quia cum ij à Sede Apoſtolica ſuſcipiant aliquam excellentiam honoris ſupra alios Epiſcopos, conveniens fuit, ut etiam ab eadem ſede ſuſciperent ornamenta deſignantia excellentiorem illam dignitatem. *Turrecrem. in can. 1. num. 2. diſt. 100.*

V. Pallium ex lana Agni conficitur, in quo multa myſteria & omina ſunt moralibus imbuta myſterijs, & divinis gravida Sacramentis *Gugl. in rational.* In candore lanæ, benignitas deſignatur. *Turrecrem. in cap. 1. num. 4. diſt. 100.* In lana deſignatur aſperitas, nam Eccleſiaſtica diſciplina erga rebelles, & obſtinatos, ſeveritatem exercet, erga pœnitentes, & humiles exhibet pietatem. Lana in Pallio, non cujuſlibet animalis, ſed ovis, ſive agni, & ſymbolum eſt humilitatis, quod verè eſt, proprium inſigne Pontificatus, juxta ſententiam Gregorij *lib. 4. Epiſt. 31.* in hæc verba, decorari Pallio volumus, forſan moribus indecori: dum nihil in Epiſcopali cervice ſplendidius fulget, quàm humilitas, ut refertur in *Can. contra morem Ss. decorari diſt. 100.* vel figuratur manſuetudo, quæ celebratur in tali animali Iſa. 53. *tanquam ovis ad occiſionem ductus eſt*, quo ſignificatur manſuetudo Summi Paſtoris. Circulus Pallij ſignificat ipſius Pontificis Officium in quærendo ovem perditam, vel aberrantem, inventamq; humeris ſuis tollendo, quo ſcilicet Pontifex, qui Chriſti typum gerit, ipſiuſq; munere fungitur, ipſo quoq; extrinſeco habitu, omnibus inſinuaret, ſe boni illius, ac magni Paſtoris imitatorem eſſe, qui

gregis

gregis infirmitates, ſibi ferendas propoſuit, ut ex Iſodoro Peluſiota *ad Hermin. Epiſt. 136 lib. 1.* notavit *Baron. Anno 216 num. 5.* & nuncupatur ovis errantis typus *D. Thom. in 4 diſt. 24 Baron. iterum in Anno 153 num. 7.*

VI. Pallium non datur niſi fortiter poſtulanti *can. priſca 100 diſtinct.* Priſca conſvetudo obtinuit, ut honor Pallij niſi exigentibus cauſarum meritis, & fortiter poſtulanti dari non debeat. unde debere illud, electum cum magna inſtantia, & frequenter poſtulare declarat. *Abb. poſt Joan. And. in cap. ad honorem de auct: & uſu pallij num: 8.* Forma poſtulationis his verbis peragitur. EGO N. Electus Eccleſiæ N. inſtanter, inſtantius, & inſtantiſſimè peto, mihi tradi, & aſſignari Pallium de corpore S. Petri ſumptum, in quo eſt plenitudo Pontificalis Officij.

VII. Poſtulare autem Pallium tenetur Archiepiſcopus intra tres menſes *c. quoniam 100 diſtinct.* qui tres menſes dati per Concil. Trid. *Seſſ. 7. de refor: c. 9.* ad Conſecrationem, cenſentur etiam dari ad petendum Pallium *Barboſ. de jure Eccleſ. lib. 1. cap. 7. num: 115.* quibus elapſis ceſſante cauſa, vel juſto impedimento, poſſet removeri a dignitate. *Turrecrem. n. 14. Decian. Lotter.*

VIII. Pallium poteſt accipi per Procuratorem, ſed cum ſpeciali mandato, ad illud nomine ipſius Archiepiſcopi abſentis recipiendum *Io. And. in cit. cap. ad honorem de auct. & uſu Pallij.* Quodſi Procurator miſſus ad petendum Pallium moriatur in via, vel infideliter agat, tenetur Archiepiſcopus, ſtatim habita notitia de morte vel tali impedimento, intra tres menſes, mittere alium Nuncium, alias non excuſatur à pœna, & ſi iterum impeditur ſecundus, tenetur mittere tertium ſucceſſivè *Abb. ibid.*

IX. Archiepiſcopus & ſi ſit Electus, confirmatus, & conſecratus, ante traditionem Pallij, non vocatur Archiepiſcopus, per *text. in cap. niſi ſpecialis de auct. & uſu Pallij*, in verbis: *Sanè ſi poſtulatio Trojani Epiſcopi ad Panormitanam Eccleſiam fuiſſet per nos, etiam approbata, non tamen deberet ſe Archiepiſcopum appellare, priusquam à nobis Pallium accepiſſet, in quo Pontificalis Officij plenitudo, cum Archiepiſcopalis nominis appellatione confertur.* Nec habet Archiepiſcopus plenum jus, & quia in Pallio ineſt plenitudo poteſtatis, ante ejus receptionem, non poteſt Prælatus facere ea, quæ ſunt honoris & dignitatis, non poteſt concilium convocare, conficere Chriſma, dedicare Baſilicas, ordinare Clericos, Epiſcopos conſecrare, Virgines benedicere, Crucem præferre, ſed ſtatim illo accepto, elevatur ad benedictionem Crux, ita *DD. & Cerem. Epiſc. lib. 1. cap. 25.*

X. Hoc obtentu nondum recepti Pallij, Nicolaus Praſmovius Archiepiſcopus Gneſnenſis, licet bonorum Archiepiſcopatus & loci primarij in Senatu, poſſeſſione jam acceptâ, ſigillum, id eſt, ſupremum Regni Cancellariatum legibus Polonicis incompatibilem, dimittere in Comitijs Varſavienſibus Anno 1666. diutius renuit, ſed fervidis inſtantijs Nuntiorum ex Palatinatibus, ſub finem Comitiorum, abdicare adactus eſt, qui Magiſtratus ampliſſimus, mihi tunc Epiſcopo Culmenſi à Rege Divæ memoriæ Ioanne Caſimiro in facie Reipublicæ de Conſilio Senatus, collatus fuit.

XI. Archiepiſcopus de receptione Pallij, debet procurare literas, nec non de juramento præſtito, alias non participat de fructibus Eccleſiaſticis juxta tex. in extrauag. Cum. incipienti, injunctæ & DD. Forma traditionis Pallij, extat in Pontificali Romano.

XII. An Archiepiſcopus extra Eccleſiam ſuam poſſit uti Pallio dubium movetur, ex verbis formulæ *ut eo utaris intra Eccleſiam tuam.* Sed reſolutum; poſſe uti Pallio intra omnes Eccleſias ſuæ Provinciæ etiam exemptas.

Cap.

Cap. de 1. auctor. & uſu Pallij in Verbis, quod ita intelligitur, videlicet intra quãlibet Eccleſiam Provinciæ tibi commiſſæ, & Eccleſiarum appellatione non venit tantum Metropolitana Cathedralis, ſed etiam veniunt Eccleſiæ totius Diœceſis & Provinciæ.

Archiepiſcopus egrediens Eccleſiam, quacunque veſte indutus, & proceſſionaliter, cum Capitulo & Clero, vel aliàs ſolenniter non poteſt uti Pallio, advertunt communiter DD.

Capella Eccleſiæ, cenſetur pars Eccleſiæ.

Extra Provinciam, ſtante licet Privilegio Apoſtolico, ſuper uſu Pallij requiritur conſenſus ad utendum, non ſolùm Epiſcopi, ſed etiam Archiepiſcopi Provinciæ, quia Archiepiſcopo videtur præjudicari, qui habet uſum Pallij in ſua Provincia DD.

XIII. Pallium, invitato ad celebrandum alteri Archiepiſcopo commodari non poteſt, ſi verò Archiepiſcopus ad Epiſcopum transferatur, (quod non inuſitatum eſſe novimus legimusque in Catalogo Concil. Trid. aliquos ex Archiepiſcopis Epiſcopos) uti Pallio poſt translationem non poteſt, quia non eſt amplius Archiepiſcopus, & Pallium fuit conceſſum perſonæ, ratione loci *Diana reſol. 37. ver. 1. in fin. Barb. cap. 7. num. 121. Sac. Cong. in Majoricen. 16. Octob. 1604.*

ARTICULUS IV

ARchiepiſcopi alterum inſigne, Crux eſt, quæ præſentatur Prælato, ut ſicut ipſe Chriſtus pro ovibus ſuis animam ſuam poſuit, ita Prælul pro grege ſibi commiſſo vigilet, ut boni Paſtoris nomen ſortiatur. *Tuſc. de viſit. lib. 1. cap. 4 n. 8.* de Cruce Archiepiſcopi habetur *in cap. ut lite pendẽn. in clemen. 2. de Privil. Cerem. Epiſc. Pontificale Roman.*

II. Archiepiſcopus præferri ſibi facit Crucem per totam Provinciam, etiam in locis exemptis. Clemens V. in Concilio Vien. in Clemen. 2. de Privilegio. Extra Provinciam non poteſt deferri ante ſe facere Crucem, niſi per Privilegium, conſvetudinem, & præſcriptionem ius acquiſiverit, ad quam inducendam ſufficient 40. Anni Abb. in cap. 1. num. 9. ut lite penden. Prælatio Crucis eſt inſigne ſuperioritatis & præeminentiæ. Id ib. Signum & ornamentum dignitatis & iuriſdictionis D.D. qua utitur Archiepiſcopus nõ ſolùm ad Divina Officia, verùm etiam ad alia negotia Cerem. Epiſc. lib. 1. cap. 2.

Crux immediatè defertur ante Archiepiſcopum, & imago Crucis vertitur ad ipſum Archiepiſcopum. Cerem. ibi.

Archiepiſcopus non ſolùm in ſua Diœceſi, ſed etiam per totam Provinciam benedicere populo, tam ſimplici quàm ſolenni benedictione poteſt. Clem. 2. de Privilegio ubi, DD. communiter notat Quarant. Summ. Bull. verbo Archiepiſcopi authoritas, verſ. 29. Lotter. de re benef. lib. 1 q. 22. num. 27. etiam per loca exempta ſuæ Provinciæ, ſolenniter in functionibus, & ſimpliciter eundo, vel itinerando, etiam populo exempto benedicendi, poteſtatem habet. Quarant. cit. loc. & alij DD. quia benedictione delentur peccata venialia DD. communiter. Ad ſolennem verò benedictionem elevatur ante Archiepiſcopum Crux. Caſtald. in praxi Cerem.

III. Epiſcopus præſente ſeu adveniente ſuo Metropolitano, ceſſare debet à benedictionibus privatis Cerem. Epiſc. cap. 4. ac etiam à ſolennib9 exercendo munia Epiſcopalia, quibus ex urbanitate Metropolitanus, intervenire non curet, ne ob ejus præſentiam & dignitatem, vel Epiſcopus à neceſſarijs functionibus Epiſcopalibus abſtinere cogatur, vel ſaltem interpoſitâ morâ, & majori cum difficultate, actus prædicti executioni demandentur ibid.

IV.

IV. Archiepiſcopus præſente Nuncio, debet ipſum rogare Nuncium, ut populo benedicat, ut populus cognoſcat dignitatem Apoſtolicam, ſed Nuncius hoc remittere debet Archiepiſcopo, Sacr: Congr. Rit: in Taurinen: 9. Martij 1593. quam refert Aldan. & Barbos.

Similiter in Bullâ aureâ Electorali Caroli IV. Tit. de Benedictionibus Archiepiſcoporum, pag. 414. *Elector Archiepiſcopus, in præſentia Imperatoris, miſſarum ſolennia celebrans, in benedictionibus poſt finitam miſſam, ac etiam ante menſam, faciendis & in gratijs poſt cibum acceptum agendis, debet charitativa inclinatione alterum Electorem Archiepiſcopum præſentem invitare, & tamen ipſemet ad benedictionem procedit.*

ARTICULUS V.

ARchiepiſcopus habet uſum Pontificalium in tota Provincia Clem. 2. de Privilegijs in verbis. *Divina Officia privatim vel publicè ibidem audiat, & ea etiam in Pontificalibus celebret, & faciat in ſua præſentia, ſive Pontificalibus celebrari.* Et hoc in quovis ſuæ Provinciæ loco etiam exempto. Et poteſt Archiepiſcopus in Provincia, & quovis loco collocare ſedem quia id ſpectat ad honorē Eccleſiæ, & eſt de acceſſorijs ad celebrationē ita DD.

II. Poteſt in tota Provincia ſine licentia Epiſcopi exercere ea quæ ſunt honoris & præeminentiæ Archiepiſcopalis. Pleriq; contra fortiter urgent, juxta Concil. Trid. Seſſ. 6. de ref. cap. 5. *nulli Epiſcopo liceat cujuſvis Privilegij pretextu Pontificalia in alterius Diœceſi exercere, ſine licentia Ordinarij ſub pœna ſuſpenſionis ab exercitijs*, ſed reſpondetur huic objectioni, *Trid:* loqui tantum de Epiſcopis: & quia materia eſt odioſa, appellatione Epiſcopi, non venit Archiepiſcopus, ſicut appellatione Cathedralis, in odioſis non venit Metropolitana *Ioan. à Cochier. Barbos. de appellat: verb. juris ſignificat appell. 43. num.* 1. qui ex hoc deducit, quod illegitimus diſpenſatus ad obtinenda beneficia in Cathedrali, non poteſt illa obtinere in Metropolitanâ, ſecundùm Menoch. Rebuff. & alios. Et illegitimus diſpenſatus à Papa ad Epiſcopatum, non dicitur diſpenſatus ad Archiepiſcopatū. Majol. de irreg. lib. 1. cap. 9. n. 6. Sayr de cenſur. lib. 6. cap. 11. num. 29. Sanctorel. var. reſol. par. 1. 9. 38. n. 16. ſed illegitimus diſpenſatus ad dignitatem Cardinalatus à Papâ, cenſetur diſpenſatus ad Archiepiſcopatum & quamcunque aliam dignitatem minorem, quia cui conceditur majus, cenſetur concedi etiam quod minus eſt. Gerund. in Epiſc. lib. 2. diſpen. 5. cap. 5. n. 4. ubi n. 5. cap. ex parte de decim.

III. Multò minus appellatione Epiſcopi venit Legatus Natus & Primas, qualis eſt Archiepiſcopus Gneſnenſis. Idcirco benè advertendum verbum Concil. *cujuſvis Privilegij*: Nam in Legato Nato, non eſt Privilegium, quod eſt lex privata Cauteria juris, ſed jus in corpore juris Canonici relatum, ubi Summus Pontifex expreſsè diſtinxit Officium Archiepiſcopi Cantuarienſis ut Primatis, & Metropolitani, ab Officio Legationis Natæ cap. 1. de Off. Legati.

IV. Pari ratione Concil. Trident. *Seſſ. 24. cap. 20* cum tribuit Ordinarijs cognitionem cauſarum in prima inſtantia privativè quo ad omnes, excepto tamen Summo Pontifice, ut ſub hac diſpoſitione, comprehenderet Legatos Sedis Apoſtolicæ, proinde expreſſam de ipſis fecit mentionem, ibid. *Legati quoq; etiam de Latere Nuncij*: quod dum non facit in prætact. *cap. 5. Seſſ. 6.* cenſetur noluiſſe comprehendere quo ad exercitium Pontificalium Metropolitanos & Primates: cum Primas Archiepiſcopis & Epiſcopis præſit. *Azor. par. 2. lib. 3. cap. 35.* etſi Primati Archiepiſcopus ubique cedit, *Loter. de*

de re benef. tit. 1. lib. 1. quæſt. 9. n. 33. multò magis Epiſcopus.

V. Diſpoſitio Clemen. Privil. permittens ipſi Archiepiſcopo uti Pontificalibus per totam Provinciam, etiam in locis exemptis, ſic loquitur: *Archiepiſcopo per quævis loca exempta ſuæ Provinciæ facienti tranſitum, aut ad eam forſan declinanti, uti Crucem ante ſe liberè portari faciat, benedicat populo, Divina officia privatim, vel publicè ibidem audiat, & ea etiam in Pontificalibus celebret, & faciat in ſua præſentia ſine Pontificalibus celebrari (quovis Privilegio non obſtante) ſacro approbante Concilio, præſentis conſtitutionis ſerie duximus concedendum.* Cum ſit Concilij Generalis Viennen. non cenſetur, & derogatum, per clauſulam generalem, niſi expreſſa mentio fiat Concil. generalis dicendo *non obſtante quavis Conſtitutione ſeu lege in Concil. generali editâ* per tex: in cap. ex parte, & cap. ultimo de Capell. Menoch. Archid. in cap. 1.' de Conſtit. in 6. fol. in cap. nonnulli col. 4. ſub num. 2. de reſcript. Covar. in epitom. par 2. cap. 8. §. 9. num 6. Merlin. de juſt. & jur. tract. 2. diſput. 173. verſ. occaſione legitimationis. Henriq; in Summ. lib. 7. cap. 26. num. 3. Sanch. de matrimon. lib. 3. diſputatione 16. num. 7. & lib. 8. diſp. 35. num. 17.

VI. Nuncium Apoſtolicum non debere Pontificalia exercere in Eccleſia Archiepiſcopi ſine ejus licentiâ decidit. *Sacr. Congr. Rit. ſub die 13. April. 1630. Vendrigl.*

VII. Poteſt Archiepiſcopus uti Baldachino in ſua Diœceſi, & in quacunque parte Provinciæ ſuæ, etiam in locis exemptis Ioan. Ventriglia de juriſdictione Archiep. cap. 22. num. 6. Nam Archiepiſcopus aſſimilatur Ducibus, proinde ad exemplum Ducis illi conceditur Baldachinum, prout multis argumentis probat Mart. de juriſdictione par. 2. cap. 53. per totum; etſi Archiepiſcopus impediatur uti Baldachino in Provincia, poteſt contra impedientes procedere Ventr. lo. cit. num. 7. & excommunicare illos qui impediunt. ex diſpoſit. Concil. Trid. Seſſ 23. cap. 2. ubi cenſuræ relaxantur ex cauſa arduâ. ſed quæſtio honoris dicitur cauſa ardua, per tex. in L. inimicitia, in fine ff. de his quibus ut indignis, etenim in tanto pretio honos haberi debet, quod pari paſſu cum vita ambulet L. juſta ff. de manumis. vindict. Riccius in praxi reſolut. 313. num. 2.

VIII. Archiepiſcopo ſolenniter in Eccleſiâ aliquâ Cathedrali celebranti vel Proceſſiones peragenti, non ſolùm Canonici, qui neceſſarij ſunt in Miniſterio, ſed omnes alij Canonici Cathedrales, debent aſſiſtere parati, videlicet Dignitates cum Pluvialibus, Canonici, Presbyteri cum Planetis, Diaconi & Subdiaconi Dalmaticis & Tunicellis, etſi omnes aſſiſterent cum pluvialibus, eſſet abuſus. Prout voluit Sacra Congreg. Rituum in Neapolitana 25. Martij 1602. & in Placentina 19. Maji 1613. teſte Barbos. de Canon. & Dignit. cap. 33. num. 28. Vendrig. cap. 25. num. 11.

Secus tamen eſt, ſi alius Epiſcopus vel Suffraganeus invitatus ab Archiepiſcopo ſolenniter Miſſam vel Proceſſionem celebraret, illi enim non debent aſſiſtere omnes Canonici ut ſup. parati, ſed ſolùm, illi qui ſunt neceſſarij in Miniſterio. Sacr. Congreg. Ritu. in Bracharen. 1. Septembris 1607. Barbos. Summ. Apoſtolicarum Decis: verbo Canonici aſſiſtentes num. 13. Sed in hac materia aſſiſtentiæ faciendæ, ſervandum eſt ad ungvem ceremoniale Romanum, ita mandante Sacra Congreg. in diverſis deciſionib9, & Bullis Clementis VIII. Innocentij X. ibi impreſſis.

ARTICULUS VI.

ARchiepiſcopus de jure poteſt libere vlſitare totam ſuam Provinciam. *tex. in cap. cum Apoſtolus gl. verbo Archiepiſcopi cap. Sopitæ. cap. ſuper*

per eo de cenſibus cap. cum ex officijs de Præſcript. Omnes Eccleſias Provinciæ, & Suffraganeorum, non ſolùm Majores, ſed etiam Minores, & quamlibet Parochiam etiam minutam, prout advertit, *Pavin. de Viſit. 1. par. q. 3. num. 30.* Quæ Viſitatio non debet fieri ex improviſo, ſed exemplo Chriſti qui periturî mundi mala denunciavit, ut eò minus perturbent venientia, quo fuerint præſcita, *L. obſervare ff: de off. Proconſulis*, debet ſignificare diem ſui adventus illis; quos intendit viſitare. *Pavin. de Viſit. L. cit. de Viſit. per Archiep: prolixe Hallier. lib. 4. art: 6.*

II. Iaroslaus Archiepiſcopus Gneſnenſis viſitavit Metropolitico & Primatiali jure Eccleſiam Cracovienſem *Stat. Polon. tit. decima*, & per Bullam Leonis X. idem Archiepiſcopus, per ſe, vel per alios, loca ſibi Metropolitico jure ſubjecta viſitare tenetur, *in Conſt. Syn. fol. 320.* atq; in viſitationibus, neceſſitatibus, & indemnitatibus Eccleſiarum & Cleri providere, & negligentias ſupplere. *Ead. Bulla ibid.*

III. Hodie tamen per Concil. Trid. *Seſſ. 24. cap. 3.* prohibetur Archiepiſcopis Provinciam ſuam viſitare, niſi prius Diœceſi ſua planè viſitatâ, & non niſi causâ cognitâ & probatâ in Concilio Provinciali.

IV. Sed cum in Polonia, ob remotiſſimas Eccleſiarum diſtantias, & Archidiœceſis Gneſnenſis vaſtiſſimam amplitudinem, (quæ teſte *Damalevicio pag. 37.* longè lateque ad milliaria Germanica centum circiter protenditur, nam à Koniecznenſi Eccleſia, quæ in confinio eſt Diœceſis Cracovienſis decem milliaribus Cracovia diſtans, ad Podbiedzyſcenſem in Majore Polonia, in longum prodeunt milliaria 58. à finibus vero Caſſubiorum, ad fines Sileſiæ, & inde per Auſtrum ad Aquilonem, juriſdictionis Archiepiſcopi Gneſnenſis plus quàm 50 milliaria numerari poſſunt) plena & antecedens ejuſdē Archidiœceſis viſitatio vix multorum annorum ſpatio peragi valeat: Concilia autem Provincialia non facile congregantur: prout ab ultimo Lubiniano in Anno 1673. celebrato quintus ultra trigeſimum annum excurrit neceſſitas etiam ſingulis triennijs juxta Trident. *cap. 2. Seſſ. 22. de refor. & Conſt. Syn. lib. 1. de Off. Ordin. cap. ſtatuimus.* Concilia indicendi ceſſare aliquatenus videtur, cum nullus jam ferme caſus detur, qui non ſit in jure, vel in Bullis Pontificijs, aut declarationibus Congregationum expreſſus, ac definitus nihilque (ut ajunt) ſcribetur, quod non ſcriptum ſit prius.

V. Eâ de causâ, Concilia Generalia frequentiſſimè olim (primitùs bis in anno) celebrari ſolita, poſtmodum deſierunt. *Leo 1. cap. 37.* decrevit, *ne frequens, nec pro levibus cauſis conveniendi neceſſitas indicatur.* Et Sixtus in epiſtola ad Epiſcopos per Illirycum *ap. Holſten pag. 99. ſit Concilium, quoties cauſa fuerint, quoties Metropolitanus pro neceſſitatum emergentium ratione decreverit, ut meritò Sedes Apoſtolica relatione ejus inſtructa, quæ fuerint acta, confirmet.* Antiquitus enim in Synodis cuncta diſcutiebantur, quæ ad diſciplinam Eccleſiaſticam pertinebant, etiam vita & converſatio Epiſcoporum, tractabatur de moribus in Clero reformandis, de tollendis abuſibus, de controverſijs componendis, de obſervatione ultimi Concilij generalis, de diſciplina Eccleſiaſtica ſenſim reſtituenda, juſtitia expeditè ſingulis eam poſcentibus miniſtrabatur apud *Fag. ad cap. ſicut olim de accuſat. n. 13. fol. 134.*

VI. Et cum Archiepiſcopo principaliter competat judicare in Concilio Provinciali, cum Conſilio aliorum Coepiſcoporum exiſtentium *Card. Alex. in cap. de eo 50. diſt.* audire querelas, & delicta quæ ſubditi contra ſuos Epiſcopos proponunt. *Card. Genuen, Zerola & alij*, nunc Concil. Trid. aliter diſpoſuit. *Seſſ. 13. de ref. cap. 8.* ibi. *Cauſæ Epiſcoporum pro criminis objecti qualitate coram Pontifice maxime referri, ac per ipſum terminari debent.* & Seſſ. 24. de ref. cap. 5. ibi. *Cauſæ criminales graviores contra Epiſcopos, etiam hæreſis (quod ab-*

ſit

ſit) quæ depoſitione aut privatione dignæ ſunt, ab ipſo tantum Summo Pontifice cognoſcantur, & terminentur. Ubi advertunt DD. nec proceſſum de illis formari poſſe, in Concilio Provinciali, cum non ſolùm definitionem, ſed etiam cognitionem prædictarum cauſarum Trid. Summo Pontifici reſervavit in illis verbis, *cognoſcantur & terminentur.*

Poſtremò Deputationes judicum Synodalium & Examinatorum juxta Conc: Trident: non ſunt de majoribus negotijs, recepto nunc more, ut per Epiſcopos in generalibus Capitulis Cathedralibus, conſilio Prælatorum & Canonicorum expediri & delegari ſoleant.

VII. Ex his ſupradictis quandoquidem *Concil. Trid. Seſſ. 24. c. 3.* in effectu obſervari præſertim in Regno Poloniæ nequit (ſalvâ declaratione mea quòd Synodum Provincialem ſervatis ſervandis commodo tempore quamprimùm indicere intendam, ne auctoritas, & poteſtas Archiepiſcopi, tot juribus fundata evaneſcat, proinde datur locus recurſui Romam, & informationi Sedis Apoſtolicæ vigore Conſt. Provincialis lib. 5 cap. 2. pag. 350.

VIII. Licet enim Synodus Provincialis, *Canones, atq; Decreta Tridentini, ſine ullâ exceptione, ſanctè, & reverenter receperit* d. lib. 5. cap. 1. Tamen *cum nonnulla in illis reperiantur, quæ Provinciæ Polonæ, propter ipſius conditionem à cæteris longè diverſam & propter rerum Eccleſiaſticarum ſtatum difficiliorem, & iniquiorem, accommodari, & in executionem deduci non poſſunt, poſtulavit Synodus moderationem Decretorum, quæ moderatione & relaxatione indigent, & de ſtatu Provinciæ plenam Suæ Sanctitati dari informationem, ac ſæpè dicta Synodus certiſſimum ſibi in omnibus difficultatibus, in Sanctæ Sedis Apoſtolicæ indulgentiâ collocavit refugium.* Verbis d. cap. 2. per totum, aliàs evidentiſſima jura, & poteſtas Archiepiſcopi redderentur eluſoria, ut loquitur Vendrigl. cap. 64.

Militat pro eadem Viſitatione Conſt. Synod. Provinc. lib. 1. de Off. Ordin. pag. 80. verbis expreſſis: *Ut DD. Archiepiſcopi ſuas, & Provinciales Diœceſes, Epiſcopi verò ſuas Diœceſes viſitent.* Ubi nulla apponitur conditio cauſæ cognoſcendæ, & probandæ in concilio.

IX. Exinde cum Polonis facilius diſpenſatur declar. Trid. ad cap. 12. de ref. Seſſ. 24. num. 32. ad verba *ultra tres menſes* & Seſſ. 23. cap. 1 de Reform. ad Ver. *Niſi ex gravi cauſa non obtineant.* ibid. *Multa conceſſa ſunt in Regno Poloniæ, ex variis cauſis & neceſſitatibus.*

Et in Decreto Sacræ Rituum Congregationis, in Conſt. Privinc. p. 417. ibi. *ab Apoſtolica Sede vindicare videatur auxilia, tam vaſtiſſimarum Diœceſium intra Regni Poloniæ fines diffita nimis Eccleſiæ.*

ARTICULUS VII.

I. JUrisdictio Archiepiſcopalis per antiqua & ampliſſima, licet nunc per Concil: Trident. (in quo numeroſi Epiſcopi paucis Archiepiſcopis prævalebant) imminuta & reſtricta cenſeatur. *Piaſ. in Prax. par. 2. cap. 5. art. 2. num. 44.* tamen de illa ſtrictim ex Canonibus & Doctoribus nonnulla attingemus,

II. Archiepiſcopi in tota Provincia habent jurisdictionem, *juxta tex. in cap. Per ſingulas, Cap. Cleros,* ibi *totius Provinciæ ſolicitudo commiſſa.* Ordinariam in Epiſcopos omnes ejuſdem Provinciæ dicunturque ejuſdem Suffraganei à ſuffragando quia ſuffragantur ſibi in officio, *Abb. in cap. ſuffraganeis Riccius Reſolut. 22. num. 5.* & Metropolitana lege ſubjecti *c. Paſtora-*

Paſtoralis 22. tenentur omnia quæ totius Provinciæ bonum ſpectant, ad Metropolitanum, tanquam ad caput ſuum referre. *Can. Apoſtolorum 35.* & innumeris Pontificum Epiſtolis, & Conciliorum antiquorum decretis, quæ collegit Hallier D. Serbonicus. *de Jurisdict. Hierarchicâ art. 2.*

III. Et quia neq; plures Epiſcopi neque Synodus facile poſſunt congregari, conſuetudine obtentum eſt, ut ſoli Archiepiſcopi civiles cauſas Epiſcoporum Suffraganeorum definiant, criminales verò in concilio Provinciali *Cæſar. de Eccleſiaſt. Hierarchia diſp. 5. §. 2.* licet jam nunc aliter diſponat de criminalibus Conc: Trid, *Seſſ. 13. de refor. cap. 8.*

IV. Facit pro jurisdictione Archiepiſcopi Gneſnen: Conſt: Syn: Provin: ex Novis lib. 4. pag. 255. *Statuimus etiam decernentes, quòd ſi Epiſcopi Suffraganei Provinciæ hujus, à conſecrationibus quarumcunq; rerum, benedictionibus, reconciliationibus aut formatu, directè vel indirectè, aut quolibet quæſito doli, vel fraudis commento, aliquid exigerent, præter procurationem, & taxam à jure & ſtatuto Provinciali conceſſam, pœna arbitrali per Archiepiſcopum puniantur.*

V. Archiepiſcopis jure Metropolitico competit jurisdictio in ſubditos Suffraganeorum ſuorum, ſed non ordinaria, quemadmodum in ipſos Suffraganeos, ſed in caſibus expreſſis *d. c. Paſtoralis* de quibus non ſolum Archiepiſcopus per ſe judicare poteſt, ſed etiam ſubdito cuicunq; Suffraganei ſui, in ejus diœceſi delegare. *cap 1. de offic. Ord. in 6.* & quamvis illum invitum cogere non poſſit ad delegationem acceptandam. *d. cap. 1. de foro com. l. 6. d. c. Paſtoralis*, Epiſcopus tamen Suffraganeo præcipere poterit, ut illum acceptare compellat, ut notat *Gl. in d. cap. Paſtoralis verbo nullam.*

VI. Speciale eſt de Archiepiſcopo & Eccleſia Metropolitana Gneſnenſi Conſtit: Provincial. lib. 1. tit. de conſuetudine pag. 14. tenoris talis: *Eccleſia Gneſnenſis ex antiqua & rationabili conſuetudine obtinuiſſe dignoſcitur, quod cauſas ad eam per appellationem devolutas, Subditis Suffraganeorum ſuorum committere valeat, & compellere, jurisdictionem hujusmodi ſuſcipere detrectantes: ſic enim conſultius, ut præter locorum diſtantiam parcatur partium laboribus & expenſis, quia ſi non recipcrentur delegationes hujusmodi, cogerentur partes cum diſpendio apud ſedem Metropolitanam litigare. Hujus ſacri approbatione Concilij ſtatuimus antiquam conſuetudinem declarantes, ut Sedes Gneſnenſis cauſas hujuſmodi Subditis Suffraganeorum ſuorum valeat delegare, & animadvertere in rebelles.*

VII. Etiam ipſimet Epiſcopo vel Invito, Metropolitanus poteſt cauſam delegare, *Piaſec. 8.* eundemque cogere ad compellendum ſuos ſubditos pro perhibendo teſtimonio in cauſis ad ipſum devolutis; nam licet non poſſit ad hoc cogere ſubditos ſui Suffraganei, ipſum tamen Suffraganeum cogere poteſt, ut ipſe cogat, quia nimirum majorem habet poteſtatem in ipſummet Suffraganeum, quàm In ipſius ſubditos, *idem Piaſec. in prax. Epiſcop. par. 2. c. 5. art: 2. num: 47.* & allegat DD. Poteſt in Diœceſi Suffraganei habere judicem aut tribunal erectum, pro appellationibus audiendis, propter commoditatem litigantium, abſq; conſenſu ipſius, per tex. *in d. cap. 1. de Officio ordin. in 6.*

IX. Poteſt inter Subditos Suffraganei jurisdictionem exercere, quando cauſa ad illum devolvitur per ſimplicem querelam, præſertim in caſu expreſſo excommunicationis *per tex. in cap. ad reprimendam de Officio ordin.* ibi. *de injuſta ſibi fuerit excommunicatione conqueſtus.*

X. Denegante Epiſcopo diſpenſationem, quando eſt debita diſpenſa-

tio, datur recurſus ad Archiepiſcopum, quia negligente Epiſcopo facere, quod debet eſt caſus in jure expreſſus. *Piaſec. loc. cit. num.* 41.

XI. Et ſi Epiſcopus fuerit negligens in Exeeutione ultimæ voluntatis, ſuccedit Archiepiſcopus. Idem. ibid. & poteſt inſtituere, ſi Suffraganeus denegat ſine cauſa inſtitutionem. ibi.

XII. In Beneficijs curatis denegante Ordinario intra duos menſes inſtitutionem Præſentato à Patrono, recurritur pro inſtitutione ad Archiepiſcopum. Bulla Pij V. In Conferendis.

Eadem ratione devolvitur collatio Beneficij, ad Archiepiſcopum, de quo non providerit Epiſcopus intra ſex menſes à die notitiæ vocationis *c. nulla: de Conceſſ. Piaſ. lo. cit.* in omnibus quæ facere debet ex Officio ſuo Epiſcopus, ſi facere negligit, devolvitur poteſtas ipſius ad Archiepiſcopum *c. Cum ſimus 9. q. 3.*

XIII. Unde occurrente negligentia deberet Archiepiſcopus monere Epiſcopum ſuum Suffraganeum, & præfigere ei tempus, in quo faciat, quod debet argumento Conc: Trid. *Seſſ. 24 cap: 20.* quæ monitio ne poſſit negari, deberet fieri per Inſtrumentum publicum. *Hoſt. in c. 1. de ſuppl. negl. Prælat: Piaſ. lo. cit.* Et Conſt. Synodalis Poloniæ lib. 1. pag. 64. *Capitulum Eccleſiæ Cathedralis, ſive major pars ipſius, de abſentia Epiſcopi, & de impedimentis & defectibus, tam Epiſcopi, quàm ſui Vicarij, tenebuntur quam primùm commodè poterint per literas ſuas vel Nuncios Metropolitanum Gneſnenſem, qui pro tempore fuerit, conſulere.*

XIV. Poteſt idem per viam nullitatis etiam abſque appellatione de cauſis inter Subditos Suffraganei cognoſcere. *Abbas in cap. in literis in fin. Barboſ. num.* 15. *de Officio delegati.* idque ex doctrina *Bartoli in l. ſi expreſſim de Appell. col. pen.*

XV. Poteſt Archiepiſcopus compellere Suffraganeum ad miniſtrandam juſtitiam ſubditis, & exaggerare pœnas in negligentem, quo tandem inducatur ad juſtitiam reddendam. *Quarant. Verbo Archiepiſcopi auctoritas verſ. decim. quart. Abbas Genuenſis. Barboſa, Felin. quos allegat Vendrigl. c. 85.* ad faciendum id ad quod tenetur, ad celebrandum quotannis Synodum, ad erectionem Seminarij *ibid.* Et ad ſolvendum eidem Seminario portionem quam debet. *Concil. Trid. Seſſ. 23. cap. fin. de refor.*

Communem ſententiam appellant DD. quod propter negligentiam Suffraganei devolvatur jurisdictio ad Metropolitanum, qui per ſeipſum facere poteſt. *Vendrigl. cap. 86. num. 1.* & negligente Suffraganeo, ordinariam jurisdictionem in ſubditos ejus exerceat. *gl. in d. cap. Paſtoralis. Glo: in Summa 9. q. 3. v. conqueſtus verb. provocaverit,* proprium enim Metropolitani munus eſt, occurrere gravaminibus ſuorum Suffraganeorum *d. cap. per ſingulas q. 3. cap. Cleros* ibi. *Solicitudo totius Provinciæ* & Suffraganeorum exceſſus ad Metropolitanum pertinent, ac proinde in illis caſus hic expreſſus cenſetur. *Caſar. de Hierarch. Eccleſiaſt.*

XVI. Conſequens eſt, ut Archiepiſcopus poſſit Suffraganeum ſuum & ipſius Vicarium Generalem ſuſpendere, interdicere & excommunicare in caſibus in quibus cenſetur habere jurisdictionem in ipſos. Idemq; poſſe facere Vicarium Generalem Archiepiſcopi, ſi abſit à Provincia Archiepiſcopus. Gradatim tamen procedendum eſſe in talibus, ut primo interdicatur ingreſſus Eccleſiæ, Ordinis exequutio, tum ſuccedat ſuſpenſio, & ereſcente contumacia demum deveniatur ad excommunicationem *Piaſ. loc: cit: n.* 49. per allegat. ib. jura & DD.

XVII. Poteſt notoria crimina ſubditorum Suffraganei, liberè punire abſq;

abſq; appellatione, quia ſcilicet in illis puniendis Suffraganeorum negligentia notatur, cum ſint notoria, *per text. in c. 1. §. ſanè verſ. Notoria de Cenſibus lib. 6.* idq; poterit circa Officiales Epiſcopi, ſi impunè delinquant in officio. *Henriquez lib. 10. cap. 30. §. 3.* & poteſt reum bannire ex totâ Provinciâ Piaſec.

XVIII. Notorium autem eſt, quod per evidentiam rei nullâ tergiverſatione celari poteſt, ut in *cap. ult. de Cohab. Cleric. & mul. cap. cum dilectus cap. de manifeſto*, quod non indiget probatione *ex verb. tex:* Notoria verò crimina quæ examine non egeant &c. quæ talia Archiepiſcopus vilitans punit, eâ ratione, quia in his imputari poteſt Ordinarij negligentia *ut §. ſanè.*

Notorium aliter definiunt, cujus teſtis populus *Jo: And: in cap. Romana: num:* 5. nec requiritur quod notum ſit omni populo, ſed ſufficit ſi majori parti populi noteſcat. Idem ib.

XIX. Quando Vicarius Suffraganei delinquit contra jurisdictionem Metropolitanam, ut ſi nolit deferre appellationi ad eum legitimè interpoſitæ, vel illius inhibitionem ſpernat, tunc liberè poteſt Metropolitanus contra illum procedere. *c. 1. de Offic. Vicar. in 6. Loter. cit: loco, verſ. Namſunt campanil. rub. 1. cap. 23. n. 157.* & poteſt punire etiã Cenſuris, ſignanter Excommunicatione. *Vendrigl. c. 88 n. 1.* alibi carceribus Metropolitanis, dummodo carceratio fiat circumſpectè & ſine ignominia, *Secundum Donat. Anton: de Mar.* qui teſtatur ita ſervatum in Curia Neapolitana.

XX. Injuſtæ excommunicationis cauſa, ſi vertatur inter ſubditumSuffraganei, & ipſummet Suffraganeum v. g. quia ipſe ex officio vel aliter, non ad partis favorem ipſum excommunicavit, de illa, ſive per ſimplicem querelam, ſive etiam per appellationem, Archiepiſcopus cognoſcere poterit. *tex. in cap. Venerabilibus verſ. attamen & 5 pen. & ult. de Sententia Excommunicationis in 6.* & hic intelligendus *tex. d. cap. Ad reprimendum.* ibi. *Conqueſtus c. Per tuas* ibi. Verum & ratio eſt, quia in cauſis Suffraganeorum qualis eſt hæc juxta *tex. in cap. Sacro.* ibi. *Excommunicator condemnetur*, de ſententia Excommunicationis, Metropolitanus judex competens eſt, ſive per appellationem, ſive per ſimplicem querelam adeatur. *Cap. per Singulas. 9. q. 3.*

XXI. Poteſt Archiepiſcopus ſi excommunicatio injuſta appareat ſtatim ſubditum abſolvere, neq; ad Suffraganeum remittere, poſteaque de cauſa cognoſcere *per tex. in d. c. Sacro §. Sane verſ. Si verò conſtet* quo caſu nulla Suffraganeo fit injuria, quinimo data manifeſtâ injuſtitiâ illius, jam ad Metropolitanum attento jure jurisdictio & poteſtas abſolvendi ſpectat ib. *verſ. Notoria.* Si dubitetur an juſtè prolata ſit ſententia Excommunicationis, poteſt quidem Archiepiſcopus nulla data remiſſione excommunicatum per ſe abſolvere, & poſtea de cauſa cognoſcere. *Cap. Per tuas. verſ. quodſi §. ſane verſ. quodſi dubitetur*, ex debito tamen honeſtatis debet excommunicatum pro abſolutione ad Suffraganeum remittere, quo caſu nulla ſubdito fit injuria, dum non conſtat de juſtitia Excommunicationis, *Cap. Quibus Epiſcopi 11. q. 3.* & decet Prælato debitum honorem & reverentiam ſervari *cap. Servetur.*

XXII. Quodſi Suffraganeus abſolutionem legitimè petenti ſaltem ad cautelam malitiosè diſtulerit aut denegaverit, tunc Metropolitanus abſolvere debet. *juxta tex. d. cap. Per tuas ext. de Sent. Excommunicationis & d. cap. ad reprimendam de Officio judicis Ordinarij* & poteſtate ſibi à jure tradita utetur. *Alexand. III. c. qua fronte. c. Solicitudinem de appell.* Si Metropolitanus in

prædictis Casibus absolvat sine remissione, licet eam facere tenebitur, valebit absolutio, quamvis injusta *d. §. Sane in fin.*

XXIII. Archiepiscopus sede Episcopali vacante, si Capitulum in spiritualibus & temporalibus negligenter & malè administraverit, tunc illius negligentiam supplere potest, juxta supra cit. jura *Cæsar. de Hierar.* Et potest visitatorem suum deputare, sed Capitulo prius vocato cognitione præmissa de negligentia *c. fin. de suppl. negl. prael. in 6.* Itidem si Episcopus negligit ponere Oeconomos, ejus negligentia per Metropolitanum suppletur. *c Cum simus 9. q. 3.*

XXIV. Episcopus manus injiciens in Clericum poterit absolvi per Metropolitanum, qui est ejus Ordinarius. *Riccius de auctoritate Archiepisc. resolut. 22. n. 5.* immediatè enim subjecti sunt Metropolitano Episc. ibid. & Clericus vel laicus si quid habet contra Episcopum suum, id jure defert ad Archiepiscopum, & coram eo causam agit suam. *Asor. par. 2. lib. 3. c. 34.*

XXV. Archiepiscopus abolet pravas consuetudines si invectas esse noverit in subjectorum Episcoporum Diœceses, id. ibid. estq; judex in communi vitio Provinciæ, *Fagn. in c. ad extirpandas num. 3. fol. 1324.*

XXVI. Quæstuarios illegitimos per totam Provinciam compescendi, auctoritatem habet Metropolitanus, laicos quidem excommunicandi, Clericos suspendendi. *cap. tuarum de Privileg.*

ARTICULUS VIII.

I. COnvocare Concilium Provinciale ad Archiepiscopum Metropolitanum spectat, ipse enim præest Concilio, & Episcopos Suffraganeos ac alios qui interesse habent, vocat. In Concilio Provinciali majoris partis Episcoporum sententiam pronunciat. Canones & DD. communiter.

II. Archiepiscopus auctoritate Metropolitana approbat in scriptis justas & legitimas causas absentiæ Suffraganeorum suorum, de causis absentiæ cognoscere, illosque ad residentiam revocare, & non residentes cum Concilio Provinciali punire. *Concil. Trid. Sess. 23. de refor. cap. 1.* ac ipsemet procedere potest contra Episcopos deserentes Ecclesias suas, excommunicando & suspendendo, non tamen ab Episcopatu removendo. *Fag. ad c. Ex tua. n. 16. fol. 66.* Depositio Episcoporum jure Divino est Romano Pontifici reservata, ut *in c. inter Corporalia de Translat. Episc: Fagn. ib.*

III. Justæ absentiæ causæ à Metropolitano comprobandæ, ponuntur ab eodem Trid. cit. cap. 1. nempe Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiæ vel Reip. utilitas, quæ ultima militat pro Cancellarijs Poloniæ, quod munus & officium Episcopatui est adjunctum.

IV. Absentiæ prædictæ spatium duos vel ad summum tres menses non excedat, & absentia non debet incidere in Adventu, Quadragesima, Nativitate Domini, Resurrectione, in festo Pentecostes, & Corporis Christi. Non residentes per sex menses Episcopi, sine justa & rationabili causa, mulctantur gradatim *Concil. Trid. Sess. 6. c. 1.* Peccant mortaliter & fructus non faciunt suos, & debent condemnari ad illos fabricæ Ecclesiæ aut pauperibus loci erogandos *Ioan. Vendrigl. cap. 83. & 84.* pœnam interdicti ipso facto incurrunt ex *Bulla Urbani VIII. 1634.* privantur gratia alternativè super provisione beneficiorum juxta *Regulam 9. Cancellariæ* alijsque gratijs & facultatibus.

V. Proprietates boni Pastoris quatuor sunt. 1. Quod *pro ovibus suis animam ponat* Ioan. 10. 2. Quod *veniente lupo non fugiat.* 3. Quod *omnes oves suas nominatim cognoscat.* 4. Quod *oves ejus voces audiant*, quomodo hæc præstabit

absens

abſens Epiſcopus? cui, ut loquitur *Concil. Trid. lo. cit.* Ovium ſuarum, quarum ſangvis de ejus manibus a ſupremo Iudice requirendus eſt, cuſtodia incumbit.

VI. Gregorium ut Romam ex Gallia ſedem transferret, moverunt maximè verba cujuſdam Epiſcopi, qui interrogatus à Pontifice dum ſimul ambularent, cur non rediret ad Eccleſiam ſuam quam haud par erat tamdiu ſine Paſtore nudatam relinqui. Cur (inquit) tu Summe Pontifex cæteris exemplum daturus, tuum Epiſcopatum non repetis, Eccleſiamque Romanam? Motus his verbis Pontifex, paratiſq; in Rhodano una & 20. triremibus, alio ſe iturum ſimulans, ne à Gallis retineretur, ſi ſe profecturum ad urbem intellexiſſent, Romam pervenit. Idibus Januarijs Anno 1376. *Platina Hiſt. Pontif.*

ARTICULUS IX.

PRæter ſupradicta Archiepiſcopis omnibus communia, Gneſnenſium præcipuum decus & dignitas in multis excellit. Illi à primævâ fundatione, Sanctæ Eccleſiæ Gneſnenſis, titulum ſibi præſcribebant & ab omnibus præſertim à Regibus, ejuſdem tituli honore appellabantur, prout legere eſt in vetuſtis diplomatibus, reſcriptis Regum, Statutis Regni, duravit ejuſmodi tituli uſus & forma, ad uſque Regis Stephani Batorei tempora, quam, poſt Iacobum Uchanſcium recentiores Archipræſules, incertum ſponténe, an incuriâ? intermiſere. Retinet tamen in hunc diem Capitulum Metropolitanum Sanctæ Eccleſiæ Gneſnenſis antiquam præſcriptionem.

II. Archidiœceſis Gneſnenſis, pro Diœceſi, per eminentiam ſemper & ubique nominatur. Eccleſiarum Regni Prima & Magiſtra Gneſnenſis: Capitulum Metropolitanum Gneſnenſe, ejuſdemque delegatus in ſupremo Regni tribunali Petricovien: & Lublinenſi, jus & prærogativam perpetuæ præſidentiæ obtinet. Gneſna vetuſtiſſima urbs, à primo gentis & Regni conditore Lecho, auſpicato condita. Regum olim ſedes, Regni Caput. Baſilica Metropolitana Gneſnen: magnitudine & venuſtate ſtructuræ, ante omnes; pro cujus fabricâ, mulctæ Epiſcoporum & Abbatum ad Synodos Provinciales venire negligentiũ, applicantur. Decretis Conſt: Provincial. *pag. 332. & 335.*

III. Ius Primatiæ, Legationis Natæ, Primi Principatus Archiepiſcopo Gneſnenſi ſoli conceſſum. Idem Pontificio oraculo vir præclarus. *Bul. Leon. x. in Conſt. Provinc. pag. 48.* notabilis prælatus *pag* 318. Primas Regni Poloniæ *ibidem* Privilegijs Caſimiri Magni Primus Princeps, Vladislai Iagellonis, Vicarius Regni Generalis, in nonnullis antiquis Privilegijs Regijs, Archiepiſcopus Dei gratiâ à Rege inſignitur.

IV. Archiepiſcopi aula, Prælatorum, cohors Prætoria, Lubienius, *fol. 260.* juventutis, in omni genere virtutis Palæſtra *idem fol* 403. popularitatis hoſpitalitatiſq; perpetua Officina *Piaſec. in Cron. fol.* 600. Magiſtra publicæ diſciplinæ *idem in prax. pag.* 149.

V. Archiepiſcopum caput, Epiſcopos, membra declarat Bulla Clementis X. ad Suffraganeos Metropolitani Gneſnen: hiſce verbis. *Vobis per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eidem Andreæ Archiepiſcopo tanquam membra Capiti obſequentes, exhibeatis obedientiam & reverentiam debitam & devotam.*

VI. Et licet Archiepiſcopis in genere non liceat ante ſe deferri Crucem quando eſt præſens Legatus Papæ, vel Cardinalis non Legatus, ſeu Nuntius eum facultate Legati de Latere prout Sacra Congr: Rituum declaravit *in Taurinen. 9. Martij 1593. &* ita *Quaranta, Barboſa &c.* attamen Archiepiſcopus Gneſnen: fuit atq; eſt in uſu continuo & pacifico, præferendi Crucẽ in Polonia in præſentiâ Nuncij Apoſtolici, cum facultatibus de Latere, imò etiam

etiam in præſentia Cardinalis, prout præferri faciebant præſente Cardinale Radivilo, Cardinale Bernardo Macieiovio, Cardinale Ioanne Alberto Principe Epiſcopis Cracovien: & meâ memeriâ Mathias Lubinius Archiepiſcop9 Gneſnen: cum Cruce Ioannem Caſimirum tunc Cardinalem, qui poſtmodũ Rex, viſitavit. Etiam in præſentia Regis Crux antefertur Archiepiſcopo, uſque ad intimam Regis cameram, ac in Senatu, & Comitijs Generalibus: Nec prohibetur Gallico interdicto *fors en noſtre préſentie*, quod memorat Petrus de Marca Archiepiſcopus Pariſien: *cap. 58. n. 6.* in quo obtinet conſvetudo & præſcriptio, an & Privilegium Nicolai V. Papæ. infra in verbis *Vigore ſuæ Legationis ſolus ubiq; ante ſe Crucem deferri facere poteſt.*

VII. Obſervo in Privilegio Fundationis Abbatiæ Andreovien: *apud Damalevicium in vitis Archiepiſcoporum Gneſnen: pag. 97.* Ioannem II. ſeu Ianicum Fundatorem, pro Gneſnenſi Archiepiſcoporum Polonorum nominari in verbis, Ego Ioannes Polonorum Archiepiſcopus, Quod Cantuarienſis Epiſcopi dignitati & reverentiæ olim tributum, ut Angliæ Archiepiſcopus in Concilio ſub Urbano II. Acclamaretur *apud Baronium ad Annum 1098.* in verbis Anſelmus Angliæ Archiepiſcopus *Et ad Annum 1097.* n. 147. Pater & Magiſter Anſelmus Anglorum Archiepiſcopus. Alexander Papa in epiſtola ad Caſimirum Ducem Poloniæ (cujus originale in Eccleſia Cracovienſi aſſervatum, ſæpè ſe vidiſſe & attrectaſſe Ioannes Longinus à Baronio citatus, ſcribit) Archiepiſcopum Poloniæ vocat.

VIII. Archiepiſcopus Gneſnen: eſt Ordinarius & Parochus Regis & Reginæ per totam ſuam Provinciam exemplo Cantuarienſis, pro quo deciſum eſſe, etiam in Comitijs Regni Angliæ, contra Epiſcopum loci Sarisberienſem: Reges, Reginasq; eſſe ſpeciales domeſticos & Parochianos Archiepiſcopi Cantuarienſis, refert *Gervas., Monach. in Chron. Actor: Pontif. Cantuar. fol. 1691.*

De juribus nominandi, & conſecrandi Reges, funera Regum celebrandi, electos Epiſcopos, antiquitùs confirmandi & conſecrandi, deque alijs tam Eccleſiaſticis, quàm politicis inſignibus, prærogativis, & præeminentijs, quæ ultra Metropolitanam, ex Legationis & Primatus ac Primi Principatus dignitate reſultant, infra dicemus, & manifeſta jura deducemus.

De Legatione Natâ.

CAPVT II.

ARTICULUS I.

ARchiepiſcopus Gneſnenſis, quamvis pro ſola Metropolitanæ dignitatis eminentia, ſemper à Poloniæ Regibus, Principibus, Senatuque & Equeſtri Ordine primo loco haberetur, eum tamen prælationis apicem, Henricus Archiepiſcopus Gneſnenſis, Theodorici Ducis Bernenſis ex Eudoxia Polona filius, dictus Kietlicz, novo decore cumulavit, cum Anno 1215. ſub tempus Concilij Lateranenſis, ab Innocentio III. *munus Legationis perpetuæ in Regno Poloniæ, ſibi & Archiepiſcopis Gneſnenſibus, impetravit.* Verba Cromeri Lib. 7. fol.

II. Lapſo deinde ducentorum annorum grandi ævi ſpatio, Nicolaus Trąba, Archiepiſcopus Gneſnenſis, Dignitatem Primatialem, ſibi

ſibi & ſucceſſoribus Archiepiſcopis à Concilio Conſtantienſi. Anno 1416. ſingulari Privilegio petiit in perpetuum confirmari. Mathias à Miechovia, Canonicus Cracovienſis in Chronic. Pol. c. 51. Lib. 4. fol. 204. his verbis. *Eodem Anno Nicolaus Archiepiſcopus Gneſnenſis à conſilio Conſtantienſi Primatem ſe Polonæ Eccleſiæ declarari per ſpeciale privilegium obtinuit, ab eoq; tempore, ipſe & ſui ſucceſſores, Archiepiſcopum, & Primatem Eccleſiæ Gnesnenſis, ſe inſcribunt.*

III. Quo autem fine id fecerit, deducit Cromerus Lib. 18. fol. 425. Quoniam Eliſabetha (quæ fuit Pilecia, Vladislai Jagiellonis Conſors) ab Archiepiſcopo Leopolien. Joanne Rzeſzovio (renuente, & tunc abſente Archiepiſcopo Gneſnenſi) coronata erat, Veritus Nicolaus Archiepiſcopus Gneſnenſis, qui tunc in Concilio Conſtantienſi propter ſplendorem gratioſus erat, ita ut Summus Pontificatus ad eum (ſi Dlugoſſo credimus) deferretur, ne ſibi poſteriſque ſuis Archiepiſcopis, ea prærogativa coronandi Reges, & Reginas præriperetur, obtinuit apud Concilium, ut Archiepiſcopus Gneſnenſis deinceps Poloniæ Primas haberetur. Idem confirmat Stanislaus Carncovius, Epiſcopus Cujavienſis de Primatu Senatorio Regni Poloniæ Anno 1593. Poſnaniæ impreſſo, pag. 14. Verùm ſcire operæ pretium eſt, eſſe jam inde ferme ab initio Chriſtianæ Religionis Dignitatem Eccleſiaſticam ſuperiorem Archiepiſcopali, & Metropolitana, inferiorem autem Patriarchiali, quâ qui præditi ſunt, Primates à Latinis vocantur. Eam igitur tunc à Trąba impetratam eſſe, credibile eſt, quo eximiam haberet in Polonia, & Litvania dignitatem, & in ipſum etiam Leopolienſem Archiepiſcopum, & ſuffraganeos ejus Epiſcopos poteſtatem, & Jurisdictionem.

IV. Cumulavit ſplendorem Archiepiſcoporum Joannes à Laſco, Archiepiſcopus Gneſnenſis, Regis Sigiſmundi primi ad Leonem X. & Concilium Lateranenſe Orator, qui utramque præeminentiam Legationis Natæ, & Primatialis dignitatis, uno, eodemque Privilegio ſpeciali comprehenſam, à memorato Pontifice Max. in Concilio ſecundo Lateranenſi. Anno 1515. V. Idus Julij conſecutus eſt. Cujus Privilegij Originalis, & in Conſtitutionibus Provincialibus inſerti Lib. 1. Conſtit. tit. de Officio Ordinarij. pag. 82. tenor eſt talis.

LEO Epiſcopus ſervus ſervorum DEi, ad perpetuam rei memoriam. Pro excellenti præeminentia Sedis Apoſtolicæ, in quâ poſt B. Petrum Apoſtolorum Principem, quamvis imparibus meritis, pari tamen authoritate conſtituti ſumus, in agro irriguo militantis Eccleſiæ novas Legationes plantare & inſtituere, Pontifice dignum arbitramur per novas plantationes, præſertim in locis Chriſti fidelium, infidelibus vicinis ac in parte ſchiſmata ſuſtinentibus, non ſolùm populorũ devotio, verùm etiam hæc ipſa nova nominis & fidei Domini noſtri JEſu Chriſti plantatio, ſchiſmatumq; eradicatio, ut augeatur, commodiusq;

diusq; succedat, & animarum salus subsequatur, ac Provincia & Regna illustrentur. Idque nos eo libentius agimus in locis prædictis, in quibus tum ex varijs inter mortales occasionibus, tamen inprimis interitus schismatum ratione necessitatis, plerumq; subesse conspicitur, & ad hoc Catholicorum Regum vota tendere noscuntur, ut assistentiâ & authoritate Legati nova, & alma mater Ecclesia propagationis plantationis novæ genus humanum propositum felicitatis æternæ præmium, feliciùs valeat adipisci. Attendentes igitur, quod in toto Regno Poloniæ, una Metropolitana Gnesnensis videlicet principalis Ecclesia existit, cui omnes aliæ Ecclesiæ dicti Regni Metropolitico jure, ac etiam Leopolen. in terris Russiæ ad Regnum ipsum pertinentibus, Primatiali jure sunt subjectæ: Et quod si Venerabilis Frater noster Joannes de Lasko, modernus & pro tempore existens Archiepiscopus Gnesnensis, suæ Archiepiscopali Provinciæ & Ecclesijs, sibi Metropolitico ac prædicto Primatiali jure subjectis, non solùm Metropolitico ac Primatiali, sed etiam Legationis jure præesset, & ratione dignitatis ejusdem Primatialis, hujusmodi Legationis officium haberet: ex hoc profectò salubriori & diligentiori exercitio Metropolitica Primatialisq; jurisdictionis, & commoditati Ecclesiarum, quæ sibi Metropolitico & Primatiali jure subjiciuntur, ac illis nunc & pro tempore præsidentium prælatorum, nec non Cleri & populi, civitatum & Diœcesium earundem, quæ in eorum opportunitatibus ad eundem Archiepiscopum & Legatum ratione eorum quæ vigore Legationis hujusmodi exercere poterit faciliùs & commodiùs recurrere possent, & ejusdem Ecclesiæ Gnesnensis & Præfati Regni, cujus Reges & incolæ, Apostolicæ Sedi devoti & fideles semper esse consueverunt, devotioni ac venustati plurimùm consuleretur: Considerantesq; in Regno Angliæ, olim & in Germania, Archiepiscopos alios quot, Legatos natos, per prædecessores nostros erectos fuisse: Eorundem prædecessorum vestigiis inhærentes, & ad magnam instantiam, quam super hoc fecit charissimus in Christo Filius noster SIGISMUNDUS, dicti Regni Poloniæ Rex Illustris, debitum habendo respectum, ad Dei laudem & honorem ac fidei Catholicæ exaltationem prædictum Joannem de Lasko modernum, ad Nos, & Sacrum Lateranense Concilium, pro dicto Rege Oratorem destinatum, & pro tempore existentem Archiepiscopum Gnesnensem Legatum Natum, cum omnibus honoribus & oneribus consuetis, ita quòd de cætero suæ Archiepiscopali & prædictæ Leopolien. Provincijs, & Ecclesijs sibi Metropolitico & Primatiali jure subjectis, non solùm Metropolitico & Primatiali, sed etiam Legationis jure præsit. Et ratione dignitatis suæ Primatialis, & Legationis officium in ipsis Provincijs habeat, authoritate Apostolicâ, & ex certâ scientiâ nostrâ facimus, & constituimus, & etiam ordinamus; sibi nihilominus concedentes, ut omnibus & singulis privilegijs, libertatibus, præeminentijs, exemptionibus, immunitatibus, honoribus & gratijs uti, & gaudere: ac quòd omnia & singula facere,

& exercere ac mandare, ordinare, & exequi quæ ad Legatos natos, & hujusmodi Legationis officium habentes, quomodolibet pertinent, & quæ alij Legati nati, præsertim verò Legatus Cantuariensis qui in Provincijs de jure, privilegio, & consuetudine, mandare, facere & exequi possint, liberè & licitè valeat: Mandantes per præsentes universis & singulis Suffraganeis, Leopoliensiq; terrarum Russiæ Archiepiscopo & alijs in dictis Provincijs existentibus, quatenus eidem Archiepiscopo & Legato nato, pro tempore existenti, in his quæ sibi ratione officij Legationis, sicut præfertur, competunt, pareant & intendant: Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac literis & Privilegiis quibuscunq; concessis, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur, præsentibus pro expressis habentes, quibus quo ad præmissa, specialiter & expressè derogamus, caterisq; contrariis quibuscunq;. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ creationis, constitutionis, ordinationis, concessionis, mandati & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno 1515. V. Idus Julij. Pontificatus nostri, Anno tertio.

V. Quæ Archiepiscoporum prærogativa, Legationis Natæ, probata, recepta, declarata, & publicata est, ejusmodi placito Synodi Provincialis pag. 81.

ARCHIEPISCOPUS FUNGATUR OFFICIO LEGATIONIS.

Placuit etiam Synodo, ut Rdmus D. Archiepiscopus Gnesnensis Legatus natus ac Primas, utatur officio Legationis in Provincia, secundùm Bullam ad hoc Celsitudini suæ concessam & in præfata Synodo publicatam. Causas tamen extra Diœceses partium rearũ non committat: nisi quando Actor probaret perhorrescentiam, aut sibi imminere mortis periculum, tunc in proximiori Diœcesi partis reæ, committere possit. Liberum tamen erit Dominationi suæ trahere ad se partes reas de quacunq; Diœcesi Provinciæ suæ, quando voluerit aliquam causam audire per se. Et quia hæc Legatio data est ad instar Legationis Rndmi D. Episcopi Cantuariensis in Anglia, cujus facultas adhuc ignoratur: placuit Synodo, ut hac suâ, secundùm illam utatur, postquã de illius facultatibus certior efficietur. Placuit etiam ut hæc Legatio in facultatibus amplioribus, ultra jus commune augeatur per Summum Pontificem, quatenus id impetrari possit, saltem ut percursores Clericorum qualicunq; percussione etiam post declarationem authoritate ipsius Legationis absolvi possint, Episcopis exceptis.

VI. Pro exercitio Legationis Natæ, facit Constitutio Synodi Provincialis ex Novis lib. 3. tit. de Causis appellationum & Apostolicis pag. 217. *In causis Legationis natæ, serventur omnes taxæ predictæ, quas in Causis Apostolicis & Appellationum, servari decrevimus: hoc exce-*

excepto, ut pro commiſſionibus & citationibus, cum inſertione querelæ, in forma conqueſtus: vel ſua nobis: ditiores ſolvant mediam marcam, & pauperes quindecim groſſos. Et pag. 91. Promiſit etiam Reverendiſſimus Dn. Archiepiſcopus Gneſnen: jurisdictione Legationis natæ, in commiſſionibus & citationibus decernendis, uti, prout communia jura diſponunt.

VII. Idem Ioannes de Laſco, Archiepiſcopus, Privilegia Legationis Natæ, Sedi Metropolitanæ Strigonienſi pariterque ſuæ Gneſnenſi cõpetentia, Bullæ ſpeciali Leonis X. ſimul inſerta (Româ per Hungariam & Strigoniam redux) coram Thoma Cardinale, Legato de Latere, Archiepiſcopo Strigonienſi in Originali produxit, Decretumque interponi ſuo, & Gneſnen: Eccleſiæ nomine poſtulavit, quod obtinuit. Extat Inſtrumentum authenticum pergameneum in Archivo Gneſnenſ. tenoris talis.

NOS Thomas miſeratione Divina tituli S. Martini in montibus Sacroſanctæ R. E. Presbyter Cardinalis Strigonienſis, ac Patriarcha Conſtantinopolitanus, ad Hungariæ, Bohemiæ, Poloniæ, Daciæ, Sueciæ, ac Norvergæ Regna, nec non Pruſſiam, Ruſſiam, Livoniam, Litvaniam, Valachiam, Sileſiam, Luſaciam, Moraviam, Tranſylvaniam, Sclavoniam, Croaciam, Dalmaciam & Moſcoviã, omnesq; & ſingulas Regnorum, & Provinciarum prædictarum Civitates, Inſulas, Terras, atque loca illis ſubjecta, & alia eis adjacentia Apoſtolicæ Sedis Legatus de latere, memoriæ commendamus, tenore præſentium ſignificantes, quibus expedit univerſis. Quod Rndmus in Chriſto Pater & Dominus, D. Joannes, DEi & Apoſtolicæ ſedis gratiâ Archiepiſcopus Gneſnenſis, Natus Legatus, & Primas Regni Poloniæ infraſcriptas Literas Apoſtolicas Sanctiſſimi, in Chriſto Patris, & Domini Noſtri, Domini Leonis divinâ providentiâ Papæ X ejus vera Bulla plumbea, cum cordulis ſericeis, rubri croceiq; coloris, more Romanæ curiæ impenden. Bullatas, ſanas, & integras, ac omni prorſus vitio, & ſuſpicione carentes, exhibuit, & produxit, quas tranſumi, & exemplari, ac in publicam, & authenticam formam redigi mandari, noſtramq; Authoritatem, & Decretum interponi, per nos inſtanter ſuo, & Gneſnenſi Eccleſiæ, ac nomine Legationis ſuæ perpetuæ poſtulavit. Quarum quidem literarum Apoſtolicarum tenor de verbo ad verbum ſequitur, & eſt talis. LEO Epiſcopus Servus Servorum DEi. *Ad perpetuam rei memoriam. Decet Romanum Pontificem, in Apoſtolicæ dignitatis culmine, Divinâ diſpoſitione conſtitutum ad ea ſuæ conſiderationis aciem libenter convertere, per quæ ſuæ proviſionis miniſterio, jura, decus & utilitas Eccleſiarum quarumlibet, præſertim Metropolitanarum inſignium & quibus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales in partem ſolicitudinis aſſumpti præſunt, conſerventur, auctoreq; altiſſimo felicibus ſemper proficiant incrementis, & ea quæ à Prædeceſſoribus ſuis propterea conceſſa, ſtatuta, & ordinata fuerunt, eorum inhærendo veſtigijs,*

ſtigijs, libenter cum ab eo petitur approbare, confirmare, & innovare, ac innovata Apoſtolicâ authoritate communire, ut eò firmiùs perdurent, quo ſæpius fuerint Apoſtolica authoritate circumſulta, aliaq; de ſuper concedere, ſtatuere, & ordinare, prout in Domino conſpicit ſalubriter expedire. Dudum ſiquidem à felicis recordationis Bonifacio *Papa IIX.* Nicolao *Papa V.* & Pio *Papa II. Prædeceſſoribus noſtris emanârunt Literæ tenoris ſubſequentis.* Bonifacius Epiſcopus Servus Servorum DEi. *Ad perpetuam rei memoriam. Ad ea, quæ Eccleſiarum, & Monaſteriorum, &c.* Sed hâc, alteraque ſtatim ejuſdem Papæ, ibidem quæ incipit. *Etſi quibuslibet perſonis Eccleſiaſticis &c* eo loci omiſſis, quod utriuſq; Bullæ Inſtrumentum detritis madefactionis injuria Literis corruptum, multis locis illegibile ſit quod autem legitur, pro jurisdictione Archiepiſcopi Strigonienſis in Monaſteria, & Monachos, & Eccleſias exercendâ militat: Bullæ binæ ſubſequentes Nicolai Papæ ſalvæ, integræ, ac plenè legibiles inſeruntur tenoris talis.

NICOLAUS Epiſcopus Servus Servorum DEi. *Ad futuram rei memoriam. Sacroſancta R. E, quam inperſcrutabilis altitudo Conſilij, Eccleſiis prætulit univerſis, ac totius Orbis præcipuum obtinere voluit Magiſtratum, Regimini licet immeriti præſidentes, curis perurgeamur aſſiduis, & continua meditatione pulſamur ut juxta creditæ nobis diſpenſationis officium, Eccleſiarum omnium, Metropolis præſertim honore fungentium, decus, & venuſtas accreſcant, eademq; Eccleſiæ, noſtri ſuffragatione Miniſterij votivis jugiter proficiant incrementis, ac prærogativæ, ac honoris debiti continuis gratulentur eventibus. Nuper ſiquidem chariſſimus Filius noſter,* Ladislaus *Hungariæ Rex Illuſtris nobis expoſuit, quod olim poſtquam Eccleſia Strigonienſis per* B. Stephanum, *Hungariæ Primum Regem fundata, & veluti omnium aliarum ipſius Regni Eccleſiarum prima, & Magiſtra, in Metropolim authoritate Apoſtolica erecta, & decorata, ac tam ipſius Beati Regis, quàm aliorum poſt ipſum in eodem Regno ſucceſſorum inſtantiam, per diverſos Romanos Pontifices, Prædeceſſores noſtros, præ alijs ejusdem Regni Eccleſiis Primatiæ, illiusq; Præſul pro tempore exiſtens, Legationis Natæ officio, & honore inſigniti extiterint, Antiſtites ejusdem Eccleſiæ pro tempore exiſtentes officio, honore, & jurisdictione, & Legatione prædicta à tempore cujus initium memoriâ hominum non exiſtit, in utroq; foro, etiam indiſtinctè, continuò uſi fuerint, prout etiam modernus Archiepiſcopus in illorum pacifica poſſeſſione, vel quaſi exiſtens utitur de præſenti; quare præfatus Rex nobis humiliter ſupplicavit, jurisdictionem Primatiæ, & Legationis hujuſmodi cum honoribus, oneribus, & prærogativis debitis, & conſuetis, eidem Eccleſiæ quomodolibet competentibus, & quibus Archiepiſcopi prædicti de jure, vel conſuetudine hactenus uſi ſunt, & modernus ad præſens utitur, ut præfertur approbare & confirmare. Quodq; dilectus filius noſter Dionyſius tituli S. Cyriaci in Thermis Presbyter Cardinalis, & ex ipſa diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ ipſius Eccleſiæ Archiepiſcopus, Juiq; ſucceſ-*

ſores pro tempore exiſtentes, in ſingulis præfati Regni, nec non partium eidem ſubjectarum, & inpoſterum forſitan ſubjiciendarum, tam Cathedralibus, & Metropolitanis, quàm alijs etiam exemptis Eccleſiis omnimoda poteſtate, jurisdictione, & Legatione hujusmodi, tam in foro conſcientiæ, quàm contentioſo uti & gaudere, jurisdictionē quoque & Legationē prædictas exercere, liberè, & licitè poßint, & valeant de novo concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eorundem Prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærendo, hujusmodi ſupplicationibus inclinati, jurisdictionem Primatiæ, & Legationis prædictarum Authoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus, & confirmamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus. Et nihilominus pro potiori cautela, præfato Dionyſio, ſuiſq; Succeßoribus, ejusdem Strigonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopis, qui erunt pro tempore, tunc in ſingulis ejusdem Regni, & partium ejusmodi de jure vel conſuetudine eidem ſubjectarum, & ſubjiciendarum, Metropolitanis & Cathedralibus, ac aliis licet exemptis Eccleſiis circa earundem perſonas, ac eisdem quomodolibet ſubjectas & ſubjiciendas, tam Eccleſiaſticas etiam exemptas, quàm mundanas omnimoda poteſtate Primatiæ, & Legationis earundem tam in foro conſcientiæ, quàm contentioſo, cum honoribus, oneribus, & prærogativis debitis, & conſuetis, perpetuis futuris temporibus uti, & gaudere, Jurisdictionemq; & Legationem prædictas liberè & licitè exercere poßint, & valeāt authoritate Apoſtolica præfata harū ſerie concedimus, pariter & indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis cæterisq; contrariis quibuscunq;. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, confirmationis, communicationis & conceßionis infringere, vel ei auſu contrario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis DEi, ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo, quadringenteſimo, quinquageſimo primo, Nono Calend. Aprilis Pontificatus noſtri Anno ſexto.

NICOLAUS Epiſcopus Servus Servorum DEI. *Ad futuram rei memoriam.* Excellens Apoſtolicæ ſedis providentia Eccleſiarum dignitatem, & merita conſiderans perſonarum, illas non indignè uberioris dono gratiæ, & honoris prærogativâ attollit, quas dignitatis præeminentia, & vetuſta conſvetudo cæteris efficit anteponi. Sanè Chariſſimo filius noſter Ladislaus Hungariæ Rex Illuſtris, nobis nuper expoſuit, quòd licet Archiepiſcopus Strigonien. pro tempore exiſtens, Primatiæ, & Legationis Natæ officio, & honore fungatur; Noſque juriſdictionē Primatiæ, & Legationis prædictarum Autoritate Apoſtolica approbandam & confirmandam dilecto filio noſtro Dionyſio Tituli S. Cyriaci in Thermis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbytero Cardinali, qui ex diſpenſatione ſedis Apoſtolicæ etiam ipſius Eccleſiæ Strigonienſis Archiepiſcopus exiſtit, ſuiſq; ſucceſſoribus, qui in ſingulis Regni Hungariæ, & partium illi de jure, vel conſvetudine ſubjectarum, & ſubjiciendarum

darum Cathedralibus, vel Metropolitanis, ac alijs licet exemptis Eccleſijs circa earumque perſonas, ac ejſdem quomodolibet ſubjectas, & ſubjiciendas, tam Eccleſiaſticas etiam exemptas, quàm mundanas omnimoda poteſtate Primatiæ, & Legationis earundem, tam in foro conſcientiæ, quàm contentioſo, cum honoribus, oneribus, & prærogativis debitis, & conſvetis perpetuis futuris temporibus uti, & gaudere; jurisdictionemq; & Legationem prædictas liberè, & licitè exercere valerent, eadem Authoritate conceſſerimus, prout in noſtris ſuper inde confectis literis pleniùs continetur. Quia tamen à nonnullis curioſis revocatur in dubium, an præfatus Archiepiſcopus Primas & Legatus natus, extra ſuas civitatem, & Diœceſim Crucem ante ſe deferri facere, & de cauſis quæ ad ipſum, & Sedem Strigonienſem, præſertim per ſimplicem querelam deferuntur, cognoſcere, illasq; coram eo, & apud dictam ſedem verti facere poſſit. Nos ad hujuſmodi ambiguitatis dubium ſubmovendum, modernum ac pro tempore exiſtentem Archiepiſcopum Strigonienſem, ſicut poſt Regem præfatum primus exiſtit, ita etiam in omnibus parlamentis, & alijs actibus egregijs, poſt ipſum Regem, primum locum, & primam vocem obtinere debere quodque infra limites ſuæ Legationis, cæteris Præſulibus ſi quos adeſſe contingat, ea in re ceſſantibus, ſolus ubiq; ante ſe Crucem deferri facere, ac de cauſis, quæ intra limites Legationis hujuſmodi, etiam per ſimplicem querelam coram eo, & ad dictam ſedem moveri, & verti contigerit, cognoſcere, & cognoſci facere, cauſasque hujusmodi committere, & alia omnia & ſingula, quæ authoritatem, officium, & honorem Primatiæ & Legationis, de jure & conſvetudine, aut aliàs quomodolibet concernunt, facere & exequi, ac ab univerſis, & ſingulis perſonis tam Eccleſiaſticis, etiam Religioſis licet exemptis, quàm mundanis, infra dictos limites pro tempore exiſtentes, quod decreverit, per cenſuram Eccleſiaſticam authoritate Apoſtolica, in hac parte ſibi ſpecialiter attributa, firmiter obſervari facere poſſe, liberè & licitè tenore præſentium declaramus. Non obſtantibus quibuſcunque Privilegijs, exemptionibus, indultis, quibuſvis perſonis, cujuſcunque ſtatus, gradus, & conditionis fuerint, ſeu eorum loco per nos, aut ſedem Apoſtolicam conceſſis, quibus quo ad hoc ſpecialiter derogari volumus, & expreſsè derogamus, cæteriſq; contrarijs quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis, voluntatis, & derogationis infringere, aut ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis DEI, & Beatorũ Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo, quinquageſimo ſecundo. X. Kal. Maji. Pontificatûs noſtri anno ſexto. Nos itaq; Thomas Cardinalis & Legatus antedictus hujusmodi literas Apoſtolicas ad manus noſtras recepimus, illaſque vidimus, tenuimus, legimus, & diligenter inſpeximus. Et quia ipſas literas

Apoſtolicas ſanas, integras, ac omni prorſus vitio, & ſuſpicione carentes invenimus, idcirco ad præfati Reverendiſſimi Domini Ioannis, Archiepiſcopi Gneſnenſis, &c. inſtantiam, & requiſitionem illas per Nobilem Magiſtrũ Benedictum de Aſſozeghi, Apoſtolica authoritate Notarium publicum infraſcriptum tranſumi, & exemplificari, ac in publicum tranſumpti formam redigi mandavimus, & injunximus authoritate noſtra decernentes præſenti noſtro tranſumpto publico de cætero, ut in omni inſtantia & judicijs, & extra ubique locorum firmiter ſtetur, illique detur, & adhibeatur plenaria, & indubitata fides, non ſecus, ac ipſis Originalibus literis Apoſtolicis præinſertis, & cum præſenti tranſumpto confectis, plena, & integra fides adhibita datur, & adhibetur, dareturque ſeu adhiberetur, ſi ipſæmet originales Apoſtolicæ literæ oſtenſæ forent. Ac ideo omnibus, & ſingulis prædictis tanquam ritè & legitimè emanatis robur firmitatis perpetuæ interponen: & interpoſuimus, prout interponimus præſentium per tenorem. Ac in fidẽ & teſtimonium præmiſſorum præſentes literas noſtras, ſive præſens publicum tranſumptum per notarium infraſcriptum ſubſcribi & publicari mandavimus, ſigilloque noſtro fecimus communiri. Datum & actũ in Arce noſtra Strigonienſi, Anno Domini milleſimo quingenteſimo, quintodecimo. Indictione nona, die vigeſima ſeptima menſis Octobris Pontificatus autem prætati Sanctiſſimi Domini Noſtri Domini Leonis. Papæ Anno ejus ſecundo.

Et ibidem. PIUS Epiſcopus, Servus Servorum DEI. Bulla hæc prollixior, ob deraſam & madore depravatam multis locis ſcripturam hic non inſeritur, verborum tamen ejus quantum legere eſt contextus, Primatiæ, & Legationis Natæ, prærogativas, ampliſſimè confirmat, prærogativas & Privilegia Dyonifio Cardinali eidemque Archiepiſcopo Strigonienſi, ac pro tempore exiſtentibus Archiepiſcopis Strigonienſibus conceſſa, & quaſcunque laudabiles conſvetudines, & autoritates, ac juriſdictiones, literas & indulta, ac nominatim jurisdictionem in Prælatos & Monaſteria, auctoritate Apoſtolica ex certa ſcientia ratificat, confirmat, & approbat, ac præſentis ſcripti patrocinio communit, ac perpetuam roboris firmitatem obtinère decernit, & illa de novo ex ſimili ſcientia concedit, decernendo ex nunc omnes & ſingulos proceſſus, contra conſvetudines, Privilegia, conceſſiones, Indulta, & literas hujusmodi habitas & promulgatas, aut habendas & promulgandas ac literas Apoſtolicas, per Nos, forſan, vel prædeceſſores noſtros ſub quacumque verborum forma in contrarium conceſſas, etiamſi de illis eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda eſſet præſentibus mentio ſpecialis, irritas & inanes, nulliuſque roboris vel momenti:

Extant Bonifacij, Nicolai, Pij, ſingulæ Bullæ in Synodalibus Conſtitutionibus Hungariæ impreſſæ. pag. 139. & ſequentibus. Et ibid. tit. *Privilegia Archiepiſcopatus* append. 3. pag. 147. allegatur Bulla originalis Nicolai V. his verbis. Quod Archiepiſcopus Strigonienſis, tamquam Legatus Natus, in toto Regno Ungariæ & partibus illi annexis, viſitare & reformare poſſit in ſpiritualibus & temporalibus, Monaſteria, & loca Eccleſiaſtica etiam exempta, in Capitibus, & membris.

Ibidem

Ibidem pag. 148. In Sacro Romano Imperio Electores Eccleſiaſtici, quacumque Domo oriundi ſint, Sereniſſimos Electores ſæculares, tot Potentiſſimorum Imperatorum ſangvine progenitos, absque ulla dignitatis imminutione, præcedere ſolent. Et in Vicina Polonia Archiepiſcopus Gneſnenſis Principes ac Palatinos ſine competentia antecedit. Et quod mirère, inter Sacramentarios Angliæ (quos noſtri Calviniſtas vocant) Cantuarienſis Archiepiſcopus, Duces ac Principes omnes in Senatu Regio ac Parlamentis, conſeſſu & ſuffragio antecedit. Audi Saraviam Calviniſtam Anglum, ſuis verbis loquentem, Libro de diverſis Miniſtrorum gradibus, cap. 24. Archiepiſcopo Cantuarienſi, *Protǒdria*, ante omnes Principes, & magnos Regis officiarios eſt attributa; & Primus par Regni dicitur.

VIII. Præter Legationis Natæ ſuperius deſcriptas Bullas, idem Ioannes de Laſco, Archiepiſcopus Gneſnenſis impetravit à Leone X. in Concilio Lateranenſi inſignia quædam Privilegia pro Regno Poloniæ Conſtitutionibus Synodalibus inſerta, utpote: de non recipiendis ad Eccleſias Cathedrales plebeijs, ultra quatuor Doctores in jure vel Theologia pag. 150. De Electore Archidiaconorum pag. 48. De decimis ex agris Novalibus pag. 194. De duabus Miſſis pro exigentia tenuiorum Eccleſiarum celebrandis, alijsque eximijs indultis pag. 117.

IX. Quæ Bullæ omnes una cum Statutis antiquis & recentioribus, in Concilijs Provincialibus Poloniæ admiſſæ, & approbatæ, ac decreto Synodali per Mathiam Drzevicium, Archiepiſcopum in Anno 1527. promulgatæ fuerunt. Conſtitut. Lib. 4. pag. 296 cap. quod incipit; *Decrevit hac Sacra Synodus, &c.* in verbis *Suſcepit hac Synodus ſtatuta omnia Provincialia, cum Bullis Apoſtolicis inſertis, in diverſisque Synodis, & per Reverendiſſimum in Chriſto Patrem Dn Joannem de Laſco, Archiepiſcopum Gneſnenſem Primatem Legatumq; Natum, tempore præſidentiæ ſuæ felicis confecta, approbata, Synodalique authoritate, & decreto, cum ſtatutis hujus Provinciæ vetuſtioribus conformata, digeſta, in unumq; volumen redacta, ac noviter impreſſa, & per memoratum D. Archiepiſcopum in præſenti Synodo publicata. Quæ eadem Synodus pro approbatis, & publicatis habere voluit, decernens eiudem robur perpetuæ firmitatis.*

X. Obſervandum eſt, in vigore & obſervantia fuiſſe, Martini V. Papæ Bullam, qua declaravit, & innovavit pro illo tempore facultatem Nicolao Archiepiſcopo Gneſnenſi, ſtatuta Provinciæ corrigendi, moderandi, declarandi, reformandi, immutandi & ſupplendi, nec non etiam nova ſi expediret edendi, ſtatuendi, & ordinandi, cum conſilio & aſſenſu Suffraganeorum, & Prælatorum, quæ exequi tam idem Archiepiſcopus, quam ſinguli Epiſcopi, Suffraganei, eorumque ſucceſſores liberè exequi poſſint, & debeant. pag. 399.

XI. Eadem ſtatuta cum Bullis, per ſpeciales delegatos Synodi Gembicianæ primæ, ejuſque mandato & authoritate recognita & in ordinem anno 1621. redacta, Archiepiſcopus Gneſnenſis Joannes Wężyk cum Epiſcopis, in altera Synodo Provinciali anno 1628 approbavit, & edenda decrevit, tit. de ſtat: provincialibus, & tit. de conſtitutionibus antiquis iterum recudendis.

XII. Addidit ultimum robur & pondus Legationi Natæ Gneſnenſi, Apoſtolica Romanorum Pontificum authoritas, qui ſtatuta Provincialia cum Bullis inſertis approbantes, Privilegio & exercitio ſæpè dictæ Legationis Natæ nullatenus derogarunt. Quod Privilegium etiam Curia Romana in praxi obſervat, uti noviſſimè in una Decimarum Chelmenſi 4.

Martij anno 1665. §. 1. Coram Reverendiſſimo Iaia. Et in una Cracovienſi Decimarum 20 Martij 1651. Coram Veroſpio Decis: 125. num 11.

XIII. Proinde Conſtitutiones omnes Synodales Regni Poloniæ, antiquæ, novæ, noviſſimæ, ſine aliqua conditione, aut exceptione à ſummis Pontificibus tam ante quàm poſt Concil. Trident. confirmatæ, & conſequenter Synodus Laſciana de functione Legationis Natæ, pro indubitatis habentur. Ita Piaſec. Epiſcopus Præmislienſis in praxi Epiſc. par. 2. cap. 3. art. 6. num 70. in verbis *Ut videre licet in conſtitutionibus Provincialis Synodi Poloniæ, quæ ſunt approbatæ à Sede Apoſtolica, & firmantur uſu antiquo & præſcriptione temporis immemorabilis.* Item Stanislaus Carnecovius Epiſcopus Vladiſlavienſis, Epiſtola dedicatoria ad Stephanum Regem, in princip. Conſt. Provin. *Deſumpſi mihi pietatis ergo laborem, ut Conſtitutiones Synodorum, à ſuperioris temporis Archiepiſcopis Gneſnenſibus accommodatè conditas, & conſcriptas, & propter injuriam temporum aut Epiſcoporum fortaſſe negligentiam, vix jam usquam extantes undiq; conquirerem, ſimulq; cum recentioribus edi curarem, ad præſcripum SS. generalis Tridentini Concilij, & judicio S. Sedis Apoſtolicæ modificatas & caſtigatas.*

Eo loci de origine & officio Legatorum Apoſtolicorum altius inveſtigare neceſſarium exiſtimo.

ARTICULUS II.

LEgati Apoſtolici dicuntur, qui à Papa tanquam ejus Vicarij ad Eccleſias & Provincias per totum orbem diſperſas mittuntur, ut ibi ædificent & plantent, prout ſpirituali ſaluti viderint expedire. Horum officium vetuſtiſſimo Eccleſiæ uſu comprobatum reperitur in Concil. Sardic. Canon. 7. de quo in cap. ſi quis Epiſcopus 2. q. 6. & apud Gregorium 1. cap. Decreto eadem cauſa & quæſt. Simanc. & Alex. in c. 1. & 2. 94. diſt. Cùm enim ſummi Pontificis proprium munus ſit ſingulis Eccleſijs Paſtorali officio incumbere, juxta text. in cap. cum inſtantia. Ipſeq; omnibus perſonaliter intereſſe non poterat, meritò fuit introductum, ut ſelectiſſimos viros ad eaſdem Eccleſias Legatos mitteret. text. in d. cap. 1. 94. diſt. 161. ibi. Et ubi nos præſentes eſſe non poſſumus, noſtra per eum, cui præcipimus, repræſentetur auctoritas.

II. Ita Gregorius Papa ſeptimus in epiſtola ad Archiepiſcopos & Epiſcopos Galliæ Hiſpaniæque. Romana, inquit, Eccleſia hanc conſvetudinem habuit, ab ipſis ſuæ fundationis primordijs, ut ad omnes partes quæ Chriſtianæ Religionis titulo prænotantur, ſuos Legatos mitteret; quatenus ea, quæ gubernator & rector ejusdem Romanæ Eccleſiæ, per ſuam præſentiam expedire non prævalet, vice ſua Legatis conceſſa, monita ſaluti, ac morum honeſtatem per eos, cunctis per orbem terrarum conſtitutis Eccleſijs nunciaret, eaſque Apoſtolicâ doctrinâ in omnibus quæ Sacræ Religioni conveniunt, diligenter inſtrueret. Proinde horum præſentium portitorem Venerabilem Confratrem noſtrum Amatum Epiſcopum Oloronenſem apud Benearnoſ: ad partes veſtras dirigimus ut quæ ibi vitia eradicanda ſunt, à fundamento evulſis, plantaria virtutum DEO auctore, ſolerti vigilantia plantare procuret. Quem ſicut noſtram, imò Beati Petri præſentiam, vos, ſuſcipere Apoſtolica authoritate jubemus; ac ſic pro reverentia Sedis Apoſtolicæ, cujus nuncius eſt, vos in omnibus ſibi obedire, atque eum audire mandamus, ut propriam faciem noſtram; ſeu noſtræ vivæ vocis oracula: ſcriptum eſt enim: qui vos audit me audit.

Simile in epiſtola Paſchalis ſecundi ad Henricum Regem Angelorum,

Unde

Unde uſque ad nos, inquit, licet indignos eorum Vicarios, hæc conſvetudo perdenit, ut per noſtræ ſedis Vicarios graviora Eccleſiarum per provincias negotia pertractarentur, ſeu retractarentur. Innumera ſunt exempla hujusmodi, ſed præ alijs, Innocentius tertius magnificè in epiſtola ad Imperatorem Conſtantinopolitanum 104. lib. 16. his verbis.

Dominum JESUM CHRISTUM ſedem Apoſtolicam inſtituiſſe, totius Chriſtianitatis caput & magiſtram, à qua panis intellectus & vitæ, ad alias procedat Eccleſias, Pontificem Romanum portare onera gravia, cum plenitudine poteſtatis. Verùm quia ipſe cuncta per ſe facere non poteſt, multos ſibi operarios & coadjutores adjungere, ac per eos exequi, quod per ſe perſonaliter non potſit adimplere, ſic vices ſuas alijs committendo, ut intelligatur ipſemet facere, quod per alios fieri decernit. Cum autem neceſſitas Eccleſiæ poſtulet, illuc mitti Legatum à latere, deſtinaſſe in eam rem Pelagium Epiſcopum Albanenſem, cui nos vices noſtras commiſimus, inquit, ut juxta verbum propheticum evellat, & deſtruat, ædificet, & plantet, quæ ſecundùm DEUM evellenda, & deſtruenda, nec non ædificanda cognoverit & plantanda.

III. Legati Apoſtolici in triplici differentia conſiderantur. Alij dicuntur Legati de latere, quali Legationis officio ſoli hodie Cardinales funguntur, cum illos Pontifex tanquam ei aſſiſtentes circa ardua Eccleſiæ negotia quaſi de latere ſuo mittat; poſſuntque pars corporis ipſius appellari, text. in cap. Fælicis de pœnis lib. 6. Alij appellantur Legati nati, quorum dignitati, officium Legationis eſt perpetuo annexum, qui non mittuntur à Papa, ſed fiunt, ubi primum talem dignitatem conſequuntur. Prout ſunt Archiepiſcopus Cantuarienſis, Strigonienſis, Gneſnenſis, & recenſetur inter Legatos natos Rex Siciliæ.

Tertij vocantur Legati miſſi, qui ad Legationis officium in aliquam Provinciam mittuntur, prout hodie ſunt Nuncij Germaniæ, Hiſpaniæ, Poloniæ, quibus plerumque concedi ſolent facultates Legati de latere.

IV. Legati Nati officiũ reale vocatur, nunquã exſpirans etiã deficiente perſona, cum conſervetur in dignitate, jux. tex. in cap. Quoniã Abbas de offic. delegati. Perſonale verò Legati de latere & Nuncii deficit, quoties perſona in qua creatum eſt, deficit; vel quia tempus præſcriptum finitum eſt, cap. De cauſis de offic. delegati, vel ſi à ſuperiore revocetur juxta regulam tex. in l. judicium ſolvitur ff. de judiciis. aut ſi provinciam animo non redeundi fuerit egreſſus. Seb. Cæſar. de Hierar. Eccleſ. diſp. 4. §. 2. num. 12.

V. Legati omnes indiſtinctè ſunt Papæ vicarii in Provinciis ſibi decretis. Qui ſelectiſſimi Viri, omnes inſuper tanquam ejus locum tenentes, ſunt honorandi, text. in cap. ult. 93. diſt. Sed hodie Legati de latere multo majoris poteſtatis & honoris prærogativâ funguntur, text. in cap. volentes & in cap. penult. de offic. Legati c. 1. eod. tit. lib 6. cap. ſi Abbatem de elect. eodem libro cum aliis, ex eo, quod Legationis officium & poteſtas in Legatis de latere plena remanſit, prout erat in ſua primæva natura, in aliis verò Legatis ex Pontificum Conſtitutionibus reſtricta fuit ita D D.

VI. Inter alias prærogativas & facultates competit Legatis de latere poteſtas abſolvendi excommunicatos, pro violenta manuum injectione in Clericos, juxta tex. in cap. penult. de offic. Legati. cap. ad eminentiam de ſentent. excommunicat. cui facultati Archiepiſcopi Gneſnenſis, quaſi de minoribus, imperitè obtrectavit cavillatorio ſcripto nunc primùm à me viſo Legulejus Tucius. Generaliter Legati in ſuis Provinciis

eiis omnia poſſunt, quæ ſpecialiter Romano Pontifici in ſignum ſupremæ poteſtatis reſervata non ſunt, hæc enim tanquam ardua & ſpecialia ſub generali poteſtate ejsdem conceſſa non comprehenduntur, juxta regulam textus in cap. 2. & 3. de officio Vicarij lib. 6. probant in ſpecie text. in cap. nili text. celebris in cap. quod translationem.

ARTICULUS III.

1. SEd omiſſis nunc Legatis de latere, & Nuncijs miſſis, ad Legatos natos ſtylum deflectimus, & obſervamus: primum Acholium Epiſcopum Teſſalonicenſem, à Damaſo Papa Legatum natum Romani Pontificis anno circiter --- fuiſſe conſtitutum, & Papæ vices ratione ſuæ Eccleſiæ in Illyrico geſſiſſe.

Quod privilegium non perſonale ſed perpetuum, ac ut ajunt, æterna lege Eccleſiæ Teſſalonicenſi conceſſum fuiſſe, contra Juonem Epiſcopum Carnotenſem Epiſt. 59. deducitur manifeſtè epiſtolis Pontificum, Bonifacij primi, Cæleſtini, Sixti tertij, alijſque à Luca Holſtenio collectis.

Cùm Perigenes Corinthiorum Epiſcopus Anaſtaſij Teſſalonicenſis Legati Nati detractaret imperium, Sixtus Papa 3. videns ſe contemni in ſuo Vicario, audaciam ejus graviter repreſſit. Epiſt. ad Epiſcopos per Illyricum conſiſtentes hiſce verbis: Noverit Corinthius Epiſcopus ſibi licentiam poteſtatis liberæ minimè tribuendam, ſi huic (id eſt Teſſalonicenſi) Eccleſiæ voluerit reſultare, cui neceſſe eſt, nos quoque ſi quid tentare voluerit, obviare, qui præteritorum, quæ illi per nos præſtita ſunt, memores ſumus, & illicitis ſemper uſurpationibus obviamus. Et ib: Illyricianæ omnes Eccleſiæ (inquit) ut à Deceſſoribus noſtris accepimus, & nos quoq; fecimus, ad curam nunc pertinent Teſſalonicenſis Antiſtitis & inf. Nec credatis vobis minui, quidquid reverentiæ illius, ad quem & majores noſtri & nos Illyricianas Eccleſias juxta morem traditum voluimus pertinere, à vobis & ſervari volumus, & deterri apud Holſtein pag. 102.

II. Bonifacius ante Sixtum ſimiliter pro Rufo Teſſalonicenſi adverſus Epiſcopos Teſſalos ait: cui nihil novum auctoritas noſtra concedit, ſequens priorum gratiam, qua huic cura Eccleſiarum ſæpè videtur injuncta. Idem ad Epiſcopos Illyricos. Retromajores ſecutus, inquit, qui Eccleſiam Teſſalonicenſem ſibi ſemper familiarem, & in collegij caritate famulantem, dignam, ſicut fides adſerit ſeriorum, hoc honore duxerunt, Graviſſimè idem Bonifacius ad Rufum Teſſalonicenſem apud Holſtein pag. 54. Intuetur te Beatiſſimus Petrus Apoſtolus oculis ſuis, qualiter ſumini Rectoris utaris officio & infra. Te ergo frater chariſſime, inquit, omnis cura reſpectat earum Eccleſiarum, quas tibi Vice Sedis Apoſtolicæ à nobis creditas recognoſces, ut & prava corrigas, & diſſipata componas, & ſi quæ inter Epiſcopos eveniant cauſæ, ſub divini judicij timore diſtingvas, ut creditis tibi à ſede Apoſtolica gubernaculis, contra omnes fluctus naſcentium procellarum juſtè & prudenter utaris. Ejuſdem Bonifacij ad Epiſcopos Teſſalos Rufi Teſſalonicenſis Epiſcopi ampliſſimæ poteſtati in cauſis Eccleſiaſticis invidentes, & querelam ad aurem Theodoſij referentes, ſimulque ſuggerentes, uti Conſtantinopolitanæ urbis Antiſtiti, quæ ſe veteris Romæ prærogativâ gaudere gloriabatur, hunc honorem tribueret, ut ſi quid dubietatis emergeret, in provincijs Illyrici, id non abſq; ſcientia Conſtantinopolitani Epiſcopi, ad exemplum veteris Romæ, ad quam ex omnibus provinciis Cauſarum Relatio fiebat, terminaretur. *Ergo ſervate*

vate honorem debitum capiti inquit, quia nolumus, ut intra ſe membra decertent, ita ut tendatur eorum ad nos uſq; certamen, dum Fratrem & Coepiſcopum noſtrum Rufum dignum ducitis contemptu: eui nihil novum auctoritas noſtra concedit ſequens priorum gratiam, qua huic cura Eccleſiarum ſæpè videtur injuncta, quod factum ita intemeratum ſervari volumus in futurum, ſicut à patribus hujus diſpoſitionis forma ſervata eſt. Non decet fratres alterius dignitate morderi Holſt. pag. 67.

III. Leo I. in epiſt: 48 ad Anaſtaſium Teſſalonicenſem. Sicut Præceſſores mei Prædeceſſoribus tuis, ita etiam Dilectioni Tuæ priorum ſecutus exemplum, Vices mei moderaminis delegavi.

Nicolaus I. epiſt: 2. ad Michàelem Imperatorem. Teſſalonicenſis Eccleſia, Romanæ ſedis vicem per Epirum Veterem, Epirumq; novam atq; Illyricum, Macedoniam, Teſſaliam, Achajam, Daciam ripenſem, Daciamque mediterraneam, Mæſiam, Dardaniam, & Prævalim obtinet, B. Petro Apoſtolorum Principi contradicere nullus præſumat.

Innocentius I. ad Anyſium Archiepiſcopum Teſſalonicenſem ſcribit. *Cui Prædeceſſores mei ita detulerunt, ut omnia quæ in illis partibus gererentur, Sanctitati Tuæ, quæ plena juſtitiæ eſt traderent cognoſcenda.*

Cæleſtinus ad Epiſcopos Illyricos ſcribens. Nec nova hæc, inquit, Sedi Apoſtolicæ de vobis cura eſt, ſtatutum noſtris ſæpius experimentum, hoc quod nos agimus, Teſſalonicenſi Eccleſiæ ſemper eſſe commiſſum, ut vobis vigilanter intendat, & infra. Cui Vicem noſtram per veſtram Provinciâ noveritis eſſe commiſſâ, ita ut ad eũ, fratres chariſſimi, quidquid de cauſis agitur referatur, Holſt. cap: 85. Excommunicationis pœnam intentat non obedientibus Epiſcopis, infrà. Sed hac perceptione cognoſcent, eum qui refragandum noſtræ auctoritati, vel illius crediderit juſſioni, à fraternitatis cœtu, cum ipſe ſepararet ſegregandum.

Leo Magnus ad Anaſtaſium Teſſalonicenſem Ruffi ſucceſſorem ep: 84. Ut auctoritatem tuam, inquit, exercere te volumus, ita nobis quæ illic componi non potuerint, vel qui vocem appellationis emiſerit, reſervari volumus. Unde cùm poſtea idem Anaſtaſius externâ potentiâ inflatus, nimis aſperè tractaſſet Atticum Veteris Epiri Metropolitanum, quem ſub publica cuſtodia ad ſe Teſſalonicam deduci fecit, & contra vetera inſtituta ſponſionem ab eo fidelitatis ſcripto exegit, Leo querela Attici Romam accedentis & pietate commotus, gravem ad Anaſtaſium epiſtolam dedit: *Etiamſi quid grave, ait,* intolerandumq; committeret, noſtra erat expectanda cenſura, ut nihil prius ipſe decerneres, quàm quod nobis placeret, agnoſceres: vices enim noſtras ita Tuæ credidimus caritati, ut in partem ſis vocatus ſolicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis.

Hæc de Legatione Nata ſeu Vicariatu Teſſalonicenſi, cujus exemplo Juſtinianus Imperator anno 417. Archiepiſcopo primæ Juſtinianæ Patriæ ſuæ Vicariatum Sedis Apoſtolicæ ad Inſtar Teſſalonicenſis à Vigilio Papa multis precibus auctore Baron. ad anno 555. & habitis cum Juſtiniano conflictibus & ærumnis, fatigato, impetravit ſeu extorſit. Novel. Juſtinian. 131. Cùm ab Agapeto & Silverio Vigilii prædeceſſoribus id minimè valuerit impetrare, indignum reputantibus, dedecore nobilium Eccleſiarum illuſtrari novam primæ Juſtinianæ, indecensque alias denudare, ut una ſuperornaretur Eccleſia, creſceretque diminutione majoris Eccleſiæ, cui ipſa ſubdita fuiſſet, Baron ibi.

IV. Eadem poteſtas Vicariatûs Papæ ſeu Legationis Natæ adinſtar Teſſalonicenſis Epiſcopi, tributa erat à Zozimo Papa, Arelatenſi Antiſtiti, quam deinde ſequentes Pontifices uſque ad Gregorium primum amplificârunt ducento-

centorum annorum intervallo, & ſcripſit Zozimus Epiſcopis per Gallias conſtitutis, ut Arelatenſi obediant, tanquam Romani Pontificis Vicario, ne quis ignorantiæ prætextu ſe tueri poſſit.

Idem Zozimus. Placuit, inquit, Apoſtolicæ Sedi, ut ſi quis ex qualibet Galliarum parte, ſub quolibet Eccleſiaſtico gradu ad nos Romam venire contendit, vel alio terrarum ire diſponit, non aliter profiſcatur, niſi Metropolitani Arelatenſis Epiſcopi formatas acceperit, quibus Sacerdotium ſuum, vel locum Eccleſiaſticum quem habet, ſcriptorum ejus adſtipulatione perdoceat. Quod ea gratia ſtatuimus, quia plurimi Epiſcopos Presbyteros, ſive Eccleſiaſticos ſimulantes, quia nullum documentum extat, per quod valeant confutari, in nomen venerationis irrepunt, & indebitam reverentiam promerentur. Quisquis igitur fratres chariſſimi, prætermiſsâ prædicti formatâ, ſive Epiſcopus, ſive Presbyter, ſive Diaconus, aut deinceps inferiore gradu ſit, ad nos venerit, ſciat ſe omnino ſuſcipi non poſſe.

Habuit item privilegium Arelatenſis Archiepiſcopus, ut nulli prorſus Legato, niſi ei tantùm, qui de Romani Pontificis latere deſtinatus eſſet, ſubjiceretur, teſtatur Innocentius III. in epiſt. 68.

Hilarius Arelatenſis Epiſcopus Sanctiſſimus Vir, multum ſollicitus fuit de retinenda auctoritate ſedis ſuæ per Gallias, ſed ut oſtenderet, non id ſe aliqua prava ambitione agere, Romam proficiſcens ad tuendam dignitatem ſuam, non rheda, non equo vectus eſt, non ambitioſum comitatum dûxit, neque impedimenta, ſed ingreſſus iter pedibus, in equum omnino non aſcendit.

Arelatenſi Eccleſiæ tributas fuiſſe olim vices Apoſtolicæ ſedis, apertè ſcribit Gregorius VII. ad Archiepiſcopum Remenſem his verbis: Inde eſt quod Arelatenſis Eccleſiæ non ſolum à Beato Gregorio Doctore dulciſluo, ſed etiam à pluribus ejus ſanctis anteceſſoribus, cum haberet vicem ſedis Apoſtolicæ, ut omnes Epiſcopos totius Regni Francorum, quod tunc latiùs extendebatur, ad Concilium convocaret, eoſque in judicio conſtringeret, ſine cujus licentia nullis de ſupradictis Epiſcopis, longè à ſuo Epiſcopatu fas erat abire, poſt aliqua tempora pro quibuſdam cauſis prædicta poteſtas & auctoritas ceſſavit, & ſuam vicem alijs quibus placuit Sedes Apoſtolica conceſſit. Greg. 7. lib. 6. epiſt. 2. Quibus verbis innuere hoc quoque videtur Gregorius, deſiiſſe eam Arelatenſium Epiſcoporum auctoritatem poſt tempora Gregorij Magni.

V. Eccleſiæ Cantuarienſis dignitas efflorescere cœpit per Auguſtinum Abbatem, quem Gregorius primus Anglos imbuere Religione Chriſtiana cupiens, Anno Chriſti 596. in Angliam miſit Archiepiſcopum & Apoſtolicæ ſedis Vicarium ordinavit, pallioque decoravit, cujus privilegium perſonale tantùm fuit. Poſterioribus tamen ſeculis Vicarij ſive Legati dignitas affixa eſt Eccleſiæ Cantuarienſi, ita ut Eccleſiæ illius Epiſcopus diceretur Legatus Nato ſedis Apoſtolicæ.

VI. Exemplo Gregorij primi erga Anglos in fide Chriſtiana erudiendos, Gregorius II. Germanorum curam geſſit miſſo in eam Provinciam Bonifacio Presbytero anno 719. qui in Epiſcopum ordinatus fuit & vice Dominus ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, vicem Beati Petri gerens inter feroces & indomitas gentes appellatus eſt, qui ad Zachariam Pontificem Romanum ſcribens ait: Et quia ſervus & Legatus Apoſtolicæ ſedis eſſe dignoſcor, unum ſit verbum & meum hic, & veſtrum ibi. Et idem in epiſtola ad Danielem Epiſcopum agnoſcit, nullam ſe muneris ſui partem exequi poſſe, abſque auctoritate Caroli Francorum Principis. Nam ſine patrocinio Principis Francorum nec populũ regere, nec Presbyteros vel Diaconos, Monachos, vel ancillas DEI, defendere poſſum, nec ipſos paganorum ritus, & ſacrilegia idolorum in Germania ſine illius mandato & timore prohibere valeo. Eundem Gregorius ſecundus commen-

commendavit Carolo Francorum Duci, cui Martello cognomen. Pro quibus eum glorioſæ benevolentiæ tuæ, inquit, omnimodè commendamus, ut in omnibus neceſſitatibus adjuvetis, & contra quoslibet adverſarios, quibus in Domino prævaletis, inſtantiſſimè defendatis.

VII. Inſtituendi perpetuos in Provincijs Legatos ea cauſa & cura fuit retinendæ dominationis arcano ut populos imbuerent reverentiâ Pontificum Romanorum, commendata ſucceſſione & auctoritate Apoſtolica; intentatis porrò minis adverſus eos qui Majeſtatem Romanæ ſedis minus colere viderentur, & ſuetus jam Legatis Chriſtianus orbis ea perſvaſione firmaretur, curam univerſalis Eccleſiæ ita pertinere ad ſummum Pontificem, ut cuncta Eccleſiarum negotia ab illo ſeu à Legatis ejus judicanda eſſent.

Ita Honorius III. Epiſtola ad Rogierium Archiepiſcopum Piſanum. Corſica, inquit, deſuetudine Legatorum Sedis Apoſtolicæ, a ſubjectione & obedientia Romanæ Eccleſiæ deferbuit.

ARTICULUS IV.

INter Legatos Natos, Rex Siciliæ computatur à Doctoribus præſertim Hiſpanienſibus. Recenſetur privilegium Urbani II. apud Baron. ad annum 1091. num. 23. Rogiero Comiti Calabriæ & Siciliæ, ejuſque filijs & legitimis hæredibus, quaſi conceſſum in verbis. Omni vitæ tuæ tempore, vel filij tui Simonis, vel alterius qui legitimus rui hæres extiterit, nullum in terra poteſtatis veſtræ, præter voluntatem, aut conſilium veſtrum, Legatum Romanæ Eccleſiæ ſtatuemus, quinimò quæ per Legatum acturi ſumus per veſtram induſtriam Legati vice cohiberi volumus.

II. Hocce privilegium cujus authographum nullibi erat, advocatus Fiſcalis Caroli V. Imperatoris, Siciliæ Principis placendi ſtudio, uti quiddam divinum in ſublime attollere præconijs & ſummo plauſu excipere, & ut lapidi angulari facienti utraque unum, temporali & ſpirituali juncta authoritate, novam hactenus in Eccleſia Catholica inauditam Monarchiam ſuperſtruere cœpit. Quod Imperatorio promulgatum edicto, & Regijs cuſum typis, libro qui inſcribitur Monarchia Siciliæ, ſubſcribentibus omnibus Regni Conſilarijs anno 1526 die VII. menſis Decembris receptum ac confirmatum fuit.

Sed privilegium aſſertum, nequetamen in originali unquam productum turpiter mutilatum, depravatum, nunquam à ſucceſſore aliquo Urbani circa inveſtituras Regum Siciliæ, vel alias, confirmatum, atque ſi germanum & legitimum fuiſſet, in extinctis Rogierij hæredibus deſinens, denique poſt tot ſecula oblivione ſepultum, manifeſtæ vanitatis & obtruſionis convincit Baron. ad annum 1097. num. 22. & ſequentibus. An enim per quadringentos ultra annos ad Caroli V. uſque tempora omnino latere & recondi potuiſſet? an Principes Siciliæ aliqui Pontificibus Romanis infeſtiſſimi illud producere, & immanem prærogativam ſibi arrogare intermiſiſſent? an Urbanus Papa, ſanctitate, prudentia & jurium Eccleſiaſticorum contra Henricum Imperatorē, acerrimum Eccleſiæ hoſtem, defenſione laudatiſſimus, tam enorme præjudicium ſedi Apoſtolicæ intuliſſet? an Romanæ ſedis inconcuſſa petra & ſacrorū canonum ſanctiones Principem ſecularem Legati Nati titulo, omnia quæ ſunt Legatorum à latere facere, Eccleſiaſticam juriſdictionem exercere, imò & ſubſtituendi poteſtatem habere, cum eadem authoritate, nimirum ut judicare & punire poſſint, abſolvere & excommunicare, Laicos, Monachos, Clericos, etiam Eccleſiaſtica dignitate Prælatos Abbates, Epiſcopos, & Archiepiſcopos, Imò & S. R. Eccleſiæ Cardinales in Sicilia degentes, ſibi tanquam ſubditos ſubjicere, appellationes ad ſanctam ſedem Apoſtolicam impedire, Nuntios e-

juſdem

juſdem ſanctæ ſedis non admittere, atque demum reſpectu Eccleſiaſticæ juriſdictionis neque ipſam Apoſtolicam ſedem, recognoſcere & habere ſuperiorem, niſi in caſu præventionis, turrimque Babel ædificare paterentur.

III. Hæc egregiè prolixè refutat Cardinalis Baronius, cui veritas & libertas, ſcribendi maximo ſtetit. *Proſcribitur inquit Gramondus Hiſtoriarum Galliæ lib. 1. ad annum 1610 edicto*, Regis Catholici opus, ipſeque Author non multo poſt, factione Hiſpana exeluditur, à prima ſede, ad quam virtute & ſuffragijs vocabatur; nam Reges Hiſpani, in temporalibus & ſpiritualibus affirmant ſe in Sicilia adeò Dominos eſſe, ut jure Regio, in multis ſummi Pontificis officio defungantur, qualia ſunt, beneficiorum collationes, diſpenſationes redituum Eccleſiæ, &c. quæ à ſede Apoſtolica deceſſoribus ſuis permiſſa aſſerunt, in remunerationem redacti in obedientiam Romanæ Eccleſiæ Regni, quod Saraceni invaſerant; hinc beneficio Apoſtolicæ ſedis aſſerunt, ipſa Eccleſiæ jura translata in Reges; idem Gramon. infra. Non tamen abnuit Baronius inter Romanos Pontifices atque Siciliæ Reges nominatim inter Rogierium atque Eugenium Papam ita concordatum fuiſſe, quod nullum Legatum mitteret in Siciliam Pontifex, niſi quem Rex ipſe peteret, ſed non ut Rex ipſe Legati Apoſtolici vicem teneret, quod ab Urbano fuiſſe conceſſum aſſeritur ibi. num. 25.

ARTICULUS V.

I. NEq; nova priſco & recenti ævo hæc Regum adverſus Legatos Pontificios oppoſitio. Angliæ Rex Henricus, teſte Baronio eodem anno num. 42 à Papa Caliſto XI. impetravit, ut omnes conſuetudines, quas Pater ſuus in Anglia habuerat, & in Nortmania ſibi concederet, & maximè ut neminem aliquando Legati officio in Anglia fungi permitteret, ſi non ipſe aliqua præcipua querela exigente, quæ ab Epiſcopis Regni ſui terminari non poſſet, hoc fieri à Papa poſtularet. Verba hæc Cadmeri, in libro 5. Hiſtoriæ Baronius deſcripſit, omiſſa Archiepiſcopi Cantuarienſis mentione: ita enim Cadmerus ibid: *quæ ab Archiepiſcopo Cantuarienſi cæteriq; Regni Epiſcopis terminari non poſſent.*

Iterum ad annũ Chriſti 1117 idem Baronius. Caliſtus Papa poſt Concilium Rhemenſe Giſortium venit, quò ad ejus colloquium Rex Anglorum Henricus accurrit. Acta ſunt multa inter illos, quorum gratia par erat, tantas conveniſſe perſonas; Inter quæ Rex à Papa impetravit, ut omnes conſuetudines, quas Pater ſuus in Anglia, & in Nortmania habuerat, ſibi concederet & maximè ut neminem aliquando Legati officio in Anglia fungi permitteret, ſi non ipſe (aliqua præcipuâ querelâ exigente, quæ ab Epiſcopis Regni ſui terminari non poſſet) hoc fieri à Papa poſtularet.

II. Memorantur exempla. Inprimis Pontificatu Urbani II. miſſus erat in Angliam Vualterius Epiſcopus Albanenſis, Wilhelmum Regem adiit, cuncta facturus per quæ Regis animum ſibi conciliare poſſet, ſed Rex oppoſuit, ne antiqua conſuetudo violaretur, qua receptum erat, ne quis alius in Anglia Legatus Sedis Apoſtolicæ eſſet, præter Epiſcopum Cantuarienſem.

Extremis deinde Paſchalis II. temporibus, cum Anſelmus Abbas à Romano Pontifice accepiſſet, Legationem Angliæ, trajiceret; propterea vellet à Nortmania in Angliam; Rex Henricus inquit Cadmerus, antiquis Eccleſiæ conſuetudinibus præjudicium inferri non ſuſtinens, illum ab Ingreſſu Angliæ detinebat, ei tamen utpote Nuntio B. Petri largiter & officioſe miniſtrari faciebat. Narrat deinde Cadmerus illum nec Angliam intra-

re,

re, nec aliquo Legati Officio functum esse.

Idem Henricus Rex, cùm aliquot post annis Papa Calistus sponte Legatum in Angliam misisset, Petrum Leonis Monachum Cluniacensem, tametsi eum magnificè receperit pro reverentia Sedis Apostolicæ, Legati tamen officium exequi prohibuit: obtendens Patrias consuetudines ab Apostolica Sede concessas, in quibus hæc & de maximis una erat, quæ Regnum Angliæ liberum, ab omni Legati ditione constituerat: Itaque Legatus ille Regno egredi coactus est cum nullam prorsus muneris sui functionem attigisset. Rem ita narrat Cadmerus inter alia Regem pronunciasse, Legationis illius stabilem authoritatem, nonnisi per conniventiam Episcoporum, Abbbatum, & Procerum, ac totius Regni conventum roborari posse.

Inhibuerat etiam Henricus ne idem Legatus ad Ecclesias, aut Monasteria Regni accederet, donec ad ipsum perveniisset, neve aliundè victus illi suppeditaretur, quàm ex fisco. Quod factum specie honoris, magni tamen momenti erat. Sic quippè providebatur, ne vel minima Legati potestate uteretur. Sumptus enim Legatis præstare tenebantur Episcopi earum Regionum ad quas illi mittebantur, unde argumentum trahere potuisset Petrus susceptam fuisse ab Episcopis & Abbatibus Anglicanis Legationem suam, si diversatus apud Ecclesias & Monasteria, procuratus ab illis fuisset.

De eodem Baronius, annal. Ecclesiast: ad annum Christi 1117. fol. 117. Cùm in Anglia Petrus Leonis, Cardinalis, Legatione à Pontifice Romano malè fungeretur, Henricus Rex, provocandum putaverat ad antiqua Privilegia, quod scilicet Cantuarienſis Episcopi fungerentur Legatione Sedis Apostolicæ ex Privilegio S. Gregorij Papæ illi Ecclesiæ concesso, ob idque diceret in Angliam alium non esse mittendum Legatum, sed satis esse debere vice Pontificis Romani esse ibi semper Legatum ipsum Cantuariensem Archiepiscopum. Ad hæc igitur conservanda sibi jura, & ad propulsandam Legatorum ingruentium rapacitatem, Henricus Rex Romam magni ponderis Legationem credidit Radulpho Cantuarienſi Archiepisco cui additus nomine Episcoporum, & Regis Legatus, Herebertus, Episcopus Norruvicensis, qui cum Romam perveniissent Paschalem Papam ibi non invenerunt, nam (ut tradit Wilhelmus, hujus temporis author) absens tunc erat, Beneventique morabatur. Obsederant enim inquit, Imperatoris Satellites, qui tunc secundo Romam armis territabat, medios calles. Nec potuit Archiepiscopus potiri Papæ colloquio, nisi per internuntios; Illi quid apud Papam egerint epistola manifestabat quæ sic se habet.

PASCHALIS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI.

Venerabilibus fratribus, Angliæ Episcopis, & chariſſimo filio Henrico, Illustri Regi, salutem & Apostolicam benedictionem.

VEniente ad nos Chariſſimo & Reverendiſſimo fratre nostro Radulpho Archiepiscopo, Vestram ad nos missam Legationem per Venerabilem Episcopum Herrebertum Noruvicensem, cognovimus. Et quidem gravibus infirmitatum molestiis impediti, ijdem fratres & Co-Episcopi pervenire ad nostram præsentiam minimè valuerunt: sed Nuntiorum honestis Venerabilibusq; personis pervenientibus, eorum scripta suscepimus: in quibus & ipsorum postulationes & Vestræ Legationis vota perspeximus; id enim optabatur, id poscebatur, ne Ecclesia Cantuarienſis

temporibus noſtris ſua dignitate privetur, ne nos eandem dignitatem minuamus, aut minui ſinamus, qua videlicet potita eſt, ex quo à B. Gregorio per B. Auguſtinum fundata eſt. Præter hæc Literarum indicia, Legati qui ad nos miſſi ſunt, ut ſapientes ac ſtrenui viri, aſſertiones ſuas prudenter, inſtanter & efficaciter exeeuti ſunt. Nos profecto & Legatorum perſonas & aſſertiones, & veſtrum omnium Legationes, tanquam chariſſimorum fratrum benignè hilariterq; ſuſcepimus, quod vobis in Domino propter Dominum placere optamus. Veſtræ ergo dilectioni notum habere volumus, quòd Cantuarienſis Eccleſiæ dignitatem, nec imminuimus nec imminuere deſideramus, Beatum namq; Gregorium Apoſtolicæ Sedis Pontificem, tanquam præcipuum Chriſti Domini membrum, tanquam Chriſtiani populi Paſtorem & Doctorem, & tanquam ſalutis æternæ Miniſtrum, in omnibus veneramur, & rata eſſe cupimus, quæ ab ejus inſtitutionibus proceſſerunt, illam ergo dignitatem, quam ab eo per B. Auguſtinum Cantuarienſis ſuſcepit Eccleſia, & quam ſanctæ memoriæ frater noſter Anſelmus, jure ac poſſeſſione legitimâ tenuiſſe cognoſcitur, nos profectò nullatenus imminuimus, ſed in eo ſtatu eſſe Cantuarienſem Eccleſiam volumus, ut authentica ejus Privilegia juxta Canonum ſanctiones, nullis perturbationibus violentur. Data Beneventi, nono Calendas April. Non diſſimilem repulſam paſſus in Anglia fuerat ipſe Caliſtus ſub Paſchali ſecundo. Eodem anno, inquit Cadmerus: venit in Angliam Guido Archiepiſcopus Viennenſis, functurus ut dicebat Legatione totius Britanniæ, ex præcepto & authoritate Apoſtolicæ Sedis. Quod per Angliam auditum, in admirationem omnibus venit; inauditum ſcilicet in Britannia eunctis ſcientes, quemlibet hominum ſuper ſe vices Apoſtolicas gerere, niſi ſolum Archiepiſcopum Cantuariæ. Quapropter ſicut venit, ita reverſus eſt, à nemine pro Legato ſuſceptus, nec in aliquo, Legati officio functus.

De Alexandro Papa III. Rogerius ab Hoveden. Miſit inquit, Alexander Vivianum Presbyterum Cardinalem, Apoſtolicæ Sedis Legatum, in Scotia & in Inſulis circumjacentibus & in Hybernia & in Noreuveia ad cauſas Eccleſiaſticas audiendas & determinandas ſecundùm quod ei DEus adminiſtraret. Qui cùm in Angliam veniret, Dominus Rex miſit ad eum Richardum Vintonienſem, & Gandefridum Elienſem Epiſcopos, ut interrogarent eum, cujus authoritate auſus erat intrare in Regnum ſuum, ſine licentia ipſius. His igitur interrogationibus prædictus Cardinalis plurimum territus, de ſatisfactione juravit Regi, quòd ipſe nihil ageret in Legatione ſua, contra voluntatem illius. Et ſic data eſt ei licentia tranſeundi uſque in Scotiam.

Anno MCCXLV. inter varia grávamina quæ in Concilio Lugdunenſi propoſita ſunt nomine totius Regni Angliæ, etiam illud auditum eſt, Martinum Legatum in Angliam veniſſe, ſine Domini Regis licentia. Deinde procuratores univerſitatis Angliæ, de eodem Martino loquentes, ajunt, iſtud factum eſſe Privilegio Regis admodum derogando, per quod ei à ſede Apoſtolica ſpecialiter indulgetur, ne quis in Anglia Legationis fungatur officio, niſi à Domino Rege ſpecialiter poſtulatus. Matthæus Paris. pag. 647.

III. Idem de Joanne Rufo, quem Innocentius Quartus anno 1247. miſit in Hyberniam, ait ei tributum non fuiſſe nomen Legati propter Privilegium Angliæ neque rubris veſtibus, quod inſigne fuit Legati uſum eſſe. Idem Matthæus Veſtmonaſterienſis. Magnis inquit armatus poteſtatibus quaſi Legatus, non tamen rubris veſtibus inſignitus, ne videretur

tur Dominus Papa Dominum Regem Angliæ offendiſſe, qui quodam gaudet Privilegio, videlicet ut non veniat Legatus in terram ſuam niſi poſtulatus.

ARTICULUS VI.

I. REgum Galliæ Privilegium de non admittendis Legatis Papæ nullibi reperio, ſed ex antiqua conſvetudine prætendunt illi ac conſtantiſſimè tuentur, non poſſe ſummum Pontificem, mittere in Galliam Legatos à latere cum facultatibus ampliſſimis, niſi ad poſtulationem Regis, vel cum conſenſu ejus. Legatum porrò uti non poſſe facultatibus ſuis, donec (ſi Gallicis Authoribus fides) ſcripto, jurejurandoque pollicitus Regi fuerit, non uſurum ſe eis, niſi quamdiu Majeſtati ejus placuerit, deſiturum porrò ſtatim, ac certior factus fuerit, Regem nolle ut eis amplius utatur. Eadem cauſa, & quia multa interdum, continentur in facultatibus Legationum, quæ moribus noſtris, & juri recepto adverſantur, primum ſummus Pontifex Regem admonet, deſtinaſſe ſe in Galliam Legatum, exempli cauſa Joannem, ut conſenſum ejus eliciat, dein cum Legatus attigit fines Galliæ, Nuntium mittit ad Regem cum facultatibus ſuis, ut videre poſſit, an aliquid in illis contineatur contrarium libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ, aut juribus Regijs. Quia verò Princeps alijs negotijs occupatus, iſta per ſe examinare non poteſt, facultates illas mittit ad Parlamentum Pariſienſe, ſimul mandans, ut eas verificent, & actis Curiæ inſcribant. Parlamenti verò officium eſt eas diligenter examinare, adnotare ſi quid deprehenderint illic inſertum, adverſus vetuſtos mores & publicam Regni diſciplinam: ſi nihil iſtius modi animadverterint, in acta referre; ſi verò nonnulla repererint emendatione digna, his decernere, non teneri Gallos, adeóque modum peregrinis Decretis imponere, quod vulgo dicimus, modificare facultates Legati: tum demum ſi Rex permittat, Legatus utitur facultatibus ſuis ſic modificatis & inflexis.

Collegerunt exempla Odoricus Raynaldus, Petrus Puteanus, Petrus de Marca Archiepiſcopus Pariſienſis, unum ſaltem referamus.

II. Anno MCCCCLXXXIII. Sixtus Legatum in Galliam deſtinavit Joannem Baluam Epiſcopum Albanenſem, ut collapſam diſciplinam Eccleſiaſticam reſtauraret. Quia verò, ille ut erat homo audax, Regnum Franciæ ingreſſus eſt, licentiâ vel conſenſu Domini Noſtri Regis minimè petito ſeu habito, ejuſque Legatione minimè receptâ, niſus eſt officium ſuæ Legationis exercere, & quæcunq; ad juriſdictionem Ordinariam Archiepiſcoporum &c. ſpectant & pertinent, exercere, pluraq; agere adverſus Sanctorum Canonum reverentiam & mores, in Gallia receptos: Joannes Nanterra, nomine Regis, qui tum erat Carolus VIII. ab his gravaminibus appellavit ad Sanctiſſimum Dominum Noſtrum Papam Sixtum, minus debitè conſultum, ad ipſũ melius conſulendum &c.

Confirmat idem Nicol. Boerius in tractatu de pot. Leg. §. 32. *Ita ſervatur in Regno Franciæ quòd antequam Legatus Pontificius intret Regnum & ſuo utatur Legationis officio, jurat, ſervare jura Regni intacta & ordinationes Regias. Et ejus poteſtas ſolet in ſuprema Parlamenti Pariſienſis curia regiſtrari.*

Ediderat Bonifacius VIII. adverſus Philippum IV. Francorum Regem, decretalem ſuper gentes, quæ in extravagantibus, tribuitur Joannì XXII. in qua ſic legitur. *Verùm cum aliqui hujusmodi officium & poteſtatem, ipſius Romani Pontificis, quam non ab homine ſed à DEO recepit, ſub ſuo arbitrio redigere molientes, Legatos ipſos, niſi ab ejs petiti fuerint, vel de beneplacito eorum tranſmiſſi, ſubjectas ſibi terras dicentes hoc eis de conſvetudine competere ingredi non*

di non permittunt; nos hujusmodi consuetudinem, non tam irrationabilem, quàm iniquam, animarum saluti contrariam, detrahentem Apostolicæ potestati, auctoritate Apostolicâ penitùs reprobantes, Legatos ipsos ab omnibus cujuscunq; præeminentiæ, conditionis, aut status fuerint, debere admitti decernimus, nec eos prætextu cujusvis consuetudinis impediri posse à quoquam Christiano nomine gloriante, quominùs Regna, Provincias, & terras quaslibet, ad quas ipsos destinari contigerit, ingrediantur liberè, ac commissa sibi Legationis officium exerceant in eisdem. Excommunicat deinde eos qui præsumerent impedire Legatos, eorúmque Regna & terras Ecclesiastico imponit interdicto, quamdiu in hujusmodi contumacia duxerint persistendum. Revocat autem omnia Privilegia, quibus iidem uti vellent, ad asserendum hoc suum jus, seu ex consvetudine descenderet, seu aliunde. Hæc tamen comminatio non exterruit Reges Galliæ neque effectum sortita est.

ARTICULUS VII.

I. APud Hispanos authore Dicano Covarruviâ cap. 35. practicarum quæst. facultates Legatorum seu Nuntiorum Apostolicæ Sedis examinantur; ut admoneri possint à summo Regis prætorio, inquit, quibus uti conveniat dispensationibus & commissionibus, ne quid fiat in Reipub. dispendium, eũ plerumque Nuntij Apostolici exteri sint, nec satis noverint, quæ sint præcavenda, ne falsis precibus & suggestionibus decipiantur. Addit Franciscus Salgadus tractatu de supplicat. fol. 27. quòd quando Nuntius aut Legatus, à latere mittitur in Hispaniam à Summo Pontifice, in more habet Senatus Regis, petere, ut ostendat facultates commissas a Pontifice, non animo examinandi idoneitatem personæ missæ, sed ut hunc jubeat quem literis patentibus constat esse Nuntium aut Legatum Papæ, & ut adhibeatur ei fides, in ijs quæ pertinent ad munus suum.

II. Reges Scotiæ, nitebantur privilegio Clementis III. quod Cælestinus III. & Honorius III. confirmavêre, *ut nulli de cætero qui de Regno Scotiæ non fuerit, nisi quem Apostolica Sedes propter hoc de corpore suo, specialiter destinaverit, licitum sit in eo Legationis Officium exercere.* Exinde cum Clemens IV. Legatum in Scotiam misisset, ad conquirendam ad expeditionem in Saracenos, pecuniæ summam grandem, admissus in Regnum non est, sed extra fines Scotiæ subsistere jussus ac per literas mandata exponere Hector. Boët. lib. 13. Hist. Scotorum fol. 289.

III. Legatorum in provincias venientium cum ampliſſima authoritate maximus terror fuit, testatur istud Arnulphus Episcopus Lexoviensis in epistola 23. ad Cardinales Romanæ Ecclesiæ: in qua laudans Legatos quosdam, ait, in eis *tantam refulgere Apostolicæ sanctitatis & doctrinæ perfectionem, ut ei plus gratiæ merita contrahant, quàm terroris reverentia disciplinæ.* Quis enim quantumvis sui securus, non timeret, cùm intelligeret omnia Provinciarum negotia, in arbitrio Legati posita esse, eam porrò dignitatem esse ejus, ut ei Reges & Principes loco cederent, assurgerent. Quis Episcoporum etiam de sanctitate morum suorum præsumens, eâ securitate instructus esse poterat, ut non timeret hominem, qui fiduciâ Legationis eos propriâ authoritate suspensurus erat, si id animo collubitum esset suo, à ministerio & officio eorum, tum etiam à gradu Episcopali dejiceret, si res ita ferret? præterea Electiones Episcoporum pendebant ab authoritate Legatorum.

IV. Mittendorum Legatorum causa non postrema fuit Pontificibus, quod antiquitus Concilia authoritate Regum celebrari invaluerat. Sed Pontifices decernebant nemini licere generalem Synodum convocare absque jussione sedis

dis Apoſtolicæ. Ex eo principio emerſit neceſſitas mittendorum Legatorum in provincias, ut Concilia celebrarentur, ſub eorum præſentia, tanquam ſi ipſe ſummus Apoſtolicæ Sedis Antiſtes adeſſet, & ordini judiciorum immineret. Ita Nicolaus Papa miſit Legatos in Galliam in cauſa divortij Lothargij & Theutbergæ propter quam Concilium Metenſe ab Epiſcopis celebrari jubebat, cui authoritate Apoſtolica Legati ſui præſiderent. Attamen his verbis utitur quæ plurimùm modeſtiæ præferunt; fortaſſis ut ea ratione faciliùs Epiſcopos ad conſenſum traheret: obſtituros novitati, ſi pervicaciter quæſita authoritas fuiſſet. Hortatur enim eos ut cum Legatis Apoſtolicæ Sedis Synodũ congregent, cui cum fraternitate eorum præſideant ijdem Legati, quatenus, inquit, à Pontificis noſtri latere venientibus miſſis Synodicam illic celebrationem, Apoſtolica fulti authoritate, cum fraternitate veſtra præſidentibus adunare debeatis. Attamen licet Nicolaus PP. miſerit Legatos ad Concilium nationale, retinuiſſe tamen reverentiam erga Reges Galliæ colligitur ex epiſtola ejus ad Rodoaldum & Ioannem, de Synodo Metenſi convocanda. Nam cum generalia mandata dediſſet, ſpecialemque inſtructionem cum hac epiſtola mittere ſe ſignificaſſet, jubet, ut tam epiſtolas Synodicas quàm iſtas, ipſumq, commonitorium Regi Carolo præſentibus cunctis oſtendant. Quod idem eſt acſi juberet, Legati literas legationis ſuæ, ſive facultates, ac præterea ſecretas, ut hodie loquimur, inſtructiones, cum Principe communicarent, ut præſentibus conſiliarijs ejus examinarentur, tum verò demum executioni mandentur, delegataque ſibi auctoritate conſenſu Regis accedente Legati utantur. Hæc ſunt verba in appendice Epiſtolarum, Nicolai ep. 2. Et deinde *cum pro cauſa Balduini ad Carolum perrexeritis, eidem glorioſo Regi epiſtolas Synodicas, & has quas nunc vobis dirigimus, pariter cum Commonitorio præſentibus cunctis oſtendite.*

ARTICULUS VIII.

DE alijs recentioris ævi diverſorum Regnorum & Eccleſiarum Legatis Natis. Baron: ad an. 1097. nnm. 31. *Plures ſunt*, inquit, *hodie in Eccleſia Catholica Nobiliſſimarum Eccleſiarum Antiſtites, qui ex vero certoq; Privilegio Apoſtolicæ Sedis, Legati Nati obtinent dignitatem.*

Manet ſua Auctoritas & Jurisdictio Legationis Natæ Archiepiſcopo Colonienſi ut Aloac. in ſua prax. in Rubr. Tripliees Leg. Saltzburgenſi in Germania, Toletano in Hiſpania, Rhemenſi in Gallia: Piſano in Italia, Franc. c. 1. n. 10. De off. Leg. Trevirenſi in Belgio, Gneſnenſi in Polonia ſine contradictione uti addit Azorius Soc: JESU Inſtit. Moral. par. 2. lib. 5. cap. 27. Henric. loc. cit. Barboſ. de off. & poteſt. Epiſc. par. 1. tit. 3. cap. 7. num. 17. §. Verum. Henr. Caſiſt. in Summ. jur. Can. lib. 1. tit. 3. 17. De off. Leg. §. 2. Zoes. lib. 1. Decretal. tit. 30. num. 3. Noviſſimè Proſp. Fagn. in cap. Nulla num. 38. Verb. Præmitto ejuſmodi Legatos Natos de conceſſ. præben. latè Gambar. de Auth. Leg.

Nominatur præſens in Concil. Tridentino Mocenicus Archiepiſcopus Nicoſienſis Regni Cypri Primas, Legatus Natus.

II. Martinus Cromerus proximior temporum Joannis Laſcij lib. de Repub: & Majeſt. Polon. fol. 108. *Ad Gneſnenſem Archiepiſcopum ab ipſo etiam Leopolienſi Archiepiſcopo datur provocatio, idq; eo nomine, quod ille eſt Legatus perpetuus, ſive ut vulgò loquuntur, Natus, Sedis Apoſtolicæ.*

Noviſſimè Chriſt. Wintzler in tract. de jurisdict. Epiſcop. Germaniæ cit. 30. de Leg. Ap. num. 4. *Audiunt univerſas cauſas, quæ per appellationem vel querimoniam, à ſubditis ſuorum Suffraganeorum ad ſuam audientiam deferun-*

tur, ſicut alij vices Pontificis in Provincia gerentes, etiam in præſentia Legati à latere. And. de Butr. Card. Imol. teſte Joanne Bromel in Tractatu de dig. & poteſt. Leg. Concl. 17. ded. 1. & 2. Ne jus Leg. Natæ ſit inutile, ut in ſimili pro Legato de latere cum Panorm. ibi arguit Brunel. Alias quoad momentaneum & quaſi tranſeuntem, officium ſuum, ob reverentiam S. Sedis Apoſt. facilè demittent. Eoq; modo cap. volentes 10. de offic. Leg. & Reſcriptum Pontificis hoc innuens intelligitur. Et quia iſtud ius Eccleſiis inhæret. d. cap. 1. & cap. penult. reale & perpetuum eſt, & morte Pontificis non expirat. Petr. And. Gembar. de auth. Leg. de lat. in princ. num. 9. Nec ſpeciali Commiſſione indiget, aliàs potius datum quàm natum, ſive inhærens diceretur.

III. Et tametſi aliquibus in locis ſeu Hæreticorum aut infidelium vi & feritate, ſeu temporum viciſſitudine, exercitium Legationis Natæ ceſſaverit, Privilegia tamen Summorum Pontificum, æterna inconcuſſa manent, quæ uti juri communi conformia, & favorabilia ampliari non reſtringi decet, cap. odia. de Reg. jur. in 6. Eximiè facit ex epiſtola Juonis apud Baron. ad an. 1099. *Profeſſio Romani Pontificis, nihil de traditione quam à probatiſſimis prædeceſſoribus meis traditam, & ſervatam reperi, diminuere vel mutare, aut aliquam novitatem admittere, ſed ferventer ut eorum diſcipulus, & ſequipeda, totis mentis meæ conatibus, qua tradita canonicè comperio, obſervare ac venerari profiteor.*

IV. Legatio Nata Cantuarienſis Eccleſiæ celeberrima eſt, ejus tamen privilegium non exſtare, plane compertum habeo, ſed auctoritas & præeminentia Archiepiſcopi Cantuarienſis multis deducitur.

V. Baron. ad an. 1072 num. 8. & aliis. *Cùm negaret* Eboracenſis Archi-Epiſcopus privilegium à S. Gregorio conceſſum Eccleſiæ Cantuarienſi extendendum eſſe ad ſucceſſores ejus Sedis, primi Archiepiſcopi Auguſtini, eò quòd de ſucceſſoribus ejus nulla ab eodem S. Gregorio mentio facta eſſe reperiatur: Lanfrancus Archiepiſcopus Cantuarienſis inanem tergiverſationem adverſarij exemplo ſimili mutato ſic eluſit & confutavit: *porrò quod dicis*, potuiſſe Beatum Gregorium ſi voluiſſet ſucceſſoribus Auguſtini confirmare, quod conceſſerat Auguſtino: verum omnino eſt, nec poteſt ambigi, ſed quòd quæſo præjudicium hoc Cantuarienſi Sedi affert? à ſimili cauſam proponam.

Nam quando Dominus & Salvator noſter JESUS CHRISTUS dixit Beato Petro: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claves Regni Cœlorum: potuiſſet adjicere, ſi voluiſſet, eandem poteſtatem Succeſſoribus tuis concedo. Verum dicti prætermiſſio nihil reverentiæ imminuit Succeſſoribus Petri. Ibisnè his verbis obviam? refereſne adverſa? enim verò omnium Chriſtianorum conſcientiis eſt inditum, ut nihilominus quam B. Petro Succeſſoribus ejus & minantibus attremant, & Serenam dignitatem induigentibus gaudenter applaudant. Et inferius. Sicut dixit Chriſtus omnibus Præſulibus Romanis, quod dixit Beato Petro: ita dixit Gregorius omnibus Succeſſoribus Auguſtini, quod dixit Auguſtino: Hinc conficitur ut ſicut Cantia ſubjicitur Romæ quod ex ea fidem accepit, ita Eboracum ſubjiciatur Cantiæ quæ eo prædicatores miſit.

VI. Huic graviſſimæ alterationi de primatu Cantuarienſis ſuper Eboracenſem ſopiendæ, Alexander Pontifex Romanus Synodum in Anglia promulgavit, quatenus Conventus Angliæ terræ Epiſcoporum, Abbatum cæterarumque religioſi ordinis perſonarum utriuſque partis rationes audiret, diſcuteret, definiret. Factumque eſt ita. Exſtat

SyNO-

SYNODALE DECRETUM *definitivum his verbis.*

ANno ab incarnatione Domini Noſtri JESU Chriſti milleſimo ſeptuageſimo ſecundo, Regni verò Vilhelmi glorioſi Regis Anglorum & Ducis Northmanorum Sexto, Pontificatûs autem Domini Alexandri Papæ Undecimo in præſentia Regis, Epiſcoporum & Abbatum, ventilata cauſa eſt de Primatu, quem Lanfrancus Dorobernenſis Archiepiſcopus, ſuper Eboracenſem Eccleſiam jure ſuæ Eccleſiæ proclamabat & de ordinationibus quorundam Epiſcoporum, de quibus, ad quem ſpecialiter pertinerent, certum minimè conſtabat. Et tamen aliquando diverſis diverſarum cauſarum auctoritatibus probatum atque oſtenſum eſt, quòd Eboracenſis Eccleſia, Cantuarienſi Eccleſiæ debeat ſubjacere, ejuſque Archiepiſcopi, ut Primatis totius Britanniæ diſpoſitionibus, in iis quæ ad Chriſtianam Religionem pertinent in omnibus obedire. Et infra. Si Cantuarienſis, Concilium cogere voluerit, ubicunq; ei viſum fuerit, Eboracenſis Archiepiſcopus ſui præſentiam eum omnibus ſibi ſubjectis Epiſcopis ad nutum exhibeat, ut ejus Canonicis diſpoſitionibus obediens exiſtat. Quòd autem Eboracenſis Archiepiſcopus profeſſionem Archiepiſcopo Cantuarienſi, facere etiam cum Sacramento debeat, Lanfrancus Dorobernenſis ſeu Cantuarienſis Archiepiſcopus ex antiqua anteceſſorum conſvetudine oſtendit; ſed ob amorem Regis, Thomæ Archiepiſcopo Eboracenſi Sacramentum relaxavit, ſcriptamque tantùm profeſſionem recepit, non præjudicans ſucceſſoribus ſuis, qui Sacramentum cum profeſſione à ſucceſſoribus Thomæ exigere voluerunt. Qua cauſa pleniſſimè definita Thomas Eboracenſis Archiepiſcopus profeſſionem hanc emiſit, quæ ſequitur.

VII. Decet Chriſtianum quemq; Legibus Chriſtianis ſubjacere, nec his quæ à Patribus ſalubriter inſtituta ſunt, quibuslibet rationibus contraire. Hinc namq; iræ, diſſenſiones, invidiæ, contentiones, cæteraque procedunt, quæ amantes ſuos in pœnas æternas demergunt, & quanto quis altioris eſt ordinis, tantò impenſius Divinis debet obtemperare præceptis. Propterea ego Thomas, ordinatus jam Eboracenſis Eccleſiæ Metropolitanus Antiſtes, auditis cognitiſque rationibus abſoſutam tibi Lanfranc Dorobernenſis Archiepiſcope tuiſq; ſucceſſoribus de Canonica obedientia profeſſionem facio, & quidquid à te vel ab eis juſtè & canonicè injunctum mihi fuerit, ſervaturum me eſſe promitto.

De his in Synodo geſtis in cauſa Eboracenſi certiorem fecit Alexandrum Papam per Epiſtolam: *Allata eſt inquit Eccleſiaſtica gentis Anglorum hiſtoria, quam Eboracenſis Eccleſiæ Presbyter & Anglorum Doctor Beda compoſuit. Lecta ſententia, quibus pace omnium demonſtratum eſt: à tempore Beati Auguſtini primi Dorobernenſis Epiſcopi, uſq; ad ipſius Beda ultimam ſenectutem, quæ ferè centum & quadraginta annorum ſpatio terminatur, anteceſſores meos ſuper Eboracenſem Eccleſiam totamq; inſulam, quam Britanniam vocant, nec non Hyberniam Primatum geſſiſſe, curam Paſtoralem omnibus impendiſſe, in ipſa Eboracenſi Urbe perſæpe locis finitimis, ubi eis viſum fuit Epiſcopales ordinationes atq; Concilia celebraſſe, Eboracenſes Antiſtites, ad ipſa Concilia vocaſſe, & cùm res poposciſſet, de ſuis eos actibus rationem reddere compuliſſe. Epiſcopos quoq;, quorum ſubjectionem in quæſtionem adduxerat, infra illud centum & quadraginta annorum ſpatium per Dorobernenſes Archiepiſcopos fuiſſe ſacratos, ad concilia vocatos. Quoſdam*

dam quoq; exigentibus culpis ab eis cum Romana ſedis auctoritate depoſitos: multaq; in hunc modum quæ epiſtolaris modeſtia per ſingula explicare non poteſt, diverſa ad legendum porrecta concilia, quæ diverſis temporibus diverſis de cauſis à meis ſunt Anteceſſoribus celebrata. Quæ tametſi non eandem ſuæ Inſtitutionis habuêre materiam, eandem tamen de Primatu & ſubjectionibus Epiſcoporum tenuêre ſententiam, recitatæ eorundem de quibus quæſtio verſabatur Epiſcoporum ante prædeceſſores meos factæ electiones, & per eos ordinationes, quæ Dorobernenſi Eccleſiæ de ſua obedientia ſcriptas reliquerunt profeſſiones. Urbs namq; quæ nunc Cantuerbia (poſt Cantuaria) nominatur, antiquis temporibus ab ipſis terræ incolis Dorobernia vocabatur.

Acceſſerunt omnium teſtimonia, quia omnia quæ ſcripa ſonuerunt, ſe ſuis quisq; temporibus vidiſſe & audiſſe conſtantiſſimè affirmaverunt. Nec defuerunt geſta, quibus reſeratum eſt cum Anglia per plures Regulos eſſet divisa, Nordanhunbrorum Regem ubi ſita eſt civitas Eboraca, accepto pretio cuidam Simoniaco Epiſcopatum vendidiſſe, pro qua culpa à Dorobernenſi Archiepiſcopo ad Concilium vocatum fuiſſe, nolentemq; venire pro ſua inobedientia Excommunicationis ſententiam pertuliſſe. Qua communione atq; conſortio omni illarum partium Eccleſia tam diu abſtinuit, quoad usq; Concilio ſeipſum exhibuit, culpam dixit, quod malè geſtum eſt, correxit, de reliquo emendaturum ſe fore ſpopondit. Quæ res non mediocre tulit judicium, Anteceſſores meos ſuper ipſam terram illamq; Eccleſiam habuiſſe Primatum. Ultimum quæ ſi robur, totiusq; cauſæ firmamentum, prolata ſunt Anteceſſorum Veſtrorum Gregorij, Bonifacij, Honorij, Vitaliani, Sergij, item Gregorii, item ultimi Leonis Privilegia atq; ſcripta quæ Dorobernenſis Eccleſia Præſulibus Anglorumq; Regibus aliis atq; aliis temporibus variis de cauſis ſunt data aut tranſmiſſa. Reliqua enim reliquorum tam authentica quàm eorum exempla, in ea combuſtione atque abolitione, quam Eccleſia noſtra ante quadriennium perpeſſa eſt, penitus ſunt abſumpta. Et ſub finē: (cujus ſcripturæ exemplar vobis quoq; quibus S. totius mundi Eccleſiam conſtat eſſe commiſſam, transmittendum curavi, ut ex hoc atq; aliis, quæ transmiſſa ſunt perſpicuè cognoscatis, ex more Anteceſſorum, quid mihi Chriſtiq; Eccleſiæ quam regendam ſuſcepi, concedere debeatis. Quod peto honeſtè & ſine dilatione per indultum Sedis Apoſtolicæ privilegium fieri, quatenus ex hoc quoque quantum me diligatis, evidenter poſſit oſtendi.

VIII. An igitur Privilegium Cantuarienſe illo incendio deflagraverit? an ſine ullo Privilegio ipſa origine vetuſtateq; (ut hiſtoria Eccleſiæ Britannicæ loquitur fol. 26.) Legationis Natæ auctoritatem & facultates Eccleſiæ Cantuarienſis obtinuerit? An Pontifices Romani Cantuarienſes Archiepiſcopos ſummâ & propria auctoritate præditos ut ſuos Legatos nominabant, ut auctoritatem quam jure ſuo obtinebant à ſede Romana ſumere viderentur, idem ib. ego in medio relinquo.

IX. Archiepiſcoporum Cartuarienſium poteſtatis fuiſſe per totius Britanniæ, & Hyberniæ Diœceſes, ubicunque voluiſſent abſq; aliqua ſuffraganeorum

rum ſuorum licentia Pontificalia exercendi, ſacros ordines conferendi, Epiſcopos confirmandi & conſecrandi & concilia convocandi. Recenſet Gervaſ. Monach. Actor. Pontif. Catuauien. inter Hiſtoricos Anglicanos fol. 1669. Et tradit etiam ſanctus Anſelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis ut refert P. Michaël Alforb. Societ. JESU Annal. Eccleſiaſt. Anglic. Tom. 4. ad annum 1107. fol. 222. Et clarius luculentiusq; colligitur ex ipſa epiſtola ejuſdem S. Anſelmi libro 3. epiſt. 19. ut noviſſimè teſtatur Lucas Dacher in Epiſt 27. Ivonis Epiſcopi Carnoteniis ad Paſchalem ſummum Pontificem fol. 360 col. 2.

X. Sanctum Anſelmum Archiepiſcopum Cantuarienſem ampliſſimas facultates toto Regno Angliæ exercuiſſe, ut etiam feſtorum celebritates indiceret, uti Eccleſiæ Anglicanæ Primas & in rebus ſacris illius nationis arbiter; teſtatur verbis præinſertis Salazar in defenſione Immacul. Concept. cap. 36. § 6. num. 40. Hunc Anſelmum in Concilio apud Barum contra Græcos proceſſionem S. Spiritûs à DEO filio negantes, Urbanus II. ſummo honore habuit. *Hunc*, inquit: *pro Magiſtro teneamus, & veluti alterius orbis Apoſtolum & Patriarcham jure venerandum cenſeamus.* Antiq; Brit. Eccl. fol. 25. & idē apud Baron. ad an. 1097. num. 147.

Inſuper ejus auctoritatis fuit Archiepiſcopus Cantuarienſis, qualem ajunt eſſe eum qui Regnum Siciliæ poſſidet, ait Henriquez. lib. 10. cap. 28. num. 3. Unde Epiſcopus Cantuarienſis poteſtatem judicialem habuit ampliſſimam judicandi tam directè, quàm per viam querelæ. Appellationes determinandi, totam Provinciam Interdicto Eccleſiaſtico ſupponendi, & ab eo relaxandi, uti ex relatis per citat. Gervas. Monach. patet multis in locis. Et hiſt. Antiquit. Eccleſiæ Britanniæ fol. 24. In quacunque ſuæ Provinciæ Diœceſi ac Parochia etiam appellatione nulla interpoſita, ſingulas ac uniuſcujuſq; caſus querelasq; dijudicandas poteſt ſuſcipere. Quæ juriſdictio tam tacito omnium conſenſu, uſuque longævo, quàm Regni inſtitutis latiſque legibus, in juris vigorem neceſſitatemque, jam diu tranſiit, ac ibidem. *Itaque ſuffraganei dum enervare Metropolitani ſui vires ſtuduerunt, ipſi non modò debilitati ſed & fracti ceſſerunt, prædictæ enim conſvetudines, prærogativæ, & privilegia Metropolitanæ Sedi tam firmiter infixa hærent, ut niſi aperta lege tolli & avelli haud poſſint.*

XI. Ac tamen ſi Cantuarienſis tolerantia & conniventia (quod æquabilitate ſua ſæpe ſolet) juri ſuo aliquando cedat, multaque remittat, & à Suffraganeis uſurpari etiam longiſſimo tractu temporis ſinat, acquirere tamen jura ſibi Archiepiſcopalia, aut Metropolitanum excludere, vel prohibere, propter jurisjurandi Religionem quod Sacrati præſtant, nulla præſcriptione poſſunt: juriſdictionis enim ſuæ habenas, & relaxat, cum vult, & adducit ad ſe cum neceſſe eſt fol. 23. Nam quilibet conſecratus Epiſcopus in ſua inauguratione, juramento pollicetur obedientiam Canonicam, & defenſionem omnium Cantuarienſis Eccleſiæ Privilegiorum, atque libertatum: Et ibidem: nullos in rebus dijudicandis prudentiores, aut ab omni luxu continentiores, aut in tota vita moderatiores, magiſque frugi, & in pauperes beneficos, & quotieſcunque Rempublicam capeſſebant Regibus atque Regno utiliores, quàm Cantuarienſes Archiepiſcopos fuiſſe.

XII. Baron. ad an. 1163. fol. 474. Alexander Papa Concilium Turone celebravit. Cui inter alios inſignes interfuit Sanctus Thomas Archiepiſcopus Cantuarienſis, anno ſuperiori (ut vidimus) ad eandem regendam Cathedram, ex munere Cancellariæ aſſumptus, quem præter morem Alexander Papa ejuſmodi excepit honorificentia: fecit enim ut omnes Cardinales occurrerent ei extra urbem illam, præter duos tantùm, qui ſoliti eſſent ei ſemper aſſiſtere, idemque obtinuit quæcunque ab ipſo Pontifice petijſſet, nempe ſuæ Eccleſiæ privilegiorum confirmationem.

Idem

Idem Baron. ad annum Christi 1117. fol. 117. Cùm Archiepiscopus Eboracensis Torstanus cogeretur ab Archiepiscopo Cantuariensi ad professionem ex privilegio ejus Ecclesiæ, is Romam veniens, impetravit literas a Paschali Papa ad Regem Angliæ Henricum: audivimus Electum Eboracensem Vicarium sapientem & strenuum sine judicio ab Eboracensi Ecclesia sequestratū, quòd nimirum Divinæ justitiæ & Sanctorum Patrum institutionibus adversatur. Nos quidem neque Cantuariensem Ecclesiam minui, neque Eboracensem volumus præjudicium pati, sed eam Constitutionem quæ à Beato Gregorio, Angliæ gentis Apostolo, inter easdem Ecclesias constituta est, firmam censemus illibatamque servari.

XIII. Cantuariensis Archiepiscopi prærogativas cap. 1. de officio Legati approbavit Allexander III. quod pro jure communi receptum, vel maximè privilegii vicem & vim sustinet imò superat.

Cùm non ignoretis Cantuariensem Archiepiscopum vobis non solùm Metropolitico, sed etiam Legationis jure præesse. & infra. *Sanè licet idem Archiepiscopus Metropolitico jure audire non debet causas de Episcopatibus Vestris, nisi per appellationem deferantur ad eum: Legationis tamen obtentu, Universas, quæ per appellationem vel querimoniam perveniunt ad suam audientiam audire potest & debet; sic ut in provincia sua vices nostras gerere comprobatur.* Et ibidem: *CASUS Archiepiscopus Cantuariensis est delegatus in Provincia sua, quidam tamen Suffraganei sui dicebant, quòd causas subditorum suorum audire non poterat, nec debebat, nisi cum per appellationem deferuntur ad eum: & sic non permittebant Clericos ire ad Archiepiscopum per simplicem querimoniam: Archiepiscopus significavit hoc Domino Papæ super hoc scribit Suffraganeis Cantuarienſ. dicens, quòd ipsi ignorare non debent Archiepiscopū suum sibi præesse jure Metropolitico & jure Legationis.*

Idem declaravit Innocentius 4. cap. eodem tit. in sexto. *Sicut honoris* (inquit) *prærogativa latantur, sic eos authoritate volumus fungi ampliori.* Ex quo colligitur Archiepiscopum Cantuariensem omnia potuisse exceptis Papæ reservatis cap. Excommunicatis ext. eodem tit. præsertim cùm Legatus Natus habeat in sua provincia ordinariam jurisdictionem per expres. text. cap. 2. de offic. Leg. in 6to ibi. glos. specialiter declarat id procedere, non solùm in Cardinali Legato de latere, sed & in Legato Nato prout tradunt. Franc. Geminian. & alij DD. ibidem.

XIV. Omnes porro DD. qui de Legatis Apostolicis scripserunt, Cantuariensem Legatum Natum primariò celebrant. Neque temere existimandum Leonem, X. Papam & Concilium Lateranense, cum Ecclesiæ Gnesnensi Legatio Nata concederetur de Privilegio Cantuariensi ignorasse, aut rem incertam vel non existentem Archiepiscopo Gnesnensi ad Papam & Concilium Regio Oratori, *Viro præclaro, notabili Prælato, Primati Poloniæ* (hisce enim eo mijs à Pontifice in Bullis ornatur) frustra concessisse.

ARTICULUS IX.

ARchiepiscopum Gnesnensem in exercitio facultatum adinstar Cantuariensis, fuisse, Cracovienses, Vladislavienses, Polnanienses, Plocenses Suffraganeos Episcopos confirmasse & confecrasse, aut iisdem Confirmationes justis de causis denegasse, multis probatur.

Marti-

Martinus I. Archiepiſcopus, Simonem Gozdavam à Collegio Plocenſi electum.

Joannes I. ſive Janicus Stephanum gente Rolium: Radtianum gente Srzeniavium; Bernardum gente Syrocomliam Epiſcopos Poſnanien.

Petrus III. Gedeonem Epiſcopum Cracovienſem de Domo Gryphorum Lupum Plocenſem & tres Poſnanienſes.

Joannes III. Epiſcopos, Plocenſem Joannem Naſencium, Florianum Acervinum, Clementem Pierzchalium Poſnanienſem, Domaratum Grzymalium, Joannem Dolivium.

Fulco Andream Gryphium, Petrum Brevim, Andream Vitelliùm Plocenſes. Boguphalum II. Roſeum Poſnanienſem.

Joannes II. Petrum Nietlich & Thomam Plocenſes.

Philippus Joannem Wiſkowiec Poſnanienſem.

Jacobus II. Viſlaum gente Zabavium, & Gerhardum Acervinum Vladiſlavienſes. Joannem Gerbis Nalencium, Andream Zaremblum Poſnanienſes, Joannem Altum Prawdzicium Plocenſem: alij alios Epiſcopos confirmarunt & conſecrarunt.

Joannes II. Petro Abdanco in favorem Phalantæ à Boleſlao Majoris Poloniæ Duce promoti, Confirmationem diſtulit.

Jaroſlaus Proviſum Apoſtolicum Bernardum Innocentij VI. Pœnitentiarium juſtis de cauſis non admiſit, & Janiſlaum Wroniſki à Caſimiro Magno Nominatum Epiſcopum Plocenſem inſtituit & confirmavit.

Joannes Suchywilk Nicolao de Kurnik Navitæ confirmationem Epiſcopatus Poſnanienſis denegavit.

Ultimum Paulum Gyżyeki Epiſcopum Plocenſem Vincentius Cotus anno 1439. Cracoviæ conſecravit.

II. De poteſtate hac Metropolitana Gneſnenſi, confirmandi & conſecrandi Epiſcopos opinatur Staniſlaus Łubinſki Epiſcopus Plocenſis Opere poſthumo fol. 321 inde profectam eſſe, quòd cum ab Henrico IV. Imperatore, Pontifices Romani maxima vi oppugnarentur, & excitatis Anti-Papis Eccleſia laceraretur, viæque omnes quibus Roma adiri poteſt, turbarentur, his itinerum difficultatibus & Schiſmate Eccleſiâ DEi diſtractâ, non ab Romano Pontifice, ſed ab Archiepiſcopo Gneſnenſi, confirmationes & conſecrationes Epiſcoporum, initium acceperint. Sed veniâ Magni in Eccleſia & Repub: Viri (iſto Elogio à Joanne Lipſcio Archiepiſcopo Gneſnenſi, oratione in funere Sigiſmundi III. & Conſtantiæ decoratur) antiquitatis Eccleſiaſticæ, Sacrorumq; Canonum, & Chronologiæ temporum Henrici IV. attentiorem eſſe oportebat, talia præſuleo calamo ſcribentem.

Vetus inſtitutum primævæ adhuc Eccleſiæ fuit, ut vacantibus Epiſcopatibus, Synodum Provinciæ, cogerent Metropolitani in loco ſedis vacantis vocabantur in diem Epiſcopi Provinciales, confluebat Clerus & Populus, *Metropolitanorum, & eorum Epiſcoporum judicio* inquit Canon. XIII. Concilij Laodiceni, *qui circumcirca fuerunt provehebantur ad Epiſcopatus, qui plurimo tempore, tam verbo fidei, quàm rectæ converſationis exemplo probati erant.*

III. Neq; Clerus ac Populus extra curam & honorem, ſuffragandi Epiſcopis agebat juxta illud. *Oportet illum & teſtimonium habere ab his qui foris ſunt*, ſed teſtimonium penes illos duntaxat, penes Epiſcopos judicium erat, ita Baſil. ep. 62. ad Neocæſarienſes poſt Muſoni Epiſcopi obitum, *petere quidem veſtrum eſt, Domini verò deſignare, nempe Synodi judicio præſciendum.* Interrogabant Epiſcopi Clerum & Populum, teſtimonia de perſona deli-

deligenda exquirebant, ſed ipſa deſignatio ſeu Electio, Metropolitana una cum Synodo Provincialium Epiſcoporum integra manebat.

Submota poſtmodum leviore turba, paucos & præcipuos adhiberi mos obtinuit. Theodoreti verba ſunt, loquentis de Petro, qui ſucceſſit Athanaſio, novem annis poſt tempora Concilij Laodicenſis: *Suffragantibus S. Ordinis & iis qui erant in Magiſtratu & dignitate conſtiti, omnis verò populus, acclamationibus lætitiæ ſigna promebat.*

A Concilij Niceni temporibus, ad ſolos Epiſcopos promotiones Epiſcoporum ſpectare, extra controverſiam fuit; Apoſtolorum exemplo quorum præcipuæ partes fuerunt, in Electione Mathiæ.

Canon Quartus primæ Synodi Nicenæ, quí in ſecunda Nicena elatur anno 787. *Oportet eum qui promovendus eſt ad Epiſcopatum ab Epiſcopis eligi.* Et Canon 16. Antiochenus. *Si quis Epiſcopus in Eccleſiam vacantem proſiliat, ſedemq; pervadat abſq; integro perfectoq; Concilio, hic abjiciatur.* Perfectum vero Concilium illud eſt, ubi interfuerit Metropolitanus Antiſtes. Atque juxta ejuſdem Synodi Antiochenæ Canonem XIX. qui Canonem Nicænũ interpretatur. *Epiſcopus præter ſententiam Metropolitani nullatenus ordinetur.* Tandem tota authoritas penes Metropolitanum erat qui rebus geſtis τὸ κυρος adhibebat. Euſebius actione 13. *In unaquaq; Provincia Metropolitanus habeat poteſtatem, & ipſe conſtituat omnes in Provinciæ Epiſcopos.*

IV. Diſceſſum autem à veteri more in loco Sedis vacantis Electionum, quod cum in parvo oppido Synodum habere, Electiones per diſcordias ſæpe & criminum objectiones protractas agere: ſumptibus onerari incommodum erat, quandoquidem Nicenus Canon de loco Synodi nihil diſertè, nec de Cleri Populique teſtimonio conſtituiſſet, liberum ſibi Epiſcopi putarunt apud Metropolitanum, Synodum pro Electionibus habere.

V. Perſeveravit hæc Metropolitana poteſtas, diſcutiendi Electiones, Electos Epiſcopos, ſuos Suffraganeos, confirmandi ac juribus Potificiis ſtabilita eſt, cap. 1. diſt. 6. Quia diligentia cap. Innotuit. cap. cum dilectus de elect. cap. inter corporalia de transl. Epiſcopi cap. qua fronte de appell. quæ confirmatio eſt Electionis peractæ convalidatio, & eſt implementum Electionis ſicut traditio rei, eſt implementum venditionis juxta DD.

Quod jus Electionum Clerus & populus paulatim tranſmiſerunt ad Canonicos Eccleſiarum Cathedralium, quos in eo jure confirmarunt ſummi Pontifices, varijs conſtitutionibus quæ habentur in Decretalibus, in Clementinis inter extra vagantes. Electio Epiſcopi facta per Capitulum, ab Archiepiſcopo confirmabatur. Quod ſi Capitulum non eligebat Epiſcopum inter tres Menſes, juſto impedimento ceſſante, Electio devolvebatur ad Archiepiſcopum ipſum cap. ne pro defectu, de Elect. & cap. quanquam: eodem titul. lib. 6.

VI. Archiepiſcopus de jure conſecrare electum Suffraganeum Epiſcopum debuit, vel alteri Epiſcopo conſecrationem committere, nec alius ſine tali cõmiſſione conſecrare potuit. 64. & 65. diſt. cap. qui in aliquo 51. diſt. cap. ſuffraganeis, de Electione cap. ſi Archiepiſcopus de tempore ordinat. cap. quod inter corporalia de translat. Epiſcopi cap: ſedem de off. Ordin. Et conſecratus ab alio, ex commiſſione Metropolitani, debuit infra duos menſes ipſum Metropolitatum viſitare tex. in cap. ſi quis diſt. 65. Conſecratio fiebat à Metropolitano, intervenientibus Comprovincialibus Epiſcopis vel per literas proprias conſenſum exprimentibus text: cap. cum non debet. 65. diſt.

Atque hac antiquiſſima propria Metropolitanis poteſtate Archiepiſcopos Cantuarienſes, ut Epiſcopos Provinciæ ſuæ, confirmarent & conſecrarent, præditos fuiſſe, ſupra expoſuimus. Hâc ipsâ pollebant & pacificè aliquot ſæculis utebantur Archiepiſcopi Gneſnenſes quamdiu Electiones Epiſcoporum

per

per Capitula Cathedralia vlguêre. Posteaquam Casimirus, aliique secuti Poloniæ Reges Electionibus Capitularibus manum injecerunt & Principatûs potestate ac Pontificum Romanorum tolerantiâ jus nominandi Episcopos sibi vendicaverunt: exhinc fermè Metropolitanæ Gnesnen. imminui, consecrationum à quocunque Antistite libertas Romæ impetrari, jus tot seculis prævalidum incuriâ an injuriâ? deferi & desinere.

VII. Olim Episcopi (Crom. Tom. 1. fol. 106.) ex præscripto Sacrorum Canonum à Collegiis primariorum Sacerdotum, quæ Capitula Cathedraliũ Eccl. vulgò nominant, legebantur. Nunc Princeps umbratili quadam Electione illis relictâ aut ne relictâ quidem, solus arbitratu suo edit Episcopum & Pontifici Max. commendat (quod fiebat etiam à Collegijs) ut ejus authoritate approbetur, præficiatur & ab alijs Episcopis consecretur. Cœperunt autẽ sic editi, sive nominati indulgentiâ vel conniventiâ quâdam admitti ad consilia publica priusquam approbarentur à Pontifice. Non item ad functiones sacras & jurisdictionem Ecclesiasticam & administrationem bonorum.

VIII. Primus Stiborius Pauli Gizycij in Episcopatu Plocensi Successor, cũ Casimirus Rex Electioni ejus obstaret prævalente Romæ Friderici Imperatoris apud Pium II. promotione (quod Stiborius Ducum Masoviæ Friderici consangvineorum favore juvaretur) ac Pius II. Casimiro Regi ob eam causam, quòd ab eo, ne possessionem Episcopatus Varmiensis, quem ardenter concupierat, adiret, impeditus & exclusus fuerat, gravi odio infensus esset, (clam vocato ad se Nicolao Episcopo Lacedæmoniensi ex ordine Divi Francisci, qui cum titulo Episcopi in partibus infidelium Suffraganeum Episcopi Plocensis gerebat) nemine altero accito Episcopo, ex indulgentia Romani Pontificis consecrari se curavit. Stanislaus Lubienski fol. 363.

IX. Hac velut datâ portâ, delegandi ab urbe consecrationes, exemplum in alios Episcopos manavit. nobisque jam pessulum obdidit veneranda summi Pontificis potestas, & pro lege voluntas. Magnam tamen exinde vim illatam esse, vetustis Canonibus, & constantissimo Metropolitanorum juri, queritur Archiepiscopus Parisiensis Petrus de Marca lib. 6. de concordia Sacerdotij & Imperij fol. 184. & allegat Gregorium 7. adeò se religiosum præbuisse, ut Episcopum quendam consecrare recusaverit, donec constaret eum à jurisdictione Metropolitani sui exemptum esse lib. 9. epist. 24. Nihil etiam in Decreto Gratiani, aut Decretalibus contrarium juri huic Metropolitano inveniri, nisi ob negligentiam Metropolitani, aut si Canonicis censuris teneatur ibidem. Neque in Concilio Trident. Sess. 7. de Refor. cap. 9. & Sess. 23. de Refor. cap. 2. ullo verbo Metropolitanis expressè derogatur.

ARTICULUS X.

COnstantissimum ab ipsa Ecclesiæ infantiâ, & propagatæ Religionis Orthodoxæ coævum Jus Metropolitanum, innumeris ferè Ecclesiasticis Legibus deducitur: quod sine Metropolitani consensu & authoritate, Ordinationes Episcoporum fieri vetat. Institutos in qualibet provincia Metropolitanos, singulari prærogativa præditos, in Canonibus Apostolorum, num. 26, Epistolis Clementis 1. epist: 1. Anacleti ep: 3. Aniceti ep. 1. Stephani ep: 2. Anacletus ep. Voluit ab omnibus Episcopis Provinciæ congregatis, non aliena certè quàm Metropolitani authoritate, qui ab ipso totius Provinciæ, tanquam Caput & Judex Princepsq; statuitur, *Singulorum Episcoporum Ordinationes celebrari*: Anacletus Ep: cit. Metropolitani præsentiam si fieri possit, sin minus, saltem auctoritatem in Episcoporum Consecrationibus haberi voluit; *Reliqui verò*, inquit, *Comprovin-*

ciales Episcopi, si necesse fuerit, cæteris consentientibus à tribus jussu Archi-Episcopi, consecrari possunt Episcopi; Sed melius est si ipse cum omnibus, cum qui dignus est elegerit, & cuncti pariter sacraverint Pontificem. Potest idipsum ex Apostolicis Constitutionibus colligi lib. 8. c. 4. in quibus Episcopus à Clero & Populo electus dicitur, *coram toto populo proponi debere ab Episcopo*, qui reliquorum Princeps est, id est, *Archi-Episcopus & Metropolitanus ibidem nominatur; ut nempe respondeat Populus*, & signo quodam & acclamatione iterum consentiat, eundemq; dignum prædicet, ibiq; Principis Episcoporum, seu Archiepiscopi partes describuntur, Divini muneris, in Ordinatione munus implorare, aliaq; id genus exequi.

II. Concilium Nicenum Primùm, declarat *Confirmationem Episcoporum in unaquaq; Provincia à Metropolitano fieri*, & idem clarius c. 4. Si quis absque Metropolitani sententia factus sit Episcopus, eum Magna Synodus definit non esse Episcopum. Similiter decreverunt Laodicenum c. 12. Anthiochenum c. 19. Sardicense c. 6. Carthaginense II. c. 12. Chalcedonense c. 25 & c. 2. Arelatense II. c. 5. Aurelianense cap. 1. &c.

Concilium Regiense Armentarij in Ebredunensem Episcopum ordinationem irritam declaravit, *quod absq; trium Episcoporum præsentia, absque Comprovincialium literis sine Metropolitani auctoritate celebrata esset.*

Innocentius I. epist: 2. c. 1. *Extra scientiam Metropolitani, Episcopum nullus audeat ordinare.* Leo I. Privilegia Metropolitanorum servanda putavit. Ideoq; epistola ad Anastasium Tessalonicensem. *Igitur*, inquit, *secundùm SS. Patrum Canones Spiritu DEi conditos, & totius mundi reverentia, consecratos, Metropolitanos singularum Provinciarum Episcopos, quibus ex delegatione nostrorum, Fraternitatis tuæ cura prætenditur, Jus traditæ sibi antiquitùs dignitatis, intemeratum habere decernimus, ita ut à Regulis præstitutis, nulla, aut negligentia aut præsumptione discedant.*

Hilarius Leonis in Pontificatu Successor ep: 2. c. 1. expressiùs id confirmat. Hoc, inquit, primùm juxta eorundem Patrum Regulas, volumus custodiri, ut nullus præter notitiam, atque consensum Fratris Aciani Metropolitani, aliquatenus conseeretur Antistes, quia hoc & vetus ordo tenuit, & trecentorum decem & octo Patrum definivit authoritas, cui quisquis obviam tetenderit manus, eorum se consortio fatetur indignum, quorum præceptionibus resultat. Deniq; eodem seculo Gelasius, apud Gratianum invehitur, qui Metropolitanorum vel Provincialium jura inordinationibus turbarent, Ecclesiarumq; Privilegia violarent. Ejusdem moris & juris Metropolitani acerrimi assertores & vindices. Joannes III. epistola unica. Gregorius Magnus, multis epistolis, & alij Pontifices pro Metropolitanorum jure ordinandi Episcopos senserunt, & scripserunt.

III. A tempore Bonifacij VIII. quo invectæ sunt in Ecclesiam Sacerdotiorum reservationes, tum Clementis IV, & sequentium Pontificum, qui eum Avenione sederent. Galliæ Episcoporum, ad Romanam Curiam plurimos evocarunt, jus ordinandi Metropolitis passim auferri cœpit, adeò ut tempore Concilij Basilienſis nullum fuisse videretur, quippe quod confirmationes Episcoporum à Romanis Pontificibus probarit, & ad ipsum, ob controversiam de Eugenij IV. summo Pontificatu Placensis Episcopi confirmatio, authore Crantio in Metropolim, quæ antiquitùs ad Gnesnensẽ Sedem spectabat, delata sit.

IV. Eâ causâ, querimoniam & murmur Ecclesiarum olim fuisse profitetur coram Pontifice Eugenio Bernardus de Consider. lib. 3. ep. 4. quod indigne ferrent ordinem antiquitùs statutum turbari, *truncari*, inquit ille,

le) *reclamitant ac demembrari: Vel nulla vel pauca admodum sunt, quæ plagam istam aut non doleant, aut non timeant. Queris quam? subtrahuntur Abbates Episcopo, Episcopi Archiepiscopis, Archiepiscopi Patriarchis sive Primatibus:* Unde & subdit bona ne species hæc? nimirum si excusari queat, vel opus.

V. Equidem non dubitatur, quin juxta definitionem Synodi Tridentinæ Sess. 23. c. 8. *Episcopi qui authoritate Romani Pontificis assumuntur, sint veri & legitimi Episcopi.* Norunt omnes à Sede Petri Episcopatus originem ad nos dimanasse, scimus Metropolitanorum authoritatem ab ipsa Pontificia promanare, antiquos tamen Canones, quorum Sacrosancta est authoritas Archiepiscoporum neglectu aboleri, pleriq; indolent. Confirmationem Episcoporum, ab ipso summo Pontifice, qui cum nulli subditus sit, potest audentiùs nominationes indignorum reprobare, sapientiores ac prudentiores statuere, necessariam hocce tempore cogitant, sed nihil obesse putant, si eum, in quem ipse inquesierit, ad Metropolitanum & Provinciæ Episcopos remittat, renovato etiam examine & repetita inquisitione consecrandum, Antecessorum suorum scilicet exemplo, qui non contenti propriâ inquisitione ad Metropolitanum Episcopum consecrandum iterum rejiciebant, quem etiam de ijs, quæ ad ipsos delata fuerant, nonnunquam monebant, unde & Hormisda Papa ep. 26 rectè monuit: *Facilius Ordinationis vitia evitari, si sua Metropolitanis jura serventur.* Neq; putant decrescere quicquam honoris summæ Sedi, si Metropolitanis ab ipsa constitutis accrescat: Quinimò si quid honoris ipsis impenditur, id totum in Auctores Metropoliticæ dignitatis summos Pontifices recidere, illos Suam Majestatẽ extollere, qui sibi subditam magni fecerint, multum interesse, ut antiquitati debita, firmetur reverentia, qua Novatorum in ejus quotidiè præjudicium, aliquid molientium temeritas rotundatur, Sedis Apostolicæ summis Præsulibus utilissimum Præcessores suos imitari, qui nihil antiquius duxerunt, quàm nota ex prisca consuetudine Ecclesiarum jura, intemerata servare, Statuta Patrum asserere, concessa à Prædecessoribus Privilegia tueri. Copiosè hæc & eruditè Franciscus Hallier Doctor Parisiensis libr. de Sacris Elect: & Ordinat. cap. 4. tit. quibus jus sit ordinandi Episcopos. Ego manum de tabula.

ARTICULUS XI.

Alia documenta Authoritatis & Jurisdictionis Gnesnensis producimus.

PEtrus Secundus Archiepiscopus ob necem Vernerij Episcopi Plocensis.

Joannes III. ob captum Pulkoisium Episcopum Cracoviensem.

Fulco ob Czaplam Scholasticum Plocensem submersum. Idem ob Thomæ Episcopo Vratislaviensi Boguslao Præposito & aliis manus injectas.

Jacobus II. ob Bona & Oppida Episcopo Vratislaviensi adempta & direpta Regnantibus toti provinciæ sacris interdixit.

Jaroslaus in Ecclesia Cathedrali Cracoviensi in Coronatione Ludovici Capitulum Cracoviense & Vicarios, quòd oblationes sibi celebranti debitas usurparent, & raperent, excommunicavit. Quod decretum Archiepiscopale, per Delegatum Summi Pontificis Gregorij Apostolica Authoritate confirmatum fuit Anno 1375.

Idem Jaroſlaus Metropolitani & Primatiali jure (Epiſcopo Cracovienſi in ſtatut. Reg. tit. decimæ, fatente) Eccleſiam Cracovienſem viſitavit.

Idem Semovitum Ducem Maſoviorum Eccleſiaſtico interdicto perculit, pro eo, quod Petratius Chriſtini Palatini Plocenſis Filius bona ejus Eccleſiaſtica in Maſovia vel certè connivente Semovito latrocinio infeſtaſſet.

Joannes de Laſko vigore Legationis & exemplo facultatum Archiepiſcopi Cantuarienſis, feſtum immaculatæ Conceptionis inſtituit. Epiſcopum Vilnenſem viſitavit, multosq; in ejus Diœceſi errores deprehenſos correxit, cauſas fori contentioſi in territoriis Provinciæ Suæ ordinavit, Suffraganeos Epiſcopos in Eccleſia Metropolitana, conſecrari voluit.

Joannes Wężyk Biblia Polonica Gedani ab Hæreticis impreſſa, & Vladiſlao IV. pompose dedicata è Regno Poloniæ proſcripſit, edicto digniſſimo, quod ad publicam & poſteritatis notitiam, hic inſereretur.

Joannes Wężyk DEi, & Apoſtolicæ Sedis

Gratiâ Archi-Epiſcopus Gneſnenſis, Legatus Natus, Regni Poloniæ Primas, & Primus Princeps.

Clero Populoq; Diœceſis, & Provinciæ noſtræ Regni Poloniæ, & Magni D. L. Salutem in Domino ſempiternam.

SAlvator & DEUS noſter CHRISTUS JESUS fundans & conſtituens Eccleſiam ſuam, cum qua uſque ad conſummationem ſæculi ſe futurum promiſit: præter Sacramenta novæ legis & gubernationem Spiritus Sancti, per Principem Apoſtolorum Petrum (pro cujus fide, ut non deficeret, oravit) & illius ſucceſſores, ſacram quoque ſcripturam novi & veteris Teſtamenti, tanquàm doctrinæ cœleſtis fontem & cœleſte depoſitum, cuſtodiendũ ſervandumque in ea reliquit. Cujus quidem cœleſtis depoſiti, tanta ſemper in Eccleſia Catholica fuit Majeſtas, & reverentia, ut illius cuſtodia, non niſi ad Epiſcopos tanquam ad Apoſtolorum Succeſſores, & Eccleſiæ Paſtores pertinuerit, neminique præter Eccleſiæ authoritatem licuerit ſacram Scripturã interpretari, vel ex uno ſermone in alium transferre, ſi enim in veteri Teſtamento, Ozias Rex leprâ à DEO pereuſſus fuit, quod thuris adolendi miniſterium ſibi uſurpaſſet; eidemq; Azarias Sacerdos, unà cum 80 viris fortiſſimis, in faciem reſtitit, dixitq;: Non eſt tui officij Ozia, ut adoleas incenſum, ſed Sacerdotum, hoc eſt filiorum Aaron qui conſecrati ſunt ad hujuſmodi miniſterium. Multò magis in novo Teſtamento, in quo Salvator Apoſtolis ſuis & eorum ſucceſſoribus Evangelium prædicare, & docere omnes gentes mandavit, illisq; ſolis noſſe myſteria Regni DEI, cæteris verò in parabolis, conceſſit, Scripturæ ſacræ cuſtodia & interpretatio, ad Eccleſiam, ejuſque Paſtores & Epiſcopos, ex ipſa Chriſti inſtitutione, Apoſtolorumque doctrina & traditione, pertinere dignoſcitur, ut merito Paulus Apoſtolus, Doctor gentium, Thimotheum Epiſcopum, & in ipſo, omnium gentium futuros Epiſcopos, monuerit, ut depoſitum, ſacram nimirum ſcripturam cuſtodirent, devitantes, profanas vocum novitates, & oppoſitiones, falſi nominis ſcientiæ. Cumque lex depoſiti ſit, ut idem numero reddatur, ut ſi aurum acceperis, aurum reddas, ne plumbum, ne æramenta ſupponas, providendum eſt Epiſcopis, ut ſacrum hoc depoſitum, ſcripturæ ſacræ, & legis Divinæ, argentum & aurum, igne examinatum, imò ſuper aurum & lapidem pretioſum multo pretioſius, illibatum

tum cuſtodiant, ſervent, & præſtent, exemploq; S. Baſilij Epiſcopi, qui Præfecto Valentis Imp. Arriani ſibi ſvadenti, ut Imperatori in nonnullis cederet, reſpondit, ipſi quoque pari libertate & animo ijs, qui ſcripturæ interpretandi poteſtatem ſibi arrogant, reſpondeant: qui divinis ſunt enutriti eloquijs, corumpi de Divinis dogmatibus nec ullam ſyllabam patiuntur, ſed pro ijs ſi ita oportet omnes mortis ſpecies amplectuntur. Intellexit nimirum dudum humani generis hoſtis, nulla re facilius depravationem Scripturæ ſacræ Hæreſumque incrementa ſe conſequi poſſe, quàm ſi libertatem induceret, cuivis ex ſuo ſenſu Sacram Scripturam vel interpretandi, vel in aliam lingvam ſermonemve transferendi, ac propterea à ſecunda fere ætate Eccleſiæ, anno nimirum centeſimo vigeſimo quinto poſt Aſcenſionem Chriſti in cœlum, Aquilã virum excelſo ingenio, ac propterea elato animo, excitaverat, qui Bibliorum ex Hebræo in Græcam lingvam, translationem, quam ſeptuaginta interpretum vocant, annis ferme trecentis ante natum Salvatorem factam animadvertens eam Chriſtum verum Meſſiam Patribus promiſſum confirmare, in dubium vocaret, cujus perverſum exemplum eum poſtea conſequentibus temporibus plures ſecuti fuiſſent, paſſimque omnes licere ſibi exiſtimarent, ex proprio ſenſu Scripturam ſacram ex una lingva in aliam transferre, eoque jam ventum eſſet, ut in re tam ſacra & certa, nulla pene eſſet certitudo; graviſſima ſacrorum Canonum & Oecumenicorũ Conciliorum, ac poſtremo S. Concilij Tridentini, cui etiam Regni noſtri Oratores interfuerunt, authoritate proviſum fuit, veterem & vulgarem, ac à tot ſæculis in Eccleſia receptam & approbatam Bibliorum ex Hebræa & Græca in Latinam lingvam translationem, præ cæteris pro ſacra & Canonica habendam & recipiendam, eamque in rem, contra Typographos qui ſine licentia ſuperiorum Eccleſiaſticorum Scripturæ ſacræ libros imprimere aut venales habere auderent, pœna anathematis & pecuniæ, dudum in Concilio Lateranen. ſtatuta renovata fuit. Quæ cum ita ſe habeant, miramur, & graviter dolemus, Biblia ſacra ſine licentia & approbatione Magiſtratus noſtri Eccleſiaſtici in lingvam Polonicam verſa Gedani nuper anno anno 1633, in officina Andreæ Hunofeldi, impreſſa, palàm circumferri, in quarum verſione & libri aliquot ſacræ ſcripturæ ex induſtria ſunt omiſſi, illi præſertim, ex quibus adverſa Orthodoxæ fidei doctrina convellitur, atque ipſa translatio Polonici Idiomatis cum vulgata latina collata multis in locis depravata cernitur, ut ex collatione Hebraicæ, Græcæ, & latinæ lectionis piorum & doctorum virorum, quibus id negotij dederamus facta, deprehenſum fuit, ut iterum mirari ſatis & dolere non poſſimus, Superattendentes, ut ſe nominant, Evangelicorum in majori Polonia, eo ſuperbiæ & audaciæ progreſſos, ut veteris & vulgatæ latinæ Bibliorũ translationis, ſibi cenſuram aſſumere auſi fuerint, vel certè plus ſapere, melius lingvam Hebræam & Græcam ſcire, vetuſtiores & meliores Bibliorum Hebræos & Græcos codices habere, quàm ſancti Patres, qui tot ſæculis præceſſerunt, quam luminaria Eccleſiæ, Hieronymus, Auguſtinus, Gregorius vel alij dictas lingvas ſcire vel certiores codices Bibliorum, habere potuerunt, ſuprague ipſam Eccleſiam, cujus tanta fuit apud Sanctum Auguſtinum fides, ut Evangelio non crederet, niſi eum Eccleſiæ commoveret authoritas, ſapere, intelligere præſumant. Qui ſanè quod in ſubſidium ſui erroris vel arrogantiæ ſumunt, ſe non novam ſed veterem ut aſſerunt, Breſtenſem Bibliorum editionem, & translationem iterum edidiſſe & recudiſſe, ſcire & meminiſſe deberent, Breſtenſia illa Biblia, & à laudatiſſimis illius temporis Deceſſoribus noſtris Archiepiſcopis, Regni Poloniæ & Magni Duc. Litvaniæ, damnata & reprobata fuiſſe, & Sereniſſimo magnæ memoriæ Regi SIGISMUNDO AUGUSTO cui inſcio dedicabantur, vel potius obtrudebantur, ita diſplicuiſſe,

ut etiam diplomate ſuo anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quinto 8. Octobr. Vilnæ dato ſummo affectu profeſſus fuerit ſe ad defendendam contra Hæreſes Religionem Catholicam, Religioſum ordinem Patrum Societatis JESU, in Regnum Poloniæ recepiſſe. Quorum poſtea operâ curaque contra hæc Breſtenſia Biblia, edita fuere authoritate Illuſtriſſimi, laudatiſſimæ memoriæ Stanislai Karnkowski Deceſſoris noſtri Biblia ex vulgata latina translatione in Polonicam lingvam translata piæ memoriæ Jacobi Wujek ejuſdem Societatis Theologi vocata. Neque eſt quod ſuperattendentis Evangelicorum, vel quisquis ille ſit, authoritatem aliquam biblijs Gedanenſibus additam exiſtimet, quod dedicata ſint ſacræ R. M. Domino noſtro Clementiſſimo, cum ſua Mtas primum quidem Illuſtriſſimo Domino Epiſcopo Vilnenſi cum is pro ſua paſtorali ſolicitudine & vigilantia de eorundem Bibliorum dedicatione ſuæ Mti ſignificaſſet, deinde verò mihi quoque palàm & defertis, verbis reſcripſerit diſerteq; pro Catholici Principis officio profeſſus fuerit, eam Bibliorum dedicationem ſe inſcio contigiſſe: ac propterea nihil inde authoritatis ijsdem Biblijs accedere poſſe, ſcire ſe & profiteri cenſuram & editionem Bibliorum ſolius Eccleſiæ Romanæ & Eccleſiaſtici Magiſtratus eſſe poteſtatis, ſe in Eccleſia Catholica natum, in eadem quoque & vivere & mori velle. Quocirca laudatiſſimis majorum & Deceſſorum noſtrorum Epiſcoporum Regni & Magni Ducatus Litvaniæ veſtigijs inſiſtendo, qui olim Regnante Sereniſſimo Sigiſmundo Auguſto, magnæ memoriæ Rege, Breſtenſium Bibliorum editionem & translationem damnarunt & anathematizarunt. Nos quoque maturo, eâ de re habito cum Illuſtris: DD. & fratribus obſervandiſſ. Archiepiſcopo Leopolienſi & Epiſcopis Regni & Magni Ducatus Litvaniæ, ac multorum virorum doctorum & piorum conſilio, de eorum quoque aſſenſu pro debito Paſtoralis officij noſtri providentes, ne ea quæ ſacris Canonibus & fidei Catholicæ adverſantur, ſilentio approbare, vel ad ea connivere occaſionemque errandi ovibus noſtris præbere videamur, authoritate noſtra Metropolitana & Primatiali, ac à ſacro Concilio Tridentino nobis conceſſa, in DEI nomine, omnibo & ſingulis Chriſti fidelibus utriuſque ſexus, & cujusvis conditionis Regni Poloniæ & Magni Ducatus Litvaniæ incolis, & in virtute S. obedientiæ, ac ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda, Sedique Apoſtolicæ, in Catalogo librorum prohibitorum & Bulla Cœnæ Domini reſervata, diſtrictæ prohibemus, ne librum hunc Bibliorum Gedani in officina Andreæ Hunefeldi, vel alibi lingvâ noſtrâ impreſſum, vel alibi recuſum, legere, retinere, vendere, ſeu cuipiam donare audeant, ſed ſi quis ea habuerit, Parocho, Parochus verò Epiſcopo ſuo, quam primum reddere teneatur. Bibliopolis verò & Typographis omnibus ſub eadem anathematis pœna, arbitrio Illuſtriſſimorum Epiſcoporum, quos, ut præſentes literas noſtras per Parochias publicari ſine mora curent, fraternè rogamus, decernendis, mandamus, ne prædicta Biblia vendere ſive de novo imprimere quovis modo præſumant, ſciantque Bibliopolæ & Typographi, ſe quoad impreſſionem, venditionem, & invectionem librorum, Illuſtriſſimorum Dominorum Loci ordinariorum jurisdictioni antiquitus eſſe ſubjectos, ſecundùm reſcriptum Sereniſſimi olim Sigiſmundi Auguſti Regis, Conſtitutionibus Provincialibus lib. 5. inſertum, cæterum hoc prædicto Edicto noſtro, prohibitorio, Bibliorum Gedanenſium, non intendimus, pacem inter Diſſidentes, de Religione turbare, cum aliud ſit, diſſidiú Religionis, pacis publicæ, & tolerandorum ſcandalorum cauſa tolerare, & permittere: aliud verò diſſidentes, ne in noſtram poteſtatem Eccleſiaſticam ſe ingerant prohibere; in cujus rei fidem, præſentes manu noſtra ſubſcriptas, Sigillo quoque noſtro, conſignari juſſimus. Dat. Lovicij die XXVIII. Menſe April. MDCLXXVII.

Locus (†) Sigilli.

BREVE

De Legatione Natâ.

BREVE APOSTOLICUM,

à tergo

VENERABILI FRATRI, JOANNI ARCHIEPISCOPO GNESN:

Intùs verò

URBANUS PAPA VIII.

VEnerabilis Frater, ſalutem & benedictionem Apoſtolicam. Quod Fraternitas Tua, Biblia ſacra, in Polonicam lingvam, ab Hæreticis converſa, & Anno M. DC. XXXIII. in Andreæ Hunefeldi Officina Gedani impreſſa, edicto vetuit, rem præſtitit, ſedulo & conſtanti animarum Paſtore, digniſſimam, & noſtræ, ac bonorum opinioni, quæ jam pridem apud omnes percrebuit, egregiè ſatisfecit. Gaudemq, eam ob rem, pluribus nominibus, inter quæ illud poſtremũ non eſt, quòd cæteri Epiſcopi, quibus aſſidua cum Catholicæ fidei hoſtibus eſt concertatio, tam præclaro Fraternitatis Tuæ exemplo excitati, atq; erecti, quæ muneris ſui erunt fidentius, ac fortius, adverſus illos obire, non pertimeſcent. Ita Divina Clementia Tuos atq; eorum conatus, ad felicem exitum perducat, & hoc promeritum, uberi ſuorum donorum collatione, remuneretur. Fraternitati Tuæ, peramanter benedicimus. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub annulo Piſcatoris die 29. Julij MDCXXXIV. Anno Pontificatûs noſtri XI.

Franciſcus Herrera.

Idem Joannes Wężyk, Sancta Crucio Cardinale, Mathias Lubinſki, Phillonardo Nuncijs Apoſtolicis, è Regno diſcedentibus, Legationis Natæ munus, & jurisdictionem, exercuêre.

II. Hac occaſione, de Internuncio annotamus, quem in anno M. DC. LXXVI. Nuncius Apoſtolicus Mareſcottus, (qui nunc Cardinalis) Varſavia excedens, nunquã audita, neq; uſitata, in hoc Regno praxi, ſubſtituere attentavit. Privatas ejus rei, tam offenſiones Mareſcotti, quàm tolerantiæ Prazmovij Archiepiſcopi, illo temporis cauſas, invidiosè referre omitto, ſed Rex Michaël Internuncium obtruſum agnoſcere recuſavit, acceſſum petenti, negavit, Advocatis ne coram eo cauſas tractarent, per Mareſchalcum Curiæ, Joannem Clementem Branicium, ſeverè inhibuit. Epiſcopi Varſaviæ tunc præſentes, primario motore & Scriptore epiſtolæ, Epiſcopo Cracovienſi, ad ſummum Pontificem, publico Collegij nomine ſcripſimus, & Internuntio reclamavimus. Primas Ipſe Nicolaus Prazmowſki recollectior, & Epiſcopos contra Internuncium idem ſentientes, animadvertens, facti ſui pœnitentiâ ductus, literas à Collegio Epiſcopali, & Comitiis Generalibus Regni, ad Suam Sanctitatem datas, ſubſcripſit.

III. Receptum more eſt, ut Nuncij Apoſtolici Regnum Poloniæ ingreſſi, antequam facultates ſuas explicent, & jurisdictionem in cauſis Eccleſiaſticis exercere incipiant, præ primis Breve Pontificium, Legationis ſuæ, Regiæ Majeſtati, & ſeorſum ſpecialia Brevia Regni Miniſtris, & Senatoribus, Eccleſiaſticis & Secularibus, ad latus Regium reſidentibus præſentent, atq; ſic decenter obtineant facultatem, à Rege, aperiendi Tribunalis Nunciaturæ. Quæ conſuetudo jam amitteretur, ſi jurisdictio ſucceſſiva, nec interpolata à Nuncio ad Internuncium

cium, ab Internuncio ad Nuncium, velut per manus traderetur & continuaretur, ſine licentia & cum derogatione Regiæ dignitatis. Indecorū etiam, ac magni præjudicij Epiſcopis & Prælatis Poloniæ viſum, à Laicis perſonis, quales Sarteſchius & Grapius, prætenſi Internuncij erant, eorumq; ſub nomine abſente Nuncio Apoſtolico, Epiſcopali charactere veneranda judicari: Laicos, vicarios Epiſcoporum non poſſe creari, nec eis cauſas Spirituales committi debere. Piaſec: in praxi lib. de Judiciis cap. 4. num: 7.

IV. Neq; prævalent allegata exempla Internuncios alibi decedentibus Nunciis, ſtatione ſua libere relinqui. Diverſi enim Aularum gentiumq; mores ſunt, diverſa motiva Principum, & ſtatuum, ut hæc & illa permittant, alia prohibeant. Nunciaturæ aliter ſe habent in Hiſpania, aliter in Gallia, in Germania, in aula Cæſarea, Polonia, Sabaudia, Venetiis, Florentiæ, diverſis prærogativis majoribus ſeu minoribus prout uſus fert, fruuntur.

Ferebatur inſuper vox, poſſe Internuncium in Polonia introduci, ſuffecturum loco Nuncij, ſumptibus Cameræ Apoſtolicæ diminutis.

Poſt ereptum è vivis Prazmovium, & mox Czartoriſcium Archiepiſcopos, cum Nuncius Bonviſius è Regno migrans, Internuncium ſtabiliret: Joannes III. feliciter regnans, exemplo Michaëlis, Authoritatem Regiam, per ſupremum Regni Theſaurarium Andream Morſtinum oppoſuit. Andreas Olſzowſki Archiepiſcopus, ad univerſum Provinciæ ſuæ Clerum edictum publicavit: tenoris talis:

ANDREAS OLSZOWSKI, DEI & APOST: SEDIS GRATIA ARCHI-EPISCOPUS GNESNENSIS, LEGATUS NATUS REGNI POLONIÆ, & M. D. L. PRIMAS, PRIMUSQUE PRINCEPS.

UNiverſo clero ſeculari & Regulari, per & intra Regnum Poloniæ, & M. Duc. Litv. Fratribus chariſs. & obſervandiſs. nobis in Chriſto dilectis, ſalutem in Domino.

Innotuiſſe haud dubiè exiſtimamus, fraternitatibus veſtris, quod etiam nos per præſentes innoteſcere facimus, Illuſtr. & Reveren. Dominum Franciſcum Bonviſium, Archi-Epiſcopum Teſſalonicenſem, Nuncium hactenus cum facultatibus de latere Apoſtolicum acceptis S. D. N. Clementis X Papæ mandatis, Viennam ſe conferre, atque jam Varſaviâ die ſecunda menſis currentis profectum Regni Poloniæ fines hiſce diebus exceſſurum, vel exceſſiſſe. Quo caſu abſentiæ memorati Nuncij Apoſtolici cum ad nos Archi Epiſcopum Gneſnenſem Legatum natum, vigore jurium noſtrorum, & antiqui ac continui pacificique uſus jurisdicendi authoritas & jurisdictionis in hac Provincia Apoſtolicæ exercitium ſpectet, conveniens diximus fraternitatibus veſtris intimare, nos ea quæ muneris noſtri ſunt, & quæ præclaræ memoriæ Anteceſſores noſtri Archi-Epiſcopi Gneſnenſes, authoritate & jure Legationis Natæ, exercuerunt, pariter exercere velle ac debere, præmiſſis itaque ad Illuſtriſſimos & Reverendiſſimos Epiſcopos Confratres noſtros, atque ad Sedium vacantium Adminiſtratores, ſeorſivis literis noſtris, Fraternitates præſenti edicto noſtro hortandas

tandas duximus, prout hortamur, ut in omnibus judicialibus cauſis, controverſijs, & actionibus ſuis, quocunque modo vertentibus etiam in Nunciatura, inchoatis, & pendentibus ad Nos & Tribunal noſtrum recurſum habeant, quibus juſtitiam adminiſtrare in loco reſidentiæ noſtræ, parati & obligati erimus. Non obſtante exemplo, quod in ſequelam trahi minimè poteſt, tolerantiæ, unius duntaxat Archi-Epiſcopi Gneſnenſis, piæ memoriæ Nicolai Prażmowski, ex certis ejus privatis motivis, quandoquidem inaudito ad id tempus in Polonia Internuncij nomini & tentamento, non ſolùm voce reclamavimus, ſed etiam publicâ epiſtolâ ad S. D. N. Clementem X. à Collegio Epiſcoporum in Comitijs Varſavienſibus Congregatorum ſcriptâ, quæ ab ipſomet præmemorato Nicolao Archi-Epiſcopo cum aliis ſubſcripta fuit, de non inferendo præjudicio, humillimè ſupplicavimus. Pluribus rationes, contra novitatem Internuncij, ex quibus, per dignitatem S. R. Mtis, per ſtatum Regni, ordinisque noſtri Epiſcopalis, ac Eccleſiaſtici, per antiquiſſimam Archi-Epiſcopi Gneſnenſis, Legati Nati, prærogativam, practicari in Polonia non poteſt, inſcripto Romam miſimus, & multis communicavimus. In quorum fidem, ac robur, præſentes manu noſtra ſubſcriptas, ſigillo Noſtro communiri & publicari mandavimus. Datum Skiernievicijs.

ANDREAS Archi-Epiſcopus Gneſnenſis.

V. Pro Coronide, nuperam ad me Reſponſoriam, præſtantiſſimi & humaniſſimi viri Domini Gilberti Cantuarienſis, Archiepiſcopi, publico donandam, jure merito exiſtimo.

Quam primum de Privilegiis antiquis Eccleſiæ Cantuarienſis, præſertim Legationis Natæ, ab Illuſtriſſima & Reverendiſſima Dominatione Veſtra quæſitum fuerat idoneis quibuſdam in mandatis ſtatim dedimus, ut Archiva & vetuſtiora ſedis noſtræ monumenta conſulerent. verùm eum ejuſmodi ferè omnia, non tantùm Injuriâ temporum, ſed etiam malitiâ nequiorum hominum, aut conſumpta, aut diſtracta, non amplius compareant, difficilior & eò tardior erat inquiſitio, reſponſione autem noſtrâ utcunq; tandem parata, Illuſtriſſimæ & Rndiſſimæ Dominationis V. Literarum lator, ſpem noſtram longius fefellit, ille namque diutius ſpectatus, hucuſq; non rediit, adeo ut de alio quærendo neceſſariò nobis proſpiciendum foret, itaq; in mora eum hæc fuerint, ne exiſtimet Illuſtr: & Rdma D. V. nos aut amicitiæ & benevolentiæ officio interim defuiſſe, aut defuturos fore, rogamus & obteſtamur, licet enim ignoti, (ut Illuſtriſſimæ & Reverendiſſimæ Dominationis Veſtræ verbis utamur) tantòque terrarum & maris ſpatio divlſi agamus, in Religionis inſuper negotio non prorſus conſentientes (quod unicè dolendum, cuique calamitati ut DEus ſuo tempore, finem aliquando det, ipſum quotidiè veneramur) eâdem tamen coniuncti, vivimus humanitate, affectuq; (uti ſperamus) erga nos invicem eo ſumus, qui inter Chriſtianos omnes, Præſules præſertim, eſſe debet fraternus. Accipiat ergo ſi placet Illuſtriſſima & Reverendiſſima Dominatio Veſtra, hanc quæ ſequitur notitiam, Sedis noſtræ Cantuarienſis, ejuſque Privilegiorum.

Ec-

Ecclesia Britannica, quanquam ab Apostolis ipsis, aut saltem viris Apostolicis, sub primis Evangelij initiis fundata, per plura exinde secula, nulli peregrinæ jurisdictioni subdita, certissimo præscriptionis jure, nec non Synodi Nicænæ & Ephæsinæ decretis Αυτονομίας sibi vendicet, unde ejusdem Primates, pari potestate, Diœcesi suæ præerant, quâ alij quicunque, sive Orientis sive Occidentis, Patriarchæ fruebantur; tamen si quidem de Privilegiis à Romana Ecclesia Sedi Cantuariensi concessis unicè inquiratur, & speciatim, quibus auspiciis, Archiepiscopus Cantuariensis Legatus Natus audiat, dicendũ videtur; Jus illud, à Gregorij II. temporibus repetitum, epistolâ verò Formosi Papæ (quæ passim extat) agnitum esse & confirmatum, is enim ad Angliæ Episcopos scribens hæc habet: Quiinter nos Principatum tenere debeat, quæve sedes Episcopalis, cæteris præpolleat, habeatque Primatum, ab antiquis temporibus notissimum est, nã ut ex scriptis B. Gregorij ejusque Successorum, tenemus, in Doroberniæ civitate, Metropolim, sedemq; primam, Episcopalem constat esse Regni Anglorum, cui Ven: Frater noster Pleimundus nunc præesse dignoscitur, cujus honorem dignitatis, nos nullo pacto imminui permittimus, sed ei vices Apostolicas, per omnia gerere mandamus, & sicut Gregorius Papa, primo vestræ Gentis Episcopo Augustino, omnes Anglorum Episcopos, esse subjectos constituit, sic nos prænominato Fratri Doroberniæ, sive Cantabriæ Archiepiscopo, ejusq; Successoribus legitimis, eandem dignitatem confirmamus, manentes & Authoritate DEi, & B. Petri Apostolorũ Principis præcipientes, ut ejus Canonicis dispositionibus, omnes obediant: Et nullus eorum, quæ ei suisq; successoribus, Apostolica authoritate concessa sunt, violator existat. Si autem quivis hominum, contra hæc aliquando niti, ac imminuere ista tentaverit, sciat se procul dubio mulctandum fore, gravi anathemate, & à corpore S. Ecclesiæ, quam inquietare molitur, perpetuò, nisi resipuerit, separandum. Hinc factum, ut cum postea Legati, in Angliam Româ mitterentur, Henricus I. Angliæ Rex, unà cum Episcopis se opposuerit, provocans (ut verbis Baronij utar, in anno 1117.) ad antiqua Privilegia, quod Cantuarienses Archi-Episcopi, fungerentur Legatione Sedis Apostolicæ, ex privilegio S. Gregorij Papæ, ei concesso: ob idque diceret, in Angliam alium non esse mittendum Legatum, sed satis esse debere, vice Pontificis Romani, esse ibi semper Legatum, ipsum Cantuariensem Archi-Episcopum. Quæ vario eum successu, deinceps agitabantur, prout Reges Angliæ, Pontifices Romani, & Archi Episcopi Cantuarienses, animis, opibus, ingenio, & gratia aut valerent, aut destituerentur, donec tandem ab Henr. 8. jurisdictione omni in Anglia Romanus Pontifex exueretur. Jura verò & privilegia, quibus Sedes Cantuariensis, perpetuis temporibus, hucusque gavisa est, & etiamnum gaudet, ita se habent. Totius Angliæ Primas, & Metropolitanus audit: primus Regni, par Proceribus quibuscunque, nisi ex prole Regia, superior: titulo clementiæ insignitus. Regem in Coronatione inaugurat, Episcoporum sibi subditorum Electiones confirmat, & eorundem consecrationi præest, illorum in regimine Episcopali errata, & negligentias corrigit, ijsque infirmis, coadjutores assignat, Provinciales Synodos convocat, convocatas moderatur, ultimum in ijs fert suffragium: appellationes admittit, ab inferioribus judicibus, etiam omisso medio, per totam provinciam, etiam potestate visitatoriam exercet: vacante quavis Sede Episcopali, custodiam habet Ecclesiasticæ jurisdictionis ad eam spectantis. Ex prærogativa habet, ut approbet & insinuet testamenta, concedat ab intestato, succedentibus, administrationes bonorum, cujuslibet, habentis mortis tempore, in diversis Provinciæ suæ

Diœcesi-

Diœcesibus, vel jurisdictionibus bona notabilia: literas tuitorias concedit, per quas ei, qui appellaverit, absque molestia, interea ei exhibenda, appellationem suam prosequi liceat. Dispensat cum valetudinarijs, puerperis, lenio confectis, aut ægrotis, ut carnibus, in jejunij solennibus vescantur, cum nupturis, ut matrimonium celebrent, temporibus & locis, ex jure communi interdictis. In causis beneficialibus, præstat, ut irregularitas absque dolo malo contracta, & simoniacus quandoque ambitus, aboleantur: ut beneficium vacans fiduciario titulo (quem commendam vocant) ad tempus vel durante vitâ, concedatur. Beneficiatus ad aliquod tempus (ob idoneam aliquam causam) residere non teneatur. Laicus literis operam navans, præbendam, Presbyter, duo beneficia curata possit retinere: Denique penes eum est, in omnibus causis, verbo DEI non repugnantibus, & in quibus à Curia à Romanâ dispensatio obtineri solet, Canonum gratiam facere & in ijsdem dispensare. Quæ jura & privilegia non modo, in se prorsus notoriâ praxi continua, immemorabili consvetudine, Canonum sacrorum decretis, & usu fori vigent, sed eorũ pleraque, legibus Regni municipalibus, sancita & confirmata existunt, ita ut de ijs lis nulla, aut controversia moveri possit.

Hæc sunt quæ de jure & privilegijs Ecclesiæ Cantuariensis sub titulo Legationis Natæ (quatenus de ijs apud nos aliqua supersunt vestigia) ad Illustrissimam & Reverendissimam Dominationem Vestram transmitti curavimo. Faxit DEUS ut in Ecclesiæ, & Reverendissimæ & Illustrissimæ Dominationis Vestræ commodum cedant, & honorem.

Interea valeat clementia vestra, vosque sospitet Divina benignitas, omnique felicitate coronet, animitus apprecamur. Datum ex Palatio nostro Archi-Episcopali, de Croidon 11. Augusti. Anno 1676.

De Archiepiscopi Gnesnensis Primatu.

CAPVT III.

I.

PRIMATUS Nomen, magnæ & antiquæ dignationis, ab ipso Filio DEi splendidissimè insignitum; qui *caput corporis Ecclesiæ, ipse Primatum tenens.* Ad Colos. 1. *In omni populo & in omni gente Primatum habuit.* Ecclesiast: c. 25.

II. In Romana vetere Monarchia Primates erant, Primarij Magistratus, in Provincijs. *Primates legis seculi, prima judiciaria potestas, ad quos qui per reliquas civitates commorabantur, quando eis necesse erant, qui ad aulã Impetatoris, vel Regum confugere non poterant; vel quibus permissũ non erat, confugiebant pro oppressionibus, vel injustitiis suis, ipsosq; appellabant, quoties opus erat: sicut in lege eorum præceptum erat.* tex: in c. Provinciæ n. 1. dist: c. 99.

III. In Christiano orbe, & Regnis Catholicis, ab invectâ statim vera Religione Primates instituebantur. Ita B. Petrus & ejus successores, in omnibus Provinciis, seu Regnis, in quibus Christi fides promulgata & acceptata fuit, Patriarchas, seu Primates posuerunt; qui Episcopis & Archiepiscopis præessent. *cap. Urbes dist. 80.* Ubi sic Lucius Papa. *Urbes*, inquit, *& loca, in quibus Primates præsidere debent, non à modernis sed multis ante adventum Christi temporibus statuta sunt; quorum Primates, Gentiles etiam pro majoribus negotijs appellabant. In ipsis verò Urbibus post adventum Christi, Apostoli & eorum successores, Patriarchas & Primates posuerunt, ad quos Episcoporum negotia,* (salvâ tamen in omnibus Apostolica auctoritate) *& majores causa*

causa post Apostolicam Sedem sunt referendæ. & in cap. 1. 80. dist in c. in illis. 80. dist. In verbis. *In illis civitatibus, in quibus olim apud Ethnicos primi flamines eorum, atq; primi Legis Doctores erant, Episcoporum Primates vel Patriarchas, Beatus Petrus poni præcepit; qui reliquorum causas Episcoporum, & majora negotia in fide agitarent.*

IV. Quoties gens nova aliqua ad fidem convertitur, in tanta multitudine; ut opus habeat Primate, seu Patriarcha, ille de novo creandus est, ut jubet tex. in cap. Nulli. dist. 99. Ea de causa in Æthiopia, creatus fuit novus Patriarcha Nonnius Barretus, & eo demortuo, Andreas de Oviedo, uterque Societatis JESU; & alij.

Primatibus autem seu Patriarchis, post Romanum Pontificē, & Cardinales, quibus universalis Ecclesiæ administratio ex officio incumbit, majores & ampliores Sedes, tanquam capita Provinciarum, pro gubernatione sunt assignatæ tex. in cap: cum sequentibus. 80. dist. & in cap. 1. 99 dist. Et semper in Primariis urbibus, & Regio splendore claris, collocatæ fuerunt. Asor. lib. 3. c. 36. Barbos. tit. 1. c. 5. & plurimi DD.

V. De Patriarchis & Primatibus, an eorum dignitates nomine tantū diversæ sint, vel etiam re, quærunt DD. sed plures sentiunt, licet duo hæc nomina diversa sint, re tamen idem esse officium, eandemq; potestatem habere, juxta c. 1. 99. dist. in verbis. *Primates & Patriarchæ diversorum sunt Nominum; sed ejusdem officij. &c.* & ita promiscuè, aliquando appellantur Patriarchæ; aliquando Primates. cap. Nunc verò, juncta subscriptione, ibi. *Biturienſi Archiepiſcopo*, & ibi. *Galterio Patriarchæ 9. q. 3.*

Apud Latinos frequentius dicuntur Primates, qui apud Græcos vocantur Patriarchæ; iidem tamen sunt; *Asor. par. 2. lib. 3. c.* 35. Primates, Patres sunt Archiepiscoporum, & Episcoporum id. ib. c. 35.

Metropolitanus Primatem consulit. cap. de Concil. d. 18. & ob Metropolitani negligentiam, ad Primatem jure devolutionis causa defertur. c. Cum simus. 9. q. 3. Cum aliquis de Metropolitano conqueritur, tunc Primatis est judicare. c. Si Clericus 11. q. 1.

VI. Primatiali nomine & dignitate censetur, in Germania, Archiepiscopus Magdeburgensis; qui auctoritate in Imperio, antequam Electores crearentur, tam Ecclesiastica, quàm Politicâ præeminebat. Nunc jam Salsburgensis. In Hispania Toletanus, in Gallia Biturienſis, in Anglia Cantuariensis, in Ungaria Strigonienſis, in Scotia, S. Andreæ, in Suetia Vpsalensis, in Polonia Gnesnensis Primas, sine controversia, ut de eo loquuntur Sebastianus Cæsar, disp. 4. §. 3. Asor.

VII. Originem Primatus Poloniæ, Dlugossus, & Cromerus tribuunt; Nicolao Archiepiscopo Gnesnensi, in Concilio Constantiensi. Anno 1416. sed Cromerus Dlugossum auctorem secutus, errorem suum agnovit; & in eundem Dlugossum rejecit; cum longè ante Nicolaum, & Concilium Constantiense, Archiepiscopi Gnesnenses Primates fuerint & Primatiali jure Reges coronaverint: quod ipsemet Dlugossus histor. Polon. par. 2. fol. 176 asserit: his verbis. *Statim in primæva fundatione, Archiepiscopatuum Gnesnensis & Cracovienſis, & septem Episcopatuum, Gnesnensi Ecclesiæ à Miecislao tributum, ut superior esset, & apud illam decus Primatiale consisteret.*

Clarus idem testatur, Statutum Calimiri Magni, anno 1369. Constantiensi Concilio antiquius, tit. Decimæ. fol. 132. lb. *Jaroslaus Gnesnensis Archiepiscopus. Boguria dictus, auctoritate Metropolitica ac Primatiali, visitans Diœcesim Cracovienſem.* Et Stanislaus Carncovius pag. 15. Cum Reipub: simul Christiana Poloniæ, & è visceribus ejus natus, Archiepiscopi Primatus, perpetuò jus suum, in Interregnis præsertim obtinuit.

VIII.

VIII. Valuit viguitque, hæc inclyta dignitas Primatûs Gneſnenſis Principum reſcriptis ornata, legibus corroborata, omnium conſenſu & reverentiâ, ſtabilita & inconeuſſa, nec ea quiſquam (verbis Stanislai Carncovij de Primatu pag. 15.) ullo unquam tempore convellere, vel debilitare, tentavit, licet eſſent nonnunquam Archiepiſcopi, non uſquequaque Senatui, vel populo, vel Ordinibus grati: donec exorta Lutherana hæreſis, permultos ex Senatu, & Nobilitate, in pravum & turbidum detorquens, ſub interregno Auguſti Regis, injecit illis audaciam, ut Archiepiſcopum Gneſnenſem, Iacobum Uchanſeium magno conatu impeterent.

IX. Arripuêre anſam, Firleij, Radivili, Goreani, (Gorcanorum teſte Piaſee: fol. 67. tantæ opes erant; quòd licet plures locupletiſſimi in Regno Poloniæ, qui legiones alere poſſent, numerarentur; nullus tamen eorum opulentiam æquavit) alijque Proceres Acatholici, major & validior in Senatu pars, quod Archiepiſcopus in edicto quodam, ſub interregno, imperioſo uſus fuiſſet verbo; *mandamus*. Hinc maximâ animorum contentione atque odio, jus Primatis oppugnari, fœdusque inter diſſentientes, de Religione agitari cœptum. Primatem eſſe Archiepiſcopum, Cleri potiùs; quam Regni, vel Senatûs, clamitabant. Imprimiſque Caſimiri decretum jactabant; quo, ne quiſquam Epiſcopus, ſine permiſſu Regio, aut Senatûs, Legationis Pontificiæ munus, aut dignitatem Cardinalitiam aceiperet, cautum eſſet. non ſine magnis cauſis, à Majoribus vetitum id fuiſſe, ne in æquo omnium jure, Regiam, vel ſanctiorem, majoremve Regiâ, poteſtatem quis uſurparet. Obtendebant periculum libertati & ſtatui, ne Primas primus Prineeps, & Interrex omne jus Regium, per Interregni tempus, ad ſe traduceret; quod ſi fieret, Regia authoritate Senatoribus ipſum imperaturum; depoſiturum poteſtatem quando liberet, daturum Regem quem vellet, multaque alia fortaſſis abſurdiora, quæ more ingenij humani, libido dominandi paulatim irrepens, ſemelque admiſſa, hominibus permitteret.

X. Archiepiſcopus contra animosè & ſtrenuè, quà voce in Senatu, quà ſcripto edito, dignitatem & jura Primatus ſui tuebatur. Extat manifeſtatio, ad acta Regia Caſtri Varſavienſis porrecta, in hunc fermè ſenſum.

Inter alia diſſidiorum licentiæque argumenta, non poſtremam hanc, poſt mortem Regiam, ab hominibus turbulentis, ad miſcendas turbandasque res, controverſiam excitatam; quâ morte Regiâ, poteſtatem authoritatemque Magiſtratuum ceſſare; ſeu ſublatos potiùs Magiſtratus omnes, per interregnum è Repub. vellent. Primatum quidem ſuum meritò extra invidiam eam eſſe debuiſſe; neque enim quemadmodum à malevolis, in vulgus ſpargitur, Regiam aliquam poteſtatem tanquam interregem ſe uſurpare: quamvis nè Regia quidem poteſtas certis legibus & jure circumſcripta, gravis cuiquam eſſe poſſit: multominus Primatis, cujus poteſtas vacante throno Regio, non abſoluta, vel ſumma; verum ex univerſi ſenatûs authoritate pendens, ut nihil in ea vel ſuſpectum, vel invidioſum eſſe poſſet. Verum ab eo oppugnando, initium facere illis viſum; quo convulſo, reliqui Magiſtratus ſimul omnes facilius conciderent, ſummaq; omniū rerum diſſolutio in Rempublicam inveheretur. Ante omnia & veteres res animo repetenti, & præſentem omnium Regnorum Chriſtianorum ſtatum inſpicienti, nemini dubium eſſe poſſe; nullum unquam Regnum, aut Rempub. fuiſſe; in qua non Prineeps aliquis Senatûs, gentilibus quidem temporibus profanus; Chriſtianis autem, Eccleſiaſtici plerumq; ordinis fuerit, qui Cæſaribus aut Regibus mortuis, vel abſentibus, partim eorum munere fungeretur; partim ad conſilia publica Senatui reliquiſq; ordinibus Dux authorque eſſet.

Simili ratione, quamprimùm Religionis Chriſtianæ ſplendor, Miecislao

primo illuxit, ab eodem primus locus, & Primatialis quædam authoritas, attributa eſt Archiepiſcopo Gneſnenſi: ut exinde non ſedis tantùm Metropolitanæ; ſed Regni totius Primatum fundatione, & beneficio ſupremi Poloniæ Principis obtineret.

Primatialis authoritas, memoratur in ſtatuto Caſimiri magni, anno tit. Decimæ, in compoſitione decimarum per Iaroslaum Boguriam, Archiepiſcopum Gneſnenſem, arbitrum inter Dominum Caſimirum Regem ab una, & Bodzantam Epiſcopum Cracovienſem ab altera, partibus, ubi illud eximiũ in verbis: Rex aſſidens, arbitranti Archiepiſcopo Gneſnenſi, ſecũ unà ſtatuit.

Idem Caſimirus magnus in altera compoſitione de decimis, inter Archiepiſcopum, & majoris Poloniæ Nobilitatem, eundem Archiepiſcopum primum Regni ſui Principem appellavit; qui non ſacræ, ſed profanæ Reipub. titulus eſt: ut nempè inter Majores Senatores, qui Principum loco ſunt, atq; in ſtatutis & confœderationibus Principes ſcribuntur, nec non præ ipſis feudalibus Poloniæ, imò etiam ſangvinis Principibus, Maſoviæ & Ruſſiæ Ducibus, Archiepiſcopus Gneſnenſis primus Princeps audiret, excelleretque: & non vano titulo; ſed re ipſa primã poſt Regẽ authoritatẽ, poteſtatẽq; haberet.

XI. Antefertur Archiepiſcopo Gneſnenſi, primo Principi ſcipio, Regium in morem, neque cuiquam, niſi ipſi Regi ſubmittitur, Regni vel curiæ Mareſchalcis Regium attollentibus; quorum ſi nullus adſit, Archiepiſcopi Mareſchalcum, etiam ipſi Regi, quod non ſemel noſtra ætate accidiſſet, ſcipionem præferre: quod certè non levis alicujus ceremoniæ; ſed juris dignitatisque Archiepiſcopi documentum eſt, quid enim præſtantius, quàm Regio inſigni primum Principem honorari?

Archiepiſcopi perſona adeo ſacra & lege publica vallata eſt; ut coram Archiepiſcopo contumelioſiè aliquid, quamvis in alios proferentes, vel gladiũ ſtringentes, certis pœnis irrogatis mulctentur. Quod jure communi Regni ſacroſanctum eſt, non propter Archiepiſcopum uti privatam perſonam ſuſtinentem, vel in ſua angulari reſidentia conſiſtentem, ubi ab omnibus ſuis domi honoratur; ſed propter ipſam Rempub. cujus intereſt, habere tantæ auctoritatis virum, quem ne verbo quidem lædere fas ſit, utque eo præſente pax & ſecuritas, tanquam penes Principem obſervetur, nam lex inquit. Ubi Princeps, ibi ſecuritas.

XII. Soli Archiepiſcopo, ut per Procuratorem, fidei tantum literis ei tributis, in quocunque jure ſtare, juramentum etiam præſtare, tranſumpta literarum vel actorum ad Rempub. ſpectantium manu ſua ſubſcripta, & ſigillo munita, ad probationem autenticam extradere (quod ſoli Reges obtinent) poſſit, per privilegia ſpecialia conceſſum, uſuque confirmatum eſt, eidem ſoli ut ipſe tantùm Reges Reginaſque inauguret.

Quodſi coronandi Reges poteſtatem habet; quanto magis eum conſilio & conſenſu Senatûs, Electionem indicendi, eandemq; adminiſtrandi, & Regem Electum nominandi, quomodo enim Coronaturus ſit eum, de quo, an ritè Electus ſit, ei non conſtaret.

XIII. Extant in Archivo, & in Annalibus ac Tabularijs, vulgò actis Metricæ, Regum Electiones, quæ indictis ab Archiepiſcopis, ex Senatus conſilio Comitijs Electoralibus, feliciter liberis omnium Ordinum ſuffragijs, peractæ & publicatæ fuerunt. Vetera nonnulla Tabularia, quibus Magiſtratuum munia deſcripta ſunt, in poteſtate Archiepiſcopi; tanquam Primatis & Principis Senatûs abſente Rege Comitiorum indictionem, Senatusq; convocationem eſſe profitentur, imò præſente etiam Rege, vocare poteſt Archiepiſcopus Senatum; quod jus conſvetudo comprobavit. Ibidemque de officijs Regni ſcribens: officia, inquit ſingulorum hæc ſunt. Mareſchalcus: qui eſt, Magiſter

ſter aulæ Regiæ, & adminiſter publici conſilij, penes quem jus eſt convocandi Senatum juſſu Regis, vel Primatis.

Multa item quæ ſummi Regijque juris ſunt, ab Albertanis præſertim temporibus, ut vacantium dignitatum collatio, res judicatæ, earumque executio, militis in Reipub. fidem & uſus autoratio, damnatorum reſtitutio, aliaque ejus generis non pauca, ſub ſolius Cardinalis Friderici tum Archiepiſcopi titulo, cum generali ſaltem clauſula: Nos cæteriq; Prælati Senatoresque, etiam cum verbo mandamus, adminiſtrata, in tabulario Regni reperiuntur. Si Rex Comitia intra legitimum tempus indicere ceſſet, ne quid negligentia Regia Reſpub. detrimenti capiat, Archiepiſcopo aliorum Senatorum conſilio, conſenſuque adhibito, ea indicere, eundem fide publica, contra infeſtum Regem, ad ſiſtendum ſe juri in Comitijsque, cavere eam implorantibus poſſe, quis vel ignorat, vel tam averſus à commodis libertateque publica eſt; ut negare audeat? quodſi vivo præſenteq; Rege, Comitia indicere poteſt; quantò magis nullo Rege exiſtente.

XIV. At libertati publicæ periculum à poteſtate tanta illius eſſe poteſt! quæ quæſo affectati Regni ſuſpicio, in Archiepiſcopum cadere poteſt? cui crux magis quæ illi præfertur, quam Regni Inſignia, conveniunt: quiq; ſi honeſte, ſalvaque Repub. ac dignitate ſua poſſet, vel hoc ipſo onere verius, quam honore vacare mallet. Neque enim Archiepiſcopus ullius eo eget, cui ut ſacris rebus ſtudijſque conſecrato, nihil otio quieteque optabilius eſſe poteſt; ſed Reſpub. Quodſi Reſpublica ſine eo eſſe non poteſt, mortuoque Rege, certo utique aliquo conſilij publici authore opus illi eſt, facile quivis ſtatuere ſecum poteſt, ſacrine an profani Ordinis homo, citiùs Rempub: opprimere, in poteſtatem Regnum redigere valeat. Ad me quod attinet, annorum jam ſatur, temporum etiam, in quæ perverſiſſima incidimus, tædio ipſius vitæ, maximè autem pompæ omnis pertæſus, utinam honeſtè curis moleſtijſq; ijs, quas munus hoc ſecum fert, abdicare me poſſem. Sed cum jus à Majoribus ad me tranſmiſſum, ſine inſigni ad poſteros nota deſerere non poſſim, quemadmodum hactenus quantum in me fuit, tutatus id fui; ita in poſterum quoque tutandum mihi eſt: non ita tamen; ut ad vim ullam deſcendere ob id velim, publico veſtrum omnium judicio rem permitto. Si Reipub. Mtisque, ſecuritatis denique ejus intereſt, tum majoris etiam Poloniæ univerſæ, cui non minus dignitas hæc periret; quàm Archiepiſcopo: juvate me contra eos, qui non tam me; quàm per latus meum Rempub. dignitatemq; ejus, atq; omnium adeo Magiſtratuum jura oppugnant. Quodſi ab alijs, quemadmodum hactenus factum fuit, oppugnabor; ab alijs à quibus minimè debeam, deferar: ſatis mihi erit, in me nihil Reipub. defuiſſe, publicè teſtificari, quemadmodum quidem, quod veſtrâ omnium bonâ venia, & pace mihi liceat, teſtificationem hanc meam in acta publica referendam curabo.

Rem poſtremo ita compoſitam refert Reinholdus Heidenſtenius Luteranus, temporum illorum gravis ſcriptor, lib. 1 fol: 21: ut indicendi poſt mortem Regis Conventus, Regis etiam ipſius, ex Ordinum ſententia prodendi & coronandi, Archiepiſcopo, poteſtate confirmatâ, Mareſchalco publicè ejus renuntiandi, poſtquam ab Archiepiſcopo ex publica authoritate proditus jam eſſet, jus relinqueretur.

XV. Coronandi Poloniæ Reges jus & authoritatem, à Condito Regno penes ſolos Archiepiſcopos Gneſnenſes, ſemper fuiſſe, certò certius habetur, à Boleslao Chrabro primo Rege Poloniæ, ad hodie uſque felicîter regnantem Ioannem III. (excepto Stephano Bathoreo, quem in ſciſſione Reipub. Stanislaus Carneovius Epiſcopus Vladislavienſis Cracoviæ coronavit: quandoquidem Iacobus Uchanſcius Archiepiſcopus, ſeu partium Auſtriacarum pro

Maximiliano obſtinato ſtudio; ſeu gravi tardante ſenectâ, rogatus licet à Stephanianis, venire Cracoviam & coronare recuſaret) Reges omnes tam Gneſnæ vetuſta ollm Regum ſede; quam translatis inde Regijs inſignibus, Cracoviæ, per manus Archiepiſcoporum Gneſnenſium diadema accepêre.

XVI. Ita Boleslaum primum, Othone 3. Imperatore præſente, & coronam imponente, Gaudentius Archiepiſcopus concoronavit: cui ſolennitatl aderat Silveſtri II. Papæ Legatus de latere, Diaconus Cardinalis, Anno 1000. Mieciſlaum Boleſlai filium, cum Conſorte Rixa, Hippolitus Anno 1025. Caſimirum primum cum Conſorte Dobrogneva, Stephanus Anno Idē Boleslaum audacem S. Staniſlai occiſorem Anno 1056.

Atrocitate implæ cædis Sancti Stanislai, commotus Pontifex Maximus, Gregorius VII. Boleslaum diri devovit, Regnum eidem abrogavit, Poloniæ Sacris interdixit: ac nè in poſterum quempiam Regem Archiepiſcopus, injuſſu Apoſtolicæ ſedis, vngeret & coronaret, inhibuit, qui verò ſocij ſceleris Regij fuiſſent; eos & eorum Poſteros ad quartam progeniem, â ſacerdotij, & omnium Magiſtratuum Eccleſiaſticorum functionibus ac emolumentis ſubmovit.

Poſt ducentos & quindecim annos, ſub Ducum nomine, varijs tumultibus & internis Regni diſſidijs, belliſque externis tranſactos, Præmislao Ducis Poſnanienſis filio, Regimen Poloniæ, concordi omnium voluntate delatum eſt. Hic anno Chriſti. 1295. Gneſnæ Comitijs habitis, renuntiatus Rex, â Iacobo II. Archiepiſcopo ritu ſoleni coronatur. Ioanne Gerbiſſo Poſnanienſi, Ioanne Romka Vratislavienſi, Goslao Płocenſi, & Conrado Lubiſceń. Epiſcopis, aſſiſtentibus. Verùm Diadema, ut Summi Pontificis authoritate abrogatum fuerat; eadem reſumi oportuiſſe, infelix recens inaugurati Regis exitus oſtendit. Etenim Otto Longus Marchio Brandeburgienſis, cum Ottone altero, & Ioanne Conradi fratris filijs, ex Conſtantia Præmiſli ſorore ſuſceptis, apud Rogoſnum animum relaxantem, & Genio diebus Bacchanalium indulgentē, diluculo diei Cinerum, valida manu adorti; occiderunt. Creditur Vxori peremptæ pœnas ſuâ cæde perſoluiſſe. Mox idem Iacobus, Venceslaum Bohemum Regem Poloniæ Electum, Anno Chriſti 1300. Gneſnæ coronavit.

Vladislaus Loćticus reverentior Sedis Apoſtolicæ, relaxationem Interdicti Pontificij; quo Gregorius VII. poſt necem Divi Staniſlai, regio honore Polonis Interdixerat, per Gierhardum Vladislavienſem Epiſcopum, à Joanne XXII. Papa impetravit. Hunc Janiſlaus Epiſcopus, cum Vxore ipſius Hedvige Cracoviæ coronavit, Anno Chriſti 1320. atque ex eo tempore, jus coronandi Reges, & ipſa Regni Inſignia, & Theſaurus Regni, Gneſnâ, Cracoviam propter amplitudinem ſplendoremque Vrbis, tranſlata ſunt.

Caſimirum Magnum Filium Vladiſlai, Idem Ianiſlaus Archiepiſcopus, cum Anna Conjuge, Giedimini Ducis Lithvaniæ filia, unxit & coronavit, Anno 1333.

Ludovicum Vngarum; qui cum Majoris Poloniæ Proceres contenderent, Gneſnæ Reges coronari debere: ipſos in ſua Coronatione, tali prætēſione abjudicavit, & proximorum Regum, Vladiſlai Avi, & Caſimiri avunculi exempla, ea in re ſecuturum ſe eſſe dixit; Crom. lib. 13 fol. 332. Iaroſlaus Archiepiſcopus coronavit; Anno 1386.

Vladiſlaum Iagiellonem; qui inſignia Regni ex Hungaria recuperata, Cracoviæ unde fuerant evecta; Anno 1412. repoſuit: Bozanta, Anno 1401.

Caſimirum Iagiellonidem, Vincentius Cotus, Anno 1497.

Ioannem Albertum, Sbigneus Oleſnicki, Anno 1501.

Alexandrum, Fridericus Cardinalis frater Regius, Anno 1501.

Sigiſ-

Sigiſmundum Primum, Andreas Roſa, Anno 1507.
Sigiſmundum Auguſtum, vivente Patre, Ioannes Laſcius, Anno 1599.
Henricum Valeſium, Iacobus Vchauſcius, Anno 1574.
Sigiſmundum III. Staniſlaus Carncovius, Anno 1587.
Vladiſlaum IV. Ioannes Węzyk Anno 1633.
Ioannem Caſimirum, Mathias Lubinſki, Anno 1649.
Michaelem, Nicolaus Prazmowſki, Anno 1669
Ioannem Tertium, Andreas Olſzowſki, Anno 1676. Diademate Regio cinxerunt.

XVII. Huic, tàm longâ continuaq; ſerie deducto uſui, & notorio juri, robur perpetuum adjecit inclytum Privilegium Caſimirianum, Anno 1451. tenoris talis.

CASIMIRUS, Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, &c. Dominus & Hæres, &c. Significamus præſentium tenore, quibus expedit, univerſis, præſentibus, & futuris. Quòd cum inter terras noſtras Regni Poloniæ, & ſubditos earum, non modica orta eſſet differentia, diſceptatioque non mediocris facta, de & ſuper Cardinalatu, Reverendiſſimi in Chriſto Patris, Domini Zbignei Epiſcopi Cracovienſis: propter quod Reſpublica Regni ipſius diſſolvebatur & complurima incommoda capiebat. Nos tandem talem differentiam diſceptationesque, prout ex debito regiminis noſtri tenemur, ſemovere, ſedare, & complanare volentes, & ipſas terras noſtras, ad ſtatum reducere debitæ unionis. Indicto, ſuper ea re potiſſimè Perlamento Generali, Prælatorum & Baronum Regni noſtri præfati in hoc loco Oppidi Piotrkovienſis, pro feſto Pentecoſtes, ſervato, de conſilio eorundem Prælatorum & Baronum noſtrorum, per nos ita concluſum exiſtit determinatum, definitum, & decretum. Imprimis, ſiquidem; quia Sedes Metropolitana Gneſnenſis Dominiq́ue Archiepiſcopi & Primates ſedis ejuſdem, *pro tempore exiſtentes in omni Jure, Auctoritate, & poteſtate, prærogativa, jurisdictione, & conſvetudine*; quas alias Gneſnenſis Eccleſia ab antiquo ſupra Eccleſiam Cracovienſem habuit, & habet, debeat in ævum conſervari. Quantùm verò ad Coronationes Regum, & Reginarum Regni Poloniæ pertinet; ſtatuendo decernimus, & ſententiamus; quòd nullus alius, neque præfatus Dominus Zbigneus Cardinalis, de hujuſmodi Coronatione ipſorum Regum & Reginarum, ſe de cætero & in perpetuum intromittent, nec coronabunt, præter Archiepiſcopum Gneſnenſem, pro tempore exiſtentem, circa quas Coronationes, præfatus Dnus Zbigneus Cardinalis, habitu duntaxat utetur Cardinalatûs, cerimonijs autem uti debet ſicut Epiſcopus Cracovienſis, prout ab antiquo utebatur, ubi intereſſe voluerit: quod in ſua erit libera voluntate. Regia Mtas nihilominùs, aut Reginalis, taliter coronanda, per Archiepiſcopum Gneſnen. & alios Epiſcopos coronabitur, & coronari debebit. Item ſtatuimus & ordinavimus; quod præfatum Dnum Zbigneum Cardinalem, & Epiſcopum Cracovienſem omnes & ſinguli Regnicolæ, cujuſcunque dignitatis, ſtatûs, & conditionis exiſtant, pro vero & indubitato Cardina-

li tenebunt, & reputabunt; eundemq; ipſius Cardinalatûs titulo ſcribent, intitulabunt & nominabunt, ſcribereque & intitulare & nominare tenebuntur, & ſint adſtricti. Item à modo & de cætero neque D. Archiepiſcopus Gneſnenſis, neque Epiſcopus Cracovienſis, & cæteri Epiſcopi, poſtulabunt aut petent; ſed neque petere debent, aut quovis modo impetrare dignitatem Cardinalatûs, aut Legationis Sedis Apoſtolicæ, abſque conſenſu noſtro, & omnium conſiliariorum Regni. Cæterùm ut quævis impedimenta in conſilijs pro bono publico faciendis ceſſent, & difficultates quæque amputentur, firmaque ſtabilitas conſiliorum in ipſo Regno noſtro permaneat; uterque Prælatorum prædictorum, vadant cum cæteris Prælatis & Baronibus, ad conventiones pro tempore ſtatuendas, daturi ad Rempub. conſilia opportuna: ſed alter eorum una die; & alius altera die veniat, & ingrediatur: quem tunc nos vocandum duxerimus. Non vocatus vero in hoſpitio debeat remanere, & ſtare. Daturus nihilominus ab indè conſilia opportuna, ſuper quibus fuerit requiſitus. Præterea hoc præſens decretum in præmiſſis factum habitum & concluſum, inviolabiliter per partes teneri debet, & irrefragabiliter obſervari. Qui verò illud ſervare, cernere, & ad illud attendere nollet, ſperneret, aut minimè curaret, nos contra talem partem præmiſſa non ſervantem, & omnes Conſiliarij noſtri, atque Regnicolæ, omninò eſſe debemus, & non permittere eum uti propria voluntate. In quorum omnium fidem & teſtimonium præmiſſorum, ſigillum noſtrum, præſentibus eſt ſubappenſum. Actum in Piotrkow, in conventione Generali, feria quinta, infra Octavas feſti Pentecoſtes. Anno Dni, milleſimo quadringenteſimo, quinquageſimo primo. Præſentibus Reverendiſſimis in Chriſto Patrib9 Dominis Ioanne Vladislavienſi, & Andrea Poſnanienſi, Epiſcopis; necnon Magnificis, & Generoſis, Ioanne de Czyzow, Caſtellano & Capitaneo Cracovienſi, Luca de Gorka, Poſnanienſi, Ioanne de Oleſznicza, Sandomirienſi, Alberto de Male, Lancicienſi, Ioanne de Kretkow, Breſtenſi, Kuczkone de Pomorzany Podoliæ, Palatinis. Przedborio de Koniecpole Sandomirienſi, Stanislao de Oſtrorog Gneſnenſi, Petro Skora de Gaij Caliſienſi, & Creslao de Kurozwański Lublinenſi, Caſtellanis & alijs quam pluribus fide dignis teſtibus, circa præmiſſa. Datũ per manus Magnificorum, Ioannis de Koniecpole Cancellarij, & Petri de Sczekoczyn, vice-Cancellarij Regni Poloniæ, nobis ſincerè dilectorum.

Quod Privilegium in Comitijs Ordinum Regni, Sigiſmundus I. Confirmàvit, tenore tali.

In Nomine Domini, Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Emergentes ſub tempore caſus Rempub. turbantes, & inter ſubditos odia ſeminantes, prudens Regum & Principum conſilium, vel moderari in melius; velè medio tollere conſuevit: ne iterum viribus reſumptis, deteriora prioribus ſuſcitent, & factioſis ingerant audaciam, ſed ut memoria ejuſmodi actionum, per Regum Principumq; prudentiam mo-

de-

deratarum, vel conſtitutarum æviterna habeatur, literis humana induſtria talia committere conſuevit. Proinde nos Sigiſmundus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, nec non terrarum Cracoviæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cujaviæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Culmen. Elbingen. Pomeraniæque, Dominus & Hæres, ſignificamus tenore præſentium, quibus expedit, univerſis & ſingulis, præſentibus & futuris harum notitiam habituris. Quia conſiliarijs ſtatus utriuſque, videlicet Eccleſiaſtici & ſecularis, Regni noſtri cupientibus; ut ſimultates & odia, inter Regnicolas hujus Regni ex inconſuetis præeminentijs, quas ſibi quiſpiam ſuâ ſponte, propriâ libidine, ſeu ambitionis inſtinctu, ſine Regis pro tempore exiſtentis, admiſſione præparet, ſeu præparare vellet, non creſceret. Ijdem Conſiliarij noſtri ſupplicarunt nobis humiliter; ut quoddam Privilegium Divi Caſimiri Regis, Parentis noſtri inferiùs inſertum, innovandum decerneremus, eidemque obſervando, æviternè firmum robur de plenitudine poteſtatis Majeſtatis noſtræ Regiæ adderemus. Cujus quidem Privilegij tenor de verbo ad verbum ſequitur, & eſt talis. Nos itaque Conſiliariorum noſtrorum ſupplicationi, proinde, ac ex cauſis legitimis & decentibus factæ, aſſentientes literas præinſertas innovandas decrevimus, eaſdemque roboramus & confirmamus perpetuò valituras, hoc ſiquidem pro planiori declaratione, ac cùm ſeveritate adijcientes quòd ſi quiſpiam majorum vel minorum Prælatorum, ſtatus, Conditionis, & Ordnis cujuſcũq; ambitione quacũq; ſeductq, Cardinalatus dignitatẽ, aut Legationẽ, quocunq; modo & colore, noſtro noſtrorumque ſucceſſorum ſpeciali & expreſſo conſenſu non accedente, petere, vel quomodocunque ſibi datã accipere præſumpſerit; ejuſdem omnia bona, in Regno noſtro exiſtẽtia, tam Eccleſiaſtica; quàm etiã temporalia, mobiliaque & immobilia, fiſco Noſtro jam ad hoc omnibus conſentientibus, ſine ſpe gratiæ applicanda decernimus: ſtatuentes & omninò volentes, Privilegiũ hoc cùm ſuis inſertis, perpetuum firmitatis robur habiturum. In cujus rei teſtimonium, Sigillum Noſtrum præſentibus eſt ſubappenſum.

Actum in Conventione generali Piotrkovien. die Martis ſeptima Menſis Decembris, alias in Vigilia Conceptionis Glorioſiſſimæ Virginis Mariæ, Anno Domini Milleſimo, Quingenteſimo Duodecimo. Regni verò noſtri; Anno ſexto, Præſentibus, Reverendiſſimo & Reverendiſſimis in Chriſto Patribus, Dnis, Joanne Archiepiſcopo Gneſnenſi, & Primate, Joanne Cracovienſi, Joanne Poſnanienſi, Eraſmo Plocenſi, Fabiano Varmienſi, Mathia Præmiſlienſi, & Regni noſtri Cancellario, Jacobo Camenecenſi, Eccleſiarum Epiſcopis. necnon Magnificis, Venerabilibus & Gnoſis, Nicolao de Kamieniecz Cracovienſi, & Campiductore Regni noſtri Generali, Nicolao de Lubrancz Poſnanienſi, & Capitaneo Lancicienſi, Joanne de Tharnow Sandomirienſi, Jaroslao de Lasko Syradienſi, Joanne Jarandy de Brudzew Lancicienſi, Nicolao de Kretkow Breſlenſi, Joanne Odrowąz de Sprowa, Ruſſiæ Generali, Otha de Chodecz, Podoliæ, Nicolao Firley, de Dąbrowicza Lublinenſi, Georgio de Baijzen Marieburgenſi, Nicolao de Pileza Belzenſi, Andrea de Radzieiowice Plocenſi; Prandotha de Zelazna Ravenſi, Palatinis. Luca de Gorka Poſnanienſi, & Capitaneo Majorũ Poloniæ Generali,

neralj, Chriſtophoro de Szydlowiecz Sandomirienſi, & Regni Noſtri Vice-Cancellario, nec non Siradienſi, Sochaczovienſi, & Goſtinenſi Capitaneo, Stanislao de Oſtrorog Caliſſienſi, Januſſio Latalski Gneſnenſi, Joanne de Przeramb Siradienſi, Alberto de Gladzanow Lancicienſi, Nicolao de Szydlowiecz Radomienſi, & Succumerario Cracovienſi, Regnique Noſtri Inciſore, Nicolao Jordan de Zakliczyn, Viſlicienſi, Andrea de Oporow Breſtenſi, Hieronymo de Kobylany Roſperienſi, Andrea de Thanczyn Biecenſi, & Cauſarum Curiæ noſtræ Referendario, Georgio Krupski de Orchow Belzenſi, Stanislao de Potulicze Miedzyrzecenſi, Jaroſlao Sokolowski, de Wroncza Landenſi, Petro Gorski Naklenſi, Joanne de Bochotnicza Malogoſtenſi, Stanislao de Sprowa Zarnovienſi, Martino Skotniczki de Boguria Zawiſchoſtenſi, Stanislao Kuropatwa de Laczuchow Chelmenſi Caſtellanis, Stanislao de Chodecz Mareſchalco, & Leopolienſi Capitaneo, Andrea de Koſcielecz Theſaurario Sczepuſienſi, Oſwiaczymenſi, Sandecenſi, Iuniuladislavienſi & Bidgoſtienſi Capitaneo, necnon Zupparjo, & Magno Procuratore Generali Cracovienſi Regni noſtri, Andrea de Kliecz, Ioanne Sculteti Sacræ Theologiæ Profeſſore, & Archidiacono Varmienſi, Joanne Latalski Gneſnenſi, Cracovienſi & Lancicienſi Prepto, Petro Thomicki Decretorum Doctore, Archidiacono, Joanne Karnkowski Canonico Cracovienſi, Stanislao Gorecki Prepto Caliſienſi, Eccleſiarum Secretarijs noſtris, Stanislao Iarocki Curiæ noſtræ Marſchalco, Raphaele de Leſchno Capitaneo Slochovienſi, Georgio de Targowiecz Capitaneo in Golub, Henrico Itffelt, Proconſule Thorunenſi, Ambroſio Sthorm Nuncio & Notario Gedanenſi, civitatum noſtrarum, Stanislao Laſſocki Poſnanienſi, Adam de Drzewicza Sandomirienſi, Terrarum Succamerarijs, Nicolao Oczieski Capitaneo Koſthen, & Magiſtro Agaſonum curiæ noſtræ, & alijs quàm pluribus Dignitarijs & Officialibus Regni noſtri Curiæque noſtris circa præmiſſa teſtibus fide dignis, ſincerè & fidelibus noſtris dilectis. Datum, per manus præfati Reverendi in Chriſto Patris Domini Mathiæ Epiſcopi Præmiſlienſis & Regni noſtri Cancellarij. L. S.

Mathias Drzewicki Epiſcopus & Cancellarius Relatio ejuſdem Reverendi in Chriſto Patris D. Mathiæ Epiſcopi Præmiſlienſis, & Regni Poloniæ Cancellarij. Super quibus omnibus & ſingulis petiit ſibi à me Notario infra ſcripto ſupraſcriptus Perillustris Dominus Canonicus, unum vel plura confici & extradi Inſtrumentum publicum vel Inſtrumenta. Acta ſunt hæc Gneſnæ, Anno, die, Menſe, Indictione, Pontificatu quibus ſupra; Præſentibus Illuſtribus & Admodum Reverendis Dominis Vladiſlao Koſudzki Canonico Kijovienſi Præbendario majore Koſudzciano, Ioanne Kurſzynſki Sancti Georgij itidem Canonico, & Admodum Reverendis Matthæo Lukomſki Pœnitentiario Metropolitanæ, Præpoſito Parochialis Sanctiſſimæ Trinitatis, Ioanne Sczawińſki Decano Zbarenſi, Sancti Michaëlis Parocho, Viceprocuratore Reverendiſſimi Capituli Gneſnenſis, teſtibus ad præmiſſa ſpecialiter rogatis & adhibitis. L. S.

Et me Staniſlao Rzepecki Eccleſiæ Collegiatæ S. Georgij Canonico Sacra Authoritate Apoſtolica Publico & Actorum Reverendiſſimi Capituli Metropolitani Gneſnenſis Notario; qui præinſerti Privilegij cum omnibus contentis illius porrectioni & tranſſumptioni, alijſque omnibus & ſingulis; dum taliter (uti præmittitur) fierent & agerentur, unà cum prænominatis teſtibus præſens interfui; eaque ſic fieri vidi & audivi. Ideo hoece publicum ſuper præmiſſis confeci Inſtrumentum, manuque licet Vicaria mihi tamen fida ſcriptum, ſigno, nomine & cognomine meis, quibus in talibus utor communivi in fidem & robur præmiſſorum, rogatus & requiſitus.

Atteſtatio Legationis Staniſlaus Carolus Grabiński Canonicus & Sede vacante Archiepiſcopatus Vicarius in Spiritualibus & Officialis Generalis Gneſnenſis, Archidia-

diaconus Caliſſienſis, Sacræ Regiæ Majeſtatis Secretarius.

Vniverſis & ſingulis, quorum intereſt tenore præſentium ſignificamus, ſuprafcriptum Illuſtrem, & Admodum Reverendum Dominum Staniſlaum Rzepecki, Collegiatæ Sancti Georgij Canonicum, Sacra Authoritate Apoſtolica Publicum, & Actorum Reverendiſſimi Capituli Metropolitani Gneſnenſis Notarium eſſe, illiusque ſcripturis Authenticis & Inſtrumentis Publicis per eum confectis, tam in judicijs; quam extra ſemper adhibitam fuiſſe, & ad præſens plenariam adhiberi fidem. In cujus rei teſtimonium &c. Datum Gneſnæ die undecima Menſis Septembris, Anno Domini Milleſimo, Sexcenteſimo, Septuageſimo quarto.

De Coronatione Regum Poloniæ Conſtituimus: Quòd nemo in Regem Poloniæ coronari debeat, donec unanimiter ſecundùm leges, & Privilegia Regni, ab Omnibus Ordinibus Regni Electus ſit. Qui quidem unanimi Conſenſu Electus à nemine alio coronari debet, præterquam à Reverendiſſimo Archiepiſcopo Gneſnenſi, ſecundùm Privilegium, quod Archiepiſcopo, per Caſimirum Tertium Regem Poloniæ illi eſt conceſſum. in Anno Domini 1451. *Statutum tit. electio Regis fol. 161.*

XVIII. Electo in Regem Stephano Batoreo, Tranſylvaniæ Principe, Decretum quoddam nomine Conſiliariorum & Ordinum ſancitum erat tenoris talis.

Nos Conſiliarij Regni Spirituales & Seculares, ac Nuntij omnium Regni Terrarum, ab Equeſtri Ordine, ad Coronationis Conventum cum plena facultate miſſi. Vniverſis quorum intereſt ſignificamus. Quod cum Cracoviam, ad diem Coronationi in Conventu Andreovienſi conſtitutam, & ſemel atq; iterum prorogatam conveniſſemus, communi omnium noſtrûm conſilio & conſenſu, idegimus & procuravimus: quò Reverendiſſimum in Chriſto Patrem & Dominum Jacobum Vchanski, Archiepiſcopum Gneſnenſem, eò adduceremus; ut pro officio ſuo, ex Privilegio à Caſimiro Rege ſibi cõceſſo, ad perficiendam Coronationem Cracoviam veniret, ſolennique muneri ſuo ſatis faceret. Et quamvis jam antea ex Conventu Andreovienſi, de eo admonitus fuiſſet; tamen concordiæ, & amoris fraterni deſiderio, iterum etiam ex præſenti Conventu, Legatos Noſtros, & per Literas ſuas ſe brevi affuturum promiſiſſet, cum ſua cauſa; tum etiam Sereniſſimi Regis expectatione, qui etiam tum in itinere erat, tempus Coronationi præſcriptum prorogavimus. Poſteaquam verò ſatis diu eundem expectaſſemus, Regiaque Majeſtas jam jam Cracoviam adventaret; tertiò etiam Varſaviam ad eum miſiſſemus, orantes & hortantes; ut ad Nos quàm primùm acceleraret ſimulque denuntiantes, propter impendentia Reipublicæ pericula, Nos ipſius adventum diutius expectare non poſſe. Cum verò & ex Legatis Noſtris, & ex ipſius literis, Nobis ſatis jam conſtet, eum contra quam promiſerat, ad Nos venire, muneriq; ſuo ſatisfacere nolle, aut non poſſe: cumque ſatis perſpiciamus, quot & quanta pericula; ſi diutius etiam Coronatio prorogaretur Reipub: immineant. Vna mente in eo omnes conſenſimus; ut ſine ulla procraſtinatione, Sereniſſimus Stephanus Rex Electus, unà cum Sereniſſima Anna Regina, ex præſcripto Literarum ad univerſos Regni Incolas, jam antea tranſmiſſarum, à Reverendiſſimo in Chriſto Patre & Domino,

Staniſlao

Stanislao Carncovio, Dei Gratia Episcopo Cujavienſi; qui in majore Polonia, ſecundùm Dominum Archiepiſcopum proximum locum obtinet, coronentur. Ne verò quiſpiam reperiatur; qui verbis Privilegij Regis Caſimiri inhærendo, quacunque ratione hoc ipſum negotium, atque actionem in dubium revocare velit; idcirco Nos habito reſpectu Legum & Statutorum, de Coronatione factorum, diligenterque conſideratis ipſius Privilegij verbis, animaduertentes quàm abſurda inde ſequerentur: ſi quis illud ita intelligendum eſſe exiſtimaverit; ut ad ſolum Dominum Archiepiſcopum, omnem coronandi facultatem ita adſtrictam eſſe vellet; ut nullo caſu, alium quenquam id facere poſſe affirmaret: hoc ipſum Privilegium authoritate Conſtitutionis Conventûs præſentis, ita interpretamur, declaramus, ac decernimus, eamque ipſius eſſe mentem omnino judicamus: quòd ſcilicet Reverendiſſimo Domino Archiepiſcopo volente & valente, nemo alius præter eum Regem coronare debet, aut poteſt. Quodſi verò ad id vocatus, hoc ipſum facere aut noluerit; aut non potuerit, vel etiam è vivis ſublatus fuerit: is cui hoc ipſum proximè competit, ex majori Polonia, eadem poteſtate aut authoritate, id perficere poteſt, & debet. Quodſi quis præter hanc interpretationem, & declararionem Noſtram, iſtud privilegium aliter intelligere aut interpretari voluerit, præſentique Conſtitutioni atque Decreto Noſtro advetſari auſus fuerit: is pro hoſte, & turbatore Reipub habeatur, juxta Conſtitutionem Conventûs Andreovienſis. Datum Cracoviæ &c. 25. Aprilis Anno Domini 1526.

Sed decretum illud, poſteà ſuppreſſum, in numerum legum non pervenit Reginol. Heideſtenius rerum Polonicar. lib. 2. fol. 95. Crediderim, nè vel minimum de auctoritate Archiepiſcopi in futurum delibaretur.

Neque ſilentio tranſmitti debet, Bulla Sixti V. de non Coronandis Regibus hæreticis.

Sixtus Epiſcopus Servus Servorum DEI,

Ad perpetuam rei memoriam.

Paſtoralis Noſtra ſolicitudo; quam pro tuenda ubique gentium & locorum propagandaq; Catholica religione ſuſcipere tenemur, paternaque charitas; quam erga inclytum Poloniæ Regnum, in viſceribus Chriſti præcipuè gerimus, & ſingularis zelus Orthodoxæ fidei, ſinceraq; erga Romanos Pontifices, ſanctamq; hanc ſedem devotio; quam ipſum Regnum, præſertim verò illius Prælati hoc maximè tempore præſeferunt: jure optimo Nos inducunt; ut ijs quæ pro conſervatione ejuſdem Catholicæ fidei, & pro publica ejuſdem Regni quiete, & tranquillitate, piè ac prudenter à prælatis Præfatis ſtatuta fuerunt, Apoſtolicæ confirmationis robur eiſdem Præſulibus ſupplicantibus benignè impartiamur. Nuper ſiquidem ſicut expoſitum Nobis fuit, in Synodo Provinciali Petricovienſi, de more celebrata, Venerabiles Fra-

Fratres Noſtri, Archiepiſcopi, & Epiſcopi, Metropolitanarum & Cathedralium dicti Regni Eccleſiarum, ſimul congregati, & convenientes in unum, ut more vigilum Paſtorum, Gregem Dominicum ſuæ curæ creditum ab imminentibus luporum periculis incolumem, quantùm in eis eſt præſervarent: ſimulq; unioni & paci ipſorum Prælatorum ac Procerum & populorum ejuſdem Regni conſulerent, inter alia ſub Noſtro & Sedis Apoſtolicæ beneplacito, ſtatuerunt, ordinarunt, & decreverunt. Quòd tàm in præſens, quàm in futurum, nemo unquam agnoſcatur, nec recipiatur in Regem Poloniæ, niſi fuerit verè Catholicus: Quiq; ſanctam Catholicam & Orthodoxã fidem; quam Sancta Romana & Apoſtolica Eccleſia tenet, docet, & prædicat, palàm & publicè profiteatur, & ſequatur, & in unitate ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ permaneat. Quodque pro tempore exiſtens Archiepiſcopus Gneſnenſis, cui jus renuntiandi ſeu publicandi Regem, ex Privilegio competere dignoſcitur, neminem renuntiet, aut publicet, qui fuerit dubiæ fidei, & non ſit manifeſtè Catholicus. Ad tollendũ verò diſſidij & inteſtini belli periculum, nullus Epiſcoporum, & Prælatorum, contra jus Archiepiſcopi prædicti poſt renuntiationem ab eo factam, ſcilicet de perſona catholica, & ſervatis Regni ſtatutis & conſvetudinibus, in Electione Regis audeat nominare, renunciare aut coronare alium in Regem, alioquin à regimine & adminiſtratione Cathedralis ſeu Metropolitanæ Eccleſiæ, cui præeſt in perpetuum eo ipſo ſuſpenſus, atq; omnibus beneficijs Eccleſiaſticis, quæ quomodolibet obtinet privatus exiſtat, & nihilominus hujuſmodi nominatio, renunciatio aut coronatio invalida & nulla cenſeatur, ac nullius ſit roboris vel momenti. Ne quis nominatus à Rege Poloniæ pro tempore exiſtente, in Epiſcopum vel Archiepiſcopum, ad Eccleſiam aliquam Cathedralem vel Metropolitanam, ex ijs ad quas pro tempore vacantes jus nominandi ipſi Regi ex privilegio Apoſtolico competit, aſſumat ſibi honorem, nec locum; nevè in regimine & adminiſtratione Eccleſiæ hujuſmodi, illiuſq; bonorum quoquo modo ſe immiſceat; niſi priùs à Sede Apoſtolica eidem Eccleſiæ de perſona ſua ſic nominata provideri, ſeu in Epiſcopum, vel Archiepiſcopum, Præſulem & Paſtorẽ præfici obtinuerit literis Apoſtolicis deſuper expeditis, ſi ſecus fecerit, ad illam & ad aliam quamcunq; inhabilis omnino cenſeatur. Quicunq; ſive ex Senatoribus, ſive ex Nobilibus, in promovendo Rege hæretico opem, conſilium, auxilium, vel favorem præſtiterit, vel conſenſerit, aut ei jam promoto adhæſerit, præter alias cenſuras Eccleſiaſticas & pœnas, in quas eos incurrere Sacris Canonibus & Conſtitutionibus Apoſtolicis conſtitutum eſt; tàm ipſe quàm poſteri ejus, & deſcendentes, ad omnes honores, dignitates & beneficia Eccleſiaſtica obtinenda, perpetuò inhabiles & incapaces ſint, & eſſe cenſeantur. Nullus Epiſcoporum ſeu inferior Prælatus audeat hæreticum hominẽ, ad honores, dignitates, Officia vel beneficia ſpiritualia vel temporalia

lia promovere, vel promoveri facere, aut interceſſione, opibus, aut alia quacunq; ratione ad ea aſſequenda juvare; Quodſi id attentare præſumpſerit, pœnam privationis omnium & quorumcunq; beneficiorum Eccleſiaſticorum, vel Officiorun quæ obtinet, nec non ſuſpenſionis; ut præfertur, à regimine & adminiſtratione ſuæ Eccleſiæ ipſo facto incurrat, & ad alia obtinenda incapax prorſus exiſtat. Quicunq; ex ijs qui pro Catholicis ſe gerunt, tepidis nimirum & falſis fratribus, Apoſtolicæ ſedis Auctoritatem, Juriſdictionem Eccleſiaſticam, & jura decimarum, publicè vel privatim, directè vel indirectè in Conventibus, aut alijs in locis impugnaverit, tàm ipſe, quàm ejus poſteri, ab Ordinibq & honoribus, dignitatibus & beneficijs Eccleſiaſticis in perpetuum arceantur, & ad illa ſemper inhabiles exiſtant. Quoties ex neceſſaria, communi & publica cauſa, ac de licentia ſeu permiſſione Sanctæ Sedis Apoſtolicæ conferendũ eſt, conſenſu publico ex bonis Eccleſiæ ſubſidium, ſeu donativum aliquod Regi, vel Reipublicæ, illud per deputatos ſuos Epiſcopi exigant: ne ſubditi & bona Eccleſiarum à Secularibus Exactoribus expilentur & prophanentur, ac varijs injurijs & damnis prout plerumque factum eſt afficiantur. Si Epiſcopi aliter fecerint, pœnis in Concilio Generali Lateranenſi noviſſimè celebrato & in Bulla Cœnæ Domini legi ſolita, alijsq; Sanctionibus Apoſtolicis contra eos, qui etiam ſponte offerunt inflictis, eo ipſo ſubjaceant. Demum quod propter omnes ſubitas dicti Regni neceſſitates & improviſos eventus, Theſaurus, ſive ararium publicum & commune omnium Regni prædicti Eccleſiarum, in aliqua Eccleſiæ arce ſeu Caſtro providè & accuratè inſtituatur, & cum omni diligentia & cuſtodia aſſervetur. Quæ omnia ſtatuta & decreta quò firmiùs & accuratiùs perpetuis futuris temporibus obſerventur, ijdem Prælati, per dilectum filium Vincentium de Scue Præpoſitum Laſcensem & Internuntium ab ipſa Synodo Provinciali ad nos miſſum, Nobis humiliter ſupplicari fecerunt; ut illis Apoſtolicæ comprobationis robur adijcere, aliasque in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eorundem Prælatorum ac ipſius Synodi pietatem, ſanctumque & laudabile propoſitum, plurimùm in Domino commendantes, eorumq; ſupplicantibus hac in parte annuentes, Statuta, Ordinationes, & decreta prædicta, prout ſuperiùs deſcripta fuerunt, ex certa Noſtra ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, tenore præſentium perpetuò confirmamus, & approbamus, eaque præſentis ſcripti patrocinio communimus, & illis perpetuæ & inviolabilis firmitatis robur adijcimus, ac per eos quos illa concernunt, & concernent in futurum perpetuò firmiter & inviolatè obſervari præcipimus, & mandamus, omnesque & ſingulos Juris & facti, ac ſolennitatum & ſubſtantialium; ſi qui in eis intervenerint defectus ſupplemus. Decernentes irritum & inane: ſi ſecus, ſuper his à quoquam, quavis

vis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus prædictarum Ecclesiarum & quibusvis alijs contrarijs Statutis & consvetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis & immemorabili tempore pacificè observatis, nec non privilegijs indultis, & literis Apostolicis quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi de illis eorumq; totis tenoribus, specialis, specifica, expressa & individua mentio habenda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro expressis habentes, ad effectum præsentium duntaxat specialiter & expresse derogamus, illaq; omnia & singula, quatenus præsentibus literis in aliquo adversentur, penitus tollimus & abrogamus, ac nolumus deinceps cuiquam suffragari, cæterisq; contrarijs quibuscunque. Aut si eisdem Prælatis, vel eorum alicui, seu alijs personis, communiter vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem quòd præsentium literarum transumptis etiam impressis Notarij publici manu subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ obsignatis, eadem ubiq; fides adhibeatur, quæ ipsis Originalibus adhiberetur exhibitis vel ostensis. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam Nostræ confirmationis, approbationis, communitionis, adjectionis, præcepti, mandati, suppletionis, decreti, derogationis, sublationis, abrogationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis DEI, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo, Quingentesimo, Octogesimo Nono. Quinto Idus Februarij Pontificatus Nostri Anno Quinto. E. Cardinalis Pnat: locus † plumbi in filo variegato sericeo penden. Andreas de Alexijs M. Vestrius Barbianus.

Sed validissimè novella lex Interregnorum, Michaëlis, & Joannis III. Acatholicos Reges & Reginas à throno excludit. Proinde, cum de pace inter dissidentes conservanda, ex præscripta juramenti formula, Joannes III. flexis ad altare genibus verba proferret, ego Archiepiscopus Coronator, contra hunc articulum tolerantiæ hæreticorum, subinde verbo, clara voce protestatus sum.

Eadem auctoritas competit soli Archiepiscopo Gnesnensi, Electos ab Ordinibus & Vniversa Nobilitate Poloniæ Reges, in Campo Electorali, Primatiali & Primi Principis jure nominandi: quo munere licet, in nupera Electione Regiæ Majestatis, Joannis III. (extincto paucos ante dies Casimiro Czartoryski Archiepiscopo Gnesnensi) perfunctus sit Andreas Trzebicki Episcopus Cracovienſis, sine tamen præjudicio Primatis, nempe Vacante Sede Gnesnensi, & Vicaria pro Archiepiscopo opera, prout Diploma Electionis testatur, quod hic inserere è dignitate censeo.

A. O. A. G.

In Nomine Sanctiſſimæ & Individuæ Trinitatis Patris & Filij, & Spiritûs Sancti.

SIgnificamus præſentibus literis Noſtris, quorum intereſt vniverſis & ſingulis. Viduata iterum Reſpublica Noſtra, per immaturum obitum Sereniſſimi olim Michaëlis Poloniæ Regis, qui vix unico necdum integro imperij luſtro exacto, die decima menſis Novembris, Anno proximè elapſo Leopoli, caducam iſtam immortali corona permutavit, in tam luctuoſi funeris, & novæ cladis acerrimo ſenſu, animo tamen erecta, ſuique inter præcipitia memor, ire in remedia non deſtitit; ut creſcere per ipſa Lechiam damna compertum haberet Orbis. Auſpicari inprimis placuit, ſcrutandæ & ultimis Interregni caſibus eripiendæ Patriæ conſilia, ab exorato Divino Numine, cujus unico velut digiti motu, Regna de gente in gentem transferri, Reges è ſolo ad ſolium provehi, ſolenne & in proclivi eſt. Cœptum dehine ingens Negotium Patrijs Legibus, & Majorum Inſtitutis, poſt peractam omnium Regni Ordinum Varſaviæ Menſe Februario Convocationem, communi eorundem Ordinum conſenſu, die Electioni 20. Aprilis, Anno præſen. 1674. decreta ad famam celeberrimi Actûs quaſi dato claſſico & erecto virtutis trophæo Externorum Principum vota & cupidines in campo Libertatis Polonæ inſigni meritorum & officiorum erga Rempub. certamine, ſua quiſque decora, in publicum commoda, & dona ferentes, ultro prodiêre. Verùm proximi Interregni effuſo ambitu, & Partium ſtudijs, animorumq; diſſidijs Reſpub: ſolertior, nec futuri ſocors, firma an dubia promitterentur, ſecum meditari, an vetera & recens parta Sarmatiæ decora in exterorum poſſeſſionem trudere, an Gloriam Militarem, & Orbi vix auditum ex Turcis triumphum, fuſumq; bellis ſangvinem in purpuram otioſi alicujus Principis transfundere, è præſenti ſtatu videretur. Scilicet aliquis Caritatem Patriæ ſtatim accipiat non ſuæ & inimicæ adeo Genti, famæq; ſuæ ſola Polonia ſit, ut Exteris magis, quàm ſuis faveat, utque reperta in Regno hoc virtute, novæ potentiæ hoſpitem ſuperbire patiatur. Vertit exinde cogitationem in Cives, & impoſitam arcani ſpecie contumeliam, non poſſe Reges Poloniæ niſi extra Poloniam natos creari, quod priori Electione cœptavit, tandem iterum abolevit. Neque inter Cives diu quæſivit, quem Civibus præponeret; non enim incerta & ſuſpenſa hæc Electio, non eunctationi locus, cum in hac liceat æqualitate Nobilitatis Noſtræ, ſupra æquales Herois virtus præemineret, ergo ora omnium & ſtudia libenter ac divinitus planè verſa, in ſupremum Regni Mareſchalcum Generaliſſimum Exercitûs Ducem IOANNEM SOBIESKI. admiranda Viri virtus, Mareſchalci ſuprema in Aula poteſtas: cum armorum dictatura, ſenatoria amplitudo; cum Civili modeſtia, Natalium & Fortunarum exuberans ſplendor; cum obvia comitate, incomparabilis prudentia, invicta fortitudo, in Deum pietas, in concives amor, in dictis factiſq; conſtantia, in ipſos etiam hoſtes fides & clementia, ac quicquid de Heroe ſummum dici poteſt, aureas veluti compedes omnium animis & lingvis adeo impoſuêre; ut eundem nullo ambitu, non præcipitato conſilio, ſed maturâ & tertium in diem protracta, expenſaq; deliberatione Senatus populuſq; Polonus & Magni D. Lit. concordibus votis & ſuffragijs, Regem ſuum dicerent,

elige-

eligerentq;. Sanè militavit in SERENISSIMI ELECTI decus, in liberrimæ Electionis fidem, ac æviternam Electoris populi laudem, non una die, neque ſenore veſpera, aut in umbra noctis, nec uno fortuito impetu, tranſactum ingens ſæculorum negotium: fas enim minimè erat, Heroem ſæculi, momento temporis, & velut aleæ jactu in Regem evadere, cum nec una nocte generari Herculem, vetere ſcito antiquitas prodiderit: atque Electionem in aperto ſub Iove libero, mediâ luce ſincerius enitescere decuerit. Quin & ipſe Sereniſſimus Electus Nominationem in tertium diem protelari modeſtè tuliſſe, imo ambiviſſe viſus, ne ſubita facilitas ſuſpecta judicio detraheret, & certiore argumento Orbis in fidem impelleretur, procul ambitu & corruptæ libertatis invidia Electum qui taliter eligeretur. An & deſtinato Superûm conſilio triduum integrum à Sabbato ad diem Lunæ hæc trutina duravit, quaſi cœpta Sabbato Chocimenſis Victoria, tertia demum die poſt captam Arcem Chocimenſem Victoriam claudens, Regalis hujuſce adoreæ augurium feciſſet, & auſpicato omine trinus Electionis dies IOANNIS TERTII Regis Nomini alluſiſſet. Munivit ad Coronam aditū, firmavitq; huic Sereniſſimo Electo Suffragiorum favorem inclyta bellorum gloria, dum primus Polonorum monſtravit, poſſe ſtatariâ pugnâ pernicitatem Scythicam omnibus retroacti mundi Monarchis gravem cohiberi, poſſe formidandas Turcarum phalanges uno ictu frangi, & deleri. Vt vetera Militiæ rudimenta quæ ductu & auſpicijs alienis in Svecos, Moſchos, Boruſſos, Tranſylvanos, Coſaccos fortiter & gloriosè geſſit, ſileantur; ut receptæ ex Coſaccis ſexaginta circiter Civitates minus in ore famæ verſentur: tamen hæc crebra & proſpera prælia maximis poſt hominum memoriam victorijs præludium fuére. Inundaverant ante ſexennium prædatorijs turmis Podoliæ oras Scythicæ Myriades, omnia ferrô & flammâ latè ſternebantur; cum parva tunc manus & laceræ Legiones impetui hoſtili non ſufficerent, noſter tamen cedere neſcius novo bellandi conſilio ſe Podhajeci, anguſta Arce, & tumultuaria munitione incluſit, quo ſævitiam in viſcera Regni feſtinantem excluderet. Ita eluſus & fractus Barbarus Pacis Leges accepit, quaſi ad id tantùm irruiſſet, ut Sereniſſimo Electo Victoriæ materiam, gloriæque ſegetem afferret. Poſteriore quadriennio, ſingulos Imperij bellici Annos inclytæ ex Coſaccis & Tartaris ſimul junctis SOBIESCIANÆ Victoriæ Inſignivêre, recepta ex hoſte Coſacco, quàm latè inter Hyppanim & Tyram protenditur Vrbibus & bellatore Populo Validiſſima Barclavienſis Provincia, ac ſupra fidem planè ſunt, quæ annis adhinc duobus Sereniſſimus Electus poſt occupatam Kameneciam, Leopoli obſidione cinctâ interritus, vix trium millium Exercitus Poloniel audaciâ & fortitudine ad miraculum planè peregit, cum quinq; dierum & noctium continuo curſu, abſq; ullo cibo, herbis duntaxat ſilveſtribus, vitam trahendo Tartaros adortus, Natulum, Niemieroviam, Komarnum, Kaluſiam, obſcura quondam Oppidorum vocabula ingentibus Barbarorum cladibus illuſtravit, tres Crimenſes Soltanos è Regnatrice Giercia Domo occidit, & robur illud Scytharū adeo protrivit, ut poſterioribus hiſce Annis recipere animos & vires recolligere nequiverint. Sed Victorias omnes præteritl Autūni vicit felicitas: cū famoſæ olim ad Chocimū munitiones quadraginta Turcarū millibo occupatæ, & firmatæ, in quibus ante tres & quinquaginta Annos totius Imperij Ottomanici ex Aſia, & Europa coactas

vires Poloni ſuſtinuerant, & retuderant, nunc unicæ poſt DEum Imperatoriæ virtuti, & prudentiæ SOBIESCIANÆ, paucas intra horas ſuccubuêre. Quippe ille vigilias obire, ſtationes ordinare, tormentorum bellicorum apparatum præſens inſpicere, Militem fame cœlique injurijs & pertinaci in tertium diem ſtatione fatigatum, manu, voce, vultu accendere, ille quod maximè ſtupendum, pedes ante pedeſtres Legiones ad vallum penetrare, & eniti, & devotum pro Deo & Patria Caput in aleam fati mittere, palmarium duxit, moxq; atrociſſimam, intra munimenta caſtrorum ſtragem edidit: cum deſperatio Turcarum acueret virtutem, & ipſe fortiſſimi & providi Ducis omnia munia Impleret, quo tempore tres Baſſæ occiſi, quartus vix effugio, Tyræ vortices ſuperavit. Cæſa internecione lanizarorum octo, Spachiorum ſelectiſſimorum, præter militare vulgus, viginti millia, Caſtra cum omni apparatu & tormentis bellicis, & Aſſirijs ac Phrygijs luxuriantis Aſiæ operibus capta ac direpta, famoſa Chocimenſis Arx, Pons per Tyram, ac utrinque firmiſſima inſtar Arcium propugnacula additamentum victoriæ fuêre. Quidni ergo tam inclyta & heroica virtus digniſſimo diadematis præmio coronetur? Præivit Nobis exemplo tota olim Chriſtianitas, quæ ad recuperationem Jeroſolimorum Duce Godefredo Bullionco, excita, Regnum illud eidem ſponte detulit; eò quòd primus mœnia urbis conſcenderit. Non inferior gloriâ Sereniſſimus Electus Noſter primus quoque binum hoſtile valium ſuperavit. Ornat inauditam à multis retrò ſæculis victoriam ipſius temporis momentum, quo Sereniſſimus Rex Michaël pridie vitâ exceſſerat, veluti commonſtrans, ſe tantæ virtuti ultrò cedere, ut ſuis jam auſpicijs ille Victor, à galea ad coronam; à capulo ad ſceptrum; à ceſpite caſtrenſi, ad Regale ſolium, tantò glorioſius tranſiret. Revocavit Reſpub. gratam ſibi, ac nullo temporis vitio obliterandam memoriam, inclyti Parentis Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi olim Jacobi Sobieſki Caſtellani Cracovienſis, viri cum cura ſcribendi, qui laureâ ſvadæ in togatis Reipubl: conſilijs, in arena Martis invictâ dexterâ, fortunam Remq; publ. toties auxerat, & gentilitio planè ſcuto ſuo protexerat. Neq; ſine Numine eveniſſe credamus, ut quo loco tribus ab hinc & quinquaginta annis Magnus Parens, Reipubl: Polonæ Legatus, pacem & pacta cum Oſmano Turcarum Imperatore ſanxerat, Maximus Filius, cœlo ipſo perfidiam hoſtibus exprobante, abruptæ pacis ſcelus, vindice ferro ulciſceretur. Cæteri Avi & Proavi ac innumera Clariſſimorum Senatorum & officialium nomina lucem velut Sereniſſ: Electo prætulêre, æmula maternæ ſtirpis magnitudine & gloria, præſertim Staniſlai Zolkievij Supremi Cancellarij Regni & Exercituum Imperatoris, cujus ſarcophago proximis campis, in quibus ille rabie Turcica Anno 1620. occubuerat, tam inſigni hoſtium ſtrage Victor Nepos parentavit. Congeminavit avitam gloriam ornatiſſimi Avunculi Staniſlai Danilovicij, Palatinidæ Ruſſiæ immortalis virtus & fatalis pro Patria Anno 1635. occaſus; quem egregius & juvenilis ardor bellicæ laureæ avidum, & pacis, cui tunc ſecura Polonia altum indormiebat, haud tolerantem, Tauricanos in campos privatis opibus viribuſq; ultrò propulerat, ut vetere illa Martis Poloni eruditrice arena per veſtigia ſua SOBIESCIANIS Meritis iter ſignaret, atq; Nobiliſſimo Sangvine, ipſius Cantimiri Tartarorum Hani dexterâ in ultionem occiſi filij mactatus, purpuræ jam præſenti fulgorem commodaret. Neque excidit populo Polono Illuſtriſſimus olim Marcus Sobieſki, Sereniſſimi Electi Noſtri Germanus natu major, qui profligato à Barbaris ad Batoum Exercitu Polono, etſi evadendi non deeſſet occaſio, maluit tamen magnæ cladi fortiſſimorum Virûm immori, & victima pro Patria occumbere; quam indecoro receptu vitam

mer-

mereari; an fortè ita diſponentibus Divinis judicijs, quibus res & perſonas interire, cauſas & eventus eoſdem recurrere ordo eſt; ut repetito Huniadum fato major ſummæ indolis frater, miſeranda cæde ſubmotus, minori ſuperſtiti ad Thronum Regium expeditiorem viam relinqueret. Quod igitur Orthodoxæ Reipublicæ Noſtræ ac univerſæ Chriſtianitati felix, fauſtum, fortunatumq; ſit, tam eximijs dotibus, meritis, & ſplendoribus eumulatiſſimum JOANNEM in Zoſkiew & Złoczow SOBIESKI, Supremi Regni Mareſchalcum Generaliſſimum Exercituum Ducem, Mævenſem, Barenſem, Strynenſem, Javorovien, Kaſuſien, Gubernatorem, liberis, concordibusq; votis, vocibus, & ſuffragijs, nemine contraveniente, omnibus conſentientibus & applaudentibus, pro jure liberæ Electionis, vocatorum non comparentium, abſentia non obſtante, nullo privato reſpectu ducti; ſed Dei duntaxat gloriam, priſcæ religionis Catholicæ incrementum, Reipublicæ ſalutem, ac Gentis Nominiſq; Poloni dignitatem præ oculis habentes, in Regem Poloniæ, Magnum Ducem Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Mazoviæ, Samogitiæ, Kyoviæ, Volchiniæ, Podlachiæ, Podoliæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Severiæ, Czerniechoviæq; eligendum, creandum, nominandũ duximus, prout elegimus, creavimus, renuntiavimus, nominavimus, me prædicto Epiſcopo Cracovien. vacante pro tunc Archiepiſcopali Sede, Munus & Prærogativam Primatialem exercente, & de conſenſu omnium Ordinum, per trinam interrogationem, à nemine impugnatam; ab omnibus & ſingulis approbatam, Electionem concludente. Bona fide promittentes; quod eidem Sereniſſimo & Potentiſſimo Principi Domino JOANNI III. Regi noſtro, eandem fidem, ſubjectionem, obedientiam & obſequia debita, ſecundùm jura & libertates noſtras, ſemper exhibebimus, quam Divis Suæ Majeſtatis Prædeceſſoribus exhibuimus. Tum etiam quòd eundem Sereniſſimum in Comitijs proximis Cracoviæ, eo fine celebrandis, tanquam verum Regem & Dominum Noſtrum, Regio diademate, quo Reges Poloniæ coronari ſolent, inſigniemus, & de more, quem Catholica Romana Eccleſia in ungendis, & inaugurandis Regibus, antehac ſervavit, ungemus, & inaugurabimur: Ita tamen ſi primùm omnium jura, immunitates Eccleſiaſticas & ſeculares, per Divos Anteceſſores nobis conceſſas & donatas, & quæ Nos ipſi præteritorum & præſentis Interregni tempore, pro jure libertatis noſtræ, Statuque Reipublicæ meliùs conſervando ſancimus, manu tenebit, & obſervabit. Si præterea idem Sereniſſimus Electus, conditionibus à Nobis cum Legatis Suæ Majeſtatis concluſis ante exhibitionem præſentis decreti Electionis, ſe ſatisfacturum juramento obſtringet, & literis ſuis authenticis omni meliori modo cavebit. Quod quidem Decretum Electionis noſtræ auxilio Divino exequi cupientes, de communi concordia noſtra ad tradendum illud in manus Sereniſſimi Regis Electi, mittimus cũ Illuſtriſſimo Domino Epiſcopo Cracovienſi nonnullos Senatores & Officiales, & Illuſtrem ac Magnificum Benedictum Sapieha M. D. L. curiæ Theſaurarium, Equeſtris Ordinis Mareſchalcum. Committentes illis id ipsũ decretum intimandi, juramentum ſuper præmiſſis ab ipſo, & ſubſcriptionem recipiendi; tum demum in manus ejuſdem Electi ipſum Decretum dandi, & tradẽdi, ac cætera quæ hæc ipſum negotium requirit, agendi & perficiendi. In cujus rei fidem præſentium Dominorum Senatorum, & ex Equeſtri Ordine ad ſigillandum Deputatorum, ſigilla ſunt appenſa. Datum per manus Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi in Chriſto Patris Domini Andreæ Olſowſki, Epiſcopi Culmenſis & Pomeſanien Pro-Cancellarij Regni in Conventu Electionis Novi Regis Generali Ordinario Regni, & M. D. Lit. ad Varſaviam Die 22. Menſis Maij, Anno Domini 1674.

XIX. Poſt peractam Coronationem Regiam, jus quoddam primæ gratiæ à Regia Majeſtate, pro Domo Archiepiſcopi concedendæ, uſus induxit.

Carncovius Sigiſmundi III. Coronator, Palatinatum Derpatenſem, & Capitaneatum Odolanovienſem.

Wężyk Vladiſlai IV. Capitaneatum Syradienſem, & Vartenſem.

Lubińſki Ioannis Caſimiri, Caſtellanatum Syradienſem, & Capitaneatum Przedecenſem.

Prazmowſki Michaëlis, Palatinatum Płocenſem. Secretariatum Magnum:

Olſzowſki Ioannis III. Palatinatum Ravenſem & Capitaneatum Vielunenſem gratioſa præmia à Regibus accepêre.

XX. Funera item Regum in Eccleſia Cathedrali Cracovienſi, & ubivis celebrare, indubitati juris eſt, & præſcripti uſus Archiepiſcopi Gneſnenſis tanquam Ordinarij, ſive, ut ajunt, proprij Parochi Regis & Reginæ; quemadmodum in terminis deciſum fuiſſe teſtatur Gervas. Chron: Actor: Cantuarien. fol. 1691. Ne prolixè antiqua repetamus, Noſtrâ memoriâ funus Regis Sigiſmundi III. & Reginæ Conſtantiæ Auſtriacæ, duxit peregitque Ioannes Wężyk Archiepiſcopus; Vladiſlai & Ceciliæ Renatæ Mathias Lubieńſki; Ludovicæ Mariæ, Nicolaus Prazmowſki; Ioannis Caſimiri & Michaëlis Regum Andreas Olſzowſki.

XXI. Iuriſdictio Primatialis Metropolitana, & Legationis natæ Gneſnenſis, latiſſimè extenditur; per totum Regnum Majoris & Minoris, Poloniæ, & per Magnum Ducatum Lithvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Vratiſlavienſem in Sileſia, Lubiſſenſem in Marchia Brandeburgica, oras & Diœceſes, atque omnes alias Regno annexas, & incorporatas, ac etiam à corpore Regni quomodolibet avulſas Provincias; quam Epiſcopi omnes Suffraganei, atque ipſe Archiepiſcopus Leopolienſis agnoſcit. Ab Epiſcopis (*inquit Cromerus de Repub: & Magiſtratu Polonorum lib. unico fol: 108. in corpore Hiſtoriæ Polonæ*) eorumq; vices gerentibus, provocatio eſt ad Archiepiſcopos. Et ad Gneſnenſem quidem, ab ipſo etiam Leopolienſi Archiepiſcopo, idque eo nomine; quòd ille eſt Legatus perpetuus, ſive ut vulgò loqvuntur, Natus Sedis Apoſtolicæ. Pertinent autem ad ejus Provinciam, hi Epiſcopi: Cracovienſis, Vladiſlavienſis, Poſnanienſis, & Płocenſis, in Polonia, Vratiſlavienſis in Sileſia Bòemicæ ditionis, Lubuſſenſis in Marchia Brandeburgica, Vilnenſis in Lithvania, Mednicenſis, in Samogitia &c. Et infr: fol: 113. Hic illud modò notandum eſt, quòd licet Archiepiſcopus Leopolienſis, ſuam habeat Provinciam à Gneſnenſi diſtinctam; tamen & ipſe, & (ut vocant) Suffraganei ejus Epiſcopi, Gneſnenſis Archiepiſcopi authoritatem agnoſcunt; cum in provocationibus & judicijs, tum in Synodis ad quas ab illo evocantur.

Exinde alicubi nuncupatur Vicetenens Papæ per Sarmatiam, teſtimonio Alexandri Guagnini Veronenſis, qui in deſcriptione Sarmatiæ de Rege Poloniæ, & Senatu fol: 36. in Corpore Hiſt. Poloniæ. *Archiepiſcopi* inquit *duo ſunt in univerſo Regis Poloniæ imperio. Gneſnenſis Regni Primas, & Legatus Natus, Romani Pontificis in Sarmatia Vicemtenens &c.*

XXII. Eò nunc loci demonſtrandum venit, Vratiſlavienſem, Eccleſiam & Diœceſim, ejuſque Epiſcopum, & Vniverſum Clerum ac Populum, ad Provinciam Gneſnenſem, ad Metropolitanum ac Primatiale jus, & Iuriſdictionem Archiepiſcopi Gneſnenſis, omnino pertinere. Documento

mento ſunt ex Archivo Capituli Gneſnenſis.

Breve Caliſti Papæ

CAliſtus Epiſcopus Servus Servorum DEI, Dilecto Filio Nicolao Spiczymiri, Cantori Eccleſiæ Cracovien. Decretorum Doctori, Apoſtolicæ ſedis Nuntio, fructuum, reddituum & proventuum, Cameræ Apoſtolicæ in Regno Poloniæ, ac Provincia Gneſnenſi, ejuſq; Civitatibus & Diœceſibus Collectori, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Officij Noſtri Cura exigit: ut ſic literas, quæ à Nobis emanarunt ad rationis tramitem reducamus: ut nulli exinde falcem, in meſſem alienam ponendi, vel alia malignandi occaſio tribuatur. Dudum ſiquidem per alias Noſtras literas, ſub Dat: Decimo Kal: Auguſti, Pontificatus Noſtri Anno Tertio. Dilectum Filium Henricum Koratt: poſtulatum, Eccleſiæ Litomiſlen. Acolitum Noſtrum, in Provincia Pragenſi ejuſque Civitatibus & diœceſibus, nec non in diœceſi Vratiſlavienſi, denarij Sancti Petri ac fructuum, redituum, & proventuum Cameræ Apoſtolicæ debitorum, Collectorem & generalem Receptorem, uſque ad Noſtrum & Apoſtolicæ Sedis beneplacitum fecimus, conſtituimus, & deputavimus: revocando omnes alios & ſingulos hujuſmodi Collectores, & Receptores, in præfatis Provinciæ Civitatibus, ex Diœceſibus, ac diœceſi Vratiſlavienſi, per Nos aut quacunque alia authoritate deputatos, ac eis conceſſas Commiſſiones, præfatoque Henrico, per ſe, vel alium nonnulla tunc expreſſa faciendi, plenam & liberam facultatem concedendo, prout in eiſdem literis; quarum tenorem ac ſi illæ de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus haberi volumus pro expreſſo; pleniùs continetur. Cum autem, ſicut ex literis Chariſſimi in Chriſto Filij Noſtri, Caſimiri Poloniæ Regis Illuſtris, per eum Nobis ſuper hoc deſtinatis, ac etiam ex plurium fide dignorum relationibus fuimus certiores effecti; quòd eadem Diœceſis Vratiſlavien, non intra dictam Provinciam Pragenſem; ſed intra Metropolim Eccleſiæ Gneſnen. quæ in Regno Poloniæ conſiſtit comprehendatur, Ducatuſque Eccleſiæ dictæ Vratiſlavienſis, diœceſis quondam fuerit pars dicti Regni Poloniæ, in quo tu generalis Collector exiſtis. Et propterea, ſi idem Henricus Officium Collectoris, ſeu Receptoris hujuſmodi, in dicta Diœceſi Vratiſlavienſi, exercere habeat, diſſenſiones & ſcandala quàm plurima ſubſequi proh dolor formidentur. Nos igitur ad quos pertinet ſuper his adhibere vigilantiæ Noſtræ Curas, motu proprio, non ad ipſius Regis, vel alterius ſuper hoc Nobis oblatæ petitionis inſtantiam; ſed æquitatis & honeſtatis debito ſvadente, & ex mera Noſtra liberalitate, deputationem, Conſtitutionem, facultatem, & literas Noſtras hujuſmodi, & in eis contentá ac Inde ſecuta, quæcunque, quo ad præfatam diœceſim Vratiſlavienſem, & quamcunque ejus partem, authoritate Apoſtolica tenore præſentium ex certa ſcientia revocamus, caſſamus, irritamus, & omnino juribus evacuamus, nulliuſque roboris vel momenti fuiſſe & eſſe decernimus, & declaramus, præfatoque Henrico, necnon Succollectoribus, & aliis per eum forſan deputatis vel deputandis diſtrictiùs inhibemus: ne ſub Excommunicationis ac privationis Officij prædicti, nec non Beneficiorum Eccleſiaſticorum, quæ obtinent, quæcunque, quotcunque & qualiacunque fuerint, & perpetuæ inhabilitationis, ad illa vel alia quæcunque ſimilia vel diſſimilia Beneficia Eccleſiaſtica

obtinenda

obtinenda, pœnis, quas ex nunc in eos & quoslibet ipsorum, si hujusmodi rebelles vel inobedientes fuerint, proferimus & promulgamus, prætextu prædictarum, vel quarumcunque aliarum literarum, à Nobis vel sede prædicta emanatarum, vel de cætero emanandarum, in eadem Diœcesi Vratislavienſi, aliquid attentare vel ad illa ſe intromittere, quoquo modo præſumant. Volentes quod officium Collectoriæ & Receptoriæ hujuſmodi, per te & tuos Succollectores, & non dictum Henricum, vel per ipſius deputatos ſeu deputandos Succollectores ſeu Receptores in præfata diœceſi Vratiſlavienſi exerceatur. Ac decernentes irritum & inane, quidquid ſecus ab Henrico vel Succollectoribus hujuſmodi ſeu quibuſvis alijs Apoſtolica vel alia quavis authoritate, ſcienter vel ignoranter attentatum forſan eſt hactenus vel in poſterum contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum, liceat hanc paginam Noſtram Revocationis, Caſſationis, Irritationis, Evacuationis, Conſtitutionis, Declarationis, Inhibitionis, Prolationis, promulgationis & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit Indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romæ, apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo octavo, quartodecimo Kal: Maij, Pontificatus Noſtri Anno tertio.

A. de Herrarij.

Breve Leonis Papæ.

LEO Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Archiepiſcopo Gneſnenſi, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Ad cumulum tuæ cedit ſalutis & famæ; ſi Perſonas Eccleſiaſticas, præſertim Pontificali dignitate præditas, Divinæ propitiationis intuitu, opportunâ præſidij ac favoris gratiâ proſequaris. Hodie ſiquidem Electionem, dudum de perſona dilecti Filij Jacobi Electi Vratislavienſis, ad Eccleſiam Vratislavienſem, tunc per obitum bonæ memoriæ Joannis Epiſcopi Vratislavienſis, extra Romanam Curiam defuncti, Paſtoris ſolatio deſtitutam: per dilectos Filios Capitulum ipſius Eccleſiæ Canonicè celebratum, de Fratrum Noſtrorum conſilio, authoritate Apoſtolica approbavimus, & confirmavimus. Ipſumque Jacobum Electum, eidem Eccleſiæ præfecimus, in Epiſcopum & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ, ſibi in ſpiritualibus & temporalibus plenariè committẽdo, prout in noſtris indè confectis Literis plenius continetur. Cum igitur; ut idem Jacobus Electus, in commiſſa ſibi præfatæ Eccleſiæ cura, facilius proficere valeat, favor tuus ſibi noſcatur plurimùm opportunus: fraternitatẽ tuam rogamus, monemus, & hortamur, attentè per Apoſtolica ſcripta tibi mandantes; quatenus eundem Jacobum Electum, & præfatam Eccleſiam ſibi commiſſam, ſuffraganeum tuum habens, pro noſtra & Apoſtolicæ ſedis reverentia, propenſiùs commendatos: in ampliandis & conſervandis ejuſdem Eccleſiæ juribus, ſic eos tui favo-

ris præſidio proſequaris; quod ipſe Jacobus Electus, per tuæ auxiliũ gratiæ, poſſit ſe in commiſſo ſibi dictæ Eccleſiæ regimine utiliùs exercere. Tuque Divinam miſericordiam, ac Noſtram & ejuſdem ſedis Apoſtolicæ benevolentiam, valeas exinde uberiùs promereri. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo, Quingenteſimo, Vigeſimo primo. Nono Kal: Auguſti. Pontificatus noſtri Anno Nono.

Joannes de Radicibus.

Juramentum Petri Epiſcopi Vratiſlavienſis Archiepiſcopo Gneſnenſi præſtitum.

IN Nomine Dni Amẽ. Anno à Nativitate ejusdem, milleſimo Quadringenteſimo, Quadrageſimo ſeptimo, Pontificatûs Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri, Domini Nicolai Divinâ providentiâ Papæ Quinti, Anno primo, Indictione Decima, die verò ſolis vigeſima ſecunda, Menſis Octobris, finito Officio ſummæ Miſſæ, in Eccleſia Vratiſlavienſi, ante ſummum Altare ejusdẽ, in Reverendorum in Chriſto Patrum & Dominorum, Dominorum Ioannis Naturen: Conſecrantis, Ioannis Bardens: & Ruchardi Sumbaliens: ſibi aſſiſtentium Epiſcoporum, meique Notarij publici, ac teſtium infraſcriptorum, ad hoc vocatorum ſpecialiter & rogatorum, præſentia conſtitutus perſonaliter Reverendus in Chriſto Pater & Dominus, Dominus Petrus Epiſcopus Vratiſlavienſis conſecratus, poſt impenſum ſibi munus Conſecrationis, exigente Domino Domino Ioanne Epiſcopo Naturen: conſecrante, juramentum in manibus ejuſdem præſtitit, flexis genibus, & tactis Sacroſanctis Evangelijs, contentum in charta pargamenea, Sigillo Reverendiſſimi in Chriſto Patris, & Domini, Domini Vincentij, Sanctæ Eccleſiæ Gneſnenſis Archiepiſcopi, & Primatis digniſſimi, appreſſo conſignata: tenore qui ſequitur de verbo ad verbum & eſt talis. Ego Petrus Epiſcopus Vratiſlavienſis, ab hac hora ut antea fidelis & obediens ero, Beato Adalberto Martyri & Pontifici glorioſo, Sanctæ Eccleſiæ Metropolitanæ Gneſnenſis, ac Domino meo Reverendiſſimo, Domino Vincentio Archiepiſcopo Eccleſiæ ipſius Gneſnenſis, & Primati, nec non Sancto Petro, Sanctaque Romanæ Eccleſiæ, & Regulas Sanctorum Patrum adjutor ero ad defendendum & retinendum, ſalvo ordine meo, contra omnes homines, vocatus ad Synodum veniam, niſi præpeditus fuero Canonica præpeditione, Legatum Sedis Apoſtolicæ, quem certum eſſe cognovero, in eundo & redeundo honorificè tractabo, & in ſuis neceſſitatibus adjuvabo, Liminaque Sancti Adalberti, & Eccleſiam Gneſnenſem ſingulis annis per me; aut per certum Nuncium, niſi Metropolitani abſolvar licentiâ, viſitabo. Sic me Deus adjuvet, & Sancta Dei Evangelia. Quo juramento, & ſupra eo ſic ut præmittitur

mittitur per omnia præstito, prætactus Dominus Ioannes Episcopus Naturen: Consecrator, sibi à me Notario publico, confici & fieri petijt unum vel plura, seu quotquot necessarium seu necessaria, publicum seu publica Instrumentum seu Instrumenta. Acta sunt hæc, Annis; à Nativitate Domini, Pontificatûs, Indictione, die, hora, & loco quibus supra. præsentibus ibidem Venerabilibus, Egregijs & Honorabilibus Viris, Dominis, Nicolao de Brega Magistro Cantore, Gaspare Bergil Licentiato in Sacra Theologia Cancellario, Iaroslao Kakolowski Canonicis Ecclesiæ Vratislavienſis, Ioanne Barde Præposito Collegiatæ Legnicen: & Romano Vicedecano Gnesnenſi Ecclesiarum, aliaq; Cleri & populi multitudine copiosa testibus ad præmissa. L. S.

Et ego Petrus Coler de Wartemberg, Clericus Vratislavienſis Diœceſis, publicus Imperiali authoritate Notarius: quia prædicti juramenti exactioni, factioni, aliisque omnibus & singulis præmissis, dum prout præmittitur agerentur & fierent, unà cum prænotatis testibus, præsens fui. Eaque omnia & singula sic fieri vidi & audivi. Ideo hoc præsens publicum Instrumentum per alium, me arduis occupato, fideliter ingrossatum, & manu meâ propriâ subscriptum, exinde confeci, & in hanc publicam formam redegi, signo & nomine meis solitis & consvetis signavi, rogatus & requisitus in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum.

Epistola binæ Caroli Archiducis Episcopi Vratislavienſis ad Archiepiscopum Gnesnenſem.

Carolus Dei Gratia Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Administrator Magni Generalatus Prussiæ, Magister Ordinis Teutonici per Germaniam & Italiam, Episcopus Brixinenſis & Vratislavienſis, Comes Habspurgi, & Tyrolis &c.

ILlustrissime & Reverendissime Domine, Amice chariſſime. Provocavit Nos, Reverendissimam D. V. hisce nostris compellare literis, tum ea quam sedi Metropolitanæ antiquitus debemus connexio; tum etiam Reverendissimæ D. V. quam ex Generoso, Magnifico, fideli, Nobis dilecto, Sigismundo Opacki de Opaka, Regiæ Poloniæ & Sueciæ Majestatis, & Dilectis Camerario, & supremo stabuli Prræfecto, nec non Nostro Camerario, uberrimè accepimus, pia prorsus & Paterna erga afflictam Ecclesiam Nostram solicitudo. Experimur etenim quanta industria, hostes Religionis Catholicæ ad opprimendum se se conjungant; nec Nos ad propulsandum alia methodo potentiùs accingi arbitramur, nisi ea; quam superna unitas cunabulis Episcopatûs Nostri Vratislavienſis primitus indiderat, vicissim coalescente, quam in rem, sedulò & antiquioribus incumbemus curis. Præterea censemus Illustrissimam D. V. abundè perspexisse, quo in discrimine Ecclesia Nostra Vratislavien: quinimo totus qui supereſt Catholicus Status, calamitoso hoc furiarum hæreticarũ seculo voluatur, & quemadmodum virus pestilentissimum seditionis & persecutionis ad funestam Catholicorum extirpationem dictu

graviùs

graviùs ſerpat & invaleſcat. Non adeò quod diverſos ritus Noſtrates ſectari ſtudeant; ſed magis ut illius prætextu ad bona Eccleſiaſtica aditum ſibi parent, ea diripiant, rem ſuam per illa augeant, atq; hanc Patriam; quæ olim pro Romana Eccleſia ſæpè arma contra Huſſitas induit, afflictent, confundant, graviſſimâ ruinâ involvant. Incredibile enim eſt quanta inſania Principes, præſertim hujus Provinciæ, in Bohemicas rebellionis tendiculas prolabantur, in perniciem Regis legitimi, & everſionem Religionis Catholicæ conjurent, articulos verè ſacrilegos, quibus Magiſtratum tam Eccleſiaſticum; quàm ſæcularem obruere geſtiunt, unanimi ſuffragio conſtituant: quemadmodum Reverendiſſ: D. V. ex incluſo concluſionum Bohemicarum exemplo fuſiùs intelliget: Et niſi Chriſtianorum Regum ac Principum potentiâ comprimantur, brevi futurum; ut nulla ſit ſubditorũ erga Principes & Antiſtites obedientia, nullus ordo, nulla ſuperioritas, nulla religio, niſi quam peſſimus quiſque pro libidine animi ſuſceperit, quæ clades finibus noſtris adeo vix cò ercebitur; quin etiam ad vicinum Poloniæ exuberet, atque erumpat Regnum. Cui ut peſtifero; ita communi malo, extrema hac rerum viciſſitudine, aliunde facilius & tutiùs occurri poſſe non videmus; quam ex tutelari patrocinio, contermini Poloniæ Regni. Inde etenim orbata Noſtra Eccleſia defenſionem jure quaſi ſuo expetit, unde olim fundationem accepit; nec fieri poſſe autumat; ut Marer filiæ ſuæ obliviſci, multò minùs eidem deeſſe unquam poſſit. Quâ fiduciâ in R. D. V. innixi, conſilium quod ſeſe rebus ſic afflictus inſinuat, eidem exponere, trutinæ & cenſuræ ejus porrigendum duximus. Duces Noſtrates, qui non ita imitatores; quàm authores turbarum Bohemicarum, contra Regem ſuum ſe ſe exhibent. Telonia commiſſa, ut vaſalli, omnibus ſuis feudis, de jure exciderunt. Executio deſideratur, quæ non incongruo forſitan contingere poſſet modo. Concluſum eſt proxima Vratislavienſi dicta; confinia Sileſiæ Regno Poloniæ contigua, omni ex parte foſſis & fortificationibus circumdare. Eſt autem circa eoſdem limites hujuſmodi confuſio; ut undequaque in incerto & in lite conſiſtant, quod etiam nullo in loco abſque controverſia, præjudicio & læſione finitimi fundi, illud ipſum effici valeat. Quo quidem ex opere veluti novo & ſuſpecto, non modo inclytum Poloniæ Regnum injuriam allegare, verùm etiam illi, qui in limite Regni habitant, de fundorum ſuorum diſpendio juſtam querelam, & gravamen depromere poſſint. Sub hac anſa Sereniſſ: Rex Ferdinãdus, offenſis illis Regni Poloniæ Incolis, vel certè alijs, qui ad hoc negotium aptiores videantur, irruptiones in poſſeſſiones Principum conterminas; pro executione eâ committere lege; ut juribus & ſumptibus ſuis feuda juris & facti, diſpoſitione caduca occuparent, & tamdiu eadem (ſubjectione tamen Regi Ferdinando ſalva) uſurparent; quoadùſque refuſionem cum lucro inde excerpere & reportare poſſẽt.

Super quo quidem antequam cum Sereniſſ: Fratre Noſtro, Rege Ferdinando, eâ de re quidquam communicemus; Nobis prius Reverendiſſimæ D. V. implorandum duximus & prudens conſilium, & præſens auxilium. Præterea Reverendiſſimam D. V. enixè rogamus; ut eâ qua plurimùm pollet & poteſt authoritate imò celebri ſuo in protegendo Divino cultu fervore, & in Eccleſiam Noſtram, jam jam præcipitantem, patrocinio, Sereniſſimum ac Potentiſſimum Principem, Dominum Sigiſmundum III. Regem Poloniæ & Sveciæ, Magnum Ducem Litvaniæ, Ruſſiæ, ac Pruſſiæ, & Dominum affinem, & Patrem Noſtrum obſervandiſſimum, eo diſponere, & eo hortari non intermittat; ut ſua Majeſtas Regno ſuo appropinquantem & minitantem, tam ingentem Chriſtianæ Religionis cladem graſſari, & tam pia avorum ſuorum, ad æviternam Dei gloriam à ſtirpe fundata ſacraria, poſſeſſiones & bona, à Religioſiſſimis Principibus, locis ſanctis, & Perſonis Eccleſiaſticis collata, nefandis applicari & miſerè diſtrahi utilitatibus, non conniveat. quin potiùs pro Regia ſua virtute, omni quo poſſit modo atque ſtudio adniti dignetur; ut in cauſa Religionis & Sereniſſimi Regis Ferdinandi, quæ non modo ob ſangvinis conjunctionem; verùm etiam ob loci vicinitatem & contagionis periculum, maximè ad eandem pertinet; brachio & viribus ſuis, quibus ad defendendam Eccleſiæ ſalutem, cum inclytis Regni ſui Optimatibus, à DEO præ multis aliis mundi Rectoribus cumulatiſſimè adaucta exiſtit, maturè ſuccurrat. Sereniſſimam Domum noſtram unicam hiſce in partibus Religionis Catholicæ altricem, pro ea quæ in Sereniſſimam Poloniæ progeniem redundat ſucceſſione, hæreditariis Regnis & Dominiis ob cauſam DEi, tam turpiter & immeritò exui non admittat. Nos viciſſim non modò erga Majeſtatem Suam Regiam, verùm etiam erga Rndmam D. V. cui omne quidquid inde in effectu boni & pij in communem religionis cauſam ditivabitur, gratum & acceptum referemus cum tota Sereniſſima Familia noſtra, omni quo par eſt ſtudio & officio rependere enitemur. Datæ in Civitate reſidentiæ noſtræ Epiſcopalis Niſſa 14. Aug: 1619.

Illuſtriſſimæ & Reverendiſſimæ Dōnis V.

Amicus Sincerus CAROLUS *mp.*

A TERGO LITERARUM.

Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino Laurentio, Archiepiſcopo Gneſnenſi, Legato Nato, Regni Poloniæ Primati, Primoq; Principi, Domino & Amico noſtro chariſſimo.

Carolus DEi Gratiâ Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Virtembergæ, Adminiſtrator Magni Generalatûs Pruſſiæ, Magiſter Ord. Teutonici, per Germaniam & Italiam,

liam, Epiſcop: Brixinenſis & Vratislavienſ: Comes Habsburgi, Tirolis & Gorithiæ &c.

Illuſtriſſime & Reverendiſſime Domine, Amice noſter chariſſime.

EOdem tempore redditæ ſunt nobis binæ à duobus Capitulis Nazianzenis, Vratislavienſes literæ, alteræ à Capitulo Eccleſiæ Cathedralis; alteræ à Capitulo Eccleſiæ Collegiatæ Sanctæ Crucis. Quibus quid in hac rerum perturbatione ſequi, quamque rationem tenere debeant, & cum ab illis homagium intruſo Regi Bohemiæ, qui brevi Vratislaviam venturus dicitur, requiratur; quid ſibi hac in parte faciendum ſit, conſilium Noſtrum exquirunt. Id totum cum ad univerſam Diœceſim ſpectet; cum Illuſtriſſima & Reverendiſſima D. V. communicandum meritò duximus, quam & Metropolitanum Noſtrum agnoſcimus, & ſingulari in dandis capiendiſque conſilijs, excellere prudentiâ non dubitamus. Proinde amanter ab ea requirimus; ut pro Metropolitani vigilantia, & pro ſuo in Nos totamque Sereniſſimam Domum Auſtriacam ſtudio, quomodo utrique huic Capitulo in præſenti negotio reſpondendum cenſeat, conſilium ſuum nobis impertiatur. Graviter quidem ab ijs eo nomine peccatum eſt; quòd inconſultis nobis, & ſine ſcitu Noſtro, eos articulos, quos deteſtari debuerant, juramentò comprobarunt: nihilominùs cum ad nos nunc confugiant, vix eſſe conſultum videtur, ut quemadmodum priora; ſic hæc quoque ſuo arbitrio agere permittantur, ſed hæc quidem non attinent, quidquid Illuſtriſſimæ & Reverendiſſimæ D. V. videbitur, id amplectemur. Vt autem luculentiùs id, quod à nobis petitur Illuſtriſſima & Reverendiſſima D. V. cognoſcat, eas ipſas literas, quæ nobis allatæ ſunt, ad eam tranſmittimus. Avidè igitur reſponſum illius expectabimus; cui ſtudia noſtra deferimus, & feliciſſima quæque cum diuturna valetudine exoptamus. Datum Varſaviæ, die ultima Menſis Decembr. 1619.

Illuſtriſſimæ & Reverendiſſimæ D. V.

Amicus ſincerus

CAROLUS

STanislaus Lubiński Epiſcopus Płocenſis Lib. 4. de rebus Sileſiacis Epiſcopatum Vratislavien. Nobiliſſimam Metropolitanæ Provinciæ Gneſnenſis portionem appellat. Ibidemque: Sileſiam à Regno Poloniæ non ita avulſam eſſe; ut nullus ejus Provinciæ recuperandæ juriſque aſſerendi locus relictus ſit: quod nec præſcriptione auferri, nec privatis tranſactionibus interverti potuit. Epiſcopatum Vratislavienſem, beneficio & liberalitate Regum Poloniæ fundatum

datum dotatumque; excutiendo omnia vetuſtatis monumenta, Privilegia Epiſcopatûs Vratislavienſis, univerſæ Sileſiæ jura, Principum vetuſti Ortus Origines, illos omnes, Sangvine Regum & Principum Poloniæ, eorundem beneficiarios in lucem prodiiſſe. Quidquid nunc Sileſiæ Ducatus nomine continetur, cum Epiſcopatu Vratislavienſi, in ditione Regni & Regum Poloniæ fuiſſe: Caſimirum Primum Regem Poloniæ, Sedem Epiſcopi, quæ primùm Smogoroviæ, deinde Bycynæ fuit, Vratislaviam tranſtuliſſe. Principes Sileſiæ antiquitùs, nec non Epiſcopum, Palatinum Caſtellanum, Vratislavienſes, Comitijs Polonicis interveniſſe: Venceslaum Imperatorem & Regem Bohemiæ, ad danda ſubſidia, nomine Ducis Sileſiæ contra quemvis hoſtem, cum Sexcentis lanceis & totidem baliſtarijs, Vladislao Iagielloni Poloniæ Regi, in Anno 1395. fœdere obſtrinxiſſe: Duces Sileſios eidem Vladislao contra Cruciferos bellum gerenti, Anno 1414. (ad quod univerſos, Regni Proceres exciverat) commilitaſſe ſcribit. Et ibidem infra. Subeſt & hactenus Epiſcopus Vratislavienſis jure Primatiali Archiepiſcopo Gneſnenſi, & ſemper ejus juriſdictionem agnovit, & dubijs adverſiſque rebus ſuis patrocinium quoque expertus eſt, ut cum Boleslaus Calvus Anno 1257. Thomam Epiſcopum Vratislavienſem, templum Gorcenſe ritu Chriſtiano dedicantem, nefariè cepiſſet; & in vincula conjeciſſet: Fuleo Archiepiſcopus Gneſnenſis, impium Epiſcopi violatorem diris devovit, conſultoque Summo Pontifice Alexandro IV. militiam cruce ſignatorum, per totam Provintiam, contra eum promulgavit, atque ad tranſactionem cum Epiſcopo in eundem compulit. Hujus Boleslai impium facinus, cum Henricus cognomento Probus, re ipſa turbulentus & ſeditioſus Princeps, Vratislavienſis Dux æmulatus eſſet, ac circa Annum Domini 1283. Thomæ II. Epiſcopo Vratislavienſi; illius quem Boleslaus Calvus ceperat, ex Sorore Nepoti, grandem pecuniæ ſummam imperaſſet, eaque negata, ditiones Epiſcopi & Sacri Ordinis invaſiſſet, & mox Decimas omnes uſurpaſſet: Iacobus cognomento Suinka Archiepiſcopus Gneſnenſis, coacta Lenciciæ Synodo, de ſententia Concilij Provincialis Henricum communione Chriſtiani Populi excluſit, ac Vratislavien. Civitati, cæteriſque qui in ditione illius erant, ſacris interdixit: nec antea pœna ſoluit, quàm Henricus Epiſcopo ſatisfeciſſet &c.

Succeſſu temporis cum Ioannes Rex Bohemiæ, occupatâ magnâ parte Sileſiæ, Epiſcopo Vratislaviẽſi Nancero gravis eſſet, multiſq; eum injurijs affeciſſet, demum vitâ functo, Preteslaus Pogorelicius Polonus gente Grimalius, Epiſcopus Vratislavienſis, nolens volenſque ita tranſegit, & in Patronum Ioannem Bohemiæ Regem adoptavit; ut jura Eccleſiæ Metropolitanæ ſalva manerent, quibus, etiamſi maximè vellet, Epiſcopus Vratislavienſis derogare non potuit, ſed nec voluit quidem &c.

Et

Et cum aliquot exactis annis Carolus Quartus Imperator, idemque Bohemiæ Rex, à Clemente VI. Pontifice Maximo contenderet; ut Epiſcopatus Vratislavienſis Archiepiſcopo Pragenſi ſucijceretur: obſtitit Caſimirus Rex ac per Legatum ſuum, Albertum Cancellarium Dobrinenſem, à Pontifice obtinuit; ut jus Archiepiſcopi Gneſnenſis ratum eſſet. &c. addit ibidem Lubinius nihil in Epiſcopatu Vratislavienſi, nihil in Sileſia Poloniæ vicina, in ſtatu Eccleſiaſtico novari poſſe: quod connexas illi, Regni Poloniæ Eccleſias & ditiones non afficiat: quibus certè Rex patrocinium debet, nec permittere illi licet; ut Archiepiſcopi Gneſnenſis Primatialis prærogativa & Iuriſdictio violetur.

Stephanus Damalevitius de Archiepiſcopo Gneſnenſi pagin: 184. Caſimirus Rex nè Vratislavienſis Eccleſia à Gneſnenſis Archiepiſcopi juriſdictione abſtracta, Pragenſi, quemadmodum contenderat Carolus IV. Imperator, & Rex Bohemorum, ſubijceretur, apud Clementem VI. obſtitit, quod obtinuit; ita ut hucuſque eam juriſdictionem Archiepiſcopi Gneſnenſis recognoſcat: quod ex Andreæ & Martini Epiſcoporum Vratislavienſium Synodis, & Conſilio Nationali, ſub Stanislao Karnkowski, & literis Epiſcoporum Vratislavienſium, ad Laurentium Gembicki, & Ioannem Wężyk directis perſpicuum eſt. Idem memorat Ioannem II. vulgò Ianicum, ex Vratislavienſi Præſule, ad Archiepiſcopatum Gneſnenſem, Nancerum ex Cracovienſi, ad Vratislavienſem Cathedram translatos fuiſſe: Vratislavienſem Epiſcopum in Senatu Poloniæ proximè poſt Cracovienſi locum tenuiſſe.

Cromerus; Epiſcopum Vratislavienſem in Sileſia, inter Suffraganeos Archiepiſcopi Gneſnenſis recenſet. Palàm item atque extra controverſiam eſt, & ex Actis Conſiliorum Provinciæ Gneſnenſis, Epiſcopos Vratislavienſes ijſdem interfuiſſe: Archiepiſcopos pro Metropolitanis & Primatibus ſuis agnoviſſe; reverenter prout Suffraganeos decet, obſervaſſe; poſterioris ævi temporibus; ut ad Synodos accedant Synodaliter commonitos fuiſſe.

Anno 1623. Synodus Gembiciana Cap. 4. ſic habet: Epiſcopus Vratislavienſis. &c.

EPiſcopus Vratislavienſis, cum ab origine ſuæ fundationis ad Provinciam Metropolis Gneſnenſis, cum ſuo Venerabili Capitulo pertineat; & Reverendiſſimi olim piæ memoriæ Epiſcopi Vratislavienſes, in ſuperioribus Synodis Provincialibus, intereſſe, legitimè non impediti, pro ſuo munere ſoliti fuerint. Cavet præſens Synodus, ne per hoc, quod Sereniſſimus & Reverendiſſimus Domino Epiſcopus modernus, propter præſentia turbatiſſima tempora, ex remotioribus ab Epiſcopatu locis, ad Concilium præſens Provinciale, commodè venire non potuerit; nec Nuntium etiam parem ei legationi

gationi rectè obeundæ ſine periculo mittere; juribus Eccleſiæ Metropolitanæ & Primatialis præjudicetur: & ne inpoſterum ab Eccleſia Vratislavienſi; quam Sancta Sedes Apoſtolica Metropolitanæ Gneſnenſi, adjunctam eſſe voluit, debitum hoc ex veteri inſtituto Provinciæ, officium intermittatur. Ac ut ea quæ in præſenti Synodo, ad communem uſum Provinciæ, ordinata & ſancita ſunt in Diœceſi Vratislavienſi, quantùm maximè in Domino fieri poteſt, ex auctoritate illa ordinaria obſerventur, fraternè præſens requirit Synodus. Quem ad finem ab Illuſtriſſimo Domino Primate, Conſtitutiones ejuſdem Synodi ad Eccleſiam Vratislavienſem tranſmitti debebunt,

XXIII. Nec refert, quòd terra Sileſiæ avulſa ſit, & ſeorſivis hodie diſtincta limitibus, à Regno Poloniæ: Licet enim Principes Laici, diverſis temporibus Civitatum & Provinciarum fines aliter deſtinxerint, quàm olim eſſent, non ex hoc fuerunt mutati fines Provinciæ, & Iuriſdictionis Eccleſiæ ſemel aſſignati; quod ſervandum eſſet in poſterum, ſi nova ſequeretur diſtinctio, juxta diſpoſita in Can: Lege Imperatorum. 10. diſt: ubi gl: 1. & Gemin: in 4. & Præpoſ: in 6. notat. latè deciſum in Virduneń Electionis Epiſcopatus 15. Novembr. 1695. coram Cardinal: Lancelloto. Vnde eſt quod non procedit illatio, à ſituatione ſeu finibus territorij temporalis, ad ſituationem, ſeu finem territorij Eccleſiaſtici, in quem ſenſum accipienda ſunt verba Gelaſij in Can: Licet. in Regulis, ad fin: 1694. & planè per exempla demonſtrant, Beror: Conſil: 22. Num. 10. Lib. 3. & Menoch. Conſil: 859. num. 3. & 4. Item, ſi unam Provinciam in duas dividi contigit, non per hoc erunt duo Archiepiſcopi Metropolitani; ſed unus ſicut antea, ut in dict. Can: Lege Imperatorem, Cap. 1. & 2. 101. diſt.

XXIV. Habet Epiſcopus Cracovienſis, in Sileſiæ partibus per Ducatum Teſchinenſem, & Dominium Ptinenſe, vicinamque Severienſi Ducatui oram, Epiſcopalem Iuriſdictionem. Eodem nomine Epiſcopus Poſnanienſis, Sileſiæ partem Poſnanienſi Palatinatui confinem, complectitur. Viciſſim Epiſcopus Vratislavienſis in Eccleſias: per Ditiones Regni Poloniæ, Territorij Vieluneń, Oſtreſovień, & aliqua ex parte Palatinatus Caliſſienſis Iuriſdictionem itidem conſervat. Abbas Paradiſienſis, bona præcipua fundationis ſuæ in Sileſia poſſidet. Abbas Tynecenſis, Eccleſiam Orlovienſem in Ducatu Theſchonenſi, Abbatiæ itidem titulo inſignem, immediatè Monaſterio Tinecenſi ſubjectam habet. Præpoſitus Miechovienſis, Ordinis Canonicorum Regularium Divi Auguſtini, Sepulchri Ieroſolymitani Cuſtodum Generalis Præfectus, ejuſdem Ordinis Præpoſitos immediatè ſibi ſubjectos, Nimenſem videlicet, & Bitomienſem in Sileſia ordinat, inſtituit, & ſumma cum poteſtate illis præeſt.

De

De Primo Principatu Archi-Episcopi Gnesnensis.

CAPVT IV.

1. SUperiori Capite, Primatis & primi Principis dignitatem, qui tituli plerumq; indistinctè habentur, gravi sermone & scripto satis asseruit Jacobus Uchanski Archiepiscopus Gnesnensis. Nobis etiam otiosum & tautologicum videtur repetere quæ principio libri de auctoritate & potestate Archiepiscopi Gnesnensis, ex gravissimis auctoribus collegimus. Superest ut documenta evidentia ac Privilegia Originalia in pergameno, quæ per tot sæculorum rerumq; vices integra & illæsa, furorem hostium, sæva quævis ac pretiosa Basiliçæ Gnesnensis deprædantium, evaserunt nostrasq; ad manus rectè custodita feliciter devenerunt, publici juris faciamus.

II. Casimirus Magnus Archiepiscopum Gnesnensem *primum Principem*; Vladislaus Jagello *Vicarium suum*; Joannes Albertus *in consiliis Gubernatorem & Majestatis Regiæ auctorem* Privilegijs suis appellarunt.

Vetere & rudiore illo ævo simplicius uti vivendi, ita scribendi mos obtinebat. In memorato Decreto inter Jaroslaum Archiepiscopum & Capitulum ac Vicarios Cracovienses Ecclesiæ, Ludovicus Poloniæ & Ungariæ Rex, Excellentissimus scribitur. Mathias Miechovius Canonicus Cracovienses, dedicatoriâ Historiæ Polonæ Epistolâ, Regem Sigismundum Primum, Illustrissimum nominavit. Neque Archiepiscopi verborum attentiores erant, magnis & solidis rerum prærogativis contenti. Sed exinde jam à Sigismundo Augusto Rege, ultimo Poloniæ hærede, aliisq; sub Regibus, limatiore sæculo, in Epistolis ad Archiepiscopos formam hanc Cancellaria Regni observat: *Reverendissimo in Christo Patri Domino Archiepiscopo Gnesnensi Legato Nato, Regni nostri Primati Primoq; Principi sincerè nobis dilecto*. Eundem Imperator pari quo Cardinales tituli honore dignatur: *Reverendissimo in Christo Patri*. in contextu: *Reverendissimæ Paternitati Vestræ*; in literis ad Senatum Poloniæ: *Reverendissimam Paternitatem Vestram*, & *Vos* distingvit Rex Galliæ, *Nostre Cousin*. Hispaniæ, Angliæ, Sveciæ, Daniæ Reges *Reverendissimo & Illustrissimo Domino Amico*, attribuunt. *Reverendissimæ Illustritati Vestræ bonus Amicus*, subscribunt. Nuperrimè Rex Daniæ, epistola per Ablegatum suum Consiliarium Magnum Groje, *Celsissimi* inscriptione me dignatus est. Episcopi, Senatores, civitates Majores, Celsissimi Principis nomine Archiepiscopum honorant. Sub Interregno nonnulli Palatini, Mathiam Lubienski Archiepiscopum, *Serenissimum* inscribere in usu habebant. Extant apud me originales Palatini olim Kijoviæ Kisselii Clarissimi Senatoris. Marescalcus Regni sententiam de more in Comitijs rogans, Archiepiscopo soli hoc titulo: *Illustrissimus Dominus Archiepiscopus*, vernacule *Jegomość Ksiądz* Arcybiskup Gnieznienski, publicam vocem denuntiat.

III. Diplomata Comitiorum Regni Archiepiscopi Primatis manu subscribuntur, ac ejusdem Archivo concreduntur. Responsa publica & Epistolæ quoties nomine Reipublicæ vel Senatûs ad exteros dantur, Primatis subscriptione & sigillo muniuntur. Proinde sigillum Archiepiscopi grandiore Corona insignitur.

Archiepiscopi Gnesnenses Privilegia libertatum à Regibus Nobilitati impetrabant, quorum ad hunc diem vetustissima originalia in Archivo

Gneſnenſi integrè ſervantur.

IV. Primi Principis titulus ad Rempublicam & Statum ejus politicum ſpectans præcellentiam denotat ante Principes Feudales Coronæ Polonicæ. Ante Proceres Regni & M. D. Litvaniæ, qui antiquitus ſeſe Principes præſcribebant. Ita Stat. fol. 155. *Nos Prælati Principes, Barones, Nobiles Litvaniæ, Ruſſiæ.* & ibidem *Nos Prælati, Principes, Barones, Nobiles Regni Poloniæ.* Eſtq; Archiepiſcopus omnium Palatinatuum & Terrarum Primus Princeps, univerſalis Senator, & in Comitiis ac Conventibus Palatinatuum ſupremus Præſes. Alicubi vocatur: Plenipotentiarius Reipublicæ, primuſq; legum cuſtos. Vacante Throno literas ſublevationis, à pœnis infamiæ & proſcriptionis, Salviconductus, protectionum ſeu Vadiorum contra vim & potentiam, Tutorias pupillis, aliaque omnia juris beneficia & remedia, interregia primi Principis poteſtate, uſque ad Comitia Coronationis concedit, prout ego innumeris tam in Regno Poloniæ quàm in Magno Ducatu Litvaniæ ſub interregno conceſſi. In periculis graviſſimis Reipublicæ, Senatū Varſaviā cōvocavi; Edicta pro Generali bellica expeditione ex S. C. publicavi.

V. Archiepiſcopus Legationes Principum ſub interregno admittit, & dimittit, Legatos item nomine Reipublicæ ſub titulo nominis ſui de Conſilio Senatus expedit. Ita ultimo interregno Caſimirus Florianus Dux Czartoryſki Antecedaneus meus Archiepiſcopus Romam & ad Principes & Reſpublicas Italiæ, Chriſtophorum Maſinum Regiæ Cameræ Secretarium, Andream Załuſki Canonicum Cracovienſem Cancellarium meum ad Regem Hiſpaniæ, ad Regentem Luſitaniæ, Ad Reges Angliæ, Galliæ, Daniæ Sveciæ, Fœderatos Belgij Ordines Albertum Opacki Magnum Camerarium Varſavienſem pro impetrandis contra Turcam auxiliis, ad magnum Moſchoviæ Ducem, Turcarum Imperatorem, Hanum Tartarorum, militares viros ablegavit.

Cujus Excellentiæ & auctoritatis Primatialis, non ignarus Turcarum Imperator, ſub interregno poſt tata Sigiſmundi Auguſti primariò Archiepiſcopum Gneſnenſem ut in Regem eligeretur Ordinibus Regni ridiculè propoſuit. Rehinold. Heideſten. Hiſt. Pol. fol. 27.

VI. Aula Primatialis Magiſtratus & Officiales habet ad inſtar Regis. Mareſchalcum ex Caſtellanis Senatorem, qui ei Scipionem publicè ubivis antefert, & in Aulicis Archiepiſcopi, etiam ſub præſentia Regis & Mareſchalci Regni ac cujusvis Judicii, delinquentes juriſdictionē omnimodam ſolus exercet. Cancellarium qui negotia Politica tractat, in Conſiliis Secretioribus Archiepiſcopo aſſiſtit, neq; excedere Senatu à Mareſchalco Regni omnibus licet excluſis jubetur. Referendarium, Libellorum ſuppliçum ut vocant, Magiſtrum. Cruciferum, Cameræ, Stabuli, Venationum, Culinæ præfectos, Inciſorem, Pocillatorem, Judicem Terræ Lovicienſis. Capitaneos Arcium, quos inter, primarius Capitaneus Lovicienſis, pro delictis, & violatâ, præſertim Lovicii ſecuritate publica, in quaſcunque perſonas Jus dicit, & pro gravitate delicti, ſupplicium ultimum decernit. Quod multis judicatis & uſu præſcripto invaluit.

VII. Archiepiſcopi dignitas & ſecuritas religiosè ſtatutis Polonicis præmunita eſt. Verba Statuti tit Spirituales fol. 451. *Si quis coram Domino Archiepiſcopo gladium vel cultellum extraxerit ſive vulneravit, ſive non, pœna ſeptuaginta marcarum puniatur eidem Domino Archiepiſcopo applicanda. & infra aliud: Si quis turpia coram eo protulerit pœnam eidem Domino Archiepiſcopo 50. ſolvat.*

VIII. Archiepiſcopus Urbes Regiæ reſidentiæ publicè intrat tubis

præ

præclnentibus, pulſatis tympanis, expanſis vexillis, rectâ ex itinere ad Palatium Regium tendit; Ubi ab expectante in Camera, & aliquot paſſus obviàm procedente Regia Majeſtate humaniſſime excipitur, mox omnes Auliei Primatiales ad oſculum manus Regiæ admittuntur. Intranti Senatum, Rex in throno detecto capite, modicè ſe inclinat. Senatus univerſus, è curulibus ſuis in venerationem aſſurgit. Venienti ad publicos actus & Comitia Regni Epiſcopi, Principes, Senatores, ex humanitate & affectu, non rhedas tantùm obviam mittere, ſed ipſimet in perſonis, honoris causâ in itinere benevoli occurrere, non inferius ducunt. Idem tanquam primus Princeps, nemini in rheda ſua & in publico congreſſu manu dextrâ cedit. In primo meo Cracoviam ad Solennia Coronationis ingreſſu, Epiſcopi Poſnanienſis, & Plocenſis, Caſtellanus Cracovienſis primus inter Seculares Senator, Siniſtram in rheda mea tenuerunt. Idem, Epiſcopos, Palatinos, Principes, Mareſchalcos, Cancellarios, Exercituum Duces ſupremos, non revilitat, ſolennibus privatorum conviviis non intervenit. Regiæ in Actibus publicis menſæ ſolus ad latus Regium adhibetur aſſidetque niſi forte Legati Principum invitati aſſideant, tunc enim ex urbanitate convivio Regio præſens intervenire non curat.

IX. Archiepiſcopus antiquo & præſcripto uſu, licet à Legatis Coronarum viſitetur, neminem in perſona ſua revilit, præter ſolum Nũcium Apoſtolicum. Principem enim ſuum Pontificem, tanquam ejus gratiâ Archipræſul & Beneficiarius, agnoſcit, ac revereri tenetur: nam ſicut DEo ſervire, regnare eſt, ita quò infimiùs Vicario DEI nos ſubmittimus, majori quodam honore attollimur.

Mirum id aliquando & inſolens viſum, nonnemini externorum Miniſtrorum; alleganti Romanâ in Urbe, exemplorum fonte & Magiſtrâ, ubi omnis politia cultiſſimè viget, Cardinales, ſummos æquè ac medios invicem viſere & reviſere, atque hæc præcipuè officia, erga Coronarum Legatos, ab ipſo Cardinali Patrono religiosè obſervari. Sed controverſiam iſtam multo niſu agitanti, inq; ſententiam ſuam alios pertrahere cœptãti, Legatus protunc Gallicus prudentiſſimus & humaniſſimus Præſul Bituricenſis, nunc jam feliciter ex nominatione Regis Poloniæ Cardinalis Bonoſus, rectè reſpondit: ad mores gentis ſe veniſſe, neque velle in aliena domo eſſe curioſum, ſed quemlibet in ſua poſſeſſione relinquendum. Firmavit idem Rex Chriſtianiſſimus, dato mandato Excellentiſſimis Legatis Epiſcopo Marſilienſi de Forbin, & Marchioni de Bethune, ut Archiepiſcopo Gneſpenſi publicum viſitationis, ſine ulla difficultate & prætenſione, honorem haberent. Quod in Comitijs Varſavienſibus anno currenti multis vicibus Archiepiſcopum Olſzovium viſitantes, non reviſitati, obſervârunt. Præſtitit idem ultro Cracoviæ in Regiæ Coronationis Comitijs non interrogans neque dubitans, tametſi tergiverſationis Forbinianæ gnarus, Legatus Svedicus Vir egregius, dignitatis & gentis ſuæ ubivis retinentior Dominus Andreas Lilliehoek, Brandeburg: Legatus Dominus Baro Hoverbekius Aulæ Polonæ planè nutritius, rerumque noſtrarum ſcientiſſimus, neq; nunc inferiorem Regiâ Electoralis Legationis Excellentiam autumans, frequentius Archiepiſcopum Olſzovium, publicè adiit, teſtatuſq; eſt: Primates Poloniæ, antiquo uſu præſcripſiſſe, ut Legatos à quibus viſitantur, nunquam reviſitent. Viſitare autem Legati neceſſe habent, quomodo enim prætereant Archiepiſcopum, ſi quid cum Republica Polona commercij habere volunt. Nam Legationes publicæ inſtituuntur, eùm ad

Sacram

Sacram Regiam Majeſtatem tum ad univerſam Rempublicam, id eſt Senatum & Equeſtrem Ordinem, quorum velut perſonam Primas Regni Primuſque Princeps ſemper repræſentat.

Eodem more Cancellarij Galliæ, nemini accedenti, quacunq; licet dignitate, etiam ſangvinis à Regibus deducti prærogativâ fulgeat, obviàm procedunt vel viſitationis vicem referunt. Recens auctor Anonymus libri Gallici de Legatis & Miniſtris pag. 392. edocet: neminem ab Archiepiſcopo Toletano Primate Hiſpaniæ, præter ſolum Regem, viſitari. Memoriâ teneo, cum in Comitijs Electionis Imperatoris Leopoldi, Francofurti, Miniſtrum Regis Poloniæ Joannis Caſimiri agerem, Electorem Colonienſ. è domo Bavarica, neutiquam permittere voluiſſe, manum dextram Legatis. Quod illi vitio non vertebant comperto Uſum talem & præſcriptionem domus Bavaricæ obtinuiſſe.

Archiepiſcopus Legatis Coronarum, ac Nuncio Apoſtolico præcedentiam non permittere omnino obligatur. Cum Joannes Wezyk ob reverentiam Apoſtolicam Nuncio aliquando loco ceſſiſſet, appellatus fuit publico Ordinum Eccleſiæ nomine in Comitijs, ut locum primum primi Principis Anteceſſorum exemplo, pro conſervanda ſua & Reipub. dignitate tueretur. Meminiſſet Actorum olim Vladislai Oporovij Primatis Cardinali Sbigneo minime cedentis, remita narrat Crancovius pag. 27. *Cum eximia ſit in Eccleſia Catholica Cardinalium S. Rom. Eccleſiæ dignitas, & habeantur ij in Rep. Chriſtiana Archiepiſcopis, Metropolitanis, Primatibus Eccleſiaſticis, & Patriarchis ſuperiores, non cedit tamen eis in ampliſſimo Regni Senatu, loco, honore, & authoritate Archiepiſcopus Gneſnenſis, velut Primas Regni, quod quidem evidenter patuit, quodam tempore nempe regnante Caſimiro III. Nam cum Sbigneus Oleſnicius Epiſcopus Cracovienſis, vir cum de Eccleſia tum de Republica noſtra bene meritus, à Pontifice Max. Cardinalis creatus eſſet, prærogativaq; ejus Dignitatis in Senatu uti, & Vladiſlaum Gneſnenſem Archiepiſcopum anteire vellet, obſtitit Archiepiſcopus uti Primas Regni, nec ſolus ſed cum Proceribus & Senatoribus Majoris Poloniæ, & cum Rex eum cæteris Senatoribus pertinacius Sbigneum tueretur, omnes cum Archiepiſcopo Senatu exceſſerunt. Controverſia tandem diſceſſu Cardinalis è Comitijs ſopita eſt. Ut autem placidè peragerentur Comitia, Archiepiſcopus quoq; in gratiam Regis & Senatus diſceſſit.* Eidem Sbigneo Cardinali Epiſcopo Cracovienſi in nuptijs CASIMIRI III. cum Eliſabetha Alberti Cæſaris filia anno 1454. in Baſilica Cracovienſi celebratis Joannes Sprovius Primas non ceſſit, & Sacris in ipſius Eccleſia operatus Reginam coronavit. Cromer. fol. 500. lib. 27. Miechov. lib. 4. cap. 49.

Noſtra ætate, cùm Sereniſſimis Principibus Sigiſmundi III. Filijs, Epiſcopatus, Joanni Alberto Cardinali Cracovienſis, Carolo Ferdinando Ploceenſis, lege publica Comitiorum tribuerentur, Primatiali prærogativæ, nè Regijs Principibus inferior ageret, diplomate & decreto omnium Ordinum proſpectum eſt.

Verba conſtitutionis an. 1633. in Coronatione Vladiſlai IV.

A że dignitatem Cardinalitiam Krolewic Jego Mość Jan Albrycht à Sede Apoſtolica obtinuit, Warujemy że eo nomine żadney ſobie prærogatiwy wprzod przed Primaſem Regni przywłaſzczac nie będzie. Et quoniam dignitatem Cardinalitiam Sereniſſimus Princeps Joannes Albertus à Sede Apoſtolica obtinuit præcavemus quòd eò nomine ullam prærogativam priorem ante Primatẽ Regni uſurpare non poterit, & Conſtit. 1641. A jezliby kiedy Dignitas Cardinalitia Krolewicowi Jego Mści Karolowi à Sede Apoſtolica delata była, żadney ſobie prærogatiwy przed Primaſem Regni przywła-

ſzczać

ſzczać niema. Quodſi aliquando Dignitas Cardinalitia Sereniſſimo Principi Carolo à Sede Apoſtolica deferetur, nullam ille prærogativam ante Primatem Regni prætendere poterit.

XI. Auctoritas Primatialis monendi Regem ſi quid nocivum Reipublicæ & libertati prægrave adverterit, exemplis deducitur.

Jacobus Znenius, cum Vladiſlaus Princeps injurius eſſet Fratribus ſuis, bellumque civile adverſus eos moveret, in caſtra ejus curru vectus venit, eumq; liberrimè de tyrannico & impio cœpto monuit, contemnentem unà cum Exercitu Inſulâ ornatus diris devovit. Nec mora, ſententiam ejus ultio divinitus ſecuta eſt. Profligatus eſt enim Vladiſlaus cum Exercitu ſuo à paucis obſeſſis.

Petrus I. ob eædem S. Stanislai Boleslaum Regem ſacro fulmine percuſſit, & interdicto Eccleſiaſtico totum Regnum ſubjecit.

Petrus II. Boleslaum Principem cum Fratribus decertantem coarguit & tandem compoſuit.

Jaroslaus Caſimirum Magnum ſolutiore vitâ agentem monuit & uxori reconciliavit.

Joannes de Sprowa Caſimirum ad præſtandum juramentum & ut Poloniam (Litvanorum Principatûs Vicario regimine alicui demandato) diligentius per ſe adminiſtraret, commonuit adegitque

Jacobus II. Archiepiſcopus, cum Henricus IV. Vratislavienſis Dux magnam vim pecuniæ Thomæ Epiſcopo & Diœceſi Vratislavienſi imperaſſet, ea non exſolûta Othmoviam & Niſſam Oppida ac bona cætera Epiſcopi & Eccleſiarum Diœceſis Henricus invaſiſſet, Henricum prius monitum, ſed in pertinacia obſtinatum communione Chriſtiani populi unà cum ſocijs & fautoribus excluſit, Vratislavienſi vero civitati, & omnibus locis quæ in ditione erant ſacris interdixit ac non niſi data plenaria ſatisfactione vinculis cenſurarum exoluit. Joannes de Sienno Ducũ Maſoviæ Regij Piaſtani ſanguinis partes vehementer egit, ſequeCaſimiro III. Regi magnanimè oppoſuit.

Nicolaus Dzierzgovius cum Sigiſmundus Auguſtus certum contractum de ſale vendendo in detrimentum Nobilitatis feciſſet, Majores Poloni eam rem ad Archiepiſcopum detulerunt, utque Conventum indiceret, poſtularunt. Rex ab Archiepiſcopo monitus deſtitit ab incepto.

Idem Sigiſmundi Auguſti cum Barbara Radiviſia matrimonio animosè, ſed non pertinaciter reſtitit.

Stanislaus Carnecovius cùm in Comitijs Varſavienſibus obtentu belli Turcici tributum capitale ſancitum fuiſſet; Conventum Colenſem Majoris Poloniæ Palatinatibus indixit, illud vectigal liberæ genti indecorum & ſervile abrogavit, Joannis Samoſcij nimiam potentiam infregit, quod tamen deteſtabili infirmandæ auctoritatis Comitialis exemplo & abuſu dignitatis Primatialis factum, rectè improbat Piaſec. fol. 95.

Idem Carnecovius Sigiſmundo III. in Sveciam profecto, ad rumores belli Turcici in Ungaria excitati, Conventum Varſaviæ Proceribus indixit, & celebravit Piaſec. fol. 140. Idem libro ſuo de Primatu refert pag. 26. Quòd Regnante Sigiſmundo ſeniore, & abſente à Regno, in Litvania verò degente, Petrus Gamratus Archiepiſcopus, Petricoviæ Comitijs Regni cum poteſtate præfuit, & Senatus conſulta conſtitutionesque Regni promulgavit, præſente etiam eodem Rege, ſed ægrotante, poſtea ibidem in aula Archiepiſcopali eo ipſo Gamrato præſidente, ſæpenumero Senatus habitus eſt. Poſt eum quoque Sigiſmundo Auguſto

guſto Regnante, ad eundem modum apud Nicolaum Dzierzgovium Archiepiſcopum, non ſemel publicè conſultatum eſt. De Joanne Wężik Piaſec. in Chron. fol. 545. Cum Vladislaus Rex electus, febriculâ diſtentus, ad diem coronationi præſtitutam non veniret, ſolenne ſacrificium pro Comitijs inchoandis in templo Pontificali Cracovienſi celebravit, ac inde ad curiâ arcis Senatoriâ tranſiens, conſilio publico Senatoribo & Nuncijs præſedit.

Joannes Wężyk matrimonij cum Friderici Palatini Rheni filia hæretica acerrimus diſſvaſor fuit.

Mathias Lubinſki cum Vladiſlaus IV. ſvaſore Legato Veneto Tiepolio, apud quem Venetijs Princeps hoſpes diverterat, bellum in Turcas inconſultâ Republicâ agitaret, multi Proceres, præcipuo nomine Staniſlaus Lubomierſcius Palatinus Cracovienſis Archiepiſcopum Primatem compellavêre, iret obviam nocivis conſilijs, Primatiali jure Regem dehortaretur. Egit in primis per Epiſtolam, mox Varſaviæ Regem adiit Lubinius, tandē in Cœmitijs anni 1447. Ordinum rogatu decenter movit, perſvaſitque, ut cæpto molimine deliſteret exercitumque ex Germanis, pace Imperij tunc ſtabilitâ, conſcriptum exauctoraret. Quam nimis anxiam inconſultæ pacis curam, in malum noſtrum, & interitum ampliſſimi Regni recidiſſe, heu miſeri! agnoſcimus, gemimuſque. Illis enim florentiſſimis, & longa pace adultis Poloniæ opibus viribusque illo tunc domeſtici externique militis facili delectu, illa Coſaccorum immenſum excreſcente, jamque ad arma concita multitudine, & aperto per oſtia Boryſthenis Ponto Euxino, & conſpirantibus, taciteque Vladislao devinctis, latiſſimè per Imperium Turcicum diffuſis Græco-Chriſtianis, & diſtractâ Ottomanicâ potentiâ, debellari ſeu infringi hoſtis, Tartari Tauricâ ſuâ extrudi, pax ſecura & duratura ſtabiliri poterat:

Heu quantum poterat terrâ pelagoq́ parari
Hoc, quem ſerviles hauſerunt ſanguine, dextræ.

XII. Si quis Nobilium gravem offenſionem Regis perhorreſcat, ad Primatem recurrendi jus eſt, qui interventionem ſuam ad leniendam Regis iram Nobili præſtare debet. Exemplo ejuſdem Mathiæ Lubinij Archiepiſcopi, qui pro Georgio Lubomirſcio cum ob percuſſum inſtigatorem Regni Zytkievicium indignationem Joannis Caſimiri incurriſſet. Nec non pro Hieronymo Radziejovio, interceſſor fuit, & gratiam priori (nam poſterior è Regno celeriter profugerat) impetravit.

XIII. Quoties ad bellum univerſa cum Rege Nobilitas, Edictis publicis, vulgò literis reſtium, evocatur Archiepiſcopus Gneſnenſis aliquos Senatorij & Equeſtris Ordinis ad aſſiſtentiam lateris ſui adſciſcere ſolet, qui Expeditioni generali per Legem Comitiorum eximuntur, pœniſque graviſſimis in lege deſcriptis non ſubjacent. Quorum nomina cum ſubſcriptione Mareſchalci Primatialis, actis publicis connotantur. Speciali autem Privilegio Vladiſlai Poloniæ & Ungariæ Regis Arcium Archiepiſcopalium Lovicienſis & Uniejovienſis Capitanei ſeu Præfecti, immunitate hac expeditionis bellicæ ipſo jure gaudent.

XIV. Jus cudendæ monetæ, Præmyslius Rex, Archiepiſcopis Gneſnenſibus Anno 1284. conceſſit. Cromerus auctor eſt lib. 8. fol. Vladislaum Principem jus idem cudendæ monetæ ante Præmyslium, nec non venationum in ſylvis proprijs libertatem Archiepiſcopis indulſiſſe, quas illo temporis, nemini præter Regnantem venationes exercere licebat.

Privi-

De Archiepiſcopi Gneſnenſis Principatu

Privilegum PREMISLAI DUCIS ſuper cudenda moneta.

IN NOMINE DOMINI AMEN. Ne geſta mortalium idonea tractu declivij temporis evaneſcant, provida Sapientum proinde ſanxit auctoritas, facta digna memoriâ ſolennis ſcripturæ teſtimonio, poſterorum notitiæ commendare. Hinc eſt igitur quòd Nos PREMISLAUS Secundus DEi gratiâ DUX Poloniæ inhærentes veſtigijs Prædeceſſorum noſtrorum, eorum pios actus prout poſſumus imitantes, inprimis libertates ab eis conceſſas Eccleſiæ Gneſnenſi approbantes, jure perpetuo confirmamus, omnes incolas ipſius Eccleſiæ, ab onibus angarijs abſolventes, videlicet ab omni ſolutione, exactione, ſervitute, ac Juriſdictione ſeu dominio totaliter liberantes, & adjicientes pro remedio peccatorum noſtrorum noſtraq; ac Progenitorum noſtrorum ſalute: Quod Venerabili Patri noſtro Domino Jacobo Divina providentia Sanctæ Gneſnen. Eccleſiæ Archiepiſcopo ejusq; ſucceſſoribus in Zneyna civitate ſua & alias in Caſtellania Lenden. ubi voluerit monetam habere liceat ſpecialem, quæ per totum Dominium noſtrum recipi debeat ſicut noſtra. In hujus rei teſtimonium præſentem paginam noſtri ſigilli munimine duximus confirmandam. Præſentibus his teſtibus Comite Boſcone Venatore Calliſien. Comite Gnevomiro Caſtellano de Zbawſin, Comite Vito Pincerna Gneſnen. & alijs quàm pluribus fide dignis. Datum in Clohyna Anno gratiæ Domini 1284. Indictione XII. Calendis Auguſti per manus Chilonis Notarij Curiæ Noſtræ.

Privilegium CASIMIRI MAGNI Compoſitionis de Decimis in quo titulus Primi PRINCIPIS.

Confirmavit SIGISMUNDUS AUGUSTUS Varſaviæ 12. Menſis Octobris anno Domini 1568. cum appellatione binâ Archiepiſcopi, Primi PRINCIPIS.

NOS CASIMIRUS DEI gratia Rex Poloniæ. Ad perpetuam memoriam, & ad univerſorum quorum intereſt notitiam præſentibus volumus devenire. Quia cupientes nemora mericas ſylvas, & virgulta, quibus eſt dudum propter guerras præteritas terra noſtra Poloniæ deſertata, redigere in agrieulturam, ut ex eo nobis noſtræque militiæ ac ſubditis noſtris præſertim Sanctæ Matri Eccleſiæ, & ejus Prælatis ac Rectoribus Eccleſiarum quibuſcunque in reditibus, proventibus, & utilitatibus fructus ereſcant & obveniant uberiores. Cum Reverendiſſimo in Chriſto Patre Domino Jaroslao Sanctæ Gneſnen. Eccleſiæ Archiepiſcopo *Primo Noſtro Principe*; mediante Baronum terræ Poloniæ conſilio, ſuper ſolutione decimarum in eadem terra Poloniæ, talem fecimus concordiam perpetuo duraturam: Quod de antiquis villis & agris locatis, & poſſeſſis, vel decima manipulatim, ubi decima ſolui conſvevit, vel ubi maldratæ duodecim menſurarum triplicis frumenti, ſcili-

ſcilicet, tritici ſiliginis, & avenæ cum fertonibus ſolvi conſueverant, ſecundùm antiquam conſvetudinem ad quos pertinent perſolvantur. Et ubi antiqua villa de jure Polonico in jus Theutonicum transferetur, in quo territorio ſita fuerit, illius loci jure fruetur, ſcilicet quòd pro decima campestri ſolvent incolæ ipſius villæ cenſus medietatem, videlicet ſex menſuras triplicis grani, ut profertur cum ſex groſſis Pragen. de quolibet manſo Sreden. & dicti manſi duo in unum non conjungentur, neq; aliqualiter dilatabuntur. Et in territorio Naclen. inter Pomeraniam & Nothesz pro decimis quæ manipulatim ſolvuntur, per tres ſcotos gros: eorundem, poſtquam fuerit facta menſura ſolvetur Culmenſ: ſive Sreden. eodem anno, & poſtea ſingulis annis quolibet feſto Beati Martini Confeſſoris. Villam verò in nemoribus, merieis, Sylvis, Borris & virgultis a data præſentium in terris Poloniæ Syradiæ, & lancicie locandi, interim quod domini earundem locandarum villarum libertatem ſervabunt, gaudebunt à ſolutione decimalis pecuniæ libertate. Poſt cuius lapſum de manſo quolibet Sreden. inibi menſurato, pro decima ſolvent etiam tres ſcotos groſſor. prædictorum hoc adjecto, quod lacus, paludes, & ubi agri eſſe non poterunt, non tranſibunt in agrorum menſurã; ſculteti inſuper tam villarum antiquarum, in quibus per Cmethones maldratæ & fertones ſolvuntur quàm de novo locandarum, in quibus ſex groſſi de manſo ſolvi debebunt, tantùm per quatuor manſos liberos & non plures habebunt, de quibus Plebano, à quo audient officia divina, & percipient Eccleſiaſtica ſacramenta, more antiquo ſolvent miſſales annonas menſuram ſiliginis & menſuram avenæ. Ita quod quilibet ipſorum ſculletorum in ſua ſcultetia pecuniam decimalem & maldratas cum fertonibus fuerit aſtrictus recolligere fideliter, & reponere in loco tuto ac ſervare, & demum illi ad quem pertinent dictæ decimales pecuniæ vel maldratæ cum fertonibus præſentare. Non ſolventes verò aut ſolvere retardantes ipſi ſculteti ad æſtimationem debiti debent impignorare, & ſub pœnis certis infra minus Menſis ſpatium à die impignorationis prout arctiùs poterunt compellere ad ſolvendum. Alias ipſi ſculteri & Cmethones in toto vel in parte non ſolventes, tam diu poſt dictum menſem excommunicentur, quouſque integraliter dictus fuerit cenſus perſolutus, de quibus ſi quidem quatuor manſi prædicti ſculteti vel alter eorum ſi aliquem vendiderint, obligaverint, ſeu alijs ad arandum conceſſerint, vel quoquo modo alienaverint, de illis qui eos araverint, unà cum villanis decimam maldratas cum fertonibus ſolvent, ubi villani ſolvere conſveverunt. Inſuper quoties aliquem manſum in villa locata quovis modo deſertari contingat, arans illum propter Dominum villæ decimam in campo perſolvet manipulatim, quouſq; locetur & cenſus cum maldratis perſolvetur. Item Rectores Eccleſiarum & alij quicunque Presbyteri Gneſnen: Diœceſis, pro columbatione pro Baptiſmo, pro copulationibus, pro extrema unctione nihil petent, ſed quod ipſis dabitur, charitativè recipiant & gratuitè. Ubi autem Sacerdotem vel Clericum in Sacris conſtitutum vulnerari, capi, vel occidi contigerit, locus ille tam diu ſit interdictus, quouſque maleficium hujuſmodi committens ſatisfaciat, vel Eccleſiæ tradatur, aut homines loci ejuſmodi ſacramẽtum præſtiterint, quòd eis non dantibus neque detinere valentibus idem aufugit malefactor, & tunc in dicto loco divina relaxabuntur. Etiam non ceſſetur à divinis propter adventum ad aliquem locum alicujus excommunicati, ne juſti divino officio indebitè priventur. Præterea

fabrica

fabrica ab Eccleſijs ubi nos habemus juſpatronatus, non recipiatur. Item ſtatuimus cum eodem Domino Archiepiſcopo, quòd ubicunque miles militi obligat hæreditatem, de agris quos obligans colebat, recipiens obligationem teneatur decimare, ubi ille qui obligavit, decimabat. Si verò occuparet & exararet plures agros repellens de illis Cmethones in Gonituam decimabit. Item ordinamus quod maldratæ de villis noſtris & Baronum Domino Archiepiſcopo & clero ipſius non ducantur, ſed ſiqui ducere voluerit, non prohibemus. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum. Actum Poſnaniæ feriâ quartâ poſt Dominicam Reminiſcere Anno Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo. Præſentibus Paſcono Poſnanienſ. Przeclao Caliſſien. Chebda Syradien. Alberto Cujavien. Palatinis, Vierzbienta Poſnan. Andrea Caliſſien. Caſtellanis. Nicolao Poſnan. Dobieſlao Caliſſien. Judicibus ac alijs multis fide dignis. Datũ per manꝰ Otthonis Cancellarij Poloniæ, ſcriptum autem per Nicolaum de Wolborz Notarium Curiæ noſtræ Regalis Majeſtatis.

VLADISLAVS DEI gratiâ Rex Poloniæ, Litvaniæque Princeps Supremus & Hæres Ruſſiæ, &c. &c.

SIgnificamus tenore præſentium quibus expedit univerſis præſentibus & futuris. Quia Reverendiſſimus in Chriſto Pater Dominus Nicolaus Sãctæ Gneſnenſ. Eccleſiæ Archiepiſcopus & VICARIUS REGNI noſtri Poloniæ GENERALIS, &c. &c. Datum in Lagow oppido noſtro prope Calvum montem Feriâ tertiâ proximâ poſt diem B. Valentini Anno Domini milleſimo quadringenteſimo undecimo.

Privilegium JOANNIS ALBERTI, in quo Archiepiſcopi Gneſnen. ad bene feliciterque regnandum, veluti Gubernatores & Majeſtatum auctores.

AD perpetuam rei memoriam. Regia ac quævis Majeſtas imperanſq; poteſtas conſvevit inter alia ordinariæ curæ ad rectè juſtéque imperandum incumbentia, privilegiorum perenniumq; literarum ſubditorum ſuorum, & rationem habere præcipuam, & illorum illarumq; tenores, tam ab initio conceſſionum, quàm ex ſucceſſivis ſucceſſorum roborationibus firmiſſimis, per novæ conceſſionis confirmationiſq; decreta efficere firmiores. Quod quidem ea ipſa Majeſtas, etſi cunctis fidelibus ſuis tribuere debeat benigniter, illorum tamen Privilegia, immunitates, libertateiq; liberalius perennare, ampliareque debeat, qui ſummis Eccleſiæ, imò etiam Divinis ipſis Magiſtratibus, immediatiſſimi Præſidentes ſicut alijs Chriſti fidelibus & ſpiritualia & temporalia commoda præbere, ſic ipſis Majeſtatibus Regum & poteſtatum Imperantium, ad benè feliciterque regnandum conſilijs & auxilijs præſtantiſſimis *veluti quidam gubernatores, non ſolùm aſſiſtere, ſed etiam Majeſtatum eorundem auctores eſſe conſveverunt*. Proinde Nos JOANNES ALBERTUS DEI gratiâ Rex Poloniæ, Nec non Terrarum Cracoviæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cujaviæ, ſupremus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, ac Culmen: & Elbingen: Pomeraniæque Dominus & Hæres, &c. Significamus tenore præſent: quibus expedit univerſis præſentibus, & futuris, harum notitiam habituris; quomodo poſt felicem Regiam Coronationem noſtram, quemadmodum more Divorum olim Prædeceſſorum noſtrorum Ducum ac Regum Poloniæ univerſis Terris ac ſubditis Re-

gnicolis noſtris, univerſorum Privilegiorum, immunitatum, & libertatum, per eoſdem Prædeceſſores Noſtros eis ſucceſſivè conceſſorum, conceſſarũq, confirmationes dandas Decretumq; & petentibus dedimus, ac conceſſimus, gratioſè, ſic in præſentiarum debitum habentes reſpectum, *ad Illuſtriſſimi Principis Reverendiſſimiq, in Chriſto Patris Domini Friderici eàdem gratiâ Germani cariſſimi Noſtri, Sacro Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Tituli S. Luciæ in Septem ſoliis* Presbyteri Cardinalis Archiepiſcopi Gneſnen, & Primatis, Epiſcopiq; Cracovien. benevolentia affectum Fraternum & ſtudium ferventiſſimum per ejus caritatem fraternam ſub Vacatione Regni poſt mortem Sereniſſimi olim Regis CASIMIRI Noſtri, ſuique Genitoris, nunc quoq; & omni tempore prius felicem noſtram ad Regnum Paternum aſſumptionem Nobis apertiſſimè exhibitum, & exhiberi ſolitum, dum videlicet felicis Electionis Coronationiſque noſtræ *Auctor promotorq, eſſet ſingulariſſimus favore fraterno* ſuo eam ipſam Electionem Coronationemq; felicem noſtram, non ſolùm promovendo, verùm etiam Univerſorum Regnicolûm noſtrorum vota ad ſuum unanime & noſtræ Majeſtatis votum atque augmentum Regum noſtrorum retinendo, dum deniq; in omnibus noſtris ac Reipublicæ Regni noſtri eventibus proſperis, atque adverſis, conſilijs & auxilijs, fraternis nobis ſinceriſſimè aſſiſtere non deſiſtat; Quamobrem ut non ingrati eſſe videamur, fraterni favoris affectus & benevolentiæ ejuſdem Domini Friderici Fratris noſtri, quin potiùs liberalem fraternam benevolentiam, liberaliter rependere cupien. non per errorem, vel inconſuitè, *ſed de certa ſcientia & deliberatione* noſtris Conſilijs Conſiliariorum Noſtrorum univerſorum Spiritualium & ſecularium Regni Noſtri accedentes univerſa & ſingula, univerſaſque & ſingulas Privilegia, munimenta, libertates, immunitates & Literas perpetuas & temporales ſub quibuscunque modis, formis, & tenoribus per Sereniſſimos ac Illuſtriſſimos olim Reges & Principes Poloniæ Prædeceſſores Noſtros, & quascunque alias perſonas auctoritate quantumque perpetua vel temporali fungentes, eidem Domino Friderico tanquam Archiepiſcopo & ſuis Prædeceſſoribus Archiepiſcopis Eccleſiæque ac Menſæ Archiepiſcopali Gneſnen, ac etiam Venerabili Capitulo ejuſque Prælatis & Canonicis Menſæ quoque Capitulari, nec non univerſis alijs Beneficiatis & Beneficijs Eccleſiaſticis Eccleſiæ Gneſnen. ſuæ, ſimul, aut diviſim, conjunctim vel ſucceſſivè, donata & donatas conceſſaque atq; conceſſas quorum quarumq; tenores perinde eſſe ac valere volumus, uti de verbo ad verbum præſentibus noſtris inſerta inſertique eſſent, quaſcunque venditiones, donationes, reſignationes, emptiones, contractus, ſententias, Decreta, ordinaria, & extraordinaria, puta, arbitraria, deciſiones, exemptiones, libertates, immunitates, mandata, & omnis generis atq; modi cujuslibet Ordinationis, temporaliter & perpetuò duraturas in ſe continen: decrevimus & determinavimus in omnibus eorum & earum ſcriptis tenoribus, & conditionibus confirmanda, roboranda & ratificanda, confirmandaq; roborandas & ratificandas prout præſentium perennium Noſtrarum munimine Literarum confirmamus, & ratificamus, volentes & de univerſorum eorundem Regni Noſtri Conſiliariorum conſilio ſtatuentes, decernenteſque illa atque illas perpetuò valituras in ævum. In ejus rei teſtimonium ſigillum noſtrum eſt præſentibus ſubappenſum. Actum Lanciciæ Feriâ Sextâ in Vigilia SS. Philippi & Jacobi Apoſtolorum. Anno Domini Milleſimo Principe Reverendiſſimoque & Reverendis in Chriſto Patribus Domino Friderico Cardinali Germano noſtro, Creslao Viadiſlavien: & Cancellario Regni Noſtri, Joanne Poſnan: Vincentio Płocen: Epiſcopis Eccleſiarum. Ac Magnificis Generoſis Joanne de Oſtrorog Poſnanien: & Ambroſio de Pampow

pow Siradien: Palatinis: Raphaele de Leſzno Poznanien: Andrea de Zakzyn Lancicien: Caſtellanis, Jacobo de Schidloviec Theſaurario. Mathia de Drzewica Præpoſito Scarbimirien: ViceCancellario Regni noſtri Aliiſq; pluribus fide dignis Teſtibus ad præmiſſa. Datum per Manus ejuſdem Reverendiſſimi in Chriſto Patris Domini Creslai Cancellarii Regni Noſtri ſincerè nobis dilecti.

Privilegium CASIMIRI MAGNI, in quo Omnia Bona Archiepiſcopatûs ſpecificantur.

IN NOMINE DOMINI AMEN.

Dignum & rationi conſonum fore noſcitur, ut Alma Mater Sancta Gneſnen. Eccl. ſicut in Regno Poloniæ jure Metropolitano cũctas præcellit Eccleſias, ita honoris prærogativâ gratiæ ſingularis ampliori privilegio decoretur. Proinde Nos CASIMIRUS DEi gratiâ Rex Poloniæ: nec non Cracoviæ, Sandomiriæ, Syradiæ, Lancicieæ, Cujaviæ, Pomeraniæque Terrarum Dominus & Hæres. Ad univerſorum tam præſentium quàm futurorum, notitiam volumus devenire. Quòd Venerabilis in Chriſto Pater, Reverendiſſimus Dominus Jaroſlaus eadẽ gratiâ Sanctæ Gneſnenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus cum ſuo Capitulo ad noſtram præſentiam venientes expoſuerunt nobis humiliter & decorè: ut quia Privilegia ejuſdem Eccleſiæ conceſſa per Illuſtres Dominos Reges & Principes Poloniæ, in quibus jura & libertates continebantur plenariæ, quædam ex ſui vetuſtate conſumpta, nonnulla verò ex Terrarum diſturbiis & crematiombus deperdita exiſterent, dignaremur eis & Eccleſiæ ſupradictæ Majeſtate Regia de opportuno remedio providere: ut ultima conſumpta Privilegia innovari, deperdita reſtaurari, & alia reformari miſericorditer mandaremus. Nos verò ipſorum juſtis & rationabilibus ſupplicationibus more pij Patroni favorabiliter annuentes, cum Regum & Principum exploratı juris exiſtat, Eccleſias & perſonis Eccleſiaſticis, præſertim in quibus jus Patronatûs obtinent, paternè conſulere, protegere & dotare, habita nobiſcum deliberatione & cum Baronibus noſtris ſufficienti præmiſſo tractatu ad Honorem Omnipotentis DEi, & Beatæ Mariæ Virginis ac ad gloriam S. Adalberti, M. & Pontificis glorioſi, ipſius Eccleſiæ Gneſnenſ. Patroni, atque intuitu retributionis æternæ. Conſideratis etiam meritis probitatis & ſervitiis plurimis, per præfatum Dominum Archiepiſcopum nobis conſtanter exhibitis & impenſis, omnia & ſingula Privilegia, Libertates, conceſſiones, donationes cujuſcunque tenoris & formæ exiſtant, per quemcunque vel quoſcunque data, conceſſa & donata fuerant, Gneſnen. Eccleſiæ memoratæ, in nomine Domini ex certa ſcientia confirmamus & pari privilegio roboramus perpetuò valitura. Cæterum volen. Progenitorum noſtrorum, qui eandem Gneſnenſem Eccleſiam, plurimis gratiis dotaverunt, veſtigiis inhærere, & facere eidem Eccleſiæ gratiam ampliorem, ut ſub culmine noſtri regiminis in juribus amplietur. Quodque ipſe Dominus Archiepiſcopus cum ſuo Clero pro ſalute Noſtrâ, & pro animabus Progenitorum noſtrorum, Orationes fundere fortiùs ſint aſtricti. Omnia bona ipſius Gneſnenſ. & aliarum Collegiatarum videlicet Lancicien. Ruden. Kurzelovien. & Unieiovien. ac Parochialium Eccleſiarum Diœceſ. ſive ſint Oppida ſive Hæreditates, ſive Villæ aut Caſtra, quæ nunc ad majorem certitudinem in præſenti privilegio duximus propriis nominibus deſcribenda. Primo omnes areas circa Eccleſiam Gneſn. quas nunc Prælati, Cancellarii & Vicarii poſſident cum hortis & duobus manſis circa beatum Petrum. Item Kandzierzyno Wirbiczany, Scytniki,

cum ſortibus eidem adjacentibus. Manczerzyno Slawno cum ſortibus ſibi adjacentibus, Oſtronſko. Czatonie. Lubcza. Quecisow Civitatem cum foro, Goreſzowo, Sedlimowicze. In diſtrictu autem Znenen. ipſam Civitatē Znenen cum foro. Sarbinowo. Biskupino cum ſortibus adjacentibus, Czaple. Jancewo, Goryce. Gulcewo, Dochimowo, Sulimowo, Rybitwy, Preſwryſtew, Dobrylewo, Chomatowo. Sandowo, Wiltzowo, Urzuty, Murzyno, Gora, Balonezmo, Pnewo, Luthczowo, ante Pacoſcz Podgorzyno, Rylewo & Skarbienice. In tetritorio quoq; Naclen. Wawryſcowo Ploczyce, Cerekwica & Villam Eccleſiæ de Nakiel dictam Konotoppa. Item in terrā Caliſienſi Opatow, Zduny, Trojanowo, binum Godzieſowo, Glowczyno, Woikowo, Solec, Tranzowo, Liſcowice, Zythowice, Kokanino, & Ikne. Item ex alia parte fluvii Proſna, Noſkowo, Biſkupice. Circa Olobok, Biſkupice dictum Smolki. Bukownica, Suantkowice, Gizyce, & Biſkupice, quod Kotlowo dicitur & Sonina. Item in terra Vielunenſi Senczа, Raduiewice, Liſzowici, duas ſortes in villa noſtra Bobrowniki, Kamona, Kadlub, Gana, Broza, Zalancz, & Widrzyno. In Caſtellania Landenſi, Czarnkowo, Grzegorzowo, Civitatem cum foro Belezowo. Skowelice, Boguſzynawoda, Rzuchowo, Ciſowe, Grambczowo. Ex alia parte fluvii Varthæ, Item in terra Cujaviæ binum Vyma. Biſkupice circa Radziejow, Smogorzowo, & duos lacus dictos Chotle, & Bedzdze, inter villam Chotle & Comorowo conſiſtentium. Kulino in terra Dobrinen. Item has Villas in terra Lancien. Villa circa Eccleſiam, cum allodio dicto Chotnica, Thomino, cum loco molendini, Podgorzyce, Mchowice, Morakowo, Pantek Civitatem cum foro, Lubinicza, Mancolice, Zdony, Bankowo Gizice, Slonewo, quæ tres villæ in unam villā quæ Bankowo dicitur ſunt conjunctæ. Viskitnica, Lanzniki, Symonowice, Marzyce, Struginice, Verzenowice, Gawrony, cum villa adjacenti dicta Sulcowo, Sanczczowo, Lanka, Czeczerino, Peczewo. Chelm. Sobotka, cum Pontali quod vulgariter dicitur Moſtowe, Crzicoſzy, Słupcza, Koczane, Rudolcowo, Solcza minor, Guczowo, in topola militari duas ſortes. Krzepocino, Parundzice, & in Zduny quatuor ſortes Pruſimowice, Svarna in magna Lecznia tres ſortes, In Vozniki quatuor ſortes & taberna in Gambice duæ ſortes Mrozowice, Solec. cum adjacenti villā, dicta Praze, inter Blone & Dambe unam ſortem, quæ dicitur Dulowo. Item Wyſokie tres ſortes inter Milonice & Liczki unam ſortem. Item Jankowo, Miroſlawice, Sdziehcowo, in Cieſchow, Medietatem, Soſnka, Chranſtow Dobrogoſtovice, Grambinice, & Grabiſewo. Item has villas in terra Syradiæ civitatem Vnielow cum foro, & villa eidem conjuncta dicta Koſcielna wies, Oſtrowska wola, Czymana, Sbiluczice, Orzeskowo, Velemno, Kobielniki, Ubiſlawe, Nemiſlow cum villa Lubiſczowo Popowo, Kaichowo, Zarowo, Boryſowice. In Marzenino partem Cancellariæ Gneſnen. Sandzeiowice Luczczow, Parzno, Srzeſowo, Croſtowo, Drodzino, Potrukozy, Kluki, Reſſotarzewo, Rzanſna, Mantoniſcza, Okradziſzewo, Rzwiewici cum Vola dicta Crzowiech, Golczowice, Grocholice. Item ex alia parte fluvij Vartæ, Spicimierz, Welſczyce, Smolſko, Przykuna, Korytkowo, Rogow, Kovalicz, Turkowice. Turek civitas cum foro & duabus villis ſibi junctis, Seuczе cum quibuſdam campis, de Muchnino, Dobrowo. Boſczonowice partem Tundowo. Duſniki. Kokoſzki, Oraczowo. Joroczyce, & Oneczki. Item has villas, in terra Cracoviæ Biſkupice circa Miechoviam. Cum villa quæ dicitur Ligota ſibi adjacente Pruſſij ante Cracoviam. Chroſczyna prope Koſcielec. Item has villas, in terra Sandomirienſi Kurzelow civitas cum foro & decima ſeptima Thelonei, & cum Allodio, quod dicitur Modrzew

drzew Goſczanicyn cum medio Theloneo Pontis & cum fabrica ferri Szub dicta Wzleca Dankow, Konieczna. Czerno Krolewiczka ante Viſlicam. Item has villas Capituli Gneſnenſis Dekanowice binum Piſczyno. Sczawino Braczeſewo, agros Decanatus foris Gneſnam Mniechowo. Paulowo. Kampel Zydowo Waliſzewo, Parczewo. Popkowo. Biſkupice. Jezereza Marzanino Gozdowo. Xiązno Baranowo. Opatowo. Czernelino binum, Majus & Minus, Sułowo. Woloſtowo Smeczyſcza in Mączniki tres ſortes Liubrza Goſczyczyno Budziſławe, Slawomierz Woluczyno Sczepanowo binũ. Parlino Berlino. Polanowo. Oſtrowice. Slotkowo. Skarbimirzyce, Kajowo. Marquacze. Tropeshino. Voiczice, Oſtrow. Słup. Skuolno. Pãpowo, Pãpiczy. ſeu Kupidłowo, Goſrã. ltẽ villa Sãctuariorũ Komorowo. Jezerza. Crzynka. Koczyce. Mokrzko. Duſſno. & Galanzowo. ltẽ Malanowo. prope Turek. Item Rozdyce, terræ Lanciciæ. quatuor ſortes & tabernam. In Domanowo unam ſortem. Nempe ipſa bona præmiſſa eximimus & penitus liberamus, ac gratiosè abſolvimus à Noſtra & Caſtri Citatione ac à Judicio Noſtro, & omnium Palatinorum, Capitaneorum, Caſtellanorum, Judicum, Subjudicum. & quorumlibet officialium, quibuscunque Nominibus appellentur præſertim à ſingulis impetitionibus ſeu inquietationibus juſtitiariorum, qui Oprawce dicuntur vulgariter, ipſa bona & ea inhabitantes ſpecialiter fore volumus liberos & exemptos: Sed Dominus Archiepiſcopus & ſuum Capitulum Gneſnen: qui pro tempore fuerit, ponent in bonis Eccleſiæ Juſtitiarium, qui eadem bona Eccleſiæ diligenter viſitet & ea inhabitantes *ab exceſſibus retrahat, ac ipſos corrigat juſtitia mediante.* Si vero ultra cognitionem ejuſdem Juſtitiarius Noſtrum aliquem furem in prædictis bonis Eccleſiæ percipiet, ipſum præfato Juſtitiario Eccleſiæ debebit deferre; qui de eodem reddat Juſtitiæ complementum. Qui quidem Juſtitiarius Eccleſiæ, habeat poteſtatem recipiendi pœnas in hominibus Eccleſiæ, furti, ſangvinis, & homicidii, in his duntaxat qui Judicialiter fuerint condemnati, ad quod noſter Judiciarius nullum penitus habeat reſpectum ut præfertur. Præterea damus & confirmamus prædicto Domino Archiepiſcopo & ſuis ſucceſſoribus omnimodam facultatem memorata bona & poſſeſſiones Eccleſiæ locandi jure Teuthonico prout eis utilius videbitur expedire. Quæ quidem bona & poſſeſſiones prout in ſuis circumferentiis continentur cum omnibus utilitatibus, fructibus, & proventibus univerſis, tam præſentibus quàm futuris, cum agris, pratis, ſilvis, mericis, rubetis, borris, mellificiis, nemoribus, & cum venationibus ferarum quarumlibet, & avium, molendinis, piſcinis lacubus, & aquarum decurſibus & generaliter cum omnibus uſibus, qui in eiſdem bonis nunc habentur, vel haberi poterunt in futurum, cum hominibus habitãtibus, in eiſdem tam liberis, quàm obnoxiis, eximimus, liberamus & abſolvimus gratiosè ab omnibus ſolutionibus, exactionibus, Collectis, Talijs, Cõtributionibus, tributis, nec non à Podworowe ac Poradlne, à ſep. à bove, à vacca, à porco, ab ove, à perna, à ſtan. à Narzaz à Przewod. à Podwod. & ab omnibus angariis, & præangariis, ac à vexationibus, quibuscunque, ab omni quoque ſervitio & ſervitute: & ſpecialiter à foſſione foſſatorum, & ab ædificatione Caſtrorum de novo factorum vel faciendorum, præter caſtra antiqua ultima in Gnezna, in Lancicia, in Sieradz, & in Nakiel, quæ dum corruere contigerit, homines Eccleſiæ, quodlibet ipſorum Caſtrorum de duabus hubellis adſtricti ſint reformare: nec non ab expeditionibus extra terminos Regni Poloniæ emergentibus penitus ſint exempti. Volumus tamen, quòd ſi inimici noſtri aliquando inſultu impetuoſo terrarum Gneſnen. Diœceſ. hoſtiliter invaſerint, homines Eccleſiæ viciniores

ciniores eidem parti terræ quæ invadi debuerit, unà cum terrigenis noſtris & eorum villanis expediti prout ipſi villani militum, eiſdem inimicis occurrere teneantur. Inſuper adjicimus decernen: quòd Milites non impediant nec prohibeant locationem in grandiis Villanorum ſuorum & venditionem liberam Decimarum, ne propter hoc DEus provocetur: cùm juxta jus naturale liberum eſſe debeat, de re propria diſponere prout placet. Decernimus tamen, quod cum Decimæ per Dominos earum extraneis vendi debuerint, liceat hæredibus ipſas Decimas in villis propriis, pro eadē quantitate pecuniæ, pro qua alijs expoſitæ fuerint, ſuis uſibus reſervare: ita tamen quòd ſi emptor extraneus paratam pecuniam Dno Decimæ in principio emptionis ſuæ dare voluerit, ipſe etiam hæres villæ pecuniam paratam eidem, abſq; dilatione ſolvere teneatur. Si verò talis emptor extraneus cautionem fidejuſſoriam pro hujuſmodi pecunia poſuerit, etiam idem hæres villæ pro ipſa certam ponat hujuſcemodi cautionem. Etiam declaran. adjicimus, quòd ſicut Gneſnen. Archiepiſcopum, & ſuam Eccleſiam meminimus in poſſeſſione & perceptione telonei decimæ ſeptimanæ in infraſcriptis oppidis & civitatibus noſtris, uti. in Kalis, in Lancicia, in Petricovia, in Sieradz, in Malogoſcz, in Chenczyn, in Spiczymierz, in Skrzyna, & in Chocieſzow, ita eos volumus remanere, perpetuò in perceptione hujuſmodi Decimæ ſeptimanæ telonei ſupradicti, pacifice & quietè. Interea decernimus ſpecialiter, quodſi quiſpiam in prædictæ Gneſn. & ejus collegiatarum Eccleſiarum prædictarū bonis, aliquam in rebus ſeu perſonis violentiam notoriam fecerit, idem per memoratum Dn. Archiepiſcopum & ſuos ſucceſſores ad ſatisfactionem condignam cenſurâ Eccleſiaſticâ compellatur. Inſuper ſi homo de bonis Eccleſiæ liber aut obnoxius per alium hominem noſtrum, aut militarem occiſus fuerit, teneatur conſvetudo circa ſolutionem mulctæ capitis terrarum, in quibus ipſa homicidia committuntur. Volumus tamen, quòd homines Eccleſiæ à ſolutione pœnæ quæ Zagłowna ſive Krwawa Szeſc grzywien dicitur vulgariter, penitus ſint exempti & ſoluti. Item decernimus, quòd excommunicati per Judicem, à judicio repellantur & ad teſtificandum dummodo id in fraudem non fiat nullatenus admittantur. Ordinamus inſuper & volumus obſervari, ut circa limitationes poſſeſſionum, ſeu Eccleſiarum ſuperiùs poſitarum conſvetudo ſervetur Eccleſiæ & cujuslibet terræ quæ hactenus extitit obſervata. Item concedimus eidem Domino Archiepiſcopo & ſuis Succeſſoribus, quòd poſſint etiam abſentes à Judicio conſtituere procuratorē, ſeu procuratores, aut prolocutores in Cauſis hæreditariis ad agendum & defendēdū, ad inquirendum. ſeu perdendum, & hoc per literas ipſorū ſigillis roboratas, cum ipſe noſcatur habere poſſeſſiones hæreditarias in diverſis territorijs Regni noſtri. Porrò quòd ultimo ponitur, magis memoriæ commendatur, decernimus ac ordinamus, ac de cætero per nos & quoslibet volumus perpetuò obſervari, ut Dominus Archiepiſcopus & ſua Gneſn. ac aliæ ſuperiùs nominatæ Eccleſiæ cùm clero & populo in bonis Eccleſiæ habitante, in juribus, conſvetudinibus, commodum & honorem Eccleſiarum tangentibus, & ſpecialiter in juribus ipſis per nos conceſſis & datis, plenariè conſerventur. Proteſtamur inſuper nos vidiſſe & expoſitas nobis plenariè intellexiſſe literas Patrum Beatiſſimorum Eccleſiæ Romanæ, Pontificum veluti INNOCENTII II. INNOCENTII III. & HONORII III. in quibus poſſeſſiones, jura & libertates prædictæ Gneſnen. & ejus Collegiatarum Eccleſiarum conceſ-

ſæ

ſæ & donatæ eiſdem per Principes Poloniæ, noſtros Progenitores pleniſſimè confirmantur, ſpecialiter autem in literis patentibus dicti Papæ HONORII contineri vidimus ſatis clarè quod ipſe ad petitionem Ducum infraſcriptorum Leſconis Cracoviæ, CONRADI Maſoviæ, VLADISLAI de Kalis, & Caſimiri de Opol, jura, libertates, & poſſeſſiones Lovicenſes, diſtrictûs terræ Mazoviæ confirmavit, ipſumque diſtrictum cum omnibus villis & poſſeſſionibus, ab omni juriſdictione & dominio quorumlibet Principum penitus liberavit. Declaramus etiam pro dubiis amputandis articulum ſeu clauſulam de excommunicatis ſupradictis: quod ſi aliquis excommunicatus in teſtem producatur, repellatur, ut præmiſſum eſt, à teſtificatione, ſed tamen loco ipſius alter teſtis valeat ſubſtitui, ne per hoc, teſtes producenti aliquod præjudicium generetur. Ut autem prædicta noſtra innovatio, & confirmatio, roboratio, proteſtatio, & omnium præmiſſorum perpetuatio, robur obtineant perpetuæ firmitatis, præſentes literas ſcribi fecimus, & noſtrorũ Sigillorum Munimine roborari. Actum Cracoviæ in Octava Cinerum Anno Domini Milleſimo Trecenteſimo, Quinquageſimo Septimo, præſentibus his teſtibus Dominis Joanne Jura Caſtellano Cracovienſi, Mathia Poſnanienſi, Imbramo Cracovienſi, & Joanne Lancicienſi, Palatinis, Przeclao Poſnanienſi, Dobeſlao Viſlicenſi, Zawiſza Sandecenſi, & Joanne Woinicenſi, ac Hebda Siradiend. Caſtellanis, Petro Tribuno, & Andrea Succamerario Cracovienſi, ac Dobeſlao Judice Kaliſienſi, nec nõ Joanne Cracovienſi, Ottone Poloniæ, Floriano Lanciciæ, & Hermano Cujaviæ Cancellarijs, terrarum Regni noſtri ac alijs pluribus fide dignis. Datum per manus ejuſdem Joannis Cancellarij Cracovienſis. Scriptũ per manus Gregorij Notarij curiæ noſtræ.

Confirmavit Sigiſmundus Primus Petricoviæ in Conventione Generali anno 1548.

Idem CASIMIRUS recognoſcit Ordinem Spiritualem liberè ſubſidium charitativum contribuiſſe, nec ad aliud obligari.

CASIMIRUS DEi gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithvaniæ Hæres Ruſſiæ, & Dominus Pruſſiæ &c. Significamus tenore præſentium, quibus expedit univerſis præſentibus & futuris, præſentium notitiam habituris. Quomodo Reverendiſſimus in Chriſto Pater, Dn. Johannes Eccleſiæ Gneſn. Archiepiſcopus & Primas, cum Reverendiſſimis, Reverendis, Nobilibus, Egregiis, & Honorabilibus Dominis Epiſcopis, Abbatibus, Præpoſitis & Canonicis ac Rectoribus Eccleſiarum, totoque Clero ſuæ Provinciæ Regni noſtri, neceſſitatem ac opportunitatem, rerumque Pruſſiæ per nos ceptarum, ac gravitatem, & difficultatem, quarũ debita conſummatio, ſumptus, & impenſas multas requirit perpenden. & attenden. Volentes præmiſſis ſubvenire, votiva noſtra petitione moti, Regnique Noſtri ſtatum pacificum, ac ejus incrementum utile affectan. ſubſidium Caritativum, non ex aliquo jure, aut debito, ſed ex mera, & ſpontaneâ voluntate, dederunt & fecerunt. Ne autem hujuſmodi ſubſidium, per Nos aut per Noſtros Succeſſores in ſequelam trahatur, recognoſcimus publicè pro Nobis & Succeſſoribus Noſtris, & per expreſſum per præſen. profitemur. Quod ipſe Reverendiſſimus Dn. Joannes, Archiepiſcopus Gneſnen. & Primas, unà cum Epiſcopis, Abbatibus, Prælatis, Canonicis, Rectoribus, totoque Clero ſuæ Provinciæ hujuſmodi ſubſidium

ſidium charitativum liberè, voluntariè & ſpontaneè, dederunt, & fecerunt, nec ad hujusmodi ſubſidium dictæ Provinciæ Gneſn. Prælatos, & Clerum pro Nobis, aut Succeſſoribus Noſtris faciendum & dandum futuris temporibus, occaſione hujuſmodi donationis gratuitæ, volumus ex debito obligare. In cujus rei teſtimonium ſigillum Noſtrum, præſentibus eſt ſubappenſum. Datum in Grodno Feriâ ſecundâ poſt Valentini proximâ. Anno Domini milleſimo, quadringenteſimo quinto.

Relatio Venerabilis Thomæ de Strzampmo magni
Locus Sigilli penſilis. in Theo. Decretorum Doctoris & Reg. Polon. Vice-Cancellarii.

Privilegium ejuſdem CASIMIRI ſuper Primeitate Actoratûs in Cauſis limitum.

CASIMIRUS DEi gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithvaniæ, & Hæres Pruſſiæ. Magnificis, Generoſis, Strenuis, & Nobilibus Palatinis, Caſtellanis, Capitaneis, Judicibus, Subjudicibus, Succamerariis, ac cæteris omnibus, Officialibus, Judiciis noſtris Regalibus, & Terreſtibus Terrarum Majoris Poloniæ, Cracoviæ, Sendomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cujaviæ, Vielun. Præſiden. fidelibus Nobis dilectis gratiam & favorem Regium. Fideles noſtri dilecti. Expoſuit coram Majeſt. Noſtra Reverendiſſimus in Chriſto Pater Dn. Vincentius S. Ecel. Gneſn. Archiepiſcopus & Primas. Quomodo dum & quando quæſtiones & cauſæ ſuboriuntur in judiciis Noſtris Regalibus & Terreſtribus de & ſuper limitatione villarum, poſſeſſionum & bonorum, Eccleſiæ Gneſn. ſeu ipſum Dominum Archiepiſcopum & menſam ipſius ex una, ac nobiles Terrigenas Terrarum prædictarum partibus ex altera, recuſatis admittere præfatum Dn. Archiepiſcopum & Ecel. Gneſnen. ad Primeitatem limitationis, & deſignationis limitum, alias na Powodſtwo eum tamen Eccleſia Gneſnenſis & Archiepiſcopus pro tempore exiſtens ex Privilegiis, & literis Prædeceſſorum Ecol. Gneſnen. præfatæ id habeant de jure in Terris Regni Noſtri prædictis, prout ex tenore dictorum Privilegiorum vidimus contineri. Ideò vobis omnibus conjunctim & diviſim diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus quotieſcunque quæſtiones, & cauſas ſuper Limitatione Villarum, poſſeſſionum, & quorumcunque bonorum Eccleſiæ Gneſnenſis ſæpè fatæ, & præſertim Menſæ Archiepiſcopalis, inter ipſum Dominum Archiepiſcopum, aut ſuam Eccleſiam ex una, & quoſcunque terrigenas Terrarum dictarum, quibuſcunque eenſeantur Nominibus, & cujuſcunque dignitatis aut præeminentiæ exiſtant partibus ab altera, exoriri contigerit, in Judiciis vel extra præfatum D. Archiepiſcopum, Eccleſiam, & Menſam ipſius ad Primeitatem deſignationis Limitationum hujuſmodi, alias na podwodſtwo admittatis. Secus non facturi, gratiæ noſtræ ſub obtentu. Datum in Conventione Piotrcovienſi generali; Feriâ quartâ proximâ poſt feſtum S. Bartholomæi Apoſtoli glorioſi. Anno Domini Milleſimo Quadrageſimo ſeptimo. Noſtro ſigillo præſentibus ſubappenſo. Dominus Rex per ſe.

Confirmarunt: SIGISMUNDUS Primus, Cracoviæ in Conventione Generali Feriâ quartâ ante Feſtum S. Dorotheæ Virginis & Martyris glorioſæ proxima Anno 1539.

Et SIGISMUNDUS AUGUSTUS Cracoviæ ultimâ Menſis April. Anno 1559.

Privi-

De Archiepiſcopi Gneſnenſis Principatu.

Privilegia Prærogativarum Archiepiſcopi Gneſnen. à CASIMIRO MAGNO conceſſa, per VLADISLAUM & SIGISMUNDUM Primum Reges confirmata,

IN NOMINE DOMINI AMEN. Ad perpetuam rei memoriam. Acta hominum adeò ſunt fluxa & caduca, ut niſi literarum monumentis ab oblivione vendicentur, omnino ſint diuturnitate temporis interitura. Quamobrem Nos SIGISMUNDUS DEi gratiâ Rex Poloniæ, Supremus Dux Litvaniæ, nec non Terrarum Cracoviæ, Sandomiriæ, Syradiæ, Lanciciæ, Cujaviæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Culmen. Elbingen. Pomeraniæq; Dominus & Hæres. Significamus præſentibus literis quorum intereſt univerſis. Exhibuiſſe coram Nobis in conſeſſu Conſiliariorum Noſtrorum, Reverendiſſimum in Chriſto Patrem Dominum Nicolaum Dzierzgowſki, Archiepiſcopum Gneſnen. Legatum Natum & Primatem, literas pargemeneas ſigillo appenſo Sereniſſimi olim Principis Domini VLADISLAI Regis Poloniæ, Avi noſtri deſideratiſſimi, obſignatas, eam prærogativam Dominis Archiepiſcopis Gneſn. conceſſam continentes, ne in quibuſcunque judicijs Regni noſtri pro quibuſcunque cauſis vocati perſonaliter comparere teneantur. Quæ literæ etſi nullâ in parte ſuſpectæ erant, tamen negligentia quadam ita in uno loco corruptæ, ut legi nullâ ratione poſſent. Supplicavit itaq; nobis ut proſpicere dignaremur, ne privilegium Prædeceſſoribus illius & Eccl. Gneſn. conceſſũ ejuſmodi negligentiâ intereat. Nos verò pro noſtro in retinendis omnium privilegijs & in Eccleſias Dei ſtudio, literas prædictas deſcribi mandavimus, & quæ deſiderabantur ſuppleri de certa ſcientia noſtra & conſiliariorũ noſtrorũ aſſenſu juſſimus, ita ut in ſerie literarũ ſenſus conſtaret. Quarum literarum tenor eſt iſte. In nomine Domini Amen. Ad perpetuã rei memoriam. Quia tunc multis errorum & dubiorum prudenter occurrimus incommodis, dum geſta ætatis noſtræ, literarum apicibus & teſtium annotatione perennamus. Proinde Nos VLADISLAUS DEi gratiâ Rex Poloniæ nec non Terrarum Cracoviæ, Sandomiriæ, Syradiæ, Lanciciæ, Cujaviæ, Litvaniæq; Princeps Supremus, Pomeraniæ Ruſſiæque Dominus & Hæres &c. Significamus tenore præſentium quibus expedit univerſis, præſentibus & futuris præſentiũ notitiam habituris. Quomodo in noſtra Baronumq; noſtrorum præſentia conſtitutus Reverendiſſimus in Chriſto Pater Dn. ALBERTUS DEi gratiâ S. Gneſ. Eccl. Archiepiſcopus & Primas ſincerè nobis dilectus quandam literam cum ſigillo Majeſt. Sereniſſimæ Principis Domini CASIMIRI Divæ memoriæ olim Regis Polonlæ Prædeceſſoris noſtri exhibuit & produxit, petens quatenus prædictam literam de innata Celſitudinis Noſtræ clementia ratificare & approbare dignaremur. Cujus quidem literæ tenor de verbo ad verbum ſequitur, & eſt talis. CASIMIRUS DEi gratiâ Rex Poloniæ. Fidelibus ſuis Palatinis, Caſtellanis, Capitaneis, Procuratoribus, Judicibus, Subjudicibus, & Univerſis quorum notitiæ exhibitum erit præſens ſcriptum, gratiam ſuam. Cùm Venerabilis in Chriſto Pater Dn. Jaroſlaus DEi gratiâ Eccl. Gneſn. Archiepiſcopus propter diverſitatem locorũ in quibus bona Achiepiſcopalia ſita ſunt, & hæreditatum Eccl. prædictæ pluralitatem à ſe & inter ſe diſtantium, per quoſlibet citatus in terminis judicialibus commodè non valet comparere, & prædictis perſonaliter intereſſe; ad noſtram Baronumq; noſtrorum præſentiam accedens,

nobis

nobis Inſtantiſus ſupplicavit, ut ſibi hanc gratiæ prærogativam largiamur, quòd in hæreditaria vel quavis alia quæſtione in quemlibet agendi aut etiam de ſe cuilibet querulanti per procuratores ſuos legitimos, ſuo & Capituli ſui nomine conſtitutos, ratum, gratum, atque firmum habere promittens, quidquid in eauſis Eccleſiæ ſuæ & hæreditatum ipſius quibuſlibet per procuratores ſuos prædictos in judiciis ſecularibus quibuſlibet eſſet actum, procuratum, ordinatum, atque factum. Nos igitur in hoc non aliud quàm quòd unicuiq; reddatur juſtitiæ plenitudo, affectantes ne per frequentationem diverſorum Judiciorum & locorum Archiepiſcopalis dignitas vileſcere videatur, & inter graves & univerſales mediocreſq; perſonas, differentia ſaltem habeatur aliqualis, vobis ſingulariter ſingulis ſuperiùs ſcriptis & generaliter univerſis auctoritate præſentium præcipiend. mandamus, quatenus Dn. Archiepiſc. prædictum per procuratores ſuos idoneos, cum inſtrumento vel ſaltem cum literis ſuo Archiep. & Capituli Gneſn. ſigillis de ratihabitione ſignata vel ſignatis quos ad cauſam vel cauſas miſerit vel deputaverit, elegerit aut duxerit eligendos ſeu mittendos in quæſtionibus hæreditarijs, ſeu hæreditatem vel hæreditariam quæſtionem contingentibus, cauſis etiam magnis & parvis in quemlibet licitè ac ſine cõtradictione agere ſua abſentia non obſtante permittatis. Sic quòd etiam in ſimilibus de ſe conquerenti vel conquerentibus. modo ſimili reſpondere teneatur. In cujus rei teſtimonium & evidentiam pleniorem, præſentes dare fecimus noſtri ſigilli munimine roboratas. Actũ in Gneſna feriâ tertiâ poſt diem Ss. Viti & Modeſti Martyrũ. Anno Domini 1343. Præſentibus Nobilibus noſtris Jaroslao Poſnanien. Nicolao Caliſien. Palatinis. Andrea Caſtellano, Nicolao Judice Poſnanien. Dobeslao Judice Caliſſienſi & alijs multis fide dignis. Datum per manus Domini Ottonis Cancellarij Poloniæ. Nos verò Vladislaus Rex prædictus, præfati Reverendiſſimi Patris Domini Alberti Archiepiſcopi Gneſnen. petitionibus tanquam juſtis & rationabilib9 benigniter acclinati, prænominatam literam in omnibus ſuis articulis, clauſulis, conditionibus, atque punctis, tenore præſentium ratificamus, gratificamus, & approbando confirmamus: Decernen. ipſas robur obtinere perpetuæ firmitatis harum, quibus ſigillum Majeſtatis noſtræ appenſum eſt teſtimonio literarum. Actum in Sandomiria feriâ quintâ infra Octavas Nativitatis B. Mariæ V. Anno Dni Milleſimo Quadringenteſimo Vigeſimo ſexto. Præſentibus ibidem Reverendis in Chriſto Patribus Joanne Archiepiſcopo Leopolien. Zbigneo Epiſcopo Cracovienſi, Magnificiſque Chriſtino de Oſtrow Caſtellano Cracovienſi, Joanne de Tarnow, Cracvien. Sandivogio de Oſtrorog Poſnanien. Nicolao de Michalow Sandomirien. Jacobo de Koniecpole Syradien. Palatinis, & alijs fide dignis. Datum per manus Venerabil. Joannis Decani Cracovien. Regni noſtri Cancellarij, & Staniſlai Ciołek Cuſtodis Gneſnen. ejuſdem Regni Vice-Cancellarij ſincerè Nobis dilectorum. Dominus Rex per ſe. Quas quidem literas ita mandato noſtro de certa ſcientia noſtra & aſſenſu conſiliariorum noſtrorum correctas & ſuppletas, in omnibus punctis, clauſulis, & articulis, approbamus, & confirmamus, roburque perpetuæ firmitatis habere decernimus harum quibus ſigillum noſtrum eſt appenſum teſtimonio literarum. Datum Petricoviæ in conventione Generali Sabbatho poſtridie Epiphaniarum Anno Dni 1548. Regni noſtri 41. Præſentibus Reverendiſſimo & Reverendo in Chriſto Patribus Dominis Nicolao Archiepiſcopo Gneſnenſi Legato Nato & Primate, Samuele

muele Cracovien. & Regni noſtri Cancellario, Andrea Cujavienſi, Benedicto Poſnanien. Andrea Plocen. Epiſ. nec non Magnificis Generoſis & Venerabilibus Joanne Comite in Tarnow Caſtellano Cracovien. Exercituum Regni noſtri ſupremo ac Sandomirien. Strien. Lubaczovienſique Capitaneo, Petro Kmita, Comite in Wiſnice, Cracovienſique Regni noſtri Mareſchalco; ac Cracovien. Præmislien. Scepuſien. Colenſique Capitaneo, Januſſio Latalski Poſnanien. Inovladislavien. Sluchovienſiq; Capitaneo, Joanne Comite de Tęcyn Sandomirien. Curiæ noſtræ Mareſchalco: ac Lublinen. Lelonienſiq; Capitaneo, Ioanne de Koſcielec Inovladislavien: & Brzeſten. Dobrzinen. Kowalenſiq; Capitaneo, Feliee Strzenski de Sokoſowo Plocen. Palatinis, & Margenburgen. Plocen. que Capitaneo, Andrea Comite à Gorka Poſnanien: & Majoris Poloniæ Capitaneo. Generali Nicolao Wolski Sendomirien. Sereniſſimæ conjugis noſtræ Curiæ Magiſtro: ac Sanocen: Viſnen: Lomzen: Lanckorunenſiq; Capitaneo, Martino Zborowski Caliſien: ac Stobnicen. Odalanovien. Szidlovienſiq; Capitaneo, Stanislao de Przeramb. Syradien. Sigiſmundo Parzniczewski Lanc. Eraſmo de Kretkow Brzeſten. & Capit. Piſdren. Stanislao Maciejowski Lublinen. & Capit. Zawichoſten. Joanne Ocieski Biecen. & Capit. Sandecen. Nicolao Grabia Chelmen. Regni noſtri Vice-Cancellario & Capitan. Lubonen. Georgio Konarski Miedzirzecen. Caſtellan. Jacobo Vchanſki Decano Plocen. Archidiac. Varſav. & Canonic. Cracovien. Valentino Dambinski Referendarijs Curiæ noſtræ, Ioanne Przerembski Præpoſito & Cancellario, Andrea Przedawski Decan. Poſnanien. & Canon. Stan. Hoſio Juris utriuſq; Doctore & Canon: Cracovien: Secretariis noſtris, & aliis quàm plurimis Official. & Aulicis noſtris Epiſc. Datum per manus præfati Reverendi in Chriſto Patris D. Samuelis Epiſc: Cracovien. & Regni Noſtri Cancellarij.

SAMUEL Epiſc. Crac. & R. Pol. Cancellarius.

PRIVILEGIUM VLADISLAI REGIS CONTRA INJURIAS & DAMNA.

VLADISLAUS DEi gratiâ Rex Poloniæ, Pomeraniæ Princeps ſupremus, & hæres Ruſſiæ &c. Significamus tenore præſentium quibus expedit univerſis, quomodo ex conqueſtione & propoſitione Reverendiſſimi in Chriſto Patris Domini Alberti ſanctæ Gneſnenſis Eccleſiæ Archiepiſcopi & Primatis nobis ſincerè dilecti luculenter concepimus, & de pleno docti ſumus, qualiter Nobiles majoris Poloniæ, & aliarum terrarum, Hæreditatum, quæſtiones, actioneſque eum ipſo Domino Archiepiſcopo, & eum bonis Eccleſiæ Ipſius Gneſnenſes habentes in colloquijs & judicijs, ad quæ ipſum Dominum Archiepiſcopum Gneſnenſem vocari contingit, aut etiam non vocari, eidem ſibi pro pœnis granicijs ac alijs factis graves injurias inferunt, ſieque per occaſiones pœnarum, mulctarum, & alios modos, prata, campos, piſcinas, mellificia, & alia, ſcilicet borros, ſylvas terraſque ſibi & bonis Eccleſiaſticis abſtrahunt, & ea ſibi uſurpare & appropriare conſueverũt, contra Deum & juſtitiam; non obſtantibus etiam diſtinctionibus juſtis per cumulos aut ſcopulos & per ſigna arborea factis. Quæ omnia plerumque ipſi ſubditi noſtri faciunt in Ipſius Dominl Archiepiſcopl & ſuæ Gneſnen. Eccleſiæ magnum præjudicium & gravamen ad pœnas, & temeritates ſuas, exinde capientes originem, quòd tanquam juſtè & juridicè pro diſtinctionibus limitum & damnis alijs quam injurijs per Archiepiſcopos aut ipſorum ſubditos, procuratores & factores eorum agentes lucrarentur, ipſos penitus pœnas ſeu mulctas propterea in Regno noſtro de jure & conſvetudine allegatas obliga-

bligataſq; , pro quo DEum & juſtitiam offendunt. Unde nos bona ejuſdem ſanctæ Gnesnen. Eccleſiæ tam injurioſis oppreſſionibus & diſpendijs ſupportare cupientes & eidem Reverendiſſimo in Chriſto Patri Dno Alberto, & pro tempore Gneſnen. Eccleſiæ Archiepiſcopo & Primati, ſpecialium gratiarum largitione ſubvenire, ſibi omnes pœnas nos & noſtros Capitaneos alioſq; Judices conſernen: de ſe ipſo & ipſius litis competitoribus in cauſis pro granicierum diſtinctionibus iplarum imò violationibus earundem & etiam quorũcunque factorum injurijs & damnis inde ſecutis, eidem Dno Archiepiſcopo ſuiſq; ſucceſſoribus. perpetuò damus & concedimus, tollendas, exigendas, & levandas, contradictione Capitaneorum & quorumlibet Officialium ipſorum nulla obſtante aut impediente. Quocirca vobis Capitaneis, Palatinis, Caſtellanis, Succamerarijs, & quibusvis dignitarijs & Officialibus noſtris ubilibet in Regno noſtro & præſertim in terris Majoris Poloniæ Siradiæ, Lanciciæ, Cujaviæ, Wielun: & alijs præſentibus requirentes noſtris firmis damus Regijs in mandatis, quatenus eundem Dnum Albertum & pro tempore Archiepiſcopum circa hanc conceſſionem pœnarum hujuſmodi relinquere debeatis ipſosque perpetuò in pœnarum iplarum exactione nullatenus impedire præſumatis, ſed potiùs ſibi in exigendis ipſis, volumus auxilium per vos præſtari & juvamen. Decernen. eam conceſſionem noſtram perpetuam eſſe & fore. Igitur aliud pro gratia noſtra facere non auſuri. Harum quibus ſigillum noſtrum eſt appenſum. Datum Sendomiriæ in feſto Nativitatis S. Mariæ V. glorioſæ. An. Dni 1421. Relatio Venerabilis Dni S. Ciołek Cantoris Cracov. Regni Poloniæ Vice-Cancellarij.

PRIVILEGIUM VLADISLAI REGIS

Quod Archiepiſcopus non teneatur perſonaliter in judicijs comparere, vide ante duo fol.

Privilegium VLADISLAI, Oppida & Civitates erigendi, Fora, & Nundinas inſtituendi; & Libertatis à medietate teloniorum.

IN Nomine Domini Amen. Cum inter hujus marceſcibilis vitæ delicias tranſeuntes, præſtantius bonum ſit æternorum præmiorũ conſtruere fundamenta. Proinde Nos Vladislaus DEi gratiâ Rex Poloniæ Litvaniæque Princeps ſupremus & Hæres Ruſſiæ &c. Significamus tenore præſentium univerſis tam præſentibus quàm futuris. Quod attentis multarum virtutum affectuoſis meritis quæ Rndmus in Chriſto Pater D. Nicolaus S. Gneſn: Eccleſiæ Archiepiſcopus nobis ſincerè dilectus Celſitudini noſtræ Regno ac Coronæ prædictis à retroactis dudum temporibus utiliter ac operosè exhibuit, & exhibere potuit, ferventiùs in futurum recepto ab eodem D. Archiepiſcopo tam Nobilium, quàm Civitatenſium Incolarum Regni noſtri teſtimonio fide digno, quod incolæ Oppidorum & Civitatum ſuarum ac dictæ Gneſn. Eccleſiæ cum quibuscunq; rebus ſeu mercimoniis & mercantiis ſuis per Terras Regni ac Dominiorum noſtrorum tranſeuntes, medium telonium tantummodo ſolvere conſueverunt ex antiquo. Ipſos circa eandem ſolutionem medij telonii duntaxat dimiſimus, & tenore præſentium dimittimus, perpetuis temporibus duraturam; memoratoq; D. Nicolao Archiepiſcopo & ſucceſſoribus ſuis dictæ Eccleſiæ Gneſn. Archiepiſcopis pro tempore de innatæ nobis liberalitatis clementia, veſtigiis Prædeceſſorum noſtrorum Regum Poloniæ inhærentes, ob ſpem ſalutis eorum ac Progenitorum noſtrorum, & remiſſionem peccaminum, meritis Beati Adalberti Martyris participes fieri cupientes, benigniter con-

conceſſimus, permiſimus, indulſimus, ac præſentibus concedimus, permittimo, & indulgemus. Oppida nova & civitates in bonis ſuis & dictæ Gneſnen. Eccleſiæ Jure Theutonico Srzeden. erigere, locare, fora quoq; ſeu forum ſeptimanale nundinis, ſeu annale in eiſdem ponere juxta ipſius Domini Nicolai Archiepiſcopi & Succeſſorum ſuorum beneplacitum quacunq; die renovent, ab eisdem Oppidis ſeu civitatibus per ipſum Dnum Nicolaum Archiepiſcopum & eoſdem Succeſſores ſuos Archiepiſcopos Gneſnen. collocandis ſeu erigendis omnia jura Polonicalia, modos, & conſvetudines univerſas, quæ ipſum jus theutonicum Srzeden. prædictum plerumq; conſveverunt perturbare. Ut ad eadem oppida ſeu civitates foraque ſeptimanalia aut annalia populi utriuſq; ſexus, undecunq; confluere, & mercantias ſuas in ejsdem liberiùs valeant exercere. Quorum oppidorum ſeu civitatum incolas illo jure & privilegio gaudere volumus, quo reliqua oppida & civitates dictæ Gneſnen. Eccleſiæ ac etiam noſtræ regales gaudere & potiri dignoſcuntur. Inſuper memorato Dno Nicolao Archiepiſcopo ac eiſdem Succeſſoribus ſuis, & dictæ Gneſnen. Eccleſiæ permittimus, indulgemus, & de ſpeciali gratiâ condonamus bona ſua duntaxat in quibuſcunq; rebus conſiſtentia, nullis penitus exceptis & excluſis, ſive per terras, ſive per aliquas Dominiorum noſtrorum ac Regni noſtri durare poſſint & valeant liberè absq; alicujus telonii ſolutione temporibus ſimiliter perpetuis durat. Ut igitur prædicta noſtra indulgentia ſeu donatio robur obtineat perpetuæ firmitatis, præſentes literas ſcribi, & noſtri appenſione ſigilli juſſimus communiri. Actum & datum in Jeldena feriâ ſecunda poſt Dominicam, Eſto mihi. Præſentibus ſtrenuis militibus noſtris dilectis Jacobo de Konieepoie Palatino Syradien. Chryſoſtomo de Oſtrow, Nicolao de Michoſow Sandomirien: & Woinicien Caſtellanis. Joanne Kuropatwa Judice Lublinen. Petro Schaffraneo Subdapifero Cracovien: & Petro Wlodkonis de Charbinowice Capit. Hallicien. & alijs multis fidelibus noſtris fide dignis Anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſexto.

Confirmavit SIGISMUNDUS AUGUSTUS, Petricoviæ in Conventione Generali, Anno 1550.

RESCRIPTUM SIGISMUNDI I. contra Excommunicatos.

SIGISMUNDUS DEI gratiâ Rex Poloniæ, M. D. L. Ruſſiæ, Pruſſiæq; D. & Hæres &c. Univerſis & ſingulis Terrarum & Diſtrictuum Regni noſtri, Capitaneis, ViceCapitaneisq, eorum ubilibet conſtitutis ad quos præſentes pervenerint ſincerè & fidelibus dilectis, gratiam noſtram. Magnifici, Generoſi & Nobiles ſincerè & fideles dilecti. Quamvis ſtatutorum vigore per felicis memoriæ Prædeceſſores noſtros ad excommunicatos Regnicolas antiquitùs recenterq; editorum locorum Capitanei excommunicatos eoſdem Regni noſtri Incolas, qui Cenſuras Eccleſiaſticas pertinaciter ſuſtinent, noſtra & Capitaneatuum Autoritatibus compellere debeant, ad abſolutiones obtinendas; tamen quia intelleximo ex Rndmo in Chriſto Patre D. Joanne Archiepiſcopo Gneſnenſi, & Primate ſincerè nobis dilecto, quòd vos locorum Capitanei conſueveritis cognitionem, & examen quoddã præmittere de efficacia excommunicationum ipſarum, & tandem ſtatutum exequi, aut differendo non exequi, propter quod nos effectui ſtatutorum eorundem ſatisfacere cupien. Mandamus vobis, ut dum per ipſum D. Archiepiſcopum, & Succeſſores ſuos literis ſignificatorialibus Archiepiſcopalibus vobis intimatum fuerit, qui talis cujuscunque eminentiæ aut conditionis fuerit excommunicatus, Cenſuras Eccleſiaſticas contumaciter, pertinaciterq; ultra anni unius & ſex ſeptimanarum decurſum ſuſtinet, vos & quili-

bet veſtrum viſis eisdem prædictis Archiepiſcopalibus literis ſignificatorialibus, quemlibet talem excommunicatum, vobis pro excommunicato, contumaci, pertinaci, & ſcandaloſo delatum, non præmiſſa ſolennitate, ſeu examine ſuper Cenſuris, & eorum Proceſſibus; ſed viſis tantummodo ſignificatorialibus prædictis Archiepiſcopalibus literis, partibus tamen vocatis, ut ſe procurent abſolvi requiſitis, ſi iſtud facere diſtulerint, juxta ſtatutorum diſpoſitiones compellatis ad abſolutiones obtinendas, ſtatutorum rigorem atq; vigorem in eis executuri, absq; dilationibus & favore, aliterq; facere non auſuri pro gratia noſtra, ac ſub pœnis contra ſe in ſtatutorum Capitulo contentis. Harum quibus ſigillum noſtrum eſt appenſum teſtimonio literarum, Datũ in Brzeſcie Litvaniæ præſente præfato D. Archiepiſcopo feriâ v. intra Octavam Domini, Anno ejuſdem 1516mo. Regni noſtri Anno IX.

Ejuſdem SIGISMUNDI Privilegium, quo Subditi Gneſn: à Teloniorum, Pontalium, aggeralium & Foralium exactione liberantur.

AD perpetuam rei memoriam. Nos Sigiſmundus DEi gratiâ Rex Poloniæ, M D. L. Nec non Terrarum Cracoviæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lancicie, Cujaviæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Culmen: Elbing: Pomeraniæq; D. & Hæres. Significamus tenore præſentium, Univerſis quibus expedit præſentibus & futuris harum notitiam habituris. Quia dum exponerent nobis ſubditi noſtri Incolæ Civitatum & oppidorum noſtrorum Regni noſtri adverſus Rndmum in Chriſto Patrem ac D. Joannem de Laſko S Gneſn: Eccleſiæ Archiepiſcopũ & Primatẽ, Sedis Apoſtolicæ Legatũ natum ſincere nobis dilectum, ejuſq; Vices gerentes & factores Archiepiſcopales quomodo ipſi exigerent ex Civitatibus & Oppidis Archiepiſcopalibus telonia, pontalia, aggeralia, & foralia, diebus fororum Annualium, ſuos verò ſubditos negotiatores & Incolas Civitatũ, Oppidorum & bonorum Archiep. ad ſimiles ſolutiones, teloniorum, pontalium, aggeralium & foralium in Civitatibus & Oppidis veſtris non permitterent compelli, ex eademq; neceſſitate querelarum, quando idem D. Archiepiſcopus hortatu noſtro literas & Privilegia Eccleſiæ ſuæ Gneſnenſis originaliter coram nobis, & Conſiliariis noſtris hic in præſentiarum exhibuit; comperimus, in eiſdem Privilegiis per expreſſum contineri deſcripta omnia bona hæreditaria Eccleſiæ prædictæ Metropolitanæ ac Collegiatarum & Capitularium Eccleſiarum & Diœceſis Gneſnenſis ſpecificè deſcripta, per noſtros Anteceſſores, Divos olim Poloniæ Reges, ac Duces Poloniæ & Maſoviæ, Eccleſiæ Gneſnenſi donata eidemq; perpetuò incorporata. Nec non libertates, exemptiones & prærogativas hominibus Urbanis, Oppidanis, & Villanis ſubditis univerſis & ſingulis eorundem bonorum, per eoſdem noſtros Anteceſſores ac Duces Poloniæ ante tempora felicis Regiminis & Regni recolendæ memoriæ CASIMIRI MAGNI, & denuò per eundem MAGNUM CASIMIRUM datas & conceſſas, ſpecialiter autem per ipſum MAGNUM CASIMIRUM & ſucceſſivè per alios Reges & per nos ipſos confirmatas, quibus median. negotiatores & Incolæ Civitatum, Oppidorum, Villarum & bonorum Archiepiſcopalium Eccleſiæ Gneſnenſis prædictæ à ſolutione horum teloniorum, pontalium, aggeralium, foraliumq; ubique locorum Regni noſtri liberati ſunt, & exempti perpetuò, quorum omnium Privilegiorum coram nobis exhibitorum tenorem propter ipſorum prolixitatem præſentibus inſerere omiſimus. Quapropter nos cum Conſiliariis noſtris utriuſq; ſexûs in hac Conventione nobiſcum agentibus & in præſentia ſubdito-

ditorum noſtrorum querelas prædictas exponentium, viſis, lectis, auditis, & recenſitis privilegijs hujuſmodi Archiepiſcopalibus, eadem privilegia tanquam juſta & omni prorſus nota ſuſpicionis carentia, & omnia in eis contenta unà cum præfatis libertatibus, exemptionibus, prærogativis, in eisdem ſpecificè deſcriptis videlicet de non exigendis teloniis & pontalibus, aggeralibus, ac foralibus, in locis quibuſcunque Regni noſtri, à præfatis negotiatoribus, ſubditis & incolis bonorum Archiepiſcopalium ſalvis tamen teloniis novis Regalibus noſtris ac telonio Sandomirien. à bobus ſolvi conſveto ac omnia alia & ſingula ſuperius contenta expreſſa & ſpecificata ex certa ſcientia & auctoritate noſtris Regiis, ac de conſilio & unanimi voto prædictorum noſtrorum & Regni noſtri conſiliariorum, approban. ratifican. & confirman. duximus, approbamusq; ratificamus, & confirmamus decernen. prout decernimus, omnia & ſingula præmiſſa in præfatis privilegijs originalibus ſpecificè deſcripta, perpetuò duratura, tenore præſen. median. ſicque præſenti noſtro privilegio non ſecus quàm originaii prædicto, latiùs ſingula exprimenti, in omnibus judicijs Regni noſtri ſpiritualibus, & ſecularibus & alias ubilibet quo ad obſervationem præmiſſorum, præſertim verò ad teloniorum aggeralium. pontalium, & foralium, liberationem, ad aliasq; exemptiones, ab omnibus quorum intereſſet, plena fides ubique habeatur. Præterea decrevimus inſtitutionem, exactionem telonlorum pontialium, aggeralium, & foralium hujusmodi quibuscunque perſonis, & ex quacunque cauſa antiquitùs vel etiam denuò per nos, aut Anteceſſores noſtros conceſſam, ad ſubditos hujusmodi Archiepiſcopales & Eccleſiæ Gneſnen. prædictæ, extendere ſe non poſſe, neque debere quomodolibet in futurum. Ne autem ſub umbra & colore hujuſmodi negotiatorum Archiepiſcopalium prædictorum, alij negotiatores noſtri vel ſubditorũ noſtrorum à ſolutione hujuſmodi teloniorum & pontalium, aggeraliumq; ac foralium noſtrorum quibuscunque cautelis ſe ſubtraherent: cum noſtro & Reipub. Regni noſtri detrimento & incommodo volumus & ordinamus, ut iidem ipſi negotiatores & ſubditi Eccleſiæ Gneſnen: ad loca dictorum teloniorum & pontalium, aggeraliumq; & foralium hujuſmodi venien: Exactoribus noſtris Succeſſorumque noſtrorum ab eis ſubſtitutis pro tempore exiſtentiũ, toties, quoties *iverint, ſe repræſentent cum literis teſtimonialibus titulo & ſigillo Archiep.* pro tempore exiſten: communitis, & obſignatis manuq; propria ejuſdem Archiepiſcopi Gneſnenſis ſubſcriptis, eundem negotiatorem, ſubditum ſuum Eccleſiæque ſuæ Gneſnen. & res ejuſdem negotiatoris & non alterius eſſe teſtificantis. Et quoniam certum habemus, multas eſſe civitates & oppida noſtra regalia ſubditorumque noſtrorum, quorum incolæ ab omnibus teloniis, & foralibus, eorumque ſolutione favore noſtro Regio Prædeceſſorumq; noſtrorum accedente ſunt exempti. Igitur volumus & decernimus, ut ſi privilegia & conceſſiones libertatum præfatarum Archiepiſcopalium Eccleſiæ Gneſnen. & ſubditis ejus ut præmiſſum eſt conceſſarum, priores eſſe viderentur, ex tunc iidem Subditi noſtri, ac Subditorum noſtrorum quorumcunque in civitatibus & oppidis menſæ Archiepiſcopalis de teloniis & pontalibus aggeralibuſque ac foralibus, Dno Archiepiſcopo pro tempore exiſten. reſpondere, obligati ſint & adſtricti. Alioquin vellemus eſſe liberos à ſolvendis præmiſſis & exemptos ipſo facto. Quocirca vobis univerſis & ſingulis Dignitarijs & Officialibus teloniatoribus veſtraſque vices geren. ac cæteris ad quos pertineret, inhibemus præſenti mandato, quatenus præfatum Dnum Archiepiſcopum & pro tempore exiſtentem, ſubditoſque præfatos Eccleſiæ Gneſnen. in eisdem libertatibus & prærogativis ſuperius expreſſis conſervetis & quantum in vobis eſt ab aliis omnibus conſervari faciatis. Certum habituri ut ſi aliquis veſtrum, præfatis libertatibus Eccleſiæ Gneſnen,

ri parte, vel in toto, vel per ſe, vel per alium contravenerit, eundem Dnum Archiepiſcopum modernum, & pro tempore exiſtentem, cenſuris Eccleſiaſticis & interdictionibus ſe præmiſſorum occaſione proceſſurum. Secùs igitur pro gratia noſtra Regia non facturi. Quam quidem ordinationem ſuperiùs expreſſam per nos, prout & anteceſſores noſtros modo præmiſſo factam volumus, & præſentis noſtri perpetui privilegij vigore decernimus, perpetuis temporibus valituram. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum. Actum Piotrkoviæ in Conventione Generali feriâ ſextâ poſt feſtum S. Mathiæ proximâ Anno Domini milleſimo, quingenteſimo decimo nono: Regni verò noſtri anno decimo tertio. Præſentibus Reverendis in Chriſto Patribus Dominis Mathia de Drzewiea Vladislavienſi, Joanne de Lubraniec Poſnanien. Fabiano de Luſianis Varmien. Petro Tomicki Premyslien. Eccleſiarum Epiſcopis, & Regni noſtri Vicecancellario. Nec non Magnificis & Venerabilibus ac Generoſis Chriſtophoro de Schidlowiec Palatino & Capitaneo Cracovien. ac Regni noſtri Cancellario, Nicolao de Lubraniec Poſnanien. Nicolao de Dobrowiea Sandomirien. & Exercituum Regni noſtri Præfecto Generali, Joanne Zaremba de Kalinowa Caliſien. Jaroslao de Lasko Siradien. & Nicolao Jaranto de Brudzow Lancicien. Otto de Chodecz Ruſſiæ, Andrea de Tenczyn Lublin. Palatinis, Luca de Gorka Poſnanien. & Capitaneo Majoris Poloniæ Generali Nicolao de Schidlowiec Sandomirienſi & Regni noſtri Theſaurario. Joanne de Przeramb Syradien. Adamo de Drzewiea Radomien. Caſtellanis. Stanislao de Chodecz Capitaneo Leopolienſi & Petro Kmitoa de Viſchnicz Capitaneo Premislien. & Curiæ noſtræ Mareſcalco, Joanne Lathalski Gneſnen. Cracovien. & Lancicien. Eccleſiarum, Joanne Karnkowski Scarbimirien. Joanne Konarski Archidiacono Cracovien. Andrea Kricki Sancti Floriani in Kleparz & Nicolao Zomoyski Tarnovien. Præpoſitis & Cancellarijs Cracovien. Secretarijs noſtris & alijs quàm plurimis Dignitarijs, Officialibus ac Curienſibus ad præmiſſa teſtibus fide dignis, ſincerè & fidelibus dilectis. Datum per manus præfati Magnifici Chriſtophori de Scrydlowiec Palatini & Capitanei Cracovienſis ac Regni Poloniæ Cancellarij ſincerè nobis dilecti.

PRIVILEGIUM VLADISLAI POLONIÆ & HUNGARIÆ REGIS quo Capitanei Lowicz & Uniejow ab Expeditione Generali eximuntur.

VLADISLAUS DEi gratiâ Poloniæ, Hungariæ, Dalmatiæ, Croaciæ Rex, Litvaniæq; Princeps ſupremus, & Hæres Ruſſiæ, &c. Significamus tenore præſentium univerſis quibus expedit, quomodo cupientes ut Caſtra Łowicz & Uniejow Reverendiſſimi in Chriſto Patris Domini Vincentij, S. Gneſn: Eccleſiæ Archiepiſcopi & Primatis, ſincerè nobis dilecti, & Eccleſiæ Suæ Paternitatis prædictæ, tempore expeditionis Generalis Regni noſtri Poloniæ, à futuris periculis & quibuſvis invaſionibus debitè conſervarentur: Ex noſtra certa conſcientia præfato D. Archiepiſcopo duas perſonas idoneas, videlicet terrigenas & Nobiles toties quoties univerſitatem terrigenarum noſtrorum contra quoscunque æmulos Regni noſtri Poloniæ progreſſum expeditionis facere contigerit, particulariter vel univerſaliter, videlicet unam perſonam in Caſtro Łowicz, alteram verò in Uniejow relinquendi & ſtatuendi omnimodâ damus & tenore præſentium concedimus facultatem. Et eos terrigenas taliter ut præmiſſum eſt, in Caſtris antefatis locatos & ſtatutos, ab expeditionibus Terreſtri-

reſtribus abſolvimus, & liberos pronunciamus per præſentes: nec volumus ut pro eisdem per Palatinos, Capitaneos, & quoſvis alios Officiales noſtros quovis modo impedirentur. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus eſt ſubappenſum. Actum & datum Budæ feriâ quartâ in Vigilia Sacratiſſimi corporis Chriſti. Anno 1444.

Ad Mandatum Regiæ Majeſtatis
Joannes Rey Sancti Michàëlis Præpoſitus.

PRIVILEGIUM HENRICI DUCIS POLONIÆ, Archiepiſcopo & Vladislavienſi, Poſnanienſi, Epiſcopis & Eccleſijs ſerviens.

IN NOMINE DOMINI AMEN.

NOS HENRICUS DEi gratiâ Dux Regni Poloniæ, Promeraniæ, Sileſiæ, & Dominus Cioogoviæ. Notum facimus tã præſentibus quàm futuris. Quod nos ſemper in bonis actibus Progenitores noſtros imitari, prout magis poſſumus cupientes, perſonas Patrum Venerabilium, videlicet D. Jacobi S. Gneſnenſis Eccleſiæ Archiepiſcopi, Andreæ Poſnanienſis, Vladiſlavienſis in terra Pomeraniæ, ac bona ad ipſas pertinentia, talibus honorare voluimus inſigniis libertatum, quòd omnes libertates, quas jam dictæ Eccleſiæ in bonis ſuis retinent, volumus perpetuò inviolabiles permanere: ita videlicet quod in Villis & bonis Eccleſiarum dictarum nunquam ſtationem aliquam faciemus, neq; unquam noſtros homines pabulare, quod in vulgari dicitur Pieżowac bona Eccleſiæ permittemus, & quod ſicut ab initio extitit obſervatum, Canonici dictarum Eccleſiarum vel Villas Eccleſiæ limitabunt: & quod nullam exactionem in bonis Eccleſiæ, vel petitionem tam in jure Theutonico, quàm Polonico faciemus, vel etiam imponemus, ſicut nec noſtri Prædeceſſores hæc fecerunt: nec bona Eccleſiarum dictarum in aliquo gravabimus, vel lædemus. Volumus etiam quòd Canonici, homines exiſtentes in bonis Eccleſiæ judicent, & pœnas judiciales percipiant ab eiſdem, niſi quæſtio ſuper hæreditatibus moveretur, quia illam in noſtra volumus præſentia judicari. Volumus etiam quòd, ſi miles, vel cujuscunq; conditionis homo exiſtat, ex teſtamento vel inter vivos aliquid mobile vel immobile Eccleſiæ donaverit, quòd hoc firmum & ſtabile perſeveret, nec in hoc Eccleſiam impedire volumus, imò ut donatum apud ipſam remaneat, totis viribus adjuvare. Et ſi quæ utilitates in bonis Eccleſiarum dictarum ſunt, vel exorta fuerint, in futurum, ſive in terris, ſive in aquis fuerint, ipſas, penes Eccleſias, in quarum bonis inventa fuerint vel exorta, volumus perpetuò remanere. Promittimus etiam quod excommunicatos volumus in omnibus actibus legitimos evitare: & ſi ultra annum in excommunicatione jacuerint, bona excommunicatorum noſtro fiſco applicabimus ſatisfacientes Eccleſiis de eisdem, prout vel in quanto ipſi excommunicati fuerant Eccleſiis obligati. Promittimus etiam dictas Eccleſias contra earum indebitos turbatores, toto poſſe adjuvare, & ope noſtræ potentiæ fideliter defendere. Volumus etiam quòd omnes qui ad decimas tenentur, illas perſolvant integraliter in campis, ſi villa juris Poloniei fuerit, ſi autem Theutonici, maldratas per modium & argenteum, ſi autẽ per adjutorium Venerabilium Patrum uperius nominatorum, ac Eccleſiarum earundem Regias fuerimus inſulas aſſecuti Cancellaria Regni penes Poſnanienſem

Epiſcopatum perpetuò remanebit, aſſignatis ſibi reditibus juxta quaslibet civitates frequentiùs cum noſtra Domo nos contigerit. Actum & datum in Coſtan. Anno Domini 1298 in die B. Joannis Baptiſtæ. Ad majorem horum certitudinem præſentes ſcribi juſſimus literas noſtri ſigilli munimine roboratas.

PRIVILEGIUM OMNIUM ANTIQUISSIMUM VLADISLAI Ducis Poloniæ quo Collationes præbendarum Gneſnen: Eccleſiæ Archi-Epiſcopo renunciat vectigalia certa, & ſervitutes tollit.

In Nomine SSmæ & Individuæ Trinitatis.

EGo VLADISLAUS filius Odonis DEi gratiâ Dux Poloniæ, tam præſentibus, quàm futuris præſens ſcriptum inſpecturis innoteſcere curavi. Quoniam ob reverentiam & honorem Domini Noſtri JESU Chriſti, & S. Alberti Martyris, ad inſtantiam Domini Fulconis Gneſnenſis Archiepiſcopi, & aliorum prudentum virorum juri quod hactenus in Collationibus Præbendarum Gneſnenſ: Eccleſ: credebam mihi competere, prorſus renuncio, eas eidem Archiepiſcopo, ac ejus ſucceſſoribus liberè cui voluerint conferendas, ſalvo eo, ſi fortè per gratiam Domini ipſius aliquid potero habere. Renuncio & omni ordinationi Spiritualis juris, tam domorum religioſarum, quàm Secularium Eccleſiarum. Innovo item libertatem bonæ memoriæ Archiepiſcopo Henrico à me datam, & ipſius ſucceſſoribus & ſuffraganeis ejus, eorumq; ſucceſſoribus & nunc eandem in terra quam poſſideo, & quam juſtis modis acquiſiero, confero, quæ talis eſt. Aſcriptiones villarum Eccl. in nullo caſu, nec à me, nec à Caſtellanis meis, ſeu quibuslibet beneficiarijs judicari volo, eo tamen excepto, quòd liberi homines non hoſpites ſed indigenæ villas Eccleſiarum inhabitantes, coram me tantùm, citati reſpondeant, & hoc in ſignum dominij, & ſi in aliquo condemnati fuerint Archiepiſcopo, recipiat in Caſtellania Gneſn. & in quibus ſuas locaverit curias. Si autem ſolutio, ad pœnam duodecim marcarum excreverit & ſupra, cum Duce ipſam dividet, & hoc tantùm in literis, ut ſupraſcriptum eſt. Renuncio item pro me & Succeſſoribus meis conſvetudini, quam in Caſtellatura Gneſnenſi tranſeundo habebam; in ea tribus diebus ſtandi, & vectigal & expenſam accipiendi, ita quod prorſus ab hac ſervitute Caſtellaturam Gneſnen. liberam facio. Omnes verò aſcriptitii à ſervitute quæ dicitur Powoz, przewod, naraz, naſtava, przewoza immunes fiant. Equos Ducales, Canes, Caniductores, Falconarios, & Caſtorarios per villas Eccleſiæ non paſcant, ad ædificationem Caſtrorum non compellantur, præter illud ſub quo manent. Concedo item eidem Archiepiſcopo, & Canonicis Gneſnen. pro damnis, quæ eis per guerram noſtram ſunt illata, ut gentes extraneas invitent & in villis Eccleſiarum locent, qui exempti ſint ab omni obſequio & ſervitute, præter hoc ſolùm quod ſi quæ gentes dominium meum invadant,

vadant, ſimul mecum ad reſiſtendum eis occurrant. Hæc autem ut perpetua & inviolata, à me & à poſteris meis conſiſtant, juramento confirmo, & munimine ſigilli mei corroboro, & ad majus robur Fidejuſſorem pono Ducem Pomeraniæ Swatopelcum. Si autem aliquo modo hæc violavero, & fuero comprobatus, Dn. Archiepiſcopus ſine omni meo improperio, me in eandem reducat excommunicationem. Teſtes autem in quorum præſentia hæc ſunt acta, ſunt hi. Dn. Michaël Cujavienſis Epiſcopus, qui hoc negotium tractavit, & ad majus robur ad meam petitionem ſigillo ſuo roboravit, Domaradus Caſtellanus de Uſcie, Derſicrajus Judex Curiæ, Petrus Boguſz. Actum in Nakiel, Dominica Incarnationis Anno milleſimo, ducenteſimo trigeſimo quarto Locus * Sigilli in cera ſubimpreſſi in filo ſericeo penſ.

De Controverſia celebri nuperrimè Romæ agitata, motore Andrea Trzebicio Epiſcopo Cracovien. contra Nicolaum Prazmovium & Andream Olſzovium Archiepiſcopos Gneſn. parcendum chartæ & Præſuleæ dignitati exiſtimo. Neq; ſupereſt, quod adjiciam egregijs ſcriptis & ſolidis informationibus Præſtantiſſimi Advocati Romani, nunc Regiæ Majeſtatis Poloniæ declarati Agentis, Ranucli de Baſchijs, quibus ille oppoſitiones omnes Adverſarij, & ſequacium confutavit. Ut ſequuntur.

Ex hâc manifeſta Jurium deductione, privilegiorum dignitate, rationum momentis, tandem ſtetit ita deciſum.

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S. R. Eccleſiæ Cardinalium negotijs & Conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſita, Partibus auditis, referente Eminentiſſimo Caſanate, cenſuit Actum prædictæ ſolennis Coronationis *ſpectare, ad Dominum Archiepiſcopum Gneſn. etiam in Cathedrali Cracovienſi; Licentiâ Domini Epiſcopi Cracovienſis non requiſitâ, ſine tamen præjudicio jurium ejusdem Domini Epiſcopi Cracovienſis, quo ad cætera.*

Romæ VI. Decembr. 1675.

(L. S.)

Card. Garpar Carpineus
Archiep. Genuen. Secret.

XVII. Hæc pro Juribus & dignitate Archiepiſcopi Gneſnen. non ulla ambitione, ſed gravi neceſſitate (Romæ coram Sacra Congregatione, litigio de Præeminentiis uſq; adhuc, nulla ex me cauſa divexor) ac præclara Ss. Patrum imitatione, qui Eccleſiarum ſuarum prærogativas intrepidè & firmiſſimè defenderunt *contra ambitiones illicitas eorum* (verbis Gelaſii Papæ apud Baron. ad an. 1099.) *quos non pudebat Eccleſiarum jura turbare, & Privilegia, quæ decrevit antiquitas, auida præſumptione pervadere, non reſpicientes quoniam æterno Judici rationem tam de Catholicæ ſinceritatis injuriâ, de traditionum præjudiciis paternarum, non ſine perpetuo damnationis interitu ſint reddituri.* De S. Lanfranco ſupra retuli. *S.* Hilarius Aralatenus: *Induco[r],*

cor, inquit, *non amore gloriæ ſed ſtudio tantùm tuendæ dignitatis Eccleſiæ Arelatenſis. Malitia enim eorum qui nos oderunt, aſcendit ſemper* S. Ivo Carnotenſis *c. 60. De tantillo jure quod habet Eccleſia noſtra, nec volumus nec debemus cedere, cum beatus dicat Cyprianus, quàm periculoſum ſit in Divinis rebus, ut quis cedat jure ſuo & poteſtate, ſcriptura ſacra declarat: cum Eſau Primatum ſuum inde perdiderit, nec recipere id poſtmodum potuerit, quod ſemel ceſſit.* Et infra: *Si autem petitionibus noſtris non acquieveritis & aliquod ſchiſma inde fuerit exortum, ſecurè dicam: neq; iniquitas mea, neq; peccatum meum.* Rectiſſimè Pontifex ep. 99. apud Holſtenium ad Proclum Patriarcham Conſtantinopolitanum *Reuerentia veſtra* inquit, *in commune* (id eſt Tibi & Theſſalonicenſi Epiſcopo) *præſtatur, ſi alter alterius honori debita, præuenientes inuicem, caritatis officia, præſtetis.*

XVIII. Ego ſanè non omninò contradixerim, ut Epiſcopi, Cracovienſis & Vilnenſis ſplendidiore Archiepiſcoporum nomine decorentur, dummodo ſine Archi-Eccleſiæ Gneſnenſis cunctarum Regni Eccleſiarum Matris & Principis, præjudicio. Probo Conſilium Ioannis Dlugoſſij *Nam Gneſnenſi,* inquit, *non tenuior ſplendor, ſed amplior honor accederet, ſi potius non ad unius Leopolienſis Archiepiſcopatus Eccleſiæ, ſed ad Cracovien. addo & Vilnen. reſpectum, Primas vocaretur.*

XIX. Optandum poſtremò eſt, ut Epiſcopus Cracovienſis, digna Antiſtite tranquilla moderatione, & glorioſo Eboracenſis contra Cantuarienſem exemplo, ultro de cætero conquieſcat: quem Eboracenſem (ut S. Lanfrancus Pontifici ſcribit, apud Cardinalem Baronium loc. cit.) *cum Rex Angliæ Vilhelmus dulci paternaq; reprehenſione argueret, quòd contra tantam argumentorum copiam, tam inops rationum venire præſumpſiſſet.* Reſpondit; ſe antea ignoraſſe Dorobernenſem Eccleſiam tot tantiſque authoritatibus tamque perſpicuis rationibus eſſe munitam. Verſus itaque ad preces eſt. *Rogauit enim Regem, ut me rogaret, quatenus omnem rancorem, aduerſus eum pro hac cauſa conceptum omitterem, pacem diligerem, concordiam facerē, aliqua quæ mei eſſent juris, ſtudio charitatis concederem. Cui petitioni ego libenter, & cum gratiarum actione, aſſenſum præbui, quia miſerante DEO, non ego, ſed ille priſcæ conſuetudinis violator, cauſa erat hujus ſcandali.*

ANDREÆ

INDEX RERVM

QUÆ PRIMA PARTE TOMI PRIMI CONTINENTUR.

A

Abbatiæ an ſæcularibus conferendæ? (86
Abdicatio an Regi Michàéli ſuadenda? 350
Acta in Podolia 9
Acta in Comitijs Abdicationis 51
in Comitiis Convocationis & tempore interregni 71
in Comitiis electionis Regis Michàélis 117
Acta circa abdicationem Regis Caſimiri 149
Acta poſt Comitia Coronationis Regis Michàélis 169
in Comitiis coronatiouis 184
Acta in Comitiis 234. 313. 320. 352
Acta in Senatûs conſilio 376
Acta contra Primatem 389
ſub Golembio 404
in Comitiis pacificationis 439
Tempore belli Turcici 475 & ſeq.
in Comitiis Coron. Joan. III. 592
in Caſtris ante & poſt Coronationem ſub Zurawno 601 & ſeq.
Ante Comitia Coronationis 674
in expeditione Zurawnenſi 690
Ante Comitia Grodnenſia 697
in Comitiis Grodnenſibus 703
in Comitiis Colligationis 709
Adulatio 173
Aer Madriti 522
Albertus Brandeburgicus 77
Ambitio malorum cauſa 150
Apes felicis gubernationis præſagæ 146
Archi-Epiſcopi præeminentia 199 & ſequ.
Archiepiſ. Primatis privilegia 661. 664 & ſeq.
Archiepiſcopus Gneſnenſis Legatus natus Regni primas, primuſq; Princeps vide tractatum ſignatum literis A. O. A. G. cap. 1. art. 1.
Archiepiſcopus & Metropolitanus quid ſignificent, ibid. art. 2.
Archiepiſcopi inſignia pallium & crux ibid. art. 3. & 4.
Habet uſum Pontificalium in tota Provincia ibid. art. 5.
Poteſt viſitare totam provinciam ibid. art. 6.
Ejus juriſdictio ibid. art. 7.
Poteſt convocare concilium provinciale ibid. art. 8.
Archiepiſcopi Gneſnenſis propria ibid. art. 9.
Eſt Legatus natus cap. 2. art. 1.
Apoſtolici Legati qui & quotuplices, eorumq; officia, facultates & privilegia ibid. art. 2.
vide plura verbo Legatus natus
Archiepiſcopus Gneſnenſis gaudet privilegijs Legati Cantuarienſis ibid. art. 9.
Jus ejus Metropolitanum ibidem art. 10.
Alia documenta auctoritatis & juriſdictionis ejus ibid. art. 11.
Ejuſdem Primatus ibid. cap. 3.
Ejuſdem primus Principatus ibid. cap. 4.
Aſtus contra Scytham 613
Aurifodinæ miræ 503
Auſtriaca factio fomes belli civilis. 175
Auſtriaca ſubſidia 178

B

Baldachinum negatur Nuntio Apoſtolico 188
Bellum Chocimenſe 491 & ſeq.
Bellum Turcicum 560 & ſeq.
Bieniewski Pallatinus Czernichovienſis

vienſis 334
Brunsberga ſub Electore Brandeburgico 3
Bullonius 93
Buzinski Canonicus Varmienſis promovet electionem Regis Michàélis 126
Suſpicio in eum 680

C

Calculatio 269
Beati Cantij canonizatio promovetur 63
Cancellarij contrarij Procancellario 313
Reconciliantur 315
Captivi 289
Caroli Principis Lotharingiæ progenies 42
Certamen de præcedentia S. Joannis Bapt. & Evang. 516
Chelmski Calviniſtæ acta 37
Chocimi deſcriptio 496
Chrapowicki Mareſchalcus 71
Citatio Grzymaltovio data 271
Cives non migrent ex Patria 269
Clades hoſtium 402
Clades Scytharum 565
Cohortes Regiæ 464
Comitia Abdicationis 31. 41
Comitiorum electoralium tẽpus 72
Comitia Electionis 117
Comitia de Succeſſore vivente Rege 152
Comitiorum ruptio prodeſt Regibus 171
A Comitijs pendet conſervatio libertatum ibid.
An Comitiorum tempus abbreviandum? 355
Commiſſio Leopolienſis concedit cuſionem ſolidorum 32
Commiſſio cum Legatis Brandeburgicis 252
Commiſſio cum Exercitu Zaporovienſi 295
Commiſſio ad tractandum cum Doroſzenko 298
Commiſſarij expediendi 386
Condæi excluſio à Candidatura 119
Conflictus cum Scythis 11
Ad Dolhe 606
Cum Barbaris 613
Confœderatio 363
Confœderatio ſub Golembio 405
Confœderationis limitatio 410
Confœderatorum poſtulata 445
Confœderatio an caſſanda 450
Conſilium mirandum 123
Conſilium Primatis 291
Conſultationum Puncta 367
Quibus Princeps Czartoryski reſpondet 368
Contributiones 189. 458
Contributio ab Eccleſiaſticis 683
Controverſia inter Magiſtratum & Profeſſores Cracovienſes 5
Inter Canonicos Gneſnenſes & Cracovienſes ibid.
Conventio de ſale 684
Convocationis prolongatio 442
Coſaci reconciliantur 14
Coſacis promiſſa 15
Coſacorum offenſa 290
Coſaci aſtu vitam tuentur 403
Coronatio Reginæ 333
Joannis III. 597
Acceleranda 635
Coronationis dies 678
CracovienſisPontificalium 192&ſeq.
Curlandiæ Dux 79

D

Decretum contra Grzymaltowium 328
Deditio luit 578
Dębicki contra Legatum agit 156
Ejus literæ 167
Deputati ab exercitu Litvanico 442
Deputati ad conſtitutiones 452
Dialogiſmus Coloni cum Statiſta de pace cum Turca 713 & ſeq.
Diploma à Rege Reipubl. datum in Abdicatione 57
A Republ. Regi datum 59
Diſquiſitio in quædam jura Terrarum Pruſſiæ 152
Diſſenſiones inter Primatẽ & Epiſcopum

copum Cracovienſem 677
Inter Duces Litvaniæ 679
Diviſio cohortium 9
Dominium ſupremum 332
Donaria Scythica 269
Doroſz Ductor Rebellium in Ukraina 8. 10
Diſſidet cum Sierko 12. 72
Doroſzenko & Tukalski 285
Doroſzenko cum Siercone fœdera (584
cum Moſchis 618
Doroſzenko vult ſe ſubmittere 289
Tumultus ejus 303. 307
Delicta ipſius 304
Clementia ipſi promittitur ibid.
Drahimum occupatur à Brandeburgico Electore 72
Ducum triennalis poteſtas 679
Dymedetij conflictus cum Scythis (602

E

Eccleſia Cordubenſis 518
Elbingæ & Drahimi cauſa 3
Electionis regiæ intimatio ad varios 627
Ephemeris electionis Michàélis Regis 142
Epitaphium Polonæ libertatis 415
Equi Duces 523
Equorum uſus in Hiſpania 522
Eſcuriale Caroli V. 518
Euchariſtia vendita Judæis à Sacerdote 187
Exceſſus militares 186
Exemplum virtutis Polonæ 570
Exercitus qualis neceſſarius 458
Exercitus Litvani receſſus 637. 659
Agenda poſt hunc receſſum 649
Exorbitantiæ ſub Lublino 425
Reſponſum ad eas 427
Expeditio felix 309
Exulibus contributio 170

F

Fecialis Turcicus detentus 7
Fœminæ fortitudo 581
Funus Regum Joannis Caſimiri & Michàélis 594

G

Gedanenſes motus 693
Gilbaſzevius ad objecta Grymaltovio reſpondet 330
Gratiarum actio pro pace 25
pro diplomate electionis 132
Gratulatio P. Generalis Soc. JESU Joanni III. 638
Caſimiri Grudzienski deſcriptio (316
Contra Grzymaltovium decretum 328
Agit contra eum Inſtigator Regni 329

H

Hanenko mittuntur inſignia 291
Hanenko auctoritas 298
Hani dolus 571
Hani querimonia de Polonis 609
Hoholi oratio 568
Hyberna 269

I

Ignatowicz acta 289
Imbram fruſtra conatur Raſcoviam repetere 571
Imperatoris reſponſum Ablegato datum 348
Ejus judicium de motibus internis Polonorum 342
Informatio de Doroſzenko & Tukalski 285
Informatio ex Senatûs-conſilio 299
Inſtructio data Legàto ad Electorem Brandeburgicum 72
Ad Summum Pontificem 109
Gninſcio data 111
Ab exercitu 393
Ad comitiola 698
Interitus Buluk Baſſæ & Quaſſæ 585
Internuntius 669

Joannes Casimirus Rex putatur regno se abdicaturus 4. 26
Rationes ob quas id facere velit (26
In Senatûs consilio aperit mentem de abdicatione 33. 157
Informat de hac Monarchas 34
Dissvadet CLEMENS IX. Pontifex (34
Item Leopoldus Imperator ibid.
Procancellarius ejus intentionẽ proponit 53
Literæ ejus ad Summum Pontificem 38
Responsoriæ ab eodem 39. 40
Abdicatio ejus 51 160
Pensio pro ipso 35
Legendam dat schedam de Abdicatione 54
Sermo ejus in Abdicatione 57
Diploma ab eo datum Reipubl. in Abdicatione 57
Aliud ipsi à Repub. 59
Ejus merita 96
Origo abdicationis 154
Renuit transire ad secundas nuptias ibid.
Provisio ejus 173
Moritur 448
Votum ipsius 687
Joannes Sobieski Dux supremus ad bellum se accingit. 2
Judicat occurrendum Scythis 8
Providet Cameneco 9
De eo judicium ibid.
Exhortatur milites 10
Confligit cum Scythis 11
Relationem facit victoriæ 32
Grates ei habentur 33
Pacta approbantur ibid.
Tartaros vincit 155
Literæ ejus ad Palatinatus 240
Ejus encomia 359
Respondet Ablegatis Regijs 377
Queritur de varijs 397
Relatio conflictuum ejus 399
Ejus pietas 403
Literæ ipsius nomine exercitûs (391
Ad Comitiola 392
Declaratio ejus ad puncta Palatinatus Vitebscensis 424
Consilium ejus 456. 465
Mittit Vexillum Turcicum Romam post victoriam Chocimensem 504
Acta circa electionem ejus in Regem 555 & seq.
Acta ejus in Ucraina 561 & seq.
Coronatio ejus 597
Encomium ejus 619
Gratias agit pro diplomate per Gninski Palatinum Culmensem (619
Ejus Literæ post electionem ad varios 624 & seq.
Coronatio ejus acceleranda 635. (642. 645
Literæ ejus de decimis 640
Nuntiat Regi Angliæ gesta in Ucraina 669
Juramentum Senatorum 449
Jus Patronatûs 472. 673

K

Kalckstein captus 278
Ab Eusebio Brandt 279

L

Laudes variorum 461
Legatus Galliæ an relegandus 32
Lebel exussit Ecclesias 254
Legatio ad Electorem Brandeburgicum 72 73
Ad Turcas 172
Opalinscij 107 & seq.
Anglica 232
In Moschoviam 269
Confœderatorum 489
Nuradini 612
Radivilij 717
Legationis Brandeburgicæ relatio. (290
Moschoviticæ 356
Legationes variæ ante electionem Joannis III. 586 & seq.
Sultanorum ad Polonos 610
Legati variorum in Comitijs electionis 120 & seq.
Legati externi 269
Turcicus 485
Moschoviticus 290
Legati Tartarici expeditio 289
Legatus à latere petitur à Pontifice in Poloniam. 89 90
Legati ad aulam residentes causa diffe-

differentiarum 228
A Legatis juramentum exigitur (356
Legatus natus quis & quotuplex *Vide* Archiepiſcopus.
De Linda dimovetur à Conſulatu Gedanenſi 91
Literæ Primatis ad Pontificem &c. poſt Abdicationem 61 & ſeq.
Literæ Olſzowij Reſponſoriæ ad Neoburgicum 85
Ad Principem Lotharingiæ 86
Ad Cardinalem Ottoboni ibid.
Ad Primatem 97
Ad Regem Caſimirum 116
Ad Cardinalem Urſini 162
Ad Legatum Cæſareum. 167
Ad Elect. Brandeburgicum 179
Ad Raczkowski Commiſſar. 244
Ad Caſtellanum Poſnanien. 248
Ad Archiepiſcop. Corynthi 249
Ad Cardinalem Altieri 250
Ad Mareſchalcum Regni 252. 277. 282. 292. 306. 307. 385. 412. 435.
Ad Campiducem 261
Ad Commiſſarios pro diſpoſitione Exercitûs 278
Ad Præpoſitum Vratislavienſem pro Joanne Caſimiro 280
Ad Palatinum Lublinenſem 293
Ad Archiepiſcopum Florentinum 305
Ad Cardinalem Altieri 417
Ad Vezyrum 437
Ad Imperatorem 663
Literæ Dębicki 167
Literæ Electoris Brandeburgici ad Regem 100
Literæ Anonymi 119
Regis Angliæ ad Regem Michàélem 166
Literæ Oborski 262
Primatis 322
Vezyri 360
Primatis ad Senatores 387
Ad Comitia Mariæburgenſia 413
Dzierzecij ad Procancellariũ 439
Literæ reſtium 683
Litvani inducuntur in electionem Regis Michàélis 126
Lozinſcius impoſtor 490
Ludovicæ Reginæ mors, beneficia & encomia 1
Ejuſdem funus 4
Ejuſdem encomiaſtæ 5
Lubomirski impugnans elect: vivente Rege læſæ Majeſtatis reus accuſatur 153
Lubomirski Mareſchalcus comitiorum 320
Defenditur ab Epiſcopo Cracovienſi 327
Ejus Oratio 339
Ludi Taurini Madriti 520

M

Manifeſtum malecontentorum 379
Remanifeſtum 382
Mareſchalcus valedicit Regi 464
Mareſcotti Legatus Pontificius 119
Materia in comitiolis & comitiis 668
Matrimonia funeſta 150
Regum Poloniæ cum externis factionibus ſubjacent 174
Sigiſmundi cum Auſtriaca noxium Polonis 175
Tranſylvania per Matrimonium cum Auſtriaca amittitur ibid.
Dos Auſtriacis dari ſolita 177
Wiſnioviecii cum Principe Oſtrowska 288
Vide Connubium
Memoriale Ablegati Regis Angliæ (232
Nuntij Apoſtolici 414
Michael Wiſniowiecius in Regem eligitur 126 & ſeq.
Ejus literæ ad Pontificem & Imperatorem 147
Reſponſoriæ à Pontifice 148
Ad Electorem Brandeburgicum (162 300
Conſiderationes circa Matrimonium ejus 163
Jurat cum reſtrictione mentis 170
Matrimonium ejus cum Auſtriaca improbatur 147
Coronatio ejus 184
Petit ſubſidium à Pontifice in bello Turcico 212
Ab Imperatore & alijs 214 & ſeq.
Literæ ejus ad Electorem Brandeburgicum ratione Bythow & Lemburg 218

Nuptiæ ſvadentur ei differendæ (220 & ſeq.
Matrimonium ejus 265. 323
Univerſales ejus de Matrimonio (224
Literæ ejus ad Summum Pontificem de bello Turcico 230
Ad Hanenko 245. 302
Ad Comiſſarios pro tractatu cum Coſacis 246. 251
Ad Clementem X. 243. 284
Declaratio ad propoſitiones Deputatorum Electoris Brandeburgici 252
Ad Pontificem ratione translati Nuntij 281
Ad Electorẽ Brandeb. in Negotio Brandt & Kalckſtein 275. 295
Satisfactionem requirit 283
Milites ſubſidiarios ab eodem requirit 296
Ad Clementem X. pro Archiepiſcopo Toloſano 301
Suppetias petit ab Electore Brandeburgico 349
Ab Imperatore 368
Literæ ejus ad varios in bello Turcico 369
Ad Sultanum 374
Ad Vezyrum 375
Ad Clementem X. 412. 419. 471.
Abit ad Caſtra 470
Clementia ejus 449
Infirmatur 478
Moritur 479. 503
Teſtamentum ejus 482
Milites auxiliares ab Electore Brandeburgico petit 332
Milites Regij 451
Militantes extra Regnum revocantur 386
Moneta 172. 212. 269
Moneta adulterina 32
Monetæ commutatio 188

N

Neapolitana ſumma 212. 418. 505. 529. 688
Neoburgici literæ ad vice Cancellarium 85
Reſponſum ibid.
Nivium in æſtate prodigia 576
Nobilitatis non dentur officia uſq; ad tertiam generationem 172
Nominatio Coadjutoris ſub interregno 70
Nominatio Cardinalis 633. 626.
Nuntiorum numerus ad comitia 316
Nuntij ad proteſtantes 354

O

Oborski Mareſchalcus 313
Obſides requiruntur 245
Odojeſcius captiv⁹ Barbar. terret 582
Officia triennalia 455
Olſzowski Procãcellarii cõſiderationes circa Matrimonium Regis Michàélis 163
Legatio ejus ad Cæſarẽ 164. 209
Inſtructio ei data 211
Sermo ejus ad Gedanenſes 248
Propoſitio ejus in Comitiis 267
Comendat Andream Zaluski 286
Culpat aliqua facta 291
Vindiciæ ejus 311
Ad objecta reſpondet 324
Pacem ſuadet Wezyro 372
Ad Cancellarium 469
Votum ejus in ſenatu 585
Excuſatio ejus ad Lotharingum poſt electionem Joannis III. 639
Nominatio in Archiepiſ. 641
Inveſtituram petit 649
Diploma & Pallium obtinet 644
Univerſales ejus ad tollendum licentioſum militem 654
Literæ ejus paſſim occurrunt *Vide* Literæ.
Univerſales reſtum pro communi motu. 662
Sermo ejus ad capitulũ Gneſ. 665
Tractat⁹ ejus de Archiepiſcopatu Gneſnenſi ſub literis A. O. A. G.
Mors ejus 695
Omina fortunati imperij in electione Michàélis 133
Opalinski legatio 107
Oratio Legati Svetici 631
Reſponſio 632
Origo interitus Regni 357

P

Pacificationis literæ 452
Pacta cum Moſchis 235
Pacta Regis de non ineundis fœderibus 171
Palatinatus non cõſentiunt in communem motum. 299

Pax cum Moſchis 27
Penſio pro ex-Rege 53
Perduellionis judiciũ urgetur 327
Pericula ex Ucraina 7
Pericula Regni 8
Petitio ſuppetiarum ab Electore Brandeburgico 102
Reſponſum 104
Petrikowski primus vallum hoſtile occupat 499
Piltinenſis diſtrictus 332
Polonis tria cavenda 174
Poloniæ ſtatus 488
Pomorzani virtus & aſtus 577
Pons Madriti 522
Poſtulata exercitûs 336
Povolocenſes Coſaci 569
Præcuſtoditio Procancellarij adversùs præcuſtoditionem Deputatorũ
Elect: Brandeburgici 254
Præeminentia Archiepiſ. Gneſ. 656
Præfecturæ in Litvania 332
Primas reconciliatur Regi 326
Infirmatur 463
Privilegium Gedanenſium ſuper bona caduca 332
Proditor Cameneci 442
Proditio Cameneci falſo Imponitur (449
Projecta de Principe Neoburgico 74
De Condæo 82
De Lotharingo 92
De Piaſto 134
Promotionum facultas Collegij Poſnanienſis S. J. 710
Propoſitio de abdicatione Regni 53
Ad aulam Brandeburgicam cum reſponſo 101 & ſeq.
Præpoſitiones Imperatoris 470
Propoſitiones pacis 686
Proteſtatio Zamoyſciorum 128
Exulum 189
Primatis 290
Variorum 352
Poſt nominationẽ non valet 622
Proviſio annua 140
Provinciæ ab onere belli ſe eximentes 335
Puncta cõtra civitatem Gedan. 180
Malecontentorum 420
Ad eadem replicatio 421
Confœderationis Lublinenſis 422
Ad pacificationem 423
Pacificatonis 452

Q

Quartiani 334
Querela de excluſo Nominato ad Cardinalatum 6
Querela ad Vezyrum de irruptione Tartarorum 26
Zamoyſciorum 127

R

Raczkowski temeritas 297
Bogusl. Radziwil ſecta Calvini obeſt ad dignitatem 36
Rakoci concurrit ad coronam 88
Ratificatio contract⁹ matrimon. 121
Regina extera non immiſceat ſe rebus Reipubl. 170
Regina commendatur 269
Nuntiat mortem Regis Michaëlis varijs 529
Relat. eorũ quæ agũtur in Polon. 398
Conflictuum 399
Electionis Joannis III. 554
Religio Græca non tollenda 302
Reſtrictio mentis 322
Rex militem non foveat ſub ſuo nomine 172
Illicita eſt ei apertio ærarij inſcia Republ. ibid.
Non licet ei inire matrimonium inſcia Republ. 173. 209
Regũ Galliæ diſtributio tẽporis 523
Roht captivatur 79
Rota juramenti 396
Rzewuski Tartaris infeſtus 566
Profligat Hanum 575
Felix in conflictu cũ Scythis 601

S

Salis venditio in Sileſia. 212
Salutatio Joannis III. Leopoli 637
Secretarij externi 135
Scytha aſtu vitam aſſerit 403
Sermo Sarnowski Mareſchalci allocutorius Regis in abdicatione 55
Regis in abdicatione 57
Palatini Sieradienſis 441
Palat. Czernichovienſis 451
Scepuſienſes civitates 469
Scheitan Baſſa infeſtus Podoliæ 603
Schlieben Comes ob fidẽ afflict⁹ 653
Senatores accedunt throno 326
Eorũ reſidẽtia ad latus regiũ 120
Sienawski Mareſchalcus 678
Simultas 25

Simultates variæ 437
Sirko Crimæam vult invadere, febri correptus, Iwaſzkum mittit 12
Nomen ejus formidabile 72
Ejus deſcriptio ibid.
Sirko Dux Zaporovius 570
Smogulecki occiſus à Brandt 101
Sokolnicki Mareſchalcus 352
Spirituales patiũtur ob Primatẽ 326
Stratagema hoſtium 607
Subſidium bellicum 681
Subſidia militaria 447
Succeſſor vivẽte Rege n. deſign. 98
Suppetiæ bellicæ petuntur 643
Suſpiciones in aula Elect. Brand. 300
Suſurrones periculoſi 447
Sylvæ Polono triumphales 402

T

Tartari cladem paſſi 504
Tauricæ devaſtatio 12
Terrores à Tartaris 140
Teſtamentum Regis Michaëlis 482
Tituli Electoris Brandeburgici 229
Tractatus pacis 13
Conditiones ejus 14
Tractatus Coſatici 321
Cum Moſchis 636
Inter Regem Galliæ & Electorem Brandeburgicum 415
Trajectus novi 229
Trebowla oppugnatur & defẽd. 579
Laus Præfecti arcis 581
Liberalitas Regis in eum ibid.
Eruptiones ex arce cum fuga hoſtium ibid.
Tumultus in Primatem 263
Turca inducias petit 616
Turcæ in Podoliam irruunt. 10
Turcici motus. 293
Turcæ appropinquant. 362
Invadunt Ucrainã & acta ibid. 559

V

Valedictio Regi à Primate 60
Ab Equeſtri Ordine 61
A Procancellario. 62
Valedictio Mareſchalci 319
Vellus aureum 183. 265. 322
Veſtes puniuntur à Perſis 357
Vexillifer Sendomirien. contra Primatem 325
Hic defenditur ibid.
Victoria de Tartaris obtẽta 17 &ſeq.
Victoria ad Kaluſiam 402
Victoriæ obtrectator 403
Victoriæ Chocimen: relatio 498. 535
P. Ujeyski epitaphium 685
Ulanieci acta 584
Vladislai Regis milites 451
Vindiciæ Procancellarii Regni 311
Unio Latinos inter & Græcos procuranda commendatur 28
Eũ in finẽ Rex ſcribit ad Patriarchas Alexandrinũ & Antiochenũ 29
Hi aliquos ritus abolent 30
Unio ſperatur 30
Origo rumoris de unione 46
Votum Regis DEo præſtitum 5
Votum Primatis ad Regem ante Abdicationem 37
Vota Senatorum 225. 320
Primatis ad Regem 264
Primatis 314
Procancellarij ibid.
Capitanei Oſwiecenſis 319
Epiſcopi Cujavienſis 325

W

Demetrius Wiſniowiecki Campidux 2
Wyſoccij expeditio ad Turcas 291
Relatio Legationis 351

Z

Andr. Zaluski Græcium Viennâ ſe confert 23
Spondet ſe votis Olſzowſcij reſponſurum 24
Legatus in Hiſpaniam, Portugalliam, Galliam, quæ ibi viſa & acta 508
Inſtructio ei data 526
Zamoyſciorum querelæ 127
Proteſtatio 128
Zarembæ diſcurſus de libertate 190
Reſpondet Procancellario 442
Zbrozeck fortiter acta contra Scythas 602
Zebridowscij mors 2
Zebroſcij mors. 615

19. E. 12 15

Digitized by Google